275 ~~to 4~~ . 32

Ed 275
pl 32



ALPHONSI

A CARANZA

ICti HISPANI

Tractatus Juridicus & Practicus

DE PARTV



DE EIVS CONCEPTIONE, FORMATIONE, de Fœtu in vtero, de Posthumis, de Conditione partus, Expositione, Suppositione, Ventre exsecto, Tempore partus vario (vbi & de ANNI *computatione prolixè agitur) Abortiuo, Monstruoso, Numeroso partu, Superfœtatione, Generatione, Succubis.*

CVM

DIATRIBA EIVSDEM SVPER PRIMORE TEMPORVM doctrina in libris Pat. DIONYSII PETAVII, nouissimè prostantibus, contenta: vbi agitur de ANNO Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum.

ADDITÆ INSVPER.

CAROLI ANNIBALIS FABROTI,

Antecessoris Aqui-Sextiensis Exercitationes duæ: 1a. de Tempore humani partus: 2a. de Numero puerperij.

COLONIÆ ALLOBROGVM,

Ex Typographia IACOBI STŒR.

M. DC. XXX.

ILLVSTR.

NATALIVM

SPLENDORE, ET INGENII ATQVE CONSILII LVCE SPECTATISSIMIS VIRIS, Senatus Supremi Hispani PRÆSIDI & CONSILIARIIS: IVSTITIÆ inclytum regentibus Clauum: STATVS PVBLICI Tutoribus: IVRIS & ÆQVI Vindicibus: munificentissimis Patronis.

ALPHONSVS A CARANZA I.C. Hispanus, Cliens obsequentissimus

DICO.

N FOECVNDISSIMO, *& perquàm lato campo* Iurisprudentiæ, *humanarum supremæ scientiæ, excelsioris Philosophiæ,* Virtutum omnium disciplinæ; in Publicis simul & Priuatis officiis excellẽtis, Ciuitates & Rempublicam, si nihil prohibeat, constanter, fortiter, & peritè administrantis (*in quo excelsiorũ omnis æui ingeniorũ, tractu nec interrupto, cultor es*

multi fuerunt, illi lustrando & illustrando intenti, & pro viribus operã impendentes) *Ego* Augustissime Senatus, *profectus meos qualescunque iam confeceram, cùm plantulam istam interseueram: nec quidem, vt ab iisdem auspicor, præcoci intempestiuitate, maximè post trigesimum quintum annum ex quo* Alma *ista suis me amplis exceperat vlnis: cúmque nec paucis abhinc annis, ingenij nostri consimile quid expostulari viderim, & quidem à primis* eius *Antistitibus, responsa & consultationes nostras super occurrentibus negotiis non parum mirantibus. Et sanè cùm rem præsentaneam peragendam destinassem, conceptæ de me opinioni non aliter facturum satis existimaui, quàm si omißis tritis, & quæ paßim circunferuntur*, inuia, *& nobis scitu necessaria sine vllo ductore aggrederer enucleanda. Nec enim quidquam hodie iam adeò superuacuum est, quam vbique* obuia, *& à quamplurimis discussa persequi, & sæpe sæpiúsque, vt est in vetere prouerbio*, actum agere. *Ideóq; ad eas quæstiones & controuersias, quæ ab aliis intactæ, vel tantùm delibatæ, quæq; ad præsentis Reipublicæ formam, & Fori consuetudinem cum fructu deflecti queant, præcipuè aduigilaui. Harum verò potißimas in personarum* substantia *consistere: & istarum primores circa* Conceptionem, *&* Natalitium, *seu* Partum *versari, cuiuis in aperto est. Nam quò magis legum scientia* Naturæ *vicinior, tanto excellentior & sublimior, vt pluribus adstruit* Cicero. *Hinc factum, vt eius primam, & omnium præcipuam hanc partem* disputandam *& illustrandam delibera-*

uerim.

uerim. *Et ſimul effectum, vt à quo tempore ſcriptionis iſtius prouinciam ſuſcipiendam duxeram, animo firmè deſtinauerim, eam* Altitudinis Veſtræ *Auguſtiſsimo & inſigni* Nomini *ſacrare. Non vt à tanti Protectoris auctoritate & poteſtate obtrectatio & maledicentia deterreantur, & Zoilorum, inceſſanter repetitorum, morſus vitentur (cùm eorum licentia & libera, quin & facilis, vt aiunt diſerti* Iſocrates & Lucianus, *erodendi libertas, nullius quantumuis ampli territorij finibus præcludatur) ſed vt* A. Veſtræ *inſcribantur & conſignentur, quæ vel in* Veſtris *Subſelliis & Palatiis didici, vel iiſdem aptior redditus in lucem proferenda curaui. Et inſuper vt* Publicæ vtilitatis *coram* A. Veſtra *omni fortè an æuo ſim firmus aſſertor.* *Et ſubinde, vt tanto* Senatui, *in cuius* Iuſtitia & Sapientia *ſpes bonorum prope virorum & ingeniorum omnium poſitæ ſunt, velut innoteſcant vires, qualeſcunque ſient, ingenij noſtri quoquam litterarum genere, in media negotiorum mole, & vſus forenſis inceſſanti praxi: Hiſpalenſi primùm Senatu (inſigni ſanè Judicum & Aduocatorum Gymnaſio à variis negotiorum inextricabilibus formis) poſt in* Veſtræ A. *maiorum primo, cæteríſque Regiis. Ecce igitur,* Excelſe Senatus, *hoc ſtudiorum meorum* ſpecimen *pedibus* A. Veſtræ *peruolutum à præcitatis cauſis: quæ & iuſtiſsimo quidem hortamento mihi fuere, vt ad omnis* Iuſtitiæ *fontem & Parentem,* & Chriſtiani nominis *Vindex, Auguſtúmque Tribunal* A. Veſtræ *cum hiſce meis qualibuſcunque recurrerim.* *Vt quæ itidem litteras ſic diligeret,*

vt nemo magis:*ſic intelligeret*,*vt* nemo melius:*ſic condigno poſſet afficere & condonare præmio*, *vt* nemo aptius. *Nunc veſtri officij candoris & ingenitæ nobilitatis erit, iſta, ſi quæ ſint, æſtimare. Etenim illud magnum, & inter cætera* A. Veſtræ *laudandum decus, ingeniis fauiſſe præſentibus, ea prout res expoſtulauerit cenſendo. Vt verè ſemper illud de* A. Veſtra *prædicetur.* Satis laudibus eminet ingenij proprij, qui fautor eſt alieni. *Accedit iſtis veſtra velut à Natura inſita in ſubditos, præmaximè litteratos, propenſa, & iuſtitiæ addicta benignitas, quæ* Majeſtatem Regiam *ſupra vulgarem hominum conditionem quodammodo locatam, etiam ad inferiorum acceſsionem traducit, vt cum dignitate inter primos prior* Veſtra *ſumma* A. *verè exiſtat*, Comitate *tamen &* Facilitate, *nihilo ſuperior inferioribus videatur: ita ſumma* Veſtra *grauitate cum iucunda humanitate velut concertante.* Congratulentur *ergo inde me omnes, & præclarè mecum aptum, fortunatúmque me eſſe diiudicent, qui dum præſtantibus Dignitate viris honorem habendum dignouerint* Amplitudini A. Veſtræ, *qua nulla in Hiſpaniis maior, nulla inter togatos illuſtrior, imò nec par, noſtra litteraria attenderint dicata. Qui dum legum libros ad* Iuris *Primates iure referendos æſtimauerint, nuperum apud me conceptum & editum fœtum huius* Diſputationis *Legis & Iuris Patrij* Cuſtodi *vero*, Antiſtiti *inſigni*, & Sacerdoti (*vt* Vlpianus *loquitur*) *ſummo oblatum*, & ante fidem Solis, iudiciúmque Poli *præpoſitum perpenderint: & inſuper* *glorioſius*

gloriosius esse à tanto Censore *iustè excludi, quàm à turba populari, vel inferioris iudicij viris in astra ferri. Qui dum litteratis litteraria monumenta offerenda duxerint* Vestræ A. (*insignioribus, & hac parte citra omnem controuersiam viris* cohonestatæ) *hæc nostra submissa prænotarint. Quæ inde longè magis & mihi ipsi debent, quàm ab assiduo labore, & interminatis vigiliis. Sub hac aliorum stylo nobis concedentibus extollendæ sese offerebant* integritas, & irrefragabilis *seu incorruptæ* Iustitiæ *diadosis, cæteræque animi dotes, quibus* A. Vestra *præpollet. Et sanè si mea hunc iam paulisper nacta campum euagaretur oratio,* Epistolæ *modum, terminósque prætergredi, & Librum* Disputatione *hacce iustiorem & ampliorem edere cogeremur, dum singula persequi destinassemus. Idque ipsum eueniret, si* vnius, *aut* alterius *laudanda delibaremus, & subinde* omnium *vndique parium consimilia perpendere velut necessaria consequentia adstringeremur.* Demum (*dum ista aliorum historiis & monumentis pleniore, cultiore, & feliciore calamo prosequenda relinquimus, ne intempestiua loquacitate, & inexpiabili penè peccato commoda* publica *morari videamur)* Vestram A. *obnixè & submissè exoramus, vt tantis meritis & dignitati debitum huiusmodi* obsequium, *supplicémque non despiciat* Libellum *mearum lucubrationum, quas duorum annorum successiua studia cum summa contentione & assiduitate penè incredibili edere potuerunt. Munus adhuc, fateor exiguum: & tanto* Fastigio & Dignitate *indignum; cùm*

tamen promptissimo animo A. Vestræ *deuotissimo* nomini *inscribatur futurum confido, vt pro singulari* Vestra *in præclaros cuiusque conatus affectione benignè sit fouendum & suscipiendum. Quo certè solo meorum studiorum excelso præmio in vmbraculo & bibliotheca mea securè & ex animo delitescam, conquiescam & consenescam tantis tamq; felicibus auspiciis hunc institutum cursum peruidens absolutum. Ita simul fiet, vt plura* Vestræ A. *posthac & forsan maiora debeamus. Neque enim hîc stabimus, si vitam eius* Auctor Deus *nobis produxerit. Quem* primitus *deprecamur, vt præclara* Consilia Cogitationes & Conatus A. Vestræ *ad Monarchici istius Imperij &* Christiani *nominis securitatem* optato euentu *dignetur secundare.*

LICEN-

LICENTIATI
DON DIDACI
VILLAVETA, CASTRO ET RAMIREZ, QVONDAM IN HISPAlensi Academia Publici Iuris Canonici Professoris in Cathedris Decreti & Vespertina: nunc Aduocati Tribunalis sanctæ Inquisitionis in Regnis Hispaniarum, in ALPHONSI à CARANZA I. C. Hispani DISPVTATIONEM de vera humani partus designatione

PRÆFATIO.

QVI ALIORVM scriptis Præfationes præfigunt, solent ea vel ab operis ipsius fructu atque vtilitate, vel ab Auctorum scientia, industria, vigiliis, & aliis consimilibus commendare. Vnde communi concedentes stylo, isthæc commixtim breui nostrâ Præfatione prosequemur, & forsan aliis aptius, vt qui testes (velut aiunt) oculati preponendorum multis ab hinc iugiter annis. Et quidem orationis nostræ initium desumendum ducimus à plurimorum turbido & clamoso conquestu, altam librorum Iuris scientiæ copiam incusante, & ingentem *Commentariorum, Repetitionum, Tractatuum, Summarum, Decisionum*, & *Consiliorum* molem præopponente: & ab his subinferente, iam librorum nouam editionem interdicendam, cùm satis supérque consultum sit tantis in quauis materia editis. Sed consideratio ista (quæ ingenia præsentia & futura, per quæ Ius crescere & illustrari voluit Iustinianus, clarè precludit & obterit) à recti simul quàm longè deuiat tramite, cùm mutatâ Reipublicæ vbique gentium passim formâ, & multis inde legibus antiquatis, opus sit nouis rerum statui adaptioribus, & subinde Interpretum illustrationibus. Sed & Ius Romanorum (quod

trito vocabulo *Ciuile* & *Commune* vocitamus) plurimi superuacuis, aut parùm aptis interpretationibus adeò deformarunt, vt aliorum disertioribus, ineuitabili velut fato, indiguerit. Nec dubium vlli est, quanto plus eidem Iuri his nostris temporibus lucis accesserit, quàm quingentis & quinquaginta anterioribus annis à millesimo Natalitij DOMINI initis & computatis. Sed ne adhuc perfectionis culmen scientiam istam consequutam quis recte dixerit: Ardua quippe non solùm, perdifficilis, operosa & confragosa est Iuris Ciuilis tractatio, sed & pluribus inexplicabilibus plena, & inexhaustæ affecta profunditati, quàm librorum tantùm vndique pullulantium instrumento, ceu *cortice* (vt est in prouerbio) *tranare* datur. Concedo facilè magno cum incommodo studiosorum, tot libros comparari, & maiore admodum euolui: sed discant quisque, simul cum prima Iurisprudentia, quorum electioni & lectioni assiduè sit incumbendum. Omnis ergo qui perfectam, quoad fieri possit, Iurisprudentiã desiderat, noua de Iure semper conscribi, edíque permittat, per quæ indies scientia ista incrementum & perfectionem recipiat, præsertim ab insequentibus primę notę Interpretibus. Inter quos verè eminet, & totius nostræ præsentaneæ Iurisprudẽtiæ primâ classe residet insignis istius DISPVTATIONIS AVCTOR nouam iniens viã illustrandæ & enucleandæ Iuris Ciuilis & Patrij potissimæ partis, in conceptione & conceptorum editione positę: idque perficiens rationibus & auctoritatibus variis & egregiis, non solùm à Iurisprudentia, verùm à Philosophia, Medicina, & bonis artibus, literísque elicitis, vt securè polliceri possimus, operam in hisce ab EO impensam omnium scientiarum, seu literarum amatoribus perquàm gratam futurã: maximè Iuris studiosis, siue in Scholis, siue in Foro versantibus. Cùm enim duplex tractandi Iuris ratio in vsum vitæ recepta sit, vna Theorica, quâ DEFINITIONES, DIVISIONES, DISTINCTIONES, ORIGINES, seu ETYMOLOGIÆ continentur (quæ Scholarum propria est) altera Practica, quâ SPECIES, QVÆSTIONES, & DECISIONES comprehenduntur (quæ ad Praxim iudiciorum refertur:) cumque hæc duo simul, in quibus tota vniuersæ Iurisprudentiæ ratio constituta est, vnus aut alter in scriptionibus suis difficulter & sæpiùs parum aptè coniunxerint, AVCTOR noster, nulli secundus, summa cum facilitate & fœlicitate hac pereleganti DISPVTATIONE vtramque aptissimè & exactissimè adeò persequitur, vt Theorica Iuris

pertra-

pertractauerit, ac si vnquam ab Scholis non discesserit, & ad Praxim conducentia, vt qui in negotiis & causis arduis & prioris gradus Aduocationis omnia munia exactissime pluribus annis, & semper magna cum laude in excelsioribus Hispan. Tribunalibus absoluerit: primò Hispali, vbi negotiorum & causarum ingentem illam molem, ac alter Atlas, humeris suis diu reportauit: mox in Supremo Hispaniarum Subsellio, cæterísque Regiis & Ecclesiasticis selectiores causas illustri & mirandâ attentione propugnauit, vt clarè demonstrant eius non satis laudatæ in omnigena negotiorũ discussione & tractatione consultationes incessantes: vsque dum quassatis & confrictis viribus (præ nimio Aduocationis labore hominem ferreum exposcentis) & rei domesticæ magna iactura à cõtemporanea CONIVGIS, miris virtutibus præditæ, & PRIMOGENITI studiorum consocij (viri sanè magnæ spei) amissione, receptui canere destinauit; non vt otio iam debito tantis vigiliis perfrueretur, sed vt intentiore & liberiore (quod nec hodie ipsi datur) animo studiis bonum publicum respicientibus vacare posset: ac fecit præsenti DISPVTATIONE, quam in medio negotiorum conflictu fuerat aggressus, & nunc felicissimè peregit. Magna profectò res: vt quæ primoribus Iuris lucem adeò luculenter dederit, vt imposterum quæque ad partiones humanas naturales & legitimas occurrentia in Scholis & Foro (insuperhabitis Medicorum & Philosophorum concertationibus & consultationibus, ad quas, & perspicaciores Iuris Antiqui Auctores, & eius omnes Professores vsque dum recurrebant) ab hac sola DISPVTATIONE veniant enodanda. Quâ partem istam certè illustriorem Iurisprudentiæ (anteà valde sterilem, & velut pro derelicto habitam) AVCTOR ita ditauit, vt iam nullam opulentiorem, nullam maiore industriâ & arte tractatam adinuenire facilè quis possit. Nam si Ciuilia EIVS reuoluas, ista sanè à primis fundamentis, firmísque Iuris principiis, & vera Popul. Rom. historiæ, morum, & rituum consummatissima dignosci eruta reperies. Si Medica & Philosophica, hac DISPVTATIONE contenta (quæ plura quidem sunt & reconditiora) consideraueris, Hippocratem, & aliorum insigniorum Medicorum cœtum, itidémque Philosophorum post eorum Principem Aristotelem summâ vigilantiâ perlustratos, & dexterrime illustratos: & horum quidem primos sæpiùs in suis exemplis natiuâ linguâ conscriptis adinuenies. Quæ res quantum subsidij, & adiumenti ad hoc negotij, & lubricum studij genus perficiendum contulerit, malo ex re ipsa depromatur, quàm eorum, quorum me expensioni

permiſi,iudicio anteuertere. Quid dicam de CHRONOLOGICIS,& dimenſione menſium in parturitionibus inſumptorum? Quæ(cùm obſcuris dubitationum,aliis inſuperabilium, tenebris inuoluta diù mentibus hominum ſe ſubtraxerant, ignotáque delituerant) in apertũ adeò feliciter AVCTOR noſter protulit,vt quæſtionis iſtius aſperitates,& impendentium montium altitudines, quorum aſcẽſu plures vſque dum ſudarunt & alſerunt,plenè impoſterum complanauerit. Quid de omnigena LITTERATVRA? In qua ita ſolitos aliorum limites prætergreditur,vt his ſolis ſemper intentus vacaſſe videatur. Nec enim aliter Iuris Ciuilis hiſtoriam & Iuriſconſultorum omni tempore munia & poteſtatem ita exactè perſequi potuiſſet,niſi hiſce,& iudicio prudenti,prouidóque præpollèret. Sed præ cæteris ſanè (vt ad Ciuilia redeam) acerrimi eius ingenij vim certo velut indice demonſtrant, quæ de POSTHVMIS & PARTV FVRTIVO (quæ duo in Iuriſprudentia difficillimorum difficiliora, & nutantibus opinionibus plena ſemper fuerunt) ita exactè & quidem ſuis aptis locis pertractauit,vt ei ſoli(præ aliis, quibus iſta tantùm in cura,voto & ſtudio) ab Antiquitate deſtinata videatur harum rerum elucidatio. Adeò enim iſthæc arte digeſſit,ordine certo ea diuiſit, & ſuis claſſibus collocauit, vt leges plures ſub vmbra adhuc degentes in lucem ſplendidam inde reuocauerit.Idque tam hiſce,quàm aliis præſtitit, verborum ciuilium & communiũ verũ ſenſum aliquando intentiſſimè inueſtigans & eruens,& cũ Quintiliano attendens bonam Iuriſcõſultorum partem in vi & proprietate verborum explicanda poſitam fuiſſe:& inde priores Iuris Cõditores verborum vero ſignificato maximoperè ſtuduiſſe, eiúſque rei obſeruantiſſimos fuiſſe.Et ab his ſanè NOSTER Antiquæ & Patriæ Iuriſprudentiæ ILLVSTRATOR cùm Naturalia, Medicáve tractat (præſertim ad conceptionem & generationem pertinentia) nec minutulis parcit,quæ initæ tractationis propria ſunt:& in hoc certè laudandus,quòd perpolito, & auribus præcautorũ modeſtis accinenti ſtylo pertractauerit,quæ alij vel diſſono,vel minus puro. Vnde fiet, vt quibus oratio Latina, & verborum puritas maximè placuerit, DISPVTATIONIS iſtius Latium ſermonem ex integro reſpõſurum facilè repromittamus. Niſi quo caſu genus hoc ſcriptionis impeditum,& ingenij magis quàm eloquentiæ capax, terminis communibus ſcientiæ noſtræ, & dicendi modulis vbique receptis præcisè fuerit aptãdum.Quid quòd AVCTOR (quo cum mihi propter ſingulare animi mei de excelſo eius ingenio, doctrináque iudicium,in re præcipuè litteraria,ſæpiſſima fuit confabulatio) naturâ bene

râ bene ſentiendi, iudicandíque potiùs quàm nudo dicendi ſtylo tenetur: & alieniſſimus ſemper fuit ab omni oſtentatione, quod Iuriſconſulto magno dignum imprimis eſt. Vt inde perlecturis hanc DISPVTATIONEM ſummâ fiduciâ aſſeuerare poſſimus, longè plura in receſſu adinuenturos, quàm primâ fronte EIVS promittat oratio.

ADHÆC, qui cum AVCTORE conuerſati fuerint, vel EIVS vndequaque notitiam habuerint, clarè digñoſcent SVAM velut innatam animi ingenuitatem, temperantiam & candorem, & VERITATIS ingenitum & intentiſſimum amorem, quem ego verâ & certâ ſciẽtiâ (ſi *illi ſciunt, qui planè vident*) atteſtari facilè poſſum. A quibus fit, vt dum EAM ſuis ſcriptis eruere curauerit, hoc vnum tantùm attendere. Id quod dictum ideò velim, vt inde omnes planè eliciant, non incaſsùm, aut contradicendi ſtudio diſceptationes cum variis Iuris Ciuilis ſcientiæ, & omnigenæ litteraturæ Auctoribus ab eo initas, ſed ſolius veritatis indagandæ, & fouendæ potiſſima cauſa, quin vnico prætextu. Indéque virorum prioris notæ opiniones EVM aliquando inſuperhabere, aliorúmque inferioris non deſpicere, & vtrumque firmis rationibus & argumentis irrefragabilibus, clarè quidem præ ſe ferentibus ILLVM vi veritatis, ab omni affectione liberæ tantùm ſuccubuiſſe & paruiſſe. Quo factum, vt ab ingenij ſui præſtantia & acumine, & attentiſſima rerum expenſione, inceſſantíque ſtudio varij ſine vllo fuco retegantur lapſus & notæ in *Cuiacios, Hotmanos, Donellos, Fabros*, & ſimiles Neotericos, noſtróſque itidem: quin & in *Papinianum* ſummum iuris Antiſtitem, *Iulianum, Scæuolam*, cum *Vlpiano, Paulo* & *Tryphonino* eius pręcipuis conditoribus. Id quod nec vlli antea ita exactè in mentem venerat, & AVCTOR huius DISPVTATIONIS à firmiſſimis (ni omnes fallimur) cauſis egregiè præſtitit. Nam quis ab hac DISPVTATIONE clarè non eliciet, *Vlpianum* (quod exempli gratiâ dictum velim) in *l. cùm quidam, § ſuum hæredem, ff. de acquirenda hæreditate*, ſuperfœtationis aliquâ parte inſcium fuiſſe? Et monſtrorum inſuper cauſæ in *l. quæret aliquis, ff. de verborum ſignificatione*? Et *Iulianum* ſeptem cellulas, aut receptacula in matrice mulieris adſtruente in *l. pater, ff. de ſolutionibus*, Ariſtotelem malè ab eo ibi expenſum (vt qui contrarium apertè docet) non calluiſſe? Et ſubinde *Paulum* latuiſſe communius & frequentius pariendi tempus in *l. antiqui, ff. ſi pars hæreditatis petatur*? Et *Tryphoninum* in *l. Arethuſa, ff. de ſtatu homin.* gemellorum editionem vno impetu ſæpe contingentem? quam certè pleniſſimè ab Hippocrate, & aliis Medicis, Philoſophis, ſan-

ctis Patribus, quin & ab Apostolo comprobat AVCTOR huius DISPVTATIONIS. Et verò aliquaddo de aliorum scientiis Iurisconsulti primores à communi & vulgari assensu centuriatim quædam tradiderunt, quæ deruncinari iam oportebat. Id quod in propria, & rerum naturalium scientia accidit præstantissimo illi Hippocrati (quem nec fallere nec falli posse existimauit Macrobius) ab Aristotele interdum re vera notato; & itidem isti ipsi à Nouioribus, alia eius doctrinæ contraria ex rerum naturali euentu (cuiusuis auctoritati anteponendo) attentè obseruantibus. Cæcutiunt namque & cespitant aliquando dexteriores & sublimiores. Vnde Quintilianus aptissimè ait: *Neque id statim legenti persuasum sit, omnia quæ magni Auctores dixerunt, vtique esse perfecta: nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, cùm Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio etiam Homerus ipse videatur. Summi enim sunt homines, tamen accidit his qui, quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, vt deteriora imitentur (id enim est facilius) ac se abundè similes putent, si vitia magnorum consequantur.*

ECQVIS ignorat, Platonem longè sapientiorem & perspicaciorem fuisse Solone atque Dracone, & tamen Athenienses (Athenæo teste) huius Diuini plane aliàs Viri, leges irriserunt, Draconis & Solonis præpositis, semperque receptis. Id quod pluribus aliis aptissimis exemplis facile erat comprobare. Vt ergo ista concludamus, Lectorem admonemus, vt omnia hac DISPVTATIONE contēta peræquo iudicio perlegat & pensitet, vt firmiori VERITATI tantùm cedat, in qua apprime eruenda AVCTOREM nostrum attentissimum semper adinueniet, nec aliud vnquam quid curasse. Nulli namque Scriptorum aduersus est, sed in omnes æque propēsus, qui suam sententiam omni affectu, obsequio, aut personarum acceptione liberam profert: quod vtinam semper omnibus in voto fuisset. Tunc enim scientiis bene consultum debemus æstimare, cùm omnes facultatem libere dicendi quid sentiant, sibi nullo casu, aut causa præreptam agnouerint.

In referendis cuiusque sententiæ Auctoribus miram NOSTER ab aliis Scriptorum notitiam prædemonstrauit: & simul velut arguit quorundam sicca & arida, vt suo tantùm ducti captu, sine vllo delectu, & facillimo negotio quæq; ipsis obuia possint edicere, nó aduertentes huius scientiæ (Practicæ præsertim studiosis aliter satisfieri non posse, quàm si rerum & sententiarū Auctores & laudatores

tores

tores referantur. Et sanè in hac itidem parte DISPVTATIONIS istius AVCTOR dexterrimè versatus est: nam vbi res obuia aut trita occurrit, primum aut præcipuum laudat Auctorem simul cum vno aut altero nouissimo cæteros cumulante. Vbi autem leges rem discussam expresse decidentes deficiunt, & ab Auctorum dispersorum auctoritate res agenda est, eos omnes colligit & allegat, quos assiduâ lectione euoluit, & tractationis illustrationi, seu comprobationi aptiores reputat, & ad eorum scripta concisioris scriptionis gratiâ implurimùm, & aptè quidem sese refert: nam si contenta in tanto & adeò vasto librorum cumulo disertâ & absolutâ oratione nouis scriptis essent tractanda, hoc nihil aliud certè pareret, quàm superbam, tenebrosam & tædiosam quandam tractationem. Hoc enim tunc tantùm indulgendum est, cùm concisior ad aliorum scripta relatio obscuritatis dispendio esset supposita: vt inde & simul ad vigorem & ornatum orationis aliquando, non solùm Auctorum dicta latiùs referre liceat, sed & eorundem ipsissima verba, ac NOSTER fecit: cùm interdum non parum iuuet (his præsertim qui libros omnes præ manibus habere nō possunt) aliorum sententias sicut propriis cogitationibus conceptas, ita verbis propriis enatas conspicere. Citationibus ergo & interdum disertioribus, & amplioribus ad aliorum scripta relationibus opus est. Ita vt in hoc docendi, scribendíque genere hi solùm mihi peccare videantur, qui aliorum auctoritates ad complendas suas paginas vsurpant & transcribunt: & hi peius, fœdius, & ineptius, qui propositiones legibus Iuris Communis, Ciuilis, seu Canonici (quod ipsos latet) cōprobandas, Auctorum Iuris, & sæpiùs inferioris gradus, relationib. fulcire frustrà contendunt. His demum subaddo, AVCTOREM huius DISPVTATIONIS in gratiam eorum, quibus orationis attentiori cōtinuationi impedimento esse poterant Auctorum citationes, eas diuersis characteribus, & quidem aptè, vt nunc in vsu est, designandas attendisse, vt omni tædio huius DISPVTATIONIS prælectio libera esset, & cuiuis in facili filum orationis velut cōtinuâ serie obseruare in EIVS progressu. Attentum (fateor) & vitilis ingenij requirente Lectorem. Adeò enim extra hominū cōmunē captū sunt EA implurimum cōtenta, vt propria, cōcissa & clara AVCTORIS oratio, & rerum cōtrouersarum debito loco collocatio eas ab *omni tellure* (vt est in prouerbio) adhuc *ferri* omnino nō sinãt: multóque minus æstimari & cēseri: vti iã cuique, & plures scuticâ digni curãt. Quî.n. fieri poterit, vt primis nōdū initiati IVRIS principiis EIVS reconditiora & excelsiora hac DISPVTATIONE discussa discernere queãt? Id

quod fortiore causâ dictum velim de Grammaticorũ nulli sciẽtiæ addictorum superbâ turbâ (quam illustri *Cultorum*, seu *Criticorum* vocabulo vulgus ineptè insigniuit) quandoquidem his cæcâ ignorantiâ, & improuidâ garrulitate ductis, & in aliena cuiusuis sciẽtiæ, & altioris tractationis scripta Censoris munia illicò velut *manu Regia*, vel *Militari* assumẽtibus, id vnicũ eueniat, vt ab eorum prima præcognitione, seu delibatione penitissimè arceantur. Hoc & precedens genus hominum ego ex animo certè consulo, vt isthanc & similes scriptiones equo perlegant animo, & ad discendum parato: ita sanè fiet, vt hi, quibus in voto est Iurisprudentiæ scientia, doctiores, & simul aliis Iuris partibus percipiendis aptiores ab ista DISPVTATIONE euadant. Et qui historicis NATVRÆ tantùm capessendis sint apti, ad mira EIVS alia opera ab hisce aditus patefiat.

MIRENTVR ergo ista omnes quotquot de litteris benè merentur, & quâ decet attentione & intentione ea perlegant & euoluãt, quando nihil feliciùs quàm consimilibus alienis perfrui laboribus: ab AVCTORE vltimæ perfectioni datis in summa, vt prænotaui rei familiaris iactura: eius verè constantiam præferente & clare demonstrante, in suis mœroribus nil in rebus humanis illi dulcius (ac alteri M. Tullio) fuisse otio litterario. Iam, vt par erat, præpeditissimo aduocationis muneri libello dato, post tot annorum indefessam & acerrimam iusti & æqui defensionem, vt nemo deteriùs, inculpabiliùs, ac simul constantiùs. Vidimus namque EVM pro tuenda vera fide vltimæ cuiusdam dispositionis quadraginta mille ducatorum in fauorem Piæ causæ, & pro codicillorum, à falsariorum quorundam noxia caterua confictorum, demonstranda falsitate, Hispali, euidenti mortis periculo contempto, simul cum improborum minis, constanti animo oppositum: & sæpè hocce tempore à Tyrtæo in Plutarcho dicentem audiuimus, *se per virtutem & iustitiam mori malle quàm viuere*: ô sententia tanto assertore digna! sæpe & sæpiùs rependenda. Nec minus Publicis, & quidem debitis, honoribus & præmiis cohonestandus, qui ista & illa PVBLICÆ CAVSÆ sacrauit: scitè enim atque concinnè ATHALARICVS gentis nostræ Rex in Cassiodoro de Aduocato in Magistratum promoto, voto nostro occurrit dicens: ADVOCATIONIS *te campus exercuit: te iudicij nostri culmẽ elegit*: & iterum, atque disertiùs idem: *Nunc* CAVSAS *gloriose iudicas*, QVAS *laudabiliter anteà perorabas. Assideat tibi propria & exercita doctrina. Modò est fælix & certa conditio negotiorum, quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare quod eligit.*

CENSV-

CENSVRA DEL LICENCIADO DON FRANCISCO DE LA CUEVA I SILVA por comission del Vicario General de Madrid.

ESTE *Libro que se intitula*: De vera humani partus naturalis & legitimi designatione, *he visto por decreto i orden del señor Dotor don Iuan de Mendicta Vicario General en esta Corte. I propiamente es parto natural i legitimo de toda buena iurisprudencia i erudicion. I quanto contiene no solamente corresponde a nuestra Religion, i al Estado Publico, sino que puede servir de admiracion a todas las naciones. I assi deve imprimirse para inmortal memoria de quien tanto merece. En Madrid 21. de Nouembre, de 1626.*

L^do don Francisco de la Cueua i Silua.

NOS el Dotor don Iuan de Mendieta Vicario General de la villa de Madrid i su partido hemos hecho ver i examinar este libro, i no ai en el cosa contra nuestra santa Fe Catholica i buenas costumbres, i por lo que a nos toca se puede imprimir. Dada en Madrid a 23. de Nouiembre, de 1626. años,

El D^or Iuan de Mendieta

Por su mandado Iuan Perogila, Notario.

Decreto del Consejo.

COMETESE A LE RETOR I CLAVSTRO DE LA VNIVERSIDAD DE ALCALA, QVE HAGAN CENSVRAR ESTE LIBRO POR ALGVNO DE LA FACVLTAD DE THEVLVGIA, I POR OTRO DE LA DE CANONES, I POR OTRO DE MEDICINA, A QVIENES LES PARECIERE. *En Madrid, i Diziembre 7. de 1626.*

EN la villa de Alcalà de Henares à doze dias del mes de Deziembre de mil i seiscientos i veinte i seis años, en cumplimiento del auto de los Señores del Real Consejo de suso contenido, estando junta la Vniuersidad desta dicha villa en Claustro pleno, como lo tiene de vso i costumbre, especial i nombradamente el señor Dotor don Gaspar Alfaro Zapata, Retor, i los Dotores Francisco Garcia lague, Diego Lopez Espinar Dotores en Theulugia: i los Dotores Antequera, Cogollos de Aguilera, don Pedro de Quiroga, Dotores en Canones: i los Dotores Castro Boyo, Montaluo, Dotores en Medicina, todos graduados por esta Vniuersidad. En este Claustro se cometio el ver i censurar el Libro que pretende imprimir el Licenciado Alfonso Carrança, al Padre Maestro frai Antonio de Viedma i Chaues Obispo de Petra, i Catedratico de Prima de Theulugia, il al Dotor don Pedro de Quiroga i Moya Catedratico de Visperas de Canones desta dicha Vniuersidad, i al Dotor Miguel de la Barreda Catedratico de Prima de Medicina desta dicha Vniuersidad, i en fè dello lo firmè.

Ante mi.

Luis de la Serna,
Notario i Secretario.

APRO

APROBACION DEL PADRE MAESTRO F. ANTONIO DE Viedma-Chaues, Obispo de Petra, Cathedratico de Prima de Theulugia.

HE *visto este Libro i Disputacion*, De vera humani partus naturalis & legitimi designatione, *por orden de la Vniuersidad* (*à quien se remitio por los Señores del Real Consejo*) *i en particular los capitulos primero, tercero en su principio, i los siguientes. I de verdad digo, que aunque el Autor es mui conocido por su gran ingenio, i auentajadas letras, he quedado maravillado de la erudicion, destreza, facilidad i claridad con que trata i resuelue cosas tan dificiles i extraordinarias. De que infiero, que como en todos tiempos dà Dios hombres eminentes en letras*, ita vt posteritati (*como dize vn Autor mas agudo que pio*) semper aliquid relinquatur à superioribus, quod aut emendatore, aut illustratore indigeat, *nos ha dado en los nuestros, (i en España para nuestro ornamento, i mayor prueua de lo mucho que en ella preualecen la letras i grandes ingenios) al Autor desta obra, para que de oi en adelante à todos sea perceptibile i facil la buena inteligencia de materia tan dificil, i casi inaccessible. I assi de mi parecer iustissimamente se le debe dar la licencia que pide para su impression. En Alcalà 11. de Enero, de 1627. años.*

Fr. ANTONIO de VIEDMA-CHAVES,
Obispo de Petra.

APROBACION DEL DOTOR DON Pedro de Quiroga i Moya, Colegial Mayor del Colegio de san Ilefonso, i Catedratico de Prima de Canones à la hora de Visperas.

POR orden de la Vniuersidad (dada en conformidad de la comission que ha tenido del Rear Consejo) he visto con toda atencion esta Disputation, ô Tratado, *De humani partus naturalis & legitimi designatione*. En que he considerado illustradas las leyes

del Derecho Comun i dei Reino con tanto fundamento , como aguda elegancia , pues si con sutileza piensa el Autor, con facilidad i felicidad dispone, i aduierte cosas mui particulares para inteligencia del vno i otro Derecho en materia singular, hasta aora no tratada con tunta exaccion i arte. Pago en admiracion su obra, pues disputa lo theorico como si nunca huuiera salido de las Escuelas, i lo pratico como quien ha tanto tiempo que luze en tan grandes Tribunales. Mezclado vno i otro con gran erudicion en otras ciencia i buenas letras, produze parto tan feliz, i digno del ingenio del Autor, que à el dà gloria, i à nuestra nacion lustre. Porque tengo por mui conueniente se dè à la estampa , i salga à luz parto tan legitimo. Dando sele al Autor la licencia que pide. En este Colegio Mayor de Alcalà de Henares ocho de Enero de 1627. años.

D^or don Pedro de Quiroga y Moya
Cathedratico de Prima de Canones.

APPROBACION DEL DOTOR MIGVEL DE LA BARREDA CATEDRATICO DE Prima de Medicina.

HE *visto con particular cuidado esta Disputacion*, De humani partus naturalis & legitimi designatione, *por orden de la Vniuersidad, à quien los Señores del Consejo la remitieron. I hallo, que en lo tocante à las ciencias de Medicina i Filosofia el Autor las trata i exorna con gran excelencia, dando luz à varias cosas mui selectas i reconditas, como lo es la materia principal del libro. I assi justamente se le deue conceder la licencia que pide para imprimirle. En Alcalà de Henero, de 1627. años.*

D^or Miguel de la Barreda, Medico de
sa Mag^d i Catedratico de Prima
de Medicina.

NOMEN-

NOMENCLATOR, SIVE INDEX CRITICVS AVCTORVM, QVI HAC DISPVTATIONE VEL EXPENDVNTVR SVB SIGNO ET LITTERA E. VEL ILLVSTRANTUR sub littera I. vel notantur sub littera N. è regione, seu margine cuique Auctori oppositis.

NOTA: *In cuiusque lineæ principio aliorum loca præfigi & designari: & subinde à vers. IN. locum Disputationis diuersis characteribus referri.*

A.

Psalm.118.vers.73. *in cap.1.§.1.n.14.*
Psalm.138.*in d.c.1.n.1.§.14.vers.*Sed.
Sapientiæ c.7.*in cap.4.nu.15.& in c.9.nu. 26.& in cap.12.n.13.*
Isaiæ c.34.*in cap.17.n.71.& 76.*
Ierem.c.1.*in cap.5.§.2.n.23.*
Lucæ c.2.vers.3.*in cap.5.n.102.*
Act.Apost.c.7.vers.19.*in cap.4.n.57.*
Paul.ad Thess.1.c.4.*in c.13.n.32.*
BVDÆVS
E In commentar.ling.Græcæ:*in c.34.num. 34.*
N In notis ad l.antiqui, D.si pars hæred. petatur:*in cap.19.n.5.& 9.*

DIVERSORVM.

E D.*Mich.*BARREDA *Medicus Regius, & Primarius Complut.in cap.1.§.1.n.7.*
*Ioan.*BARCLAIVS
N Lib.4.Argenid.*in cap.4.nu.96.*
Idem d.lib.4.*in c.5.n.7.*
BASILIVS *Legionensis*
E Lib.de Agno typico,cap.6. *in cap.12.§.2. n.29.*
N Ibid.c.3.& 6. *in d.§.2.n.14.*
BISCIOLA
N Lib.5.horar.successiu.c.4. à nu.8.tom.2. *in cap.2.§.1.n.86.*
Lib.18.c.8.*in c.20.n.29.*
E BODINVS in Methodo hist.c.5.& libr.5. de Repub.c.1.*in cap.19.n.19.*
BOETIVS
E Elenchor.Sophist.*in cap.1.§.2.n.3.*
De discipl.Schol.*in cap.3.§.4.n.3.*
E *Gasp.* BAVHINVS lib.1. de Hermaph. cap.7.*in c.1.§.1.num.15.vers.*His accedit.
*Fed.*BONAVENTVRA
E Lib.3.c.6.*in cap.11.n.56.*
Eodem lib.c.63.& 64.*in c.11.n.50.& 51.*
Eod.lib.c.89.*in c.18.n.23.vers.*Sed his.
Lib.5.c.69.*in cap.16.n.35.*
Lib.7.c.10.*in c.12 §.4.n.22.*
Eod.l.b.c.12.*in d.§ 4.n.23. vbi partim notatur.*
Lib.8,c.28.*in c.17.n.55.*
Lib.9.c.51.*in c.1 n.22.*
In compend. disputatione de octomest. partu,c.10.*in cap.11.n.37.*
N Lib.3.c.92.*in cap.1.§.1 nu.6.& §.2.n.8. & 14.*
Eod.lib.c.102.*in d.§.2.n.23.& 37.*
Eod.lib.c.103.*in d.§ 2.n.8.& 14.*
Lib.7.c.9.*in d.§.2.n.30.*
Eod.lib.c.27.*in cap.9.n.48.*
Eod.lib.4.c.54.*in cap.12.§.4.n.5.*
Eod.lib.7.c.105.*in cap.1.ex nu.9.& iterum ex num.15.*
Eod.lib.c.107 *in d.c.1.n.19.*
Lib.9.c.23.*in cap 18.n.17.*
Eod.lib.c.32.& 33.*in c.19.ex n.11.& iterum n.17.ad finem.*
Eod.lib.c.48.53.& 56. *in appen l. annotat. ad cap.14.super n.19.*

C

N CAGNOLVS in l.1.n.190.D.si certum pet.*in c.11.num.62.* Et in l.si prægnans,n.5. D.de euict. *in c.1.sect.1. n.33.*
I CALISTRATVS *Iurisconf.* l.etiam 45.ff. de mino.*in c.2.§.1.n.18.& §.4.n.54.*
CASTILLO
E Lib.4.quotid.c.59.*in c.2.§.1 pag.167.*
N Lib.2.quotid.c.19.n.51 *in c.4.n.49.*
CELSVS *Iurisconsultus*
I L.Clemens 81.D.de hæred.instituend.*in c.18.ex num.43.*
L.vel si viuo 7. D. de suis & legit.hæred. *in c.2.n.14.*
L.cùm bissextum 98 ff.de verb.sign.cum suis §§.*in c.2.§.5.à nu.12.ad 16.*
N P.CASTRENSIS in l.libera,C.de suis & legit.hæred.*in c.1.n.43.*
N *Fr.*CERVANTES super c. 7. Sapientiæ, *in c.4.n.11.*
N CHARONDAS lib.2.verosimil.c.3. *in c.3. § 2.n.55.*
N CHOPPINVS ad leges And.lib.1.c 44 *in c.5.n.35.*
I *Ter.*CLEMENS *I.C.* l.intelligendus 153. D.de verb.sign.*in c.2.n.15.*
I CLEMENS III.*Pont.*cap.cùm haberet, de eo qui dux.in matrim. *in c.3.§.4.ex n 56.*
I CONCILIVM *Africanum* relatum in c. 1.de pact.*in c.2.§.3.nu.6.vers.*Tertiò, *& seqq.*
E *Agathense* relatum in c.non oportet, 28. q.1.*Vide Symmachus.*
Vasense relatum in c.si expositus, 87.distinct.*in c.4.n.45.*
Nannetense relatum in c.quando, 24. distinct.*in c.4.n.50.*
Mediolanense 3.in tit.de Baptismo.*in d.c. 4.n 55.*
E *Ant.*CONTIVS in lib.singul.de hæred. & bon.possess.*in c.16.n.4.*
CONSTANTINVS *Imperator*
I L.1.tit.7.lib.5.C.Theod.*in c.4.n.114.*
E L.1.tit.8.lib.5.C.Theodos.*in c.4.n.140.& 151.*
L.vni.tit.15.lib.9. C.Theodos. quæ est l. vnica,C.de his qui parent.aut lib.occid.*in cap.4.n.71.& 83.*
L.3.tit.16.li.9,C.Theod.*in c.16.§.vni.n.19.*

Lib.1.de Pædagogo, cap.6.*in cap.13.n.15.*
Lib.3.de Pædagogo, cap.4.*in cap.4.nu.61.*
Idem eodem cap.*in cap.17.nu.45.*
N Lib.2.de Pædag.cap.10.*in c.17.numer.69.*
E CLEOBOLVS in Diogen. Laërt. *in cap. 12.§.4.nu.7.*
N COLVMELLA lib.6. de re rustica, cap.28. *in cap.20.num.82.*
N *Iacob* CONCENATIVS libr.2. sing. quæstion.iuris, q.4.*in cap.18.nu 2. & 3.*
E CONSTANTINVS *Manasses* in Annalibus, pag.41.*in cap.4.nu.57.*
Idem ibidem *in cap.6.nu.3.*
E *Adam* CONTZEN lib.4. Polit. cap.3.§. 8.*In cap.5.num 9.*
E Q. CVRTIVS lib.9.in cap.4.*nu.1;8.*

D.

E DALNERVS de iure hominis, part. 7.num.22.*in cap.18 nume.33.*
N *Philip.* DECIVS conf.222.num.2. & 3.*in cap.2.§.4.nu.40.*
DIOCLETIANVS *Imperator.*
E L.1.Cod.de patrib.qui filios dist.*in cap.4. nu.18.*
L.3.C.de repud.*in cap.2.§.1.nu.219.*
L.2.C.de posthum. hæred *in cap.9.nu.18. & in cap.11.nu.38.*
L.querela 12.C.ad leg.Corneliam de falsis:*in cap.5.nu.35.*
I L.inciuile 12. C.de rei vendicat. *in cap.3. §.2.nu.37.*
L.certum 22.C.eodem tit. *in d. cap.3.§.1. pag.253.*
L.si res tuas.C.ad exhib.*in cap.2.nu.16.*
L. non nudis 16.C.de probation. *in cap.5. nu.101.*
L.statum, C.de fide instrument. *in cap.5. nu.102.*
L.Curabit 5.C.de action. empt. *in cap.3. § 2.nu.69.*
L.patrem, C.de nuptiis:*in cap.4. num.38, per tot. m.*
L.2.C.de posthumis hæred. *in notis ad l 3. C.de posthum.hæred.schol.5.*
L.nutritoribus, C. communia de succession.*in cap.4.nu.40.*
L.filiam 16.C.de collation. *in cap. 2. numer.16.*
L.si tradita 5.C. de his qui à non domino manum.*in cap.2.§.3.nu.5.*
L.nec filium 9.C.de patria potestate:*in c. 3.§.4.nu.25.*
DONELLVS.
E Libr.5.commentar. cap.25.*in c.3.§.1.nu.39.*
N Lib.5 cap.25.*in cap.3.§ 1.num. 24. & 39. & iterum num.47.50.59.& 61.*
Ad l.1 C.de precario:*in c.3.§.2. nu.35.*
E DVARENVS lib.2.disputat.cap.38. *in cap. 2.§.1.nu.71.& 259.*

DIVERSORVM.

P. Mart. DELRIVS.
E Lib.3.disquisition.p.1.quæst.4.sect.3.*in cap. 15.nu.14.*
N Super cap.8.Genes.*in cap.11. §.2.nu.29.*
Lib.2.disquisit.q.5.*in c.20.ex num.97.*
Dio CASSIVS
E Lib.48 *in cap.6.nu.4.*
Lib 53.*in cap.2.§.1 pag 143.*
Lib.59.*in d.cap 2.§.1.pag.139.ad fin.*
I Lib.36. *in cap.2.§.1.pag.147.148.*
Lib.43. *in cap.12.§.5.nu.8.*
Lib 48.*in c.13.nu.20.*
Lib.60.*in cap.4.nu.7.*
N Lib 66.*in cap.20.ex num.77.*
E DIODORVS *Siculus* lib.2.rerum antiquarum, cap.3.*in cap.2 §.4.nu.22.*
I DIOGENES *Laërt.* lib.1.in Solone: *in cap. 12.§.4.nu.27.*

E

N *Gab.* ENRIQVEZ Magister: *in cap. 2.§.1. ex num. 125.*

DIVERSORVM.

Sext. EMPIRICVS
E Lib.5.aduersus Astrologos: *in cap.1.numer. 16. & 26.*
Lib.2 aduersus Mathemat.*in cap.5.nu.2.*
Lib.2.de Philosoph.*in cap.1.nu.30.*
I Lib.2.aduersus Mathemat.*in c 3.nu.30.*
Lib.2.de Philosoph *in d.cap.1.nu.30.*
Lib.3.Pyrrhon. hypotypos. cap.25. *in cap. 4.nu.24.*
E ERASMVS in Dialogo de Eutrapelo & Fabula:*in cap.3.§.4.num.29.in fine.*
E EVRIPIDES in Medea:*in cap.20.nu.17.*
N EROTIANVS in notis ad Hippocratem: *in cap.19.nu.2.*
I EVSEBIVS lib. 4.de vita Cõstantini, cap. 26.*in cap.2.§.1.nu.290.vers.* Vt inde.

F.

Anton. FABER
E Lib.9.coniectur.cap.1.*in cap 2.§.1. numer. 250.*
Eod.lib.9.cap.17.*in d §.1.nu.253.*
In Rational. ad l.Paulus, ff. de statu homin.*in cap.2.§ 4 nu.20.*
In Rationalib. ad leg. ea, ff.de his qui notan-

DIVERSORVM.

G

DIVERSORVM.

H

DIVERSORVM.

Satyra

L.iusto,

DIVERSORVM.

Q

DIVERSORVM.

R

Lib.2.

T

DIVERSORVM.

Z

DIVERSORVM.

INDEX

INDEX ARGVMENTORVM CVIVSVIS CAPITIS DISPVTATIONIS: QVO CVIQVE IN promptu ſient in ea contenta.

ARGVMENTVM PROLEGOMENΩN.

RINCIPIO proponitur antiquam inter omnes fuiſſe quæſtionem circa partus naturalis & legitimi deſignationem. Eiuſque magna difficultas commendatur, & à Natura proueniſſe comprobatur ex *Ariſtotele*, & aliis. Et ab iiſdem differentia (quod attinet ad incertitudinem) inter partum humanum & aliorum animantium variis exemplis illuſtratur, & Adagio Hiſpano confirmatur. *Lalamantij* contraria opinio redarguitur: & ratio veriotis ſententiæ ex *Ariſtotele deſumitur*: & alij alias adducentes referuntur. Demum verior ſubiungitur, & ex *Tertulliano* confirmatur. Ea verò incertitudo, quam nouiſſimè *Paulus Zacchias* in generatione cæterorum animalium (humanæ ſimilem) excogitauit, damnatur, & omnino diluitur: & *Ariſtoteli* lux datur. Et ſubinde partus humani varietatem in cauſa fuiſſe elicitur, vt tam varia Philoſophi & Medici excogitauerint circa partus humani definitionem: & præcipuæ *Hippocratis* & *Ariſtotelis* opiniones expenduntur.

Sub hæc à Philoſophorum & Medicorum ſententiis rem iſtam diſtrictius tractantibus, Iuriſconſultos ſecuriorem, & caſibus occurrentibus frequentiorem præfinitionem mutuatos notatur. Et reſponſa Prudentum, Imperatorum conſtitutiones, & leges Patriæ huius propoſiti vſque ad *l*.13. *Tauri* recenſentur. Et ab iſtius deciſione (ad tollenda dubia latæ) maiores pullulaſſe diffi-

cultates annotatur. Et demum DISPVTATIONIS ſcopus præmonſtratur.

ARGVMENTVM

Cap. I.

CONCEPTIO hominis, & cæterorum animantium diuerſa eſt, ac partus tempora. Quid ſub eius nomine veniat, explicatur: & vera definitio traditur. Et non fieri momento, ſed tempore diiudicandam demonſtratur: & ſeptimum vſque diem implurimùm protrahi ex *Hippocr.* & aliis notatur. Plurium ſententiæ circa tempora conceptionis refelluntur. Regularis quædam propoſitio *Hippocr.* circa prædicta tempora expenditur. Et ab eodem effluxiones intra ſeptimum diem contingentes inter abortus non eſſe connumerandas demonſtratur. *Nouella de reſtit. & ea quæ parit in vnd. menſe* illuſtratur. Et conceptum poſt mortem viri poſſe contingere clarè elicitur.

SECT. I. *De ſignis conceptionis.*

VARIA conceptionis ſigna enarrantur, & nullum eorum præciſum eſſe concluditur. De ſignis conceptionis, quod attinet ad iudicia, & cauſarum deciſiones tractatur, & res iſta inſigni diſtinctione componitur. Et quid præſtent obſtetricum declarationes: deque earum arte & eius antiquitate agitur. Neque illarum dictis ſtandum circa probationem virginitatis diſertè conſideratur.

SECTIO II. *De effectibus conceptionis.*

PLVRES iuris ſingulares effectus à dignoſi conceptionis annumerantur.

§. I. *De formatione hominis.*

FORMATIONIS hominis varia tempora ex quorumdam Medicorum & Philoſophorum ſententia enarrantur & refelluntur. Duplex formationis cauſa, aliis omiſſis, adſtruitur. Et quid prius & poſterius in homine formetur, in dubium vertitur. Idque demum hominibus incognitum inſignibus auctoritatibus comprobatur.

§. II. *De animatione.*

DVPLEX in homine animatio, eius formationi correſpondens, deſignatur. *Ariſtoteles* (qui in homine animam vegetatiuam conſiderauit)

ſiderauit) ab impugnationibus in Scholis verſantium defenditur. *Eidem* multitudinem filiorum vitandam conſulenti vera interpretatio ſubditur. *Vlpianus* Iuriſconſultus declaratur. Et *Ieremiæ* inſuper verba illa c.1. *Priùs quàm formarem in vtero, noui te, &c.* Subhęc maris & fœminæ ſecundæ animationis varia & diuerſa tempora ab *Hippocr. Ariſtot.* & aliis recenſentur. Et Theologorum communis aſſenſus ſubnectitur. Quid Iuriſprudentibus in hiſce tenẽdum, arbitrio cauti iudicis committitur. Et obiter cauſæ tardioris fœminæ animationis afferuntur. Et demum computationes in conceptus & eius editione ab *Auſonio* & aliis metricè decantatæ exploduntur.

§. III. *De motu.*

SENTENTIÆ *Hippocr.* & *Ariſtot.* circa motum conceptionis adducuntur. Contrarij itidem demonſtrantur. Et nihil certi circa iſta ſtatui poſſe reſoluitur: & obiter cauſa ocyoris motus in mare, & tardioris in fœmina deſignatur ab eodem *Hippocrate.*

ARGVM. Cap. II.

FOETVM dum in vtero eſt Iuriſprudentibus ad iuris effectus animal non eſſe, nec in rerum, vel hominum natura æſtimandum præmonſtratur. *Ant. Fab. Ioſeph. Scaliger,* & alij notantur. Variis legibus, quæ contrarium innuere videbantur, lux datur. Et qualiter intelligendum partum partem eſſe matris, improbato *Scæuola,* & nouiſſimis *Ioanne Gœddæo, Ant. Fab.* & *D. Amaja,* clarè oſtenditur. Et demum eodem themate retento aliquæ leges Iuris Communis, & Patrij illuſtrantur.

§. I.

EXQVÒ fœtus nobis in hominum, rerúmve natura non eſt, plura hoc §. inferuntur.

PRIMÒ, gradum non facere.

SECVNDÒ, non eſſe in patris poteſtate.

TERTIÒ, ante editionem donationem ad terminos *l. ſi vnquam, C. de reuocand. donation.* non infirmare.

QVARTÒ, eidem ius retractus non dari.

QVINTÒ, excuſationem à tutela, & aliis muneribus ciuilibus ex capite multitudinis filiorum non præſtare.

SEXTÒ, ei tutorem non dari.

SEPTIMÒ, nec priuilegium pupillis competens in bonis tutorum ei præſtari.

ſtrantur. Et ſimul apud quos omni tempore iuris condendi fuerit poteſtas: cum ſingulari Hiſtoriæ Iuris Ciuilis methodicâ enarratione: & nouâ originis & progreſſus LEGIS Regiæ deſcriptione: pluribus quæ hucuſque Interpretes hiſce omnibus comminiſcebantur improbatis.

SECTIO III.

OBICI antea in poſthumi alieni vetitam inſtitutionem expenſo, & à *l. penult. ff. de legat.* 1. diducto ex integro fit ſatis, & alia intermiſcentur.

SECTIO IV.

ARGVMENTA poſthumi alieni inſtitutionem adſtruentia, & præmaximè à *D. Pichardo* expenſa, diluuntur, cum noua eius conſideratione à *Maſinio* elicita. Et aliis obiectiunculis ab eodem adductis in *legem Gallus* fit ſatis. Et illa eius verba: *Si filius meus viuo me morietur*, inſtitutionem filij præ ſe ferre nouè demonſtratur: & iuribus ex aduerſo adductis reſpondetur. Et ſubſtitutionem quibuſvis verbis animum denotantibus conceptam ſuſtineri Iure Ciuili oſtenditur apertè. Et *Bartoli* doctrina à communi impugnatione vindicatur.

ILLATIO XIV.

DECIMOQVARTO & vltimo loco poſt prædicta omnia à præpoſita illa reſolutione, quæ habet, fœtum nec in hominum, nec in rerum eſſe natura, elicitur, ventrem, ſeu poſthumum ſuum verè non eſſe. Nec legitimam ei deberi. Nec pupillum dici poſſe. Nec hominem. Nec animal. Nec ei moram fieri. Nec ipſum eam committere. Nec donari ei poſſe. Nec ſtatutò occiſores puniente comprehendi.

§. II.

Prætorem nondum natis propter ſpem naſcendi fauiſſe: & plus quàm natis præmonſtratur. Et ſimul cuique ventri inſtituto bonorum poſſeſſionem ſecundum Tab. conceſſiſſe, & inſuper alimenta ante editionem & miſſionem in poſſeſſionem, ſummariâ tantùm præuiâ informatione. Eius miſſionis effectus, & plura alia annotantur. Et demum in fine §. & in Appendicibus diſcutitur exactè, An legata alieno poſthumo relicta Iure Prætorio ſuſtinerentur?

§. III.

Ad Iuſtinianæum nouiſſimum Ius Ciuile deuenitur, & eo, nihil ferè innouatum eorum quæ in cauſis partus Ius Ciuile antetius

ſtatuerat, prænotatur, exceptâ inſtitutione & legato, quorum poſthumus alienus à noua *Iuſtiniani* conſtitutione capacem fuiſſe effectum, omnibus ferè in confeſſo eſt. Sed nec poſthumo alieno inter viuos donari poſſe poſt *Iuſtinianum* firmè reſoluitur. Secus attento Iure noſtro Patrio *l.2.tit.16.lib.5.Recopilationis.* Cuius vera interpretatio expenditur. Et ſimul elicitur, ab eius diſpoſitione abſenti donationem factam ante acceptationem tenere. Et *D.Molinæ* argumentis ex integro fit ſatis.

§. *IV.*

Ivs etiam Ciuile partui nondum edito in pluribus fauiſſe præoſtenditur ob procreationem, & curandam ciuium multitudinem. Et ab his proletarios priuilegiarios fuiſſe oſtenditur. Et latiùs inde in Iure Ciuili in vtero exiſtentes pro natis haberi & fingi. Et fictio iſta Iuris Ciuilis nouè pluribus adductis illuſtratur. Et præcipuè de prægnante non punienda agitur. Et demum alia varia huius propoſiti diſcutiuntur: & quid hiſce tenendum ſit Iure Canonico attento notatur.

ARGVM. Cap. III.

PARTVS nominis acceptiones & extenſiones principio expenduntur. Et partum humanum in fructu non eſſe hinc inde aliquibus adductis clarè elicitur.

§. *I.*

A PRÆPOSITA reſolutione partus humani cauſam à fructu excipiente infertur, & ancillæ bonæ fidei poſſeſſori partum quæri non poſſe, niſi mediâ vſucapione: etſi aliter ſe res habeat in fœtibus pecorum: & varia iura illuſtrantur, & ſimul adhibitis quibuſdam diſtinctionibus & concluſionibus partus ancillarum vſucapionis difficultas enodatur.

§. *II.*

PARTVM humanum (qui in fructu non eſt) ius, normámq; fructuum ſequi demonſtratur: & acquiri illicò domino directo, vel vtili ancillæ, vel ex capite ACCESSIONIS (cuius natura perpenditur, & plura iura ſimul elucidantur) vel CAVSÆ aut MORÆ, ſiue ÆQVITATIS.

§. *III.*

A DISCVSSIS in §. antecedenti partus matris ſequi conditionem

nem resoluitur,& ratio designatur. Idque locum habere etiam in partu ex legitimo matrimonio procreato, quod attinet ad statum libertatis & seruitutis ostenditur: secusque esse in dignitatibus & honoribus:& varia hùc attinentia discutiuntur, illúdque pręcipuè, An filius naturalis viro nobili ex ancilla concubina natus nobilitatis paternæ particeps fiet? Quæ negatiuè resoluitur, pluribus adductis contra *Patrem Thomam Sanchez.*

§. IV.

De obligatione matris filium lactandi,& patris ipsum transacto priore triennio alendi latè agitur,& certis conclusionibus vtraque dextrè præfinitur. Et plura conducentia discutiuntur & exornantur. Et variis legibus Iuris Ciuilis, Canonici,& Patrij lux datur.

ARGUM. Cap. IV.

OMNIBVS temporibus, & apud omnes peræquè gentes expositiones vsitatissimas fuisse perpenditur & probatur: & earum moduli notantur. Et insuper qui propriè dici possint *expositi.* Et leuandi, suscipiendíque filios terrâ superimpositos ritus expenditur: & subinde Romanorum antiquitùs in filios maxima potestas, & eorum libera expositio. Expositione patriam potestatem Iure Ciuili Digestorum non amitti nouè simul & verè eruitur, pluribus iuribus illustratis, & bonis simul Auctoribus vsque dum sub vmbra degentibus. Et de reuerentia educatoribus debita, & alumnorum diuersa conditione agitur. Dispositiones Iuris Canonici antiquioris, & in Decretalibus contenti circa expositos elucidantur cum lege Constantini,& nouioribus Iustiniani,& lege itidem Patria. Expositos hodie legitimos reputandos,& ad sacros ordines liberè promouendos resoluitur:& an debeant admitti ad Ecclesias, Confraternitates & Collegia statutaria, & ad beneficia patrimonialia? disquiritur exactè.

SECTIO I.

IMMANITAS exponentium exprobratur, & morti comparatur: imò peiores homicidis existimandos à *Iustiniano* perpenditur. Et de suppositione variè supplicium sumendum notatur. Et subinde de pœnis tam filios, quàm seruos exponentibus latè agitur, duplicis expositionis distinctione, seu modo perpenso. Et nullam demum expositionem à pœna immunem resoluitur; præter eam quæ coactè, & maiore vi patratur. Et inde varia

subinferuntur & declarantur, & quid in iure poli tenendum animaduertitur.

SECTIO II.

ANTIQVITVS Athenis & Romæ loca publica fuisse expositionibus destinata prænotatur: & de Columna Lactaria agitur: & *Goltzij* numismati ad eam à *Reuardo* relati propria lux (isto improbato) datur. Et omnibus temporibus, nostrísque præcipuè expositis velut innatâ pietate occurri ostenditur: & *Pater Llamas* ei verè aduersatus refellitur: & omni tempore insignes fuisse expositos comprobatur. *Perez de Lara*, qui Bartolum exposuit, notatur. Et demum quid in Antiquitate de istis actum fuerit: & quos hodie respiciat obligatio alendi expositos, exactè discutitur.

SECTIO III.

DE sumptuum in expositos erogatorum causa & repetitione agitur, adhibitâ temporum & legum distinctione. Et latiùs de impensis à fure, vel surreptore infantis factis, & leges singulares Digestorum & Codicis huius propositi nouè illustrantur. Et quid hoc casu tenendum post leges *Iustiniani*, & attento Iure Patrio subinde notatur. Et demum de æstimatione sumptuum ineunda agitur, & de probatione filiationis, & obligatione patris illicò filium expositum repetendi.

SECTIO IV.

SANGVINOLENTOS àb expositis longè differre demonstratur, & qui propriè sanguinolenti sint, & cur *Iustinianus* eorum mentionem non fecerit, & *Cuiacius* semel atque iterum circa isthæc impugnatur.

ARGVM. Cap. V.

PARTVS suppositionem falsi speciem esse principio probatur, & leges Digestorum, Codicis, Iuris Canonici & nostri suppositioni occurrentes expenduntur. Et eam omni tempore variis theconis patratam monstratur. Et *Ioannis Barclai* in Argenide inconsulta & parum apta suppositio exploditur. Mediâ suppositione magna Imperia & Regna occupata enarratur. Et plura inde obuenientia mala expenduntur. De pœnis suppositionis omni tempore latè agitur: & simul de institutione suppositorum infirmanda, vel sustinenda.

SECTIO I.

VARIA ſpecialia à Doctoribus in partu ſuppoſito conſiderata enumerantur, & omnia ſimul reiiciuntur. Poſthæc de actionis partus ſuppoſiti præſcriptione, & aliis tractatur.

SECTIO II.

PLVRES coniecturæ ſuppoſiti partus referuntur, & ſimul ferè omnes eliduntur. Et inter cætera quid operetur matris confeſſio in cauſa ſuppoſitionis enodatur. Et plura conſimilia ſubinde adducuntur. Et demum coniecturarum valorem apud nos in arbitrio iudicis reſidere annotatur: & varia partus ſuppoſitionem excludentia expenduntur.

SECTIO III.

AN res iudicata contra matrem de ſuppoſitione conuictam rei iudicatæ exceptionem in filium pariat? diſcutitur. Et ſuppoſitionem fieri non ſolùm recens editi partus, ſed & in maiore ætate conſtitutorum notatur. Et inde ſimul profeſſiones parentum de origine & ſtatu liberorum omnium primum Imperatorem M. Antoninum Philoſophum adinueniſſe. Et in quo profeſſio iſta ab aliis (quarum in Iure & omnigenâ Hiſtoriâ mentio eſt) differat, dextrè diſquiritur: & plures leges, & inſignia loca ſacræ Paginæ, & bonorum Auctorum intelliguntur.

ARGVM. Cap. VI.

SERIES & connexio totius DISPVTATIONIS præponitur. Partuum alios naturales eſſe, alios non naturales notatur: idque ex triplici capite, ſeu cauſa prouenire. Partus inſuper naturalis definitio traditur. Et quis apud Iuriſconſultos partus naturalis & legitimus ſit oſtenditur. Et nomina iſta, *perfectus, maturus, iuſto tempore editus*, ſynonima eſſe demonſtratur à pluribus. Et errores varij noſtrorum, & Medicorum reteguntur. Et *l. 3. C. de poſthumis hæredibus inſtituendis* inſigni commento, ſeu paraphraſi illuſtratur. Et *Vlpiano* itidem lux datur in *l. quod dicitur*, *§. 1. D. de liberis & poſthumis.*

SECTIO I.

De partu qui execto ventre lucem vidit.

AN execto ventre editus partus sit naturalis, legitimus, & ad successionem admittendus? latè discutitur. Et omnium successionum capax ostenditur. Et de cæsonibus plura ab antiquitate repetita expenduntur. Et textus in *l.anniculus* §.1.& *l.etiam ea, ff. de verbor.significat.* enodantur: & in potissima ratione decidendi *Vlpianum* & *Paulum* contrarios fuisse ostenditur: & *Tribonianus* notatur. Et demum in dubium vertitur, duobus masculis exscisso matris vtero simul editis, quis in primogenio, vel indiuiduo fideicommisso sit præferendus? & bona diuidenda resoluitur. Et hoc in Regni successione non admittendum, & aliter rem agendam contra *Molinam* annotatur. Et Aristocratia, Polycratiâ damnatâ, commendatur.

ARGVM. Cap. VII.

CVR à bimestribus tractatio ista temporis legitimo partui designandi ineatur, principio aperitur, & bimestrem citra omnem controuersiam naturalem non esse hoc capite notatur.

ARGVM. Cap. VIII.

TRIMESTRES & quadrimestres partus in operibus Naturæ non inueniri securè resoluitur, improbato *Iacobo Concenatio* contrarium asserente,& malè *Aristotelem* pro sua sententia expendente. Et partus trimestres Drusilæ vxoris Augusti ad verum patrem refertur ex *Dione*, *Suetonio* improbato. Et demum leno quidam patientissimus notatur.

ARGVM. Cap. IX.

PRIMO loco referuntur plures Auctores Iuris, & aliqui Medici has partiones admittentes. Et suinde Philosophorum, Medicorum & Iurisconsultorum communem assensum in eas sta-

renotatur. Et plures Antiqui illas improbantes citantur. Et causæ ab aliquibus assignatæ referuntur, & reiiciuntur. Et mox quinquemestres & semestres naturales partus in Natura aliquando euenire demonstratur, & hoc ignotum fuisse *Hippocrati* & *Aristoteli*, pluráque similia eos latuisse. Et simul animaduertitur, hoc in iure admitti hodie non debere post longam disputationem & propugnationem sententiæ Proculianorum à vocis emissione signum deducentium, & plura de voce recèns natorum contra Sabinos & Iustinianum adducuntur. Et modi à legibus Patriis antiquis & nouioribus admissi in diiudicando partu naturali & legitimo expenduntur. Et demum distinctione temporum & legum tota res ista componitur, & varia huius propositi enarrantur, & exploduntur.

ARGUM. Cap. X.

PRÆMITTITVR antiquitùs dubitatum, An partus septimestres essent legitimi? Et controuersiam sedasse *Hippocratem* ostenditur: idémque ab eo *Vlpianum* & *Paulum* Iurisconsultos respondisse. Et cur ab isto, & non ab *Aristotele* sententiam suam comprobauerint, disquiritur. Et plures rationes sententiam *Hippocratis* obfirmantes referuntur. Et toto mensis septimi spatio septimestres vitales nasci annotatur, improbatis diuersis sententiis *Plinij*, *Galeni*, *Macrobij*, *Ferdinandi de Mena*, & *Menochij* contrarium adstruentibus. Septimestres implurimum imbecilles euadere obseruatur, & causa assignatur, & perfectiorem subinde generationem præuenire notatur: & qua itidem ex causa id eueniat, remissiuè traditur. Et demum *Cujacius* ab iniusta nota *Horatij Augenij* vindicatur.

ARGUM. Cap. XI.

MAGNA de octomestribus Philosophorum, Medicorum, Astrologorum, & Iuris demum professorum concertatio præponitur, & plures ex nostris octomestres impugnantes referuntur, & contra eos expenditur *Hippocrates*, & plures antiqui Philosophi, maximè *Philo*, *Plutarchus*, *Galenus*, *Censorinus*, & alij: & variæ rationes à variis scientiis adducuntur, cum quattuor à *Socino* traditis. Post hæc propugnatores contrariæ sententiæ octomestribus fauentis congeruntur, & eius præcipuus assertor

Aristoteles refertur cum *Plinio*, *A.Gellio*, & aliis. Et variæ rationes à Naturæ lege desumptæ nouè præponderantur, maximè à rerum euentibus,& mox aliæ à Iuris Ciuilis scientia. Et demum à variis legibus Digestorum, Codicis, & Iuris Patrij omnium temporum, opinio ista comprobatur. Sub hæc tertia sententia media inter priores adfertur. Et prima octomestres exterminans communior dignoscitur. Et infœlicitatis octomestrium causæ afferuntur ab *Hippocrate*, *Aristotele & Bonauentura* ista exactè persequente. Sed nihilominagis secunda sententia octomestres admittens certior in Natura, & verior in Iure diiudicatur. Et simul minus vitales, rarioresque esse cæteris partionibus naturalibus agnoscitur: & contra eos mulieres in computatione mensium aberrare notatur. Et demum concluditur, octauo mense editum partum legitimum esse, & successionis capacem. Et plures errores *Baldi*, *Alciati*, *Afflictis*, *Sforciæ*, *Cagnoli*, *Thomæ Grammatici*, *Cuiacij*, *Marij*, *Giurbæ*, *Polydori Ripæ*, *Parisij*, *Tiraquelli*, *Menochij*, *Christophori de Paz*, & *Torreblancæ* enarrantur,& exploduntur: nec in minores incurrisse communis scholæ Medicæ sectatores annotatur. Et subinde auctoritatibus & rationibus in octomestres adductis respondetur. Et modi computandæ editionis octomestris adducuntur. Et huius rei deficiente probatione tractationem istam octomestrium Iuris professoribus parum conducere ostenditur. Et vltimo loco exectum octauo mense, & lucem videntem eodem iure censendum, quo & cæteri partus legitimi & naturales, resoluitur.

ARGUM. Cap. XII.

OMNIBVS in confesso esse, nonomestres legitimos & naturales esse præmonstratur:& in dubium vertitur, An hi, decimestrésve sint perfectiores & frequentiores? Et hinc inde re discusâ quæstio pro decimestribus resoluitur ab *Aristotele* benè perpenso, *Philone*, *A. Gellio*, & aliis. Et pro ista sententia expenditur *Paulus libr.3.Sententiarum, titul. 9.* Et ab his CHRISTVM DOMINVM (omnium secundum carnem perfectissimum) decimestrem fuisse obseruatur. Cùm autem mensium diuersæ sint rationes,& attentis Solaribus, CHRISTVS verus DEVS & HOMO natus fuerit decimo mense, attentis verò Iulianis, in nono. Hinc sumptâ occasione, anni, mensiúmque dimensionis chronologica initur tractatio.

PLV-

§. I.

PLVRES anni dimensiones adducuntur, & diuisiones, & communior admittitur, annum distinguens in Cælestem & Ciuilem: & subinde Cælestem in Solarem & Lunarem: & de omnibus sigillatim agitur. Et mox mensium in genere tractatio initur, & plures species annumerantur. Et demum tota disputio reducitur ad annorum & mensium HEBRÆORVM, ÆGYPTIORVM, GRÆCORVM, & ROMANORVM dignosin.

§. II.

HEBRÆIS annum fuisse Solarem 365. dierum, & Lunarem itidemque communem 360. præmittitur: & annus communis Hebræorum à *cap.* 7. *&* 8. *Geneseos* communiter comprobatur. Et computationes plures impugnantur, maximè tradita à *Iosepho Saligero* multipliciter à vero deuiante: & alia *Ar. Montani* cum aliis *Augustini Torniel.* & adductâ à *Basilio Legionensi*, & plures aliæ remissiuè, & communis *Chrysostomi*, *Epiphanij*, *Eusebij*, & aliorum assensus astruitur: & noua computatio à dict. *cap.* 7. *&* 8. *Geneseos* elicitur: & à variis comprobatur: & his quæ in contrarium adduci poterant, respondetur: & annos antiquos priorum Parentum Solares vertentes fuisse 365. diebus & $\frac{1}{4}$. constantes ex *D. Augustino*, & aliis adstruitur. Et demum paraphrasis quædam ad dictum *cap.* 7. *&* 8. *Geneseos* adducitur ad eorum faciliorem captum.

§. III.

ÆGYPTIIS annum multiplicem præ cæteris gentibus fuisse prænotatur, & ratio traditur. Et ipsis annum Solarem communem 360. dierum fuisse ab *Herodoto* comprobatur (qui, dum Ægyptios anni inuentores facit, exploditur.) Et subinde eidem *Herodoto* (quod attinet ad annum communem Ægyptiorum) accinentes referuntur *Macrobius*, *Basilius Legionensis*, & *Vbbo Ennius.* Et ab Ægyptiis Græcos anni, mensiúmque rationem habuisse plurium auctoritate comprobatur. Et Ægyptiorum Thebanorum annis communis ad Solarem 361. dierum cum $\frac{1}{4}$. reductio

ab *Strabone* comprobatur, *Pierio*, & *Iosepho Scaligero* impugnatis. Et eundem annum Solarem Ægyptiis Alexandrinis concessisse *Pat. Bapt. Pozam* annotatur, & simul improbatur auctoritate *Dionis*: & alia.

§. IV.

GRÆCIS annum Lunarem fuisse præponitur: & deinde eos communi vsos probatur ex *Herodoto*, *Hesiodo*, *Demetrio Phalereo*, in *Plinio*, *Cleobulo*, in *Diogene*, *Thalete*, in eodem *Diogene*, *Hippocrate*, & *Aristotele* in pluribus locis, *Galeno*, *Gemino*, & aliis. Sed & *Hippocratem*, *Aristotelémque* regulariter intelligendos de anno communi 360. dierum, & mensibus itidem communibus tricenis æqualibus annotatur, improbatis *Doctore Sancta-Cruz*, & *Rodolpho Magistro*: & insuper quibusq; asseuerantibus prædictos annos & menses Græcis fuisse incognitos. Demum *Hippocrati* in contrarium expenso in *lib: de septimestri partu in initio*, lux datur. Itidémque *Plutarcho in Solone*, & *Diogeni Laërtio in eodem*, & *Aristophani in* Νεφέλαις, & cur *Soloni* tricesima mensis ἔνη καὶ νέα appellaretur, exactè commonstratur: & alia.

§. V.

ANNI antiquissimi Romanorum difficillimam esse computationem principio annotatur, & decem fuisse mensium adstruitur ab *A. Gellio*, *Censorino*, *Macrobio*: & ex nostris *Alciato*, *Brissonio*, *Hotmano*, & aliis. Et *Iosephus Scaliger*, *Thomas Lydiatus*, & *Hieronymus Vecchietus*, *Macri* & *Fenestellæ* opinionis renouatores, exploduntur pluribus adductis. Et mox annum Romanis triplicem fuisse ex *Rosino* notatur. Sed & anno & mensibus communibus vsos semper fuisse à temporibus Numæ, & post emendationem itidem Iulianam adstruitur latè, & comprobatur à *Plutarcho*, & *Censorino*. Et *Dio* emendatur. Et subinde diuersas anni computationes Romanis in causa fuisse, vt aliis atque aliis vterentur suppletionibus & intercalationibus animaduertitur: & hoc negotij Pontificibus demandatum, qui potestate sibi concessa, & post emendationem Iulianam abusi demonstrantur. Et inde Iulium Cæsarem occasionem emendationi temporum introducendæ præripuisse. Inde ad bisexti ab anno Iuliano prouenientis tractationem, & ad interpretationem *l. cùm bissextum*, *ff. de verborum*

rum significatione cum suis §§. & *l.2.D.de diuersis & tempor.praescriptionibus* descenditur. Et subinde de admissione anni Iuliani in Prouinciis, maximè in Hispania agitur. Et de Æræ computatione tunc iniri cœpta: déque vocis istius etymo, & aliis huc spectantibus. Et demum concluditur, leges de parturitionibus humanis mentionem facientes intelligendas de communibus æqualibus tricenis, adhibitis quorundam Auctorum limitationibus maiore ex parte improbatis. Et postremò à prædictis omnibus infertur, Natalitium DOMINI, & DEIPARÆ eius MATRIS & Præcursoris IOANNIS decimo à conceptionis mense contigisse, & *Henricus de Gandavo*, qui *Diuum Augustinum* non calluit, improbatur.

ARGVM. Cap. XIII.

DECIMESTRES partiones perfectiores & frequentiores repetitur. Et hinc formulam enatam in cautione *Galli Aquilij* contentam. E pro natis decimo mense omnem stetisse Antiquitatem pluribus bonorum Auctorum dictis comprobatur. Et inde annum luctus decem tantùm mensium à principio fuisse vsque ad *legem Theodosij* elicitur. Et *Lipsij* error ab eius ignoratione detegitur. Et cur mulieri intra annum luctus nubere prohiberetur, late tractatur. Et *l.liberorum, D.de his qui notantur infamia* lux datur, aliorum interpretationibus explosis, & alia pertractantur, in quibus *Cuiacium* & *Rauardum* errasse clare ostēditur. Et demum fere omnia quæ de anno luctus Antiquitas disposuit, iam hodie attento Iure Canonico & Patrio cessasse notatur.

ARGVM. Cap. XIV.

PHILOSOPHOS priores, vno excepto *Aristotele*, vndecimestres explosisse. Et ab eo plures illos admisisse prænotatur. Et *Hippocratem* malè expensum ab iisdem & aliis. Sed à Sapientissimo Rege nostro ALPHONSO rectè perceptum probatur. Et sub initium vndecimi mensis partum naturalem posse contingere concluditur, explosis hinc inde adductis ab Interpretibus Iuris, Medicis & aliis. Et *Nouella Iustiniani 39. de restitutione & ea quæ parit in vndecimo mense* late discutitur, & vere illustratur.

ARGVM. Cap. XV.

PLVRES Antiqui & Neoterici ex omni disciplina partionum 12. 13. & 14. mensium assertores, existimantes eas naturales & vitales, recensentur, & simul improbantur, maximè quod attinet ad iuris dispositiones. Et *Homero* (cuius auctoritate innitebantur) respondetur. Et demum maleficio tempus grauidationis ad duodecimum mensem & vltra progredi posse conceditur.

ARGVM. Cap. XVI.

PRINCIPIO diuersæ abortus acceptiones, modíque referuntur. Et noua eius definitio illustratur, & à pluribus, leuibúsque causis sæpè procedere notatur. Et abortiuum partum inter naturales non esse connumerandum resoluitur. Et plures illius coniecturæ recensentur, & ferè omnes improbantur. Et ad quatuor casus tractatio ista cum *M. Ant. Eugenio* reducitur. Et ex *l. 13. Tauri* iam cessare abortus coniecturas ferè semper concluditur: & varia huius materiæ demum annotantur.

§. *Vnicus.*

ABORTVS procurati detestandum scelus reprobatum omnibus temporibus & gentibus: & pœnis lege Diuinâ *Exodi cap. 21.* & Ciuili, Patriáque inditis coërcitum ostenditur. Nouissimè constitutiones *Sixti Quinti*, & *Gregorij Decimiquarti* expenduntur, & suis casibus intelliguntur. Pœnæ dictis legibus impositæ in specie pertractantur, & communis distinctio fœtus animati & exanimis attento Iuris Ciuilis rigore examinatur, & æquior, praxique admittenda notatur, iuxta communem sententiam. Idque præcise attento Iure Canonico & Patrio. Et de ea quæ visceribus suis pretio vim intulit, vltimo supplicio damnandâ, late agitur ad interpretationem *l. Cicero, D. de pœnis.* Et ad pœnas infligendas varij casus distinguuntur: & plura in his arbitrio iudicis (qui fore nunquam abortum impunitum sinet) committuntur. Multa in medicamenta & pocula subministrantes ad aborsũ annotãtur.

Et an

Et an grauidæ ad salutem possint subministrari abortionis periculo insuperhabito? discutitur. Plures leges Hispanæ super abortionibus latæ expenduntur: & maximè *l.8.tit.8.part.7.* elucidatur. Et an fœtus abortiuus præsumatur animatus? perquiritur, cum aliis pluribus consimilibus.

ARGUM. Cap. XVII.

DE monstri etymologia, & significato quædam præmittuntur. Et in plantis propriè, in animantibus propriùs, in homine proprijssimè dari annotatur. Et insuper nobis ostenti generale nomen, monstrum & ostentum velut species sub se continere: & vtriusque speciei triplex casus adaptatur, & tam generis quàm specierum definitiones assignantur: & ostentosas partiones nobis legitimas & successionis capaces euincitur, non sic monstrósas, quas nullius vnquam effectus in iure fuisse, nisi ad vitandas pœnas *legis Papiæ*, clarè demonstratur. Et in ea quæstione seriosa, An monstrosus partus debeat baptizari? & in ea, An occidens monstrosum partum teneatur de homicidio? & in ea, An monstrosus partus sit vitalis? aptæ resolutiones traduntur, petitæ à præhabita distinctione partionum ostentosarum à monstrosis. Et à vera dignosi vtrarumque elicitur, infantem cum dentibus natum, vel illicò ab editione gradientem, seu loquentem, & similes (si vnquam fuerunt, quod credere par non est) monstris, seu ostentis non esse connumerandos. Idémque dicendum de Varis, Valgis, seu Compernibus, & de Furiosis, Stupidis, Sanionibus, & similibus: & insuper de Morionibus, Gigantibus & Pygmæis (de quibus omnibus plura (traduntur:) & de multiplci & abortiuo partu, monstro, seu ostento non annumerando. Ex contrario sex digitos habentes, vel quomodocunque membra humana ampliantes, vel diminuentes, monstris, seu portentis accensendos ex præfatis infertur: & de Hermaphroditis id ipsum dicitur, déque istis plura perlustrantur: & simul de Centauris, Hippocentauris, Satyris, Faunis, Lemniis, Syrenibus, Tritonibus, Nereadibus, Hyæna, & quamplurimis aliis. Et causæ ostentorum & monstrorum superiores, & inferiores designantur: & inferiorum maximè insignis tractatio initur. Et omnium latius discutitur, quando monstra ab imaginatione procedant? Et demum plura alia ad hanc tractationem pertinentia intermiscentur.

ARGVM. Cap. XVIII.

MVLTIPLICIS partus plures leges mentionem facientes referuntur. Et subinde de gemellis agitur (præmaximè de contentis in vna secundina, & vno concubitu conceptis, & simul eodem tempore editis. Et insuper de tergeminis. Et decisio *l. Antiqui, ff. si pars hæred. pet.* examinatur. Ad hæc quattrinos & quinos vno partu editos naturales esse ab *Aristotele*, *Paulo*, *Gaio* & *Iuliano* Iurisconsultis comprobatur. Et numerosiores itidem partiones regulariter monstris tribuendas notatur. Et simul cur Iurisconsultis naturales non sint? Et figmentum septem cellularum, seu receptaculorum in matrice, à peritioribus Medicis & Anatomicis exploditur. Causæ multiplicis partus assignantur, & aliqua incidenter in laudem Hispaniæ delibantur. Multiplicum parturitionum aliqui casus ab Auctoribus nostris, & aliis enumerantur. Et multiplici partui in iure fauendum ex variis legibus expensis & illustratis clarè probatur: & alia obiter pertractantur. Et demum tria notanda, & ad multiplicem partum pertinentia in calce capitis annotantur.

ARGVM. Cap. XIX.

PRÆMITTITVR differentia inter superfœtationem & multiplicem partum. Et librum *de superfœtatione* operibus *Hippocratis* insertum ad eum referendum, improbato *Erotiano*. Et leges de superfœtatione agentes referuntur. Doctores *Valuerde* & *Sorapan* superfœtationem negantes improbantur. Nec huius sententiæ *D. Augustinum* assertorem fuisse (vt quidam putant) clarè probatur. Et à *Budæo*, & aliis impostoribus defenditur, & suo vero casu intelligitur cum *Bonauentura* & *P. Garcia*. Et de stellarum influxus vi in conceptione & parturitione incidenter agitur. Et an superfœtatio certis statísque temporibus accidat post primum conceptum exactè discutitur & resoluitur. Et demum superfœtationis causæ designantur: & casus singulares remissiuè traduntur cum aliis huius tractationis.

ARGVM. Cap. XX.

PRINCIPIO vastum esse humani partus disputationis mare præponitur, & aliquas tantùm communes quæstiones discu-

tiendas proponitur. Et subinde primò quæritur, An & femina in generatione hominis concurrat? Et improbato *Aristotele* quæstio affirmatiuè resoluitur, & variis *Iustiniani* locis, vltra alia, comprobatur. Et mulieri itidem plus tribuendum in generatione quàm viro ex pluribus demonstratur.

Secundò dubitatur, An grauidatio mulieris morbus sit? & præposita *Sabini* morbi definitione & aliis, negatiuè (saltem nobis) resoluitur & contrariis respondetur: & demum ex contrario sterilitatem morbo implurimùm tribuendam eruitur.

Tertiò controuertitur, an mors à partu proueniens sit naturalis ad causam praxi occurrentem? & resoluitur affirmatiuè.

Quartò in dubium vertitur, an per rerum naturam fieri possit, vt partui assignetur certus genitor? Et resoluitur negatiuè ex variis: & *l. Lucius, ff. de cond. & demonst.* elucidatur.

Quintò illa exactè examinatur quæstio, cur partus humanus non ita similis suis genitoribus, ac cæterorum animantium? Et similitudinis & dissimilitudinis natorum causæ latè pertractantur, cum aliis ad similitudinem pertinentibus, quæ nostri confuso stylo fuerant prosequuti.

Sextò quæstio illa de partu ad primum, vel secundum virum referendo eius, quæ illico post mortem primi nouas init nuptias, à noua consideratione Auctoris ex *Aristotele* desumpta, pluribus insuper habitis resoluitur.

Septimò inuestigatur, An euenire possit, vt mulier absque viri congressu concipiat? & securè res ista negatiuè resoluitur, & contraria sententia cacodæmonis inuento tribuitur: Sicuti miracula à Vespasiano & Hadriano patrata: & *Suetonius*, *Tacitus* & *Dio* priorum enarratores in multis contrarij demonstrantur: & inde infertur meris nugis tribuenda quæ de equabus Hispanis Zephyro flante concipientibus enarrant *Virgilius*, *Silius Italicus*, & alij.

Octauò in controuersiam deducitur, Vtrùm rei venereæ vsus ad salubritatem aliquando conferat? & resoluitur negatiuè: & aliquo singulari casu occurrente, vel ad remedium Apostoli occurrendum, vel mortem oppetendam, subeundámque. Et peccare Medicos, qui aliter consuluerint, animaduertitur.

Nona dubitatio est, an prioribus parentibus in statu innocentiæ perseuerantibus genus humanum propagandum foret sine corruptione integritatis mulierum? Et resoluitur affirmatiuè ex *D. Augustino*. Et simul ab eodem defenditur conceptionem & genera-

tionem absque vllo libidinis morsu aut calore eo statu euenturam fuisse.

Decimo & vltimo loco disquiritur, An à congressu hominum cum dæmonib. incubis, seu succubis generatio prouenire valeat? Et hinc inde pluribus adductis ab *Sprengero, Martino Delrio, Bauhino, Torreblanca*, & aliis resoluitur negatiuè: & variis mediis, à *Nicolao Remigio, Ambrosio Parao*, & aliis deductis & expensis, clarè comprobatur.

PROLE-

PROLEGOMENA.

SYNOPSIS.

1 *Antiqua est decertatio: Quis sit partus legitimus & naturalis?*
2 *Humanæ partionis magna est incertitudo à natura, idq; omnibus in confesso est.*
3 *Eius rei rationem adsignauit Aristoteles.*
4 *Plures alias alij: &* num.6. *aliã causam à plurimis comprobatam refellit Auctor.*
5 *Aliam notat & designat à cæterorum sententiis diuersam.*
7 *Pauli Zacch. nouam sententiã improbat.*
8 *De temporibus humani partus varij varia excogitarunt.*
9 *Dissensionis causam adducit Auctor.*
10 *Philosophorum & Medicorum opiniones recenset.*
11 *Iurisconsultorum in hisce placitum, & anterioris legis XII. Tab. ostendit.*
12 *Ius patrium Septem partitum communi concinens demonstrat.*
13 *Iustinianum in Nouella 39. nil derogasse iuri communi euincit.*
14 *Eundem Iustinianum in* l. 3. C. de posthum. hæred. instit. *interpretatur.*
15 L.8. tit.33. part.3. *intel.*
16 Lex 13. Tauri *iuri communi conformis est.*
17 *Leges nostræ nil à Romanis in naturalis partus constitutione deuium continent.*
18 *Hodie à* l.13. Tauri *maiores pullulãt difficultates circa partus naturalis designationem & limites.*
19 *Instituti sui rationem Auctor adperit.*
20 *Quæ tractanda sunt in hac disputatione enarrat.*
21 *Eorum profunditatem & difficultatem agnoscit.*
22 *Aliquorum in publicandis libris excusationes irridet.*
23 *Quod ipsi in voto fuerit huius disputationis editione declarat.*

NOBILIS *est & antiqua* † *anxiéque agitata inter Philosophos & Medicos illa quæstio: Quis sit partus* NATVRALIS? *Et inter Iurisprudentes: Quis sit* LEGITIMVS? *quo nomine naturalem etiam, & portenti, monstri, abortionisve expertem* 1

2 *intelligunt. Huius autem disquisitionis incertitudo* † *(vt ita loquar) maxima est: nam qui nihil ignorasse putantur, viri summi, & ferè in censu Deorum habiti, hac de re obscurè adeò scripserunt, vt nihil videantur posteris reliquisse, quod certò sequerentur: demúmque eam dubiam & nutabundam edixerunt; vt inde omni tempore magnos semper viros exercuerit, Imperatores, Reges, Iurisconsultos, Medicos, Philosophos & Astronomos. Quorum omnium adeò lubricus fuit liber, vt* DEO *potiùs quàm* HOMINE *ad hanc ipsam rem exactè edocendam & demonstrandam opus esse videretur. Et sanè omnium potissimus* Philosophus lib.7. de Histor.animal. cap.4. *hoc incerti à Natura prouenisse testatur, dicens:* Cuncta animalia perfectionem partus vno modo efficiunt, nimirum quia vnicum partus tempus vniuersis est præfixum, etenim, *καθ' ἕκαστον ζῶον ἡ τῆς γενέσεως οἰκεία προθεσμία τοῖς κυομένοις ἅπασιν ἀκριβῶς φυλάττεται*, cuique animantium data est in suo genere propria & præfinita constitutio, & eandem in suo conceptu regulam obseruant, *vt ait* Galen. libr. 2. de dieb. decretor. cap. 2. *&* M. Varro in diuersis capit. lib. 2.de re rust. *confirmat. Nam in* cap.4. *notat scrophas quaternis mensibus ventrem ferre: & in* cap.5. *oues prægnantes esse diebus centum & quinquaginta, id est menses quinque: vaccas mensibus decem. & in* c. 6. *asinas duodecimo mense conceptum semen reddere: & in* c.7. *equas mense duodecimo die decimo parere: & in* c.8. *hinnum, qui ex equo & asina est, in ventre esse menses etiam duodecim. Et mulum, qui ex equa & asino procedit mense duodecimo itidem gigni asserit* Plin.lib.8.c.44. *Ad hæc gallinaceis pullis bis denis diebus opus est vt excludantur, Pauoninis ter nouenis, ait idem* Plin. lib.10. cap.59. Varro lib.3.cap.9. *Et demum aliarum auium vniforme tempus est concipiendi, & pullos edendi, vt adnotauit* Athenæ. Dipnos. lib.9. Solus homo (*vt ad* Arist.*reuertar*) multa pariendi tempora nactus est, cùm & Septimestres, octomestres & nonomestres edat mulier, quin etiam & decimestres, & vndecimestres. *Idem repetit* Problematων sectio.10.probl.40. *vbi hoc inter alia in causa esse ait, vt homines soli inter cætera animantia claudi nascantur. Et antea diuersis in locis docuerat* Hippocrates, *Pythagoræ discipulus (qui Medicinam quingentis annis latentem à morte AEsculapij in lucem renocauit) in* libello de septimestr.partu. *Sed & in* lib. de aliment. *varia partus humani efformationis, motus & editionis tempora, proportiones recenset. Et demum subiungit notissima illa,* οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, NON EST, ET EST, *ad insinuandam (si ad præcedentia omnia referas) cum* Valle. in sac.Philos.c.8. *insuperabilem eorum difficultatem, & Naturæ luxuriantis in homine*

homine miram varietatem; eius verba sunt hæc: Ad figuram soles trigintaquinque, ad motum septuaginta sex, ad exitum ducenti & decem. Alij sic: Ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem trecenti. Alij sic: Ad discriminationem quadraginta, ad transitum octoginta, ad elapsum ducēti quadraginta, NON EST, ET EST, *Idemq́; innuit* lib. de morb. popul. sect. 3. *Et ab istis* Plin. lib. 7. natur. histor. c. 5. *hanc varietatem Naturæ eleganter ita describit*: Cæteris animantibus statum, & pariendi & partus gerendi tempus est, homo toto anno, & incerto gignitur spatio; alius septimo mense, alius octauo, & vsque ad initia decimi, vndecimíque. *Quæ omnia respexisse videtur illud* D. Ambros. lib. 5. Hexamer. c. 10. Omnia animantia præscripta habent pariendi tempora, homo solus indiscreta atque confusa.

Et certè Hispaniæ nostræ adagium hæc ipsa confirmat, & partionum humanarum naturam velut imperceptibilem supponit, dum ait: BIEN CVENTA LA MADRE, MEJOR CVENTA ET INFANTE: *quasi diceret nullam mortalium computationem circa partus tempora constantem esse, sed eam tantùm quam Natura, varijs in casibus, velut ludens, diuersimodè facit. Quo sensu accipienda sunt (vt procedant) quæ nouissimè adducit* Doctor Sorapan in explicatione huius adagij, 2. p. suorum prouerbiorum Hispan. Medicin. *Quæ certè magnæ & reconditæ sunt eruditionis in* Naturalibus, *ac reliqua ferè Hispanica in Moralibus & Politicis præ cæteris aliarum gentium.*

Sed & propositionem prædictam (rerum ab exordio mundi vicissitudine comprobatam) latè prosequuntur & exornant Hippocr. Aristotelísque *commentatores; & omnium maximè noster* Franc. Valles. de sac. philos. c. 33. *& post eum alij Medicæ Scholæ Auctores, vno ferè excepto* Ioan. Lalamant. *qui in* comment. sup. lib. 2. de dieb. decretor. Gal. d. c. 2. fol. 148. 173. & 295. *asserit fœminis, ac cæteris animantibus statum, seu legitimum tempus pariendi à* NATVRA *seu* PROVIDENTIA *adsignatum* NONVM *scilicet* MENSEM: *intra quem terminum, si mulier parere anteuertat, vel vltra eum tardet, iam non stato & præfixo à Natura tempore, sed præter tempus parere ait: & quidem pessimè, vt quod ex pluribus (hac disputatione prosequendis) quàm euidentissimè refellitur; & in specie impugnauit* Horat. Augen. de hom. part. libr. 1. c. 13. *Nobis sat sit velut in genere nunc adnotasse metam ab isto* Auctore *positam, certam non esse: & subinde perfectiores, omniúmque frequentiores, partus esse decimestres, vt exactè comprobabitur in* c. 12. & 13. *Nec enim menses τόκιμοι, id est, ad parturitionem humanam apti appellaren-*

tur. Hippocr. Arist. & Gal. *& aliis* SEPTIMVS *&* DECIMVS *mensis anni, si partus illis contingentes essent extemporanei in ordine Naturæ, vt iste* Lalamant. *voluit contra* Hippocr. Arist. & Plin. *sup. relatos. A quibus facilè corruunt, quæ pro eo nouissimè adduxit* Paul. Zacch. in quæst. Medico-legalibus, tit. 2. q. 5.

Præmonstratæ autem differentiæ inter partum humanum & cæteros,
3 *rationem designauit ipse* Arist. lib. 4. † de gen. anim. c. 4. *dum ait*: Homo cum omnibus generibus AMBIGIT: nam & vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est. *Vnde paulò inferius subiungit & infert iuxta versionem Theodori*: Hinc tempus vteri ferendi enorme, hoc vnum animal sortitum est. *Vel vt meliùs & clariùs vertit* Georg. Trapezunt. Et idcircò gestationis quoque tempora huic soli animalium inæqualia esse accidit. *Græca namque oratio sic se habet*, διὰ δὲ τοῦτο τοὺς τῆς κυήσεως χρόνους μόνῳ τῶν ζώων ἀνωμάλως εἶναι συμβέβηκε, *quasi diceret Philosohus (his duobus locis simul iunctis vel commistis) cum cæterorum animantium cuique in suo genere vnus & idem modus pariendi à Natura sit constitutus, homini, qui cum illis hac in parte,* ἐπαμφοτερίζει *variéque operatur (nunc* μονοτοκίαν *Elephantis; nunc* διδυμοτοκίαν *ouis; nunc* πολυτοκίαν *Leænæ, vel Vrsæ imitatus) coæqualis, conueniénsve naturæ esse debuit in temporibus partus, seu vteri ferendi; vt quà animal* VNIPARVM *est, tardiore termino eniteretur; quà* PAVCIPARVM, *breuiore: quà* MVLTIPARVM *breuissimo.*

In originali Græco legitur ἐπαμφοτερίζει, *id est*, in vtranque partem vergit, *aut* vtrinque cingit, *vel* attingit, *vt ex* Strabone *notat* Bud. in cōment. linguæ Græcæ.

4 *Ast isti varij partus humani Aristotelicæ causæ aliam † non contemnendam adiungit eruditissimus* Ioan. Gorræus *Medicus Paris.* in annotat. sup. lib. Hippoc. de nat. pueri. *Alias (his quæ in Scholis edisseruntur aptiores)* Hiero. Mercur. li. 2. de morb. muli. Frāc. Valeriola li. 3. enarrat. Medic. c. 7. Hiero. Capivac. li. 4. de vteri affect. c. 8. Feder. Bonau. Vrbinas lib. 3. de partu octomest. c. 2. & plur. seqq. Trincauel. l. 1. cons. 34. Ludou. Mercad. li. 4. de mulier. affect. c. 1. And. Laurent. libr. 8. de hist. anatom. c. 9. q. 31. Horat. Augen. in lib. quòd homini non sit certum nascendi tempus. *Nouissimè* Paul. Zacch. *post alios* in quæst. Medico-legal. titu. 2. quæst. 1. numer. 5. *quinque rationes adducens* num. 6. *& alias in numer. seqq. Et demum doctiss.* Pet. Garc. in lib. de locis affect. disp. 75. c. 5. *Aristotelis rationem disertè adstruit, cæterásque explodit. Cui demum adde aliam eiusdem Philosophi* libr. 4. de gener. animal. c. 6. *cum alia priùs insinuata ab* Hippocrate in libro de octomestri partu ad finem.

5 *Sed certè mihi † Iurisconsulto præ omnibus hisce arridet valdè ista referre ad mira, & vltra humanum captum contingentia Dei & Natu-*

turæ opera (ac de causa efficienti conformationis hominis dicemus in hoc c.1.§.1.ad fin.) *Quandoquidem nec* Arist. *causam aptam inuenio; nec vnitatem, aut multiplicitatem (vt ita loquar) partus quicquam ocyori, aut seriori editioni conducere: cùm quotidie videamus vniparum multiparo, & in eadem muliere præcotius.*

Quid quod † *nec huic diuersitati in causa esse potest (vt multi putarunt) varia fœtus proportio ad acceptabula, aut membranas, siue secundinas, quibus inuoluitur; ita vt istorum principium (quibus constat partus) varia dispositione, varietur & idem. Nam id est quod quærimus, & scire desideramus, quî ista variè in partu humano, & non in alio, eueniant? cúrve in eo maior in agente virtus, aut in passo editionem properat? Et vbi est virtus ista? quæ omnia certè ignoramus, cùm videamus eandem ab eodem viro ijsdem viribus & statu consistentem varios producere partus; & à semine senis & mulieris protractæ ætatis præcotiores, maioresque sæpè prodire quàm à viro forti cum iuueni coëunte: vt inde his mirè aptaberis illa* Tertul. *de anima*, c. 37. Omnem hominis in vtero ferendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vtique POTESTAS DIVINAE VOLVNTATIS ministra modulatur. *Iunctis his quæ latiore stylo pertractantur infr.*cap.1.§.1.nu.10.& seqq. 6

Quinimò & in cæteris animantibus †, *nunc nouè* Paul.Zach. *contra omnia* sup. *tradita diuersa tempora vteri gerendi, & quidem imperceptibilia (ac ipse putabat) constituit in* Medi.legal.tit.2.q.1. *dicens, canem (quem bimestrem* Arist. *facit)* Varroni, libr.2.de re rust. *trimestrem esse. Quin & in ouibus diuersa tempora pariendi* Plin. *designasse* lib. 8.c.47. *Sed ista nullius sunt momenti. Etenim* Arist.lib.6.de hist.anim. c. 20. *agnouit Laconicas tantùm canes sexta parte anni, id est, sexaginta diebus vterum gerere. Id autem in aliis canum generibus aliter contingit ex eod.* Arist.d.c.20.in prin. Athen. Deipnos.lib.3. Ælia.li.8.de animal.c.1. *Et eod. sensu accipiendus est* Plin. (*expensus à* Zachia) d.c.47. *Quò loci egit de duobus ouium diuersis generibus. Ad hæc interuallum minimum temporis, velut editio canum sexagesimo contingens die*; aut vno vel altero plus minúsve (*vt supponit* Arist.d.c.20.) *vniformem cæterorum animalium parturitionem ab eodem, & aliis iam relatis excogitatam non excludit. Non est ergo cur ab inueterato & communi Philosophorum & Medicorum adsensu ob vnius* Zacchiæ *minus aptam considerationem deuiemus: & eadem, vel communem (quod attinet ad varietatem, aut certum nascendi tempus cum quadam latitudine, vt iste ait) faciamus causam partus humani, canum, ouium & cæterorum animantium, cùm reuera ista longè in* NATVRA *differant.* 7

Cùm enim eius omnia opera ad generationem tendentia mira sint valdè, & cognitu simul difficilia, sanè præ cæteris imperscrutabiliora sunt quæ ad hominis generationem, & editionem attinent. Videmus namque (ex iam dictis & adnotatis) quasi adhibito studio NATVRAM hæc extra hominum captum posuisse, vt inde ansam ipsi præriperent summum Opificem ob tantum opus magis ac magis admirandi & laudandi.

Hæc demum, quæ tam variè NATVRA in solo HVMANO PARTV pro-
8 duxit † in causa fuerunt, vt Philosophi & Medici varia etiam excogi-
tauerint circa partus naturalis veram temporis præfinitionem. Quidam
enim ex his, quin & ex nostris (quibus tractatio ista non inconuenit, quicquid alij dixerint) nasci hominem natura posse quinto vel sexto mense à conceptione affirmant. Quidam septimo tantùm, nono, aut decimo. Quidam octauo simul cum nono & decimo. Quidam vndecimo. Alij duodecimo, decimotertio, quin & decimoquarto.

9 Et sanè harum opinionum dissonantiæ & varietati † causam præbuere diuersi naturæ successus, quorum meminit Hippoc. in lib. de nat. pue. & in lib. de alim. Arist. libr. 7. de hist. anim. d. c. 4. Plin. lib. 7. nat. hist. d. c. 5. Plut. lib. . de plac. Philos. per varia capita, A. Gel. lib. 3. noct. Attic. c. 16. Tert. in lib. de anima, var. in loc. Macr. li. 1. in somni. Scip. c. 6. Valles. de sac. Phil. c. 18. Et ex nostris Tiraqu. in l. si vnquam, verb. suscepit liberos, numer. 210. C de reuoc. don. Alciat. libr. 3. Parad. c. 7. Balduin. ad leges Romuli, c. 17. Rhen. Choppi. de priuil rust. lib. 3. c. 8. numer. 5. Diony. Gothof. in not. ad Nouel. 39. de restit. & ea quæ parit in vnd. men. §. fi. Gasp. Torrebl. in epit. delict. lib. 2. cap. 43. cum aliis infra referendis.

Omnium verò, quos præ manibus habemus, primi † & præcipui huma-
10 næ & naturali partioni terminos designarunt Hippocr. & Arist. iam re-
lati, qui tempora pariendi à septimo decimum vsque mensem, vel principium vndecimi (iuxta ea quæ suis locis tractabimus) præfiniunt, & post eos Censorin. de die natali ad Q. Cærellium, cap. 7. & 8.

Plin. autem & A. Gel. (pluribus adducti) metas vltra ponunt, & partum decimumquartum mensem contingere posse rentur: sed & alij hùc & illùc vagati in diuersas abierunt opiniones, dum quique suas sibi causas, ingenioq; suo aptas confingunt, & è suis disciplinis non solùm hauriendam definitionem existimant, sed & pro veris, certísque suas sententias mordicùs tenent.

A Medicis verò & Philosophis (qui strictiùs rem ipsam præfinierunt) securiorem & casibus occurrentibus frequentiorem definitionem Iurisconsulti

consulti † *sunt mutuati: & terminos partus naturalis à septimo ad finem vsque mensis decimi, ab* Hippocr.& Aristot. *proximè relatis, præfixerunt, vt patet ex Leg. XII. Tab. in* A.Gel. lib.3. cap.16. *ita aiente:* Decem viri in DECIMO MENSE gigni hominem, non in vndecimo: *& Vlpia.* in l.intestato liberto 3. §.post decem, D.de suis & legit.hæred. *Paulo in* l. septimo mense, D.de statu homin. *eodem Paulo* lib.4. Sent. tit.9. ad Senatusc. Tertul. §. 5. *iuncto notissimo Sceu. respon. in* l. Gallus Aquilius 29. in prin. D.de liber. & posthum. *in illis verbis*: Si filius meus me viuo morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, siue quæ neptis post mortem meam in DECEM MENSIBVS proximis, quibus filius meus morietur, natus natáve erit, hæredes sunto: *& in* l.fin. C.de posth. hæred.inst. *vbi* Iustinia. *ijsdemmet ferè verbis vtitur, dicens*: Si filius vel filia intra DECEM MENSIVM spatium post mortem meam editi fuerint, hæredes sunto: vel ita dixit filius vel filia, qui intra DECEM MENSES proximos mortis meæ nascentur, hæredes sunto: *& iterum ibi,* Intra DECEM MENSES à morte testatoris numerandos. 11

Et hoc apertiùs nobis decisum exstat in l.4. tit. 23. p.4. † *quæ partus naturalis tempore à septimo mense decimum vsque dinumerat, & disertis verbis alium protractiorem excludit, dum ait*: Ipocras fue vn Filosofo en arte de la Fisica, y dixo, que lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vientre son diez meses, è porende si desde el dia de la muerte de su marido fasta diez meses pariesse su muger, legitima saria la criatura que naciere; è se entiende que es de su marido, maguer en tal tiempo sea nacida, solo que ella viuiesse con su marido à la sazon que finò. Otrosi dixo este Filosofo, que la criatura que naciere los siete meses, que solo que tenga su nacimiento vn dia del seteno mes, que esçumplida è viuidera, è debe ser tenida tal criatura por legitima del padre è de la madre que eran casados è viuen en vno à la sazon que la concibio. Essomismo debe ser juzgado de la que nace fasta los nueue meses. Este cuento es mas vsado que los otros. Mas si la nacencia de la criatura tañe vn dia del onzeno despues de la muerte del padre, non debe ser contado por su hijo. 12

Et quamuis his vltimis legis Partitæ verbis contrariari videatur (vt hæc nunc obiter dicam) text. in Authent. de restit. & ea quæ parit in vnd.men. post mort. viri, §. secundùm verò illud: † *quæ est* Nouell. 39. *in illis verbis*: Vndecimo mense perfecto deperit: *& illis*: Ante luctus tempus peperit mulier circa terminum anni: *ducto argumen-*

to à contrario (vt aiunt) sensu (quod fortissimum *dicitur in l.* 1.§.huius rei, D. de offic. eius cui man. est iurisdict. *&* euidentissimum *appellatur in* l.si quis locuples 57. D. de manum. testam. *cóque attento visus fuerit* Iustinian. *adprobasse partum sub initium vndecimi mensis editum contra* d.l. Partitæ. *Certè ista parum obstant, eísque ex integro faciemus satis in* c.14. *quando verum intellectum Iustinianeæ sententiæ demonstrauerimus (quem prius etiam delibabimus infr.*c.1.in pr.) *Nunc velut per indicem & generali oratione adnotasse sufficiat, nil noui* Iustinianum in d. Nouella *statuisse circa tempora partus.*

Nec prædictorum quicquam innouauit idem Iustin. *in* l.quod certa-
14 tum.3.C.de post.hær.inst. † *vbi Sabinianorum sententiæ adhærens, illámque laudans, cum qui viuus natus est, etsi vocem non emiserit (cum mutus esse possit) partui naturali & legitimo adscribit, dicens:* Cúmque Sabiniani existimabant, si viuus natus esset, etsi vocem non emiserit, rumpi testamentum: apparétque quòd etsi mutus fuerat, hoc ipsum faciebat, eorum illam nos laudamus sententiam; & sancimus, si viuus perfectè natus est, licèt illicò postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpi: hoc tantummodo requirendo, si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium. *Nam sententia ista* Iustiniani *ex communi nostrorum adsensu adaptari non debet, cuique nato & edito quouis tempore, puta quarto, quinto, aut sexto mensibus, quibus partus viuos mulieres aboriri frequentius assolent: sed de eo tantùm intelligi debet, qui tempestiuo & maturo tempore nascitur, vt probari videtur apertè in verbis illis iam relatis,* perfectè natus est, *iunctis his quæ cum* Tiraquello *& alijs resoluemus in* cap. 6. & seqq. *vbi & alia tentabimus.*

Lex ergo ista declaratoria videtur aliarum antiquarum partus naturalis & legitimi tempora designantium, ita vt non sufficiat quo ad effectus ciuiles nasci quem legitimo tempore, puta septimo aut nono mense, nisi viuus totus processit ad nullum declinans monstrum vel prodigium. Id quod latiùs suo loco prosequemur.

15 *Et isto eodem sensu nobis accipienda est* l.8.tit.33.part.7. † *in illis verbis.* Otrosi dezimos, que los hijos que nacen muertos, que son ansi como no nacidos ni criados, è por esso no se quebranta por ellos el testamento, que el padre, o la madre ouiessen fecho: *vt quæ à contrario sensu idem disponunt, quod* Iustinianus *statuerat ex sententia Sabinianorum in* dict. l. quod certatum, *ita vt filij legitimo tempore editi ad nullum declinantes monstrum vel prodigium, quamuis nati*

natì illicò decesserint, paternum testamentum rumpant.

Hoc ipsum † alia declaratione & moderamine adhibito sanxit l.1.3. 16
Tauri, *dum ait*: Por euitar muchas dudas, que suelen occurrir, cerca de los hijos que mueren rezien nacidos, sobre si son naturalmente nacidos, ò si son abortiuos: Ordenamos i mandamos, que el tal hijo se diga que naturalmente es nacido, i que no es abortiuo, quando nacio viuo todo; i que alomenos despues de nacido viuio veinte i quatro horas naturales, i fue baptizado antes que muriesse. I si de otra manera nacido murio dentro del dicho termino, ò no fue baptizado: Mandamos, que el tal hijo sea auido por abortiuo, i que no pueda heredar à su padre, ni à su madre, ni à sus descendientes. Pero si por ausencia del marido, ò por el tiempo del casamiento claramente se probasse que nacio en tiempo que no podia viuir naturalmente: Mandamos, que aunque concurran en el dicho hijo las calidades susodichas, que no sea auido pro parto natural i legitimo. *Quæ verba clarè præ se ferunt, hodie non sufficere tempestiuo tempore partum maturum nasci, nisi vixerit vigintiquatuor horas, & sacro fuerit baptismate ablutus, vt post alios notat* Azeued. in l.2. tit.8. lib.5. Recop. num.3.

Remanet ergo ex his, hodie per leges Codicis & huius Regni nil ferè novi videri inductum † circa tempora partus naturalis & legitimi: & 17
standum esse dispositionibus iuris antiqui, quæ partus septimestres, nonomestres & decimestres inter naturales & legitimos dinumerant. Ita vt hodie sub iudice (vt aiunt) lis sit, an partus editus quinto, sexto, octauo & vndecimo mense sub initium, sit naturalis & legitimus ex iure Romanorum nostróque Patrio?

Sed &, quod plus est, ex l. illa prædicta 13. Tauri (*quæ ad tollenda dubia circa partus naturales & abortiuos fuit lata, vt patet ex illis verbis proœmialibus*: Por euitar muchas dudas, que suelen occurrir cerca de los hijos que mueren rezien nacidos, sobre si son naturalmente nacidos, ò si son abortiuos) *maiores hodie pullulant † difficultates circa na-* 18
tos quinto, sexto & octauo mense, viuentes vigintiquatuor horas, à quibus nostri non benè sese expediunt in re tam seria.

Quæ potissima fuit causa in medium proferendi, quæ ipse in proposito ab assidua & varia lectione obseruaui, quibusque prædicta enodari posse putauerim.

Ergo instituti mei præcipua ratio in eo versabitur, † vt partus na- 19
turales & legitimos designem: eósque à violentis & abortiuis, monstrosísve itidem secernam. Ob ídque attentè videndum, qui menses ad par-

tum naturalem apti ſint, qui verò inepti: computatione à firmæ & perfectæ conceptionis tempore facta. Id diſquirere & definire præcipuè in animo eſt, & hac de cauſa per viginti capita diſcurrere.

In primo agam DE CONCEPTV, ſeu conceptione, & eius SIGNIS, déque FORMATIONE, ANIMATIONE, ſeu Viuificatione fœtus (liceat nobis his vocibus vti, ac cæteris iſta tractantibus) & eius MOTV.

In 2. cap. de FOETV, qui Iuriſprudentibus VENTER dicitur.

In 3. DE PARTV IN GENERE.

In 4 DE PARTV EXPOSITO.

In 5. DE PARTV SVPPOSITO.

In 6. PARTVS NATVRALIS maturi & perfecti rationem & tractationem inibo.

In 7. cap. DE BIMESTRIBVS tractabo.

In 8. DE TRIMESTRIBVS & QVADRIMESTRIBVS.

In 9. DE QVINQVEMESTRIBVS & SEMESTRIBVS.

In 10. cap. DE SEPTIMESTRIBVS.

In 11. DE OCTOMESTRIBVS.

In 12. DE NATIS NONO MENSE diſſeram.

In 13. DE EDITIS DECIMO.

In 14. De videntibus lucem in VNDECIMO.

In 15. De his qui DVODECIMO, DECIMOTERTIO, & QVARTODECIMO menſibus naſci poſſe quidam autumant.

In 16. cap. DE PARTV ABORTIVO erit ſermo, velut per ſequelam dictorum in capitibus præcedentibus.

In 17. capit. DE MONSTROSO & Prodigioſo partu diſputabo.

In 18. MVLTIPLICIS PARTVS (quem Græci πολυτοκίαν appellant) Cauſas diſquiram, & Varios Caſus à Iuriſconſultis & aliis Scriptoribus relatos expendam.

In 19. cap. SVPERFOETATIONIS (nec incognitæ iuris auctoribus materiam proſequar.

In 20. & vltimo, vt quoad fieri poſſit tractatio iſta omnibus ſiet numeris (vt aiunt) abſoluta, MISCELLANEA quædam ad partum (vt Iuriſconſultum decent) genericè attinentia percurram.

Et demum in calce operis SCHOLIA non inutilia ad l. ſeptimo menſe,

menſe, D.de ſtatu homin. cum l.3.§. penult.& fin. D.de ſuis & legitim.hæred. Et ad d.l.3.C.de poſthum.hæred. inſtituend. Et d.l.4.tit. 23.part.4. Et d.l.13. Tauri ſubiungam.

TRACTATIONES *iſtas (quas Iuriſconſulto non ſolùm vtiles, verùm & neceſſarias duco) non tantùm in argumentis ab auctoritate ductis (ac fecerunt* Domitius, Vlpianus, & Iulius Paulus) *ſed & rationibus aptis (ni fallor) comprobabo.*

Magnam, fateor, † me Prouinciam ſuſcipere non cuiuſuis viribus pa- 20
rem. Nec enim me latet rei omnium in IVRISPRVDENTIA, PHILOSOPHIA, MEDICINA *& omni* LITERATVRÆ *genere difficillimarum difficilioris altioríſque ordinis & ſpeculationis rationem hac noſtra* DISPVTATIONE *iniri. Sub hæc non dubito iuſtam ve-*
niam eos non mereri, † qui ſui ſpecimen FAMÆ *in publicum dantes,* 21
vel importunis amicorum precibus (vt eſt in dicterio) coacti, vel dum alia meliora lucem vident, ſua vel parum apta, vel extemporanea, nec repetita proferunt, vel profundunt, hiſce protritis & paſſim vſurpatis excuſationis modulis aliíſque ſimilibus innixi: & illos tantùm agnoſco laudandos, qui viribus ingenij & eruditionis pollentes, & qua potuerunt præhabita cura, ſua in publicum & PVBLICO *edunt. Hos (quorum bonam partem ætas noſtra* IVRISPRVDENTIÆ *maximè illuſtrandæ tulit) miror: hos veneror: hos ſequi μιμεῖσθαί que vellem.* DEVS *vota noſtra ſecundet, vt hæc* PVBLICÆ *(quod vnum præcipuè nobis*
in † voto eſt) cedant vtilitati. 22

CAPVT I.

DE CONCEPTIONE, ET EIVS SIGNIS ET EFFEctibus in Iure: déque Efformatione & Animatione fœtus, & eius Motu.

SYNOPSIS.

1 *Conceptio hominis incerta.*
2 *Eius cognitio Iurisconsulto maximè necessaria.*
3 *Varias conceptionis definitiones refellit Auctor.*
4 *Traditam à Ioan. Fernelio probat & illustrat: & inde differẽtiam inter semen, genituram & conceptionẽ eruit.*
5 *Conceptio velut morbus & mors tractu temporis contingit: &* num.16. *ista comprobat.*
6 *Hac ex diuinis litteris probare nixus fuit Bonauentura, sed malè: &* nu.7. *improbantur quæ ab Scoti sententia idem Bonauent. deducebat.*
8 *Hominis incertum conceptum & partum à Philosophis & Medicis comprobat Auctor.*
9 *Conceptio in septimum diẽ implurimũ protrahitur ex Hippocr. Aristot. & Plinio Censorino & aliis: &* num.18.
10 *Ferdin. Mena & Ludou. Mercad. contrarium adseuerantes taxantur.*
11 *Mercadus Macrobium nõ calluit, & eiusdem vera mens demonstratur.*
12 *Mercad. & Pet. Garsia ab ignoratione linguæ Græcæ decepti sunt in acceptione vocis* conceptio.
13 *Conceptionis terminos Galenus apte non designauit.*
14 *Opinionem cõmuniter in Medicorũ Scholis circumlatã Auctor impugnat*
15 *Aliam Bonauent. adsignantis conceptioni terminum certum explodit.*
17 *Regulariter mulieres plures dies in purgatione absumentes tardiùs concipere notat: & rationem designat à P. Garsia.*
19 *Nec ab his dissentit Vallesius malè perpensus à Bonauent.*
20 *Effluxiones impropriè dicuntur abortus.*
21 *Intellectus ad Nouellã de restitutione & ea quæ parit vnd. mens. cap.2.*
22 *Conceptio & post viri mortem contingere potest.*

NVLLVM negotium sine PERSONA, RE, & hominis ACTIONE explicari posse disertè dixit *Theophilus in princ. instit. de iure naturali gentium, & ciuili.* Vnde omne ius quo vtimur (hominum tantùm causa constitutum) ad PERSONARVM SVBSTANTIAM

(l.quod dicitur, D.de liber. & posthu.) QVALITATEM (vt in *tit. D.de statu homin.)* vel RERVM ACQVISITIONES, ACTIONVMQVE FORMVLAS & NOMINA pertinet, vt cuique iuris ciuilis libros euoluenti in propatulo erit. Personæ (quæ dignior est) propria est ANIMI & corporis tractatio. Et quidē prior Theologos & Philosophos respicit; secunda cōmunis quodammodo Iurisprudentibus, cum ijsdem Philosophis, & rei Medicæ disceptatoribus. Etenim corpori præcipuè insunt SVBSTANTIA & QVALITAS. Substantia verò (quæ omnium prædicamentorum pręcipua est) in CONCEPTIONE, NATALITIO, SEXV, VALETVDINE, AETATE, & MORTE consistit. Nos de primoribus CONCEPTIONE scilicet & NATALITIO, siue partus humani editione acturi tantùm sumus, prout Iurisconsultum decet Philosophiæ nō ignarum.

ET sanè incertæ rei tractationē aggredimur, nostrum, imò & cuiusuis hominum captum superantem: nam vt varium, multiplicem atq; irregularē iam probauimus in *prolegomenis* cū *Hippo.* & *Arist.* partum humanum & nulli cæterorum animantium adsimi-
1 lantem, ita & de conceptione † hominis eiusq; temporibus dicere possumus; cùm enim reliquis animalibus à natura statuta sint tempora cōcubitus, homini soli datum omnibus anni diebus, & quibuslibet diei ac noctis horis coire: cæteris satietas obuenit, homini propè nulla est, vt notarunt sancti *August. Hieron. & Isidor.* relati in *c.nuptiarum.27.q.1.* & in *c.origo.32 q.4.* & in *c.non solùm, in fi.ead.causa.q.7.Iac. Pontan.l.3.symb.ad Virg.2.Georg. Petr. Greg.syntagm.iuris vniu.li.6.c.26. n.25. Andr.Dalner.de iure hominis p.6.*

HVIVS verò subobscuræ rei cognitio (Iureconsulto apprimè necessaria † vt à die conceptionis firmæ & fixæ 2
partus postea editi menses dinumeret, & naturalem legitimúmq; ab abortiuo secernat: & ad variós alios casus & effectus in *sect.2.* huius *cap.* adnumerandos) à Philosophis & Medicis petenda est. Nostri enim iuris Interpretes rem ieiunè & sub aliorum fide tractant. Fateor Iurisconsulti munus non esse, sed Philosophorum & Medicorum ista exactè prosequi & disputare: eorum tamen notitiam non excusat, qui diuinarum & humanarum rerū eam habere debet, teste *Vlpiano* in *l.10 in fi.D.de iust.& iur.* Nobis ergo ciuilis scientiæ professoribus (vt in *Prolegomenis* notauimus) aditus ad scriptionē & tractationem istam nō præcluditur, quamuis multa in medium adducendorū à Philosophis & Medicis mutuemus, ipsos velut imitati qui nostra huius propositi prosequuntur, & pro libito probant vel refellunt.

SED in hoc fortè an DISPVTATIO ista nostra iuridica (quam ab iniustis possessoribus vindicamus, & eorundē scientiis obiter illustramus) praeponderanda, quòd eam (velut gregatim à Philosophis & Medicis nostra nō callentibus discussam, & à nostris maiori ex parte incognitā, & ob id omissam, aut *summis*, vt est in dicterio, *labris*, delibatam) primi sine DVCTORE ex professo (vt aiunt) pertractauerimus Iurisperitorum more & stylo, nec in hisce contemnendo. Vnde velut iure à candidatis eruditorum quorumq; beneq; morigeratorū animis exigimus, vt in arduis & inuijs nobis quandocūque cespitantibus facilè ignoscant.

PRINCIPIO præmittendum ducimus CONCEPTI, vel CONCEPTIONIS nomen latissimè † patêre, & plu- 3
rib. propriè aptari actionib. principiū generationis præuenientibus, & sigillatim enarratis à *Laurent. Operar. Capiuat. Fernelio* & aliis relatis à nostro

Petro

Petro Garcia de locis affectis disput. 69. *cap.*2. Varia namque nomen hoc complecti ur fœtui contingentia à prima seminis immissione vsque ad generationem, quæ disertissimè præ cæteris prosequ.tur idem *Petr.Garc. d.disp.* 69. *c.*1.

Et sanè eorum plura voluit comprehendere *Ludou.Mercad.* sua illa definitione *lib.* 3. *de mulier. steril. & prægnant. affect. cap.*6. Conceptio *est attracti ab vtero seminis commistio cum sanguinis menstrui puriori parte, in quam locellorum calor natiuus ita agit, quòd viuificato seminis genitalis calore, fœtus demum generatio sequitur.* Quæ sanè definitio dictis à *Plutarcho lib.* 5. *de placitis Philosophorum, cap.* 6. coincidit: & meritò refellitur à d. *Petro Garcia* & aliis nouioribus: cùm supponat in principio semina cum sanguine permisceri, contra placitum *Hippocratis* & cæterorum, qui finita omnino purgatione menstrua, conceptionem contingere verius adseuerarunt.

At definitio ab eod. *Petro Garcia* tradita *d.c.*1. animationi tantùm conuenit (de qua, & huius Auctoris sententia *infr.*§.2.latior erit sermo) nos autem nunc de cõceptione agimus, prout est principium generationis, siue productionis fœtus, & eam cum communiore sententia diuersam facimus à principali animatione, siue animæ infusione, cuius tractationem *d.* §. 2. vt aptiore loco, inimus.

4 Vnde valdè arridet † descriptio *Ioannis Fernelij lib.* 7. *Physiol.* siue *de hominis procreatione, cap.* 8. vt conceptio sit *vteri propria actio, qua fœcundum semen exsuscitatur, & insitum sibi munus reipsa obit & exequitur:* Quam definitionem aptissimè iste comprobat, ducta comparatione à terra fœcunda exceptum semen suo calore fouente, deinde excitante, & ad parturiendum demum impellente. Et nouissimè ista illustrauit *Rodulphus Magister* Archiater Regis Galliarum in *tract. de limitibus partus humani, sect.*1.*cap.* 2. dicens: *Virile semen statim vt emissum est, delatúmque ad os vteri, ac fundum ceruicis, mox eodem muliebre concitato cursu confluit; inde vtrumque pari momento (si futura conceptio est) ad interiorem sinum rapitur: arreptum vterus auidissimè complectitur: sese ósque suum ita coarctans, & sic firmo adhæsu cuncta componens, vt nihil prorsus expiret. Eo pacto non solùm fouet semen, sed etiam ingenita facultate sopitam ac delitescentem in eo potestatem excitat, educítque in actum, quæ verè ac propriè conceptio appellatur. Vt enim ventriculus tractum contentúmque alimentum concoquit, quia propria illius actio esse dicitur, sic vterus insito sibi munere & officio semen attractum contentúmque concipit: ita vt nihil sit aliud conceptio, quàm propria & naturalis vteri actio, qua potestas educitur in actum.*

A quibus facilè quiuis dignoscet differentias inter semen & genituram, & inter istam & conceptum: licèt enim σπέρμα *semen*, & γόνον *genituram* pro eodem sæpe vsurpasse videatur *Hippocr. in lib.de genit. pueri*, & in *lib. de natura fœtus*, & clariùs *Ruffus Ephesius* Græcus Medicus antiquus *libr.*1. *de appel. part. corp. hum. c.* 26. tamen secundùm Philosophos, & eorum principem *Aristotelem libr.*1. *de gener. anim. c.* 15. & iuxta *sup.* tradita, semen est quoddam perfectum ex duobus principiis rerum naturalium constans: genitura verò est principium generationis à perfectis proueniens animalibus. Vel, vt voluit *Galenus* (Hippocratem interpretatus *libr.* 1. *de semine cap.* 4.) semen est quod vasis seminariis adhuc continetur; genitura verò quæ ab vtriusque parentis corpore excidit, & in vterum prolabitur, se-

minis adhuc species seruans. At conceptio vltra progreditur ex *Fernel.* & *Rodolpho Magistro* proximè relatis: iunctis his quæ in adstruenda differentia inter genituram & conceptionem latissimè notarunt *Federic. Bonauent. de partu octomest. libr. 7. c. 94. & seqq. Petr. Garcia. d. cap. 1. Iacobus Guillemaus de generat. titul. de semine, §. 1. fol.* 201.

Id autem omnium potissimè ab ista vera & illustrata conceptionis definitione adnotandum censeo: eam non
5 fieri momento, † quo semen in vtero recipitur, vt est communis adsensus Philosophorum & Medicorum, & eorum Coriphæi *Hippocratis* in *libello de septimestri partu*, vbi ita ait: *Verumenimuerò embryonũ conceptio, & abortus & partus mulieribus in eo tempore iudicantur, in quo & cunctis hominibus morbus, sanitas, & mors.* Ex quibus verbis perspicuum est conceptionem tempore iudicari, si ut abortus & partus, & quiuis morbus, ita vt aliquot diebus quemadmodum & morbus (iuxta communiorem Philosophorum & Medicorum sententiam) contrahatur: & idem innuit *lib. 5. aphor.* 41. & in *libello de genitura*, & *libr. de natura pueri*: *Censorinus* optimè *de natali die, cap. 11. in princ. & in fin.* & disertè probat *Garcia d. disputat. 69. cap. 2. & 3.* ex pluribus, quæ comprobare itidem potuit ab *Auicen. libr. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2.*

Qvin & *Bonauent. lib. 7. de octomest. partu, cap.* 105. hoc probare contendit ex diuinis litteris, *cap. 1. libr. 1. Regum,*
6 † vbi Annam ab Elcana viro suo post aliquem dierum circulum (secundùm istum) concepisse legimus: *Cognouit autem* (ait Scriptura) *Elcana vxorem suam, & recordatus est eius Dominus, & factum est post circulum dierum concepit Anna, & peperit filium.* Quæ verba *Bonauent.* circulum dierum in conceptione absumptorum refert in superhabita *Septuag. Interpret.* versione, καὶ ἐγενήθη τῷ καιρῷ τῶν ἡμερῶν καὶ ἔτεκεν υἱὸν quibus planè verbis *LXX. Interpr.* circuitu dierum textus sacri ad gestationem retulerunt. Ait enim iste vulgatam lectionem Hebraicæ magis conuenire, vt à peritis in lingua sancta didicit. Sed hæc mihi (vti Hebraicæ linguæ ignaro) non probantur: video enim in translatione ex Hebræo Sanctes Pagnini ita legi: *Et fuit, in reuolutione dierum concepit Chanaah, & peperit filium*: vnde *Vatabl. & Abulensis in lib. 1. Geneseos* verba ista interpretantur, vt non statim ac Anna rediit è Silo conceperit, sed aliquot post diebus aut mensibus ab Elcana viro cognita, imò post anni reditum siue reuolutionem, vt ait *Glos. Interlin.* Nil ergo minus probat d. *cap. 1. Reg.* quàm quod ei imponit *Bonauent.*

Ad hæc ipse *Bonauent.* in idem adducit notissimum *Ioannis Duns* (cognomento *Scoti*) locum illum *libr. 3. Sentent. Distinct. 3. qu. 1.* † de conceptione B. Virginis Deigenitrici, Angelorum Reginæ & Dominæ nostræ: *Et si arguatur, quòd ibi fuerit libido, falsum est de conceptione naturarum; licet posset concedi fuisse in conceptione & commistione seminum.* At certè verba ista Theologi, de conceptione quam vocant, hominis efformati, intelligunt contra istum. *Bonauentur.* Et sanè duplicem actionem (quæ sub isto nomine Conceptionis continetur) insinuant, commistionem scilicet seminum (in qua voluptatem *Scotus* concedit) & productionem naturæ virginalis ab omni labe mundam.

Sed etsi ista *Bonauenturæ* non consistant, prænotata tamen *Hippocr.* sententia (adseuerantis conceptionem fixam successiuo tempore fieri, & non iisdem, sed diuersis terminis diebúsve mulie-

8 mulieribus contingere) certissima † est, eámque Medici & Philosophi admirantur & laudant, & ferè omnes sequuntur.

Spatium verò istud dierum, septi-
9 mum † vsque implurimùm protrahitur *ex Hippocrate* in *libr. de septimestri partu*, cui concinit *Aristot. lib. 7. de hist. animal. c. 3.* vbi *Si semen* (inquit) *in septimum diem intùs permanserit, conceptum esse iam certum est.* Eundemque dierum periodum conceptioni tribuisse videtur *Plin. lib. decimo nat. hist. capite* 63. ita scribens: *Et mulier septima die concipere facillimè creditur.* Censori. *de die natali ad Q. Cærellium, d. cap. 11. in princ. & fine.* Sed & *Marc. Varronis* hæc fuit sententia. *A. Gel. li. 3. noct. Attic. ca. 10.* ita referente: *Ad homines quoque nascendos vim istius numeri* (loquitur de septenario) *porrigi pertineréque ait M. Varro: nam cùm in vtero mulieris genitale semen datum est, primis septem diebus conglobatur, coagulatur, fitque ad capiendam figuram idoneus.* Et eã ex pluribus (quibus non immoror) post *Vallesium de sacra philosophia cap.* 8. comprobat doctissimus *Pet. Garcia* cum cõmuni Philosophorum & Medicorum Scholâ *d. disput. 69. ca. 3. n. 9.* & ex nostris *Adrian. Negusan.* nouissimè *in sylua respon. q. 400. nu. 52.*

10 A quibus venit refellendus † *Ferdin. Mena*, qui *in comment. ad lib. Hippoc. de partu septimestri, comment. 7.* cõceptionem momento ipso fieri, quo semen recipitur in vterum, malè putat; & in eodem fermè errore versatur *Ludou. Mercad.* dum *lib. 3. de mulier. affect. c. 6.* ita ait: *Cùm verò seminalia hæc recrementa in vtero constiterint, atque etiã intra septenas horas post eiaculationẽ in effusionem relapsa neutiquam fuerint, si vteri calore conseruentur, regantúrque, cõcepisse fœminam credendum est.* Quæ
11 sanè à *Macrobio* (malè † percepto desumpsit in *libr. 1. in somn. Scipion. cap. 6.* eius verba sunt. *Hoc tamen prætereundum nõ est, quia semen quod post iactum sui intra horas septem non fuerit in effusionem relapsum, fuisse in vitam pronuntiatur: verùm semine semel intra formãdi hominis metam locato, hoc primùm artifex natura molitur, vt die septimo folliculum genitiuum circundet humori, ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriori testa clauditur, & intra se claudit liquorem. Hoc cum à Philosophis deprehensum sit, Hippocrates quoq; ipse, qui tam fallere quàm falli nescit, experimentíque certus asseruit, referens in libro qui de natura pueri inscribitur, tale seminis receptaculum de vtero eius eiectum, quale septima post conceptum die intellexerat.* Quæ planè demonstrant *Macrobium* Hippocratis sententiæ & doctrinæ de conceptione adhæsisse. Et quod ait, semen intra septem horas à iactu non relapsum in vitam hærêre, referri quidem nõ posse ad conceptionem perfectam, sed perficiendam. Et concepti nomine in finalibus verbis *suprà* relatis τὸ κύημα, id est, fœtũ seu germen intellexisse, non verò præuiam cõceptionem. Ni mauis verba illa, *Septima post conceptum die*, coniunctim sumere, & dictioni masculinæ *conceptum* subaddere, vel subaudire *existentem*, aut *contingentem*; vt sit sensus, post conceptum septimâ die cõtingentem id ab vtero eiectum, quod Socrates experimentis iam edoctus præcogitauerat. Quòd verissimum puto, ne aliàs Auctor iste sibi non constet in præcitatis verbis.

Etenim *Mercad.* supr. & nouissimè *Pet. Garc. d. disp. 69. c.* 1. decepti † sunt, 12
dum existimauerunt conceptionis nomen à comprehẽsione tantùm ductũ, idq; *Galenum* affirmasse *libr. 1. locorum commun. cap.* 18. quo loci in Græco originali ait: συλλαμβάνει τὸ σπέρμα, &c. (à quo σύλληψις) quam Latinus interpres optimè *conceptionem* appellat (vt

ex *Budæo* nostro *in commentar. linguæ Græcæ*, quàm aptissimè comprobatur) addens de suo, vt sese magis explicaret verbũ *comprehensionẽ*: quòd istis (alioquin magnis in re Medicâ viris) latè diuagãdi, errandíque causam præbuit. Sed cùm ista adstruimus, non ideò negamus conceptioni comprehensionẽ conuenire (vt voluit idem *Galenus lib. 1. de semine, cap. 4.*) sed & vltra extendi eam à suprà dictis clarè elicimus, & constanter adseueramus.

13 SED nec feliciùs † terminos conceptionis absoluerat ipse *Galenus lib. 1. de semine, ca.* 8. ex dictis facilè explodendus.

14 SVB hęc audiui, in Medicorũ † Scholis validâ opinione circumferri & approbari illã distinctionẽ, quæ habet, omnes conceptionis actiones (vt quæ successiuæ sunt) in tẽpore fieri, conceptionẽ verò (quę in vnione animæ cõsistit) mométo cõtingere, & quidẽ breuissimo tẽpore post seminũ cõmistionẽ vtero illicò operari incipiẽte. Et in hoc sensu accipiẽdos *Menam* & *Mercad.* sup. relatos. Sed certè ista sentẽtia (quam placuisse video *Petro Garcia in Auic. disputat.* 38. *cap.* 1. & 2. & deinceps aliis *in hoc c.* §. 2. referendis supponit conceptionẽ præcociorem contra *Hippocr. Aristot.* & alios primæ notæ. Et quod plus est animæ rationalis cum priore conceptione simultaneam infusionem, quod *in d.* §. 2. nos, *Aristotelem, D. Thoma*, aliósque insignes Philosophos secuti, refellimus. Insuper negat primam fixam, stabilémque cõceptionem principium generationis constituentem, quam nunc cum *Hippocr. Aristot. Plinio Censor.* sup. & aliis relatis adstruimus, & de qua re vera loquitur *Mercad.* suprà: etsi *Mena* (impugnandus *d.* §. 2.) prædictæ distinctioni & adsertioni primus omnium causa dederit.

Sententiâ ergo *Hippocratis* & cæterorum retentâ, cùm *Bonauent.* † *libr. 7. de octomest. partu, cap.* 105. considerasset, id quod secundùm naturam est, ordinem semper habêre (vt ait *Arist. lib. 3. de gener. animal. c.* 10.) & generationis opus naturalissimum esse (teste eod. *Philos. de anima lib. 2. text.* 34. inde consequens fieri putauit, vt conceptio (quæ generationis est principium, & maxima eius pars) summum etiã à Natura ordinẽ debeat sortiri, ita vt cõceptionis dies eius lege sint definiti. Et subinde asserit, hoc Naturæ arcanum Hippocratẽ aperuisse in *d. libr. de septimestri partu*, illis verbis: *Oportet mulieri tẽpus dare mensis, in quo ipsi solet purgatio contingere*, quæ de tẽpore ad concipiendũ & ad absoluendã conceptionẽ à Natura datũ intelligit: & subdit *Hippocratem* (qui antea in eodẽ libro edixerat: *Plurimis mulieribus esse necessarium in ventre concipere post menstrua purgamenta*) magnũ Naturæ arcanum præcedentium verborum aperuisse, id est, mulierem post tot dies concepturam postquam semen vtero susceperit, in quot solent ei fluere menstrua. Et exemplo esse eam ait, cui tribus diebus purgatio durat, quæ si cum viro coierit, geniturámque susceperit & retinuerit, tertia die concipiet, nõ primâ, secundâ, aut quartâ. Cùm autẽ nõ omnibus idẽ tempus purgationis sit, sed aliæ pluribus, aliæ paucioribus diebus liberentur à mẽstruo, inde fit à nouissima huius Auctoris doctrina, vt aliæ seriùs, aliæ ocyùs pro menstruorum ratione concipiant ex eodẽ *Hippocrate*, id clarè, vt iste vult, illis verbis denotante: *Et non est possibile in paucioribus partibus fieri, nec menstruorum solutionem, nec fœtuum conceptionem.* Et demum concludit, quòd cùm menstrua septem dies implurimùm durent, hinc regularis conceptio illum vsque protrahatur dierum terminum.

Sed ista sustineri non possunt; nullus

lus enim præter *Bonauent.* similem legem & proportionẽ excogitauit conceptionis cum menstrua euacuatione; hæc namque longissimè distant, & à diuersis principiis proficiscuntur, quia euacuationis menstrui maior duratio à redundantia sanguinis simul cũ maiore, aut minore viarum apertura prouenit; conceptio verò præcotior aut serior (vt latiùs illicò probabimus) virtute vteri fortiore aut debiliore, & maiore simul aut minore eiusdem fœcunditate innititur. Quid ergo ista inter se habent commune? Ad hæc verba illa Hippocratis: *Oportet mulieri tempus*, &c. nõ video quo pacto *Bonauent.* suæ confictæ propositioni & proportioni adaptari potuerit contra omniũ mentem, & eorum apertum cõtextum & sensum inferiùs expendendum. Illis verò *Hippocratis*, *Et non est possibile in paucioribus partibus*, &c. vim manifestam infert, longè enim diuersum habent sensum, quippe loquitur Sapientiss. Senex de annis ætatum (quos vocat partes) in quibus mulieres concipere possunt, & eos dimetiendos docet à duratione menstruę purgationis, & hoc quidem non in particulari, sed generali quidem & absoluta regula est intelligendum.

16 Vnde tu cum communiore † Philosophorum & Medicorum assensu, quem aliàs optimè confirmat *Petrus Garcia d.q.69.cap.3.nu.*11. præpositam quæstionem negatiuè resolue, & securè tene, nullum certum & fixum à Natura in conceptione tempus constitutum: quæ cùm ad septem dies inplurimùm, vt prædiximus, differatur, plures tamen inesse possunt causæ, ob quas plus minúsve retardetur, prouenientes à maiore aut minore seminis, vterique virtute ac fœcunditate (vterus enim à Natura tale necessarium agendi principium in se habet, vt semen eo omnino egeat ad summum opus perficiendum, *Garcia* post alios *d. disput.69.cap.2.n.6.* iunctis his quæ latiore sermone prosequemur infra in *cap.20.*)

Et ab hisce ego aptè elicio meritò *Sextum Empyricum lib.5. aduers. Astrologos* impugnasse Horoscopi constitutionem à Chaldæis obseruatam in iudiciis quæ super partubus à cõceptione edicebant, cùm ait: *Ortum eorum, qui cadunt sub considerationem, aut ab ipso initio sumunt, aut à deiectione seminis & conceptione, aut à partu. Sed à seminis quidem deiectione & conceptione nequaquam dicent: exactè enim comprehendi non potest eius tempus, & meritò. Nec enim possumus dicere, an simul cum deiectione seminis facta fuerit cõceptio, an non. Potest enim hoc euenire, vel cum sola cogitatione sicut adeps, quæ ardentibus clibanis est immissa, nã statim conglutinatur. Potest etiam post aliquot tempus: nam semina etiam, quæ iaciuntur in terra, non statim agentia radices connectuntur cum subiectis cespitibus. Et cùm sit interuallum ab ore matricis vsque ad fundum (in quo dicũt Medici fieri conceptus) seminis quæ deijcitur natura, vt omnino in aliquo tempore hoc spatiũ conficiat, oportet. Qui hoc autẽ ignorãt Chaldæi, nempe quanto tempore hoc fiat, nunquam perfectè comprehendunt conceptũ. Nam cùm semen quidem aliquando rectà iaciatur, & in ipsos locos matricis incurrat in his qui apti sunt natura, aliquando autẽ sparsim incidat, & in ipsa matrice nõ possit in vnũ locũ cogi est ignotũ quãdo fiat primũ, & quando secundũ, & quantum temporis consumatur in illa conceptione, & quantum in hac. Ea autẽ si ignoretur, perit etiam & exacta comprehensio cõceptionis. Etsi, vt nonnulli dicunt Physici primò coctũ, & prius mutatũ semen in matrice, tunc accedit ad reserata eius vasa, hinc nescientes quanto tempore fiat mutatio, nec sciẽt etiã tẽpus conceptionis. Praterea sicut in reliquis*

partibus corporis in partium operationibus differunt inter se mulieres, ita etiam verisimile est eas differre in operatione matricis, vtpotè quia aliæ quidem citiùs, aliæ tardiùs concipiant. Nec verò est admirabile, si etiã sibi ipsis comparatæ, nũc quidẽ cernantur faciliùs, nunc verò difficiliùs, aut nõ omnino cõcipere. Hoc autem cùm ita se habeat, planè fieri non potest, vt accuratè, exactéque dicatur, quãdo semen deiectum sit retentum: vt ex eo tempore ortus Horoscipicum constituant Chaldæi. Hactenus *Empyricus* (à nemine corũ, quos viderim, citatus) disertè incertum conceptionis prosequutus.

Hæ autem causæ ab *Empyrico* expensæ, & aliæ similes ita possunt esse ad citiùs agendum dispositæ, vt quàm breuissimo tempore fixa conceptio contingat, sicuti in viridibus palmitibus, aliísque delicatioribus videmus lignis, quæ à magna vastáque ignis deuorantis mole quàm citissimè absumuntur, & ignis fiunt: & hóc sanè casu saluari potest ab *Empyrico* in prioribus verbis proximè relatis propositum. Id quod mirè comprobatur ab his quæ disertè adnotauit *Anto. Ponce SanctaCruz* Protomedicus & à cubiculo Regis Catholici *in sua philosophia Hippocratica*, seu *Commentar. ad libr. Hippocratis de diæta, in comment. super text.* 1. & latiùs *super text.* 43.

Quod si adsuetum rerum ordinem
17 attendas, regulam † saltem illam (cum *Hippocr. d. lib. de septim. partu*, in verbis his suprà relatis. *Oportet tempus dare mensis*) constituere poteris, vt plures dies in purgatione absumentes tardiùs concipiãt, pauciores verò breuiore tempore. Cuius rei ea ratio est ex *P. Garcia* sup. *Quia ad formationem substantialem oportet facultatem formatricem vincere sanguinem, quam victoriã in tẽpore contingere constat: est autem ille materia; quò autem copiosior est purgatio, diutius durat pugna, minus verò cùm fluxus sanguinis minus durat; nam quò diutius durat, solet esse copiosior, & consequenter materia frigidior, & magis resistens transmutationi: quò autem minus durat minor materiæ copia, est calidior, & sic minus resistens.* Ab his tamen in necessariam prolabi proportionem cũ *Bonauent.* & tot dies conceptioni dare, quot in menstrui fluxu excurrunt, merum figmentum & deliriũ est: *Cum hoc possit* (ait *Garcia* suprà) *habere variam agendi vim, vt si mulier, cuius menstrua purgatio fuit longioris temporis, coeat cum viro, cuius semen habeat maiorem actiuitatem, quàm aliud, possit conceptio fieri eodem tempore, quàm mulier breuioris purgationis, si coeat cum viro minoris virtutis.* Et ab hac verissima consideratione veniunt concilianda diuersa loca *Hippocr. à Garcia.* relata, *d. disput. 69. c. 4. in princ.*

Cùm autem in naturæ arcanis hæc ita sese habeant, tẽporibus tamen *Hippocr.* nostrísque & omnibus experientia docuit, fixam certámque cõceptionem implurimùm ad septimum vsque protrahi † diem à seminis eiaculatione, etsi ocyùs aliquando contingat, vt iam adnotauimus.

Et inde securè venit interpretandus *Hyppocr. d. lib. de septimest. partu*, dum ait: *Abortus plurimos intra dies septem fieri, quos propriè ἐκρύσεις id est, effluxiones, non abortus oporteat appellare:* quasi diceret: Cùm antè diem septimum conceptio implurimùm non fiat, ideò eam vteri deperditionẽ, quæ ad diem vsque septimum contingit, non propriè abortum, sed effluxum appellandam. Quod disertioribus verbis docuit Philosophus *d. lib. 7. de hist. animal. ca. 3.* vbi post illa verba (iam sup. relata.) *Si semen in septimũ diem intus permanserit, conceptum eam esse certum est,* paulò inferiùs subdit: *Effluxiones vocãtur, quæ intra septimũ diem corruptiones incidunt; abortiones autem, quæ intra*

quadra-

quadragesimum. Et quidem plurimi fœtus intra tot numero dies deprauantur. Nomina ergo ista ἔκρυσις,& ἔκτρωσμος siue τρώσμος (quibus Hippoc.& *Aristoteles* præcitatis locis vtūtur) sic distinguenda sunt(ac fecerunt *Henricus Stephanus* & alij posteriores lexicographi) vt deperditiones conceptus, quæ intra sept.mum diem contingūt ἐκρύσεις i. EFFLVXIONES vocitemus(quod mirè comprobabis ex traditis à *Ioanne Gorrœo in definitionibus Medicis*, verbo ἔκρυσις) quę verò post septimum ad quadrag.simum vsq; diem eueniunt, ἐκτρώσμους, siue τρώσμους appellemus,id est ABORTIONES vel ABORTVS. Qui (vt ait *Hippocr.*sup.in primo quadragenario crebriores sunt: *Quisque enim* (ait)*primos quadraginta dies transmiserit, abortus effugit ex omni causa contingentes,plures autem fiunt in primo quadragenario abortus, quàm aliis diebus.* Quod nos quidem latiore prosequemur stylo in *cap.*16.

Et certè prædicta mirè prosequitur
19 & cōfirmat † noster *Francisc.Vallesius in sacra philosophia d.ca.*18. post princ. cui *Bonauent.d.lib.*7.*c.*107.sinistrè imponit,septimam à seminis eiaculatione atque à conceptione diem confundisse, & putasse post conceptionē factam ad diem vsque septimam effluxionē durare: cùm enim *Vallesius ait: Septimam diem certam firmámq; iā perfectæ conceptionis notam præstare*, certè intelligit conceptionem regulariter septima die perfici, nec antea hoc nomē mereri: quod clariùs expressit paulò inferiùs,dicens,conceptionem certam septem dierum esse, & quod immissum in ventrem in certam firmámque conceptionem non peruenit intra septem dies effluere & perire. Omitto nunc quæ idem *Valles.* de delineatione à *libri de carn. Auctore* deduxit & tradidit inf.*hoc cap.*§.1.& 2. examinanda.

Illud autem prætereundum non est,
huiusmodi effluxiones impropriè † & 20
largo modo ABORTVS à Physicis appellari, exēplo Hippocr.eorum Antesignani, qui d.*libr.*1.*de septim. partu*,eas hoc nomine cohonestauit, licèt illicò sese correxerit, aut declarauerit, dum ait: *Nam plurimi abortus in his diebus* (scilicet intra septimum)*fiūt:nominantur autem tales* EFFLVXIONES,*non* ABORTVS: & ita effugies cōtradictionem quam aliqui hoc casu inter Hippocr.& *Arist.* insciè confingunt.

Remanet ergo ex prædictis satis superque probatum, non statim à seminis effusione conceptionem regulariter perfici, sed seriùs aut ocyùs intra septimam diem pro temporis nimirum ratione, in quo menstrua obueniunt & fluunt, & pro qualitate seminis,vteríque fœcunditate, cum cęteris suprà adductis.

Et ab hac resolutione pendet vera
ratio † *text.in authē.de restit. & ea quæ* 21
parit in vnd.mense(quæ est *Nouel.*39.*c.* 2)in illis verbis: *Nōdum enim completo anno, vndecimo mense perfecto peperit,vt non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus.* Quæ à contrario sensu (vt diximus in *Prolegomenis*) clarè demonstrant, natum sub initium vndecimi mensis legitimum reputari. Quæ fuit sententia *Glos. in l. Gallus*, vbi *Bart. Socin. & alij* existimāt natum post decimum mensem & duos dies à morte viri legitimū esse. Nā etsi cōcedamus partum vltra decimū mensem protrahi non posse ex communi sententia(à nobis examinanda in *cap.*14.) natus tamen post decimum mensem & duos dies sequentes ab effusione & commistione seminum: quin & vsque in diem septimum, legitimus & conceptus intra eundem decimum mensem æstimandus est, vt notabimus in dict.*cap.*14. impugnantes contrariam sententiam Hieronymi *Tornelij in quæ-*

stion.ad l.Gallus : & limitationem examinantes *Menochij lib. 2.de arbitrarijs, casu* 89.*num.* 48. Interim sat sit adnotasse conceptionem regulariter à septimo die computandam, vt numerus iste dierum à decimo mense, & quolibet alio partus legitimi, sit subtrahendus, si computationem in easà die eiaculationis seminis.

Demum ex dictis elicies, *Federicum Bonauenturam* omnium (quos ego viderim) primum egregiè adnotasse in *lib.9.de partu octomestri cap.*51. conce-
22 ptionē post mortem † viri fieri posse. Quod tunc maximè eueniet, cùm vir subitò moritur: vel repentè fuit occisus : vt in simili dixerat *Menochius d. casu* 89.*nu.*48. Cùm enim conceptio aliquibus abinde diebus, seminū commistionem subsequentibus, contingat vt ex *Hippocr. Aristot.* & aliis adnotauimus & post eundem *Aristot.* & alios antiquos sensit reuera *Plutarchus de placitis Philosoph.lib.*5.*cap.*6.) inde velut euidens fit conceptionē post mortem patris posse patrari sæpè & sæpiùs ex *Bonauentura* suprà relato.

SECTIO I.

De signis conceptionis.

SYNOPSIS.

23 *Signum naturale conceptus ab Aristotele , & antea ab Hippocrate depromptum refertur.*

24 *Signorum conceptus comprobatio vix fieri potest , vt à declaratione prægnantis non dependeat.*

25 *Mulieres circa conceptionem facilè, paßimque falluntur.*

26 *Menstrui cessatio signum est conceptionis , sed fallax.*

27 *Alia signa à maculis in facie , vertigine oculorum , &c. refert à Philosophis & Iurisprudentibus eáq; simul explodit Auctor.*

28 *Aliud ab intumescentia ventris. Et nu.*29.*aliud ab eius motu adducit, & vtrumque refellit.*

30 *Aliud à lacte in mammillis expedit, sed nec fixū firmúmq; esse demonstrat.*

31 *Improbatur Pater Poza, qui in lactatione Annæ miraculum , & quidem magnum supponit. Et itidem num.*32. *dum miraculosiorem eam facit quàm* MARIÆ *Reginæ Angelorum Dominæque nostræ.*

33 *Nullum signum proprium & certum conceptionis datur.*

34 *Ex propositis vsquedum signis & indiciis coniecturæ cōceptionis oriuntur. Et num.*35.*(nouam viam Auctor aggressus) earum rationem init.*

36 *Obstetricum manus sæpè falli notat.*

37 *Earum artem primis mundi exercitam temporibus commendat : & alia de obstetricibus notanda adducit.*

38 *Obstetrices iuratæ debent deponere de mulieris conceptione.*

39 *Virginitatis probatio obstetricum adsertionibus committi non debet.*

ABSOLVTIS his quæ ad certam, fixámq; conceptionē spectāt, ad signorum eiusdē scriptionem ex ordine deueniendum est. Hanc Philosophi & Medici , quin & nostri ex professo tractarunt , vt clarè demonstrant tradita ab *Arist. libr.*7.*de hist. anim.c.*3. & 4.*Plin.li.*7.*c.*6. & prius ab *Hippocr. in lib.de genit. Auic.li.*3.*fen.* 21.*tract.*1.*c.* 11. A quo multa sunt mutuati Neotericí, maximè *Ambros.Pareus libr.* 23.*c.* 23. *And. Laurent. de hist.anatom.li.*3.*c.* 4.*ad fin.* nouissimè *Ioā.Heurn. Institut. Medic.lib.*5.*de homin.procreat.* & *Iacob. Guillemaus in li.de regim.mulieris temp. prægnat.* (Gallorum vernaculo stylo cōscripto) c.1. Et ex nostris (post antiquos & omniū præcipuū *Rofred.* super Edicto, *Si mulier ventris nomine in possessionem mittatur* ista latè prosequitur *Ioan.*

Io.Cagnol.in l.si prægnãs 42. *D.de euict.* & in *l. si quis prægnantẽ* 187. *D.de diu. reg.iur.Tiraquell.Bess.Ioseph.de Rustic. Menoch.Masc.Alex.Raud.Mar.Giurba* cum aliis inferiùs referendis.

Sed omnium potissimum, & quod attinet ad causam naturalem certius
23 firmiúsque † signum notasse videtur *Arist.li.7.de hist.animal.d.c.3.* docens, quòd *in septimum diem intùs genitura permanserit, manifestum est mulierem concepisse.* Aptiùs (& Græcis illis ἐὰν δ' ἑπτὰ ἐμμείνῃ ἡ μέρας, φανερὸν ὅτι εἴληπται) *Iul. Cæsar* Scaliger: *igitur si septẽ diebus contineatur, manifestum indiciũ est conceptionis.* Et sanè hoc idem signũ precisiùs antea videtur fecisse *Hippo. in d.l.de genituræ,* dicens: *Si mulier aliquãdo partum experta fuerit, & aduertit quando genitura non excederit, sed intus remanserit, tunc enim scit qua die conceperit.* Vnde *Galen.lib.1.de semine, c.2. Dixerunt mihi mulieres, vbi semen conceperint, quandam se in vulua motionem sentire, quæ quasi conuellat ac paulatim in se illam contrahat,* &c.

Sed cùm huius signi & consimilium
24 probatio vix † fieri possit, vt à sola mulieris declaratione non pendeat; ei verò asserenti se prægnantem esse credẽdum non sit, cùm in suo deponat (vt nostri aiunt) facto, & ex propria asseueratione commodum reportare curet, vt aliàs aduertunt *Iurisconsulti* in pluribus responsis sitis sub titulis *D. de inspic.vent.custod.partu,* & *D.si ventrisnom.mul.in possess.miss.* & *D.de vent. in poss.mit.* & notarunt *Angel.in l.illud D.si pars hæred.pet. Mar.Giurba* (post *Paulum* & *Ioseph.de Rusticis*) *in consu. Messan.c.8,1.par.gloss.2.num.5.* Cumq; mulieres in assertionibus istis sibiipsis
25 non constent, & passim fallantur, † *l. 1.§.si mulier, D. de liberis agnosc.l.1.§. per calumniam, D.si mulier ventris nomine, Bart in l.Gallus, nu.14. D.de liber. & posth.* & ibi *For.Gar.n.117. Pet.Gilk. n.61.* cum aliis relatis à *Giur.* & nouissimo *Paulo Zachia in suis Medico-legal. tit.2.qu.2.* (etenim genituram affluentem sæpè mulieres non sentiunt, & ex contrario multæ eis superfluæ humiditates, quas genituram putant, eâ retentâ præterfluunt, vnde conceptionẽ sæpè & sæpiùs non sentiunt, vt post *Boer.decis.220.* in fine dixit *Ioseph.Ludou. in commun. conclus. tit. de nato in octauo mense, conclusione vnica.*) Ideò ad alia signa conceptionis externa eã apertius indicantia nobis confugiendum videtur, præsertim in primoribus concepti diebus (quo casu loquuntur *Hippocr.* & *Arist.* suprà) tunc enim nil certi hac in re extrinsecus datur, vt post *Rofred.* sup. & alios antiquos adnotauit *Cagnol. in d.l.si quis prægnantẽ 187.D.de diuers.reg.iur. Menoch.cons. 284.num. 42.lib.3.*

Et sanè illud primo loco externorũ conceptus signorum, nec contemnendum videtur, quod à menstrui † cessatione nostri desumunt, maximè *Rusti.* 26
& *Pacia* relati à *Giur. d.gl.2.n.9.* Quod tunc forsan validius erit, cùm aliàs fœminæ menstrua nunquam deficerent, & bono fuerit habitu corporis à morbis (qui detentioni menstruæ causam præbere solent) liberi. Sed hoc fallacissimum est, quãdoquidẽ sæpius eueniat, menstrua extra conceptũ sistere: & eo subsequuto, itidem effluere, vt variis auctoritatibus Philosophorum & Medicorũ comprobat *Tiraq.in l.si vnquã, verb. susceperit liberos, n.210.C.de reuoc.donat. Alex.Raudensis de Analo. l.1.c.30.n.31.* Optimè *Ioan.Schenchius l. 4.obserua.tit.de cõceptione:* vbi ab *Hippocrate* refert historiã vxoris Gorgiæ; quæ cum quatuor annis purgationis esset expers, postea concepit. Deq; his mulieribus *Arist. lib.7. de hist. anim. c. 2.* acutissimè dixit, tunc concipere, cùm tantum collegerint humoris, quãtum ijs, quæ purgantur, ad aptã conceptio-

nem restare solet. Deniq; de isto & similibus signis *Sext.Empyr.l.5.adu. Astrologos* ita in proposito edisserit: *Sed nec dici potest, quòd tempus conceptus comprehendi possit per aliqua signa, vt ex quo post coitum exsiccati sunt sinus muliebres, aut obstructum fuerit os matricis, cessaritque menstrua purgatio, pica autem aduenerit. Nam primum quidem hæc quoque omnia signa communia sunt his quæ non conceperunt.*

Sub hæc *Mar. Giurba* sup. ex *n.*10. ab aliorum Iuris Interpretum placito alia quædam conceptus dinumerat
27 † signa: vt si mulieres faciei maculæ (quas nos *Paño* appellamus) superueniant. Si res insolitas, quas comedere nõ liceat, appetierit. Si vertigines oculorum, pallores, aliáve similia passa fuerit: nam vt dixit *Plin.lib.7.d.c.9.* in princ. *A conceptu decimo die, dolores capitis, oculorum vertigines, tenébraque fastidium in cibis, redundatio stomachi, indices sunt* HOMINIS INCHOATI. Sed & signa ista optimè ex *Galeno* & alijs velut perfunctoria explosit *Paul. Zacch.in Medico-legalib.tit.3.q.2.n.33. & 35.*

Vero autem proximius iudiciũ siue signum forsan videbitur, si venter (vt notat *Arist.lib.7.de hist.anim.d.c.3.*) in
28 bona valetudine crescere † & intumescere incipiat (ab hoc namque signo *Plaut.in Truc.actu 1.scen.2.vers.95.* ita arguit:

Quæ nunquam fuit prægnans, quî parere potuit?
Nam equidem vterum illi nunquam extumescere sensi.

Et Ouid.epist.11.

Iamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Ægráque furtiuum membra grauabat onus.

Sed & ab his metaphoricè Iurisc. *Alfenus in l.si quando 7.D.si seruit.vendic.* parietem procũbentẽ VENTREM facere dixit) ¶ Istiq; consimile signũ est, si mulier in vtero fœtũ moueri † sen- 29
tiat, & motus iste ab aliis itidẽ percipiatur. Hoc.n. post perfectã cõceptionem euenire, quin & post partus animationẽ supponit *tex. in c. quod verò, iunct.glo.32.q.2.Cagn.* cũ *Bossio* & aliis relatis à *Giurba d.c.8 glo.2. n.13.*

Sed & signa ista elusoria inueniet, quisquis à Medicorum passim obuiis scriptis adnotauerit, vẽtris tumorẽ sæpe à mala mulieris dispositione prouenire. Quia & à violentis medicamẽtis à fabulosis & deceptricibus muliierculis adhiberi solitis, his, quæ magno conatu filios cõcipere & edere curãt, inhiantq;. Videmus itidẽ tumores istos multoties à mẽstrui insolita retẽtione prouenire, & 10.11. aliisq; vlterioribus mensibus aquosi & retẽti humoris superueniente prolapsu euanescere: vt de Maria Angliæ inclita Regina Prudentis Philippi II. Regis Dominiq; nostri vxore *testatur Mencha.lib.2. de success. creat.§.20.n.114.*

Nec quicquã iuuat humores à vero cõceptu alienos morbosos esse & plenos fastidij; in grauidatione verò naturali nullũ malum in vtero sẽtiri, ex quo in vtero existẽs, pars est viscerum matris, *l.1.§. ex hoc rescripto, D.de vent. insp. d.l.si prægnans, vbi Gl.D.de euict.*

Et sua cuiq; homini nullo sunt pondere membra,
Nec caput est oneri collo, nec deniq; totũ
Corporis in partib⁹ põdus sẽtimus inesse.

Nã & prægnationes primis præcipuè & vltimis tẽporibus graui sunt oneri, & primiparis inplurimũ toto gestationis tẽpore. Adhæc plures mulieres luxuriantis & lasciuientis naturæ tumores aquosos in vẽtre patiuntur, qui nõ tantũ cuiq; rei agendæ impedimẽto nõ sunt, quinimo tale quid passæ expeditiores, saniores, robuitioresq; sese eo tẽpore sentire prædicãt. Aliæ insuper conceptũ medicamentis affectantes

tes præ nimio desiderio & affectu nil ponderis sentiunt. Quòd si instes, humorē extra prægnationē prouenientē vel durū esse vel improuisum: vtpotè procedentem à viscerum scirrho; vel mollem & expeditū, vt qui ab hydropesia producitur, grauidationis verò acutū esse & paulatim crescere: respōdet (& quidem rectè) *Zacch. in Medico-legal. tit. 3. q. 1.* hac subtilitates & speculationes facilè in libris explicari, in practico verò vsu neutiquā inueniri, quin potiùs omnino euanescere.

Quod verò attinet ad motum in vētre contingentem, *Mar. Giurba, sup. d. nu. 13.* ex *Galeno*, affirmat, id etiam euenire posse ratione alicuius ventositatis (vt iste ait) quæ etiam in corpore mortuo motus causa est, vt disertè notauit *Bart. in tract. testim. Ioan. Langlois q. 19. decis. 1. n. 2.* Et ex *Bossio* comprobat *Mascar. concl. 1147.* illis verbis: *Euenire potest illam quæ asseritur fuisse prægnantem, habuisse vētrem durum & tumefactum ex aliquo morbo, vt in multis videre est, quæ non sunt prægnantes. Præterea si inspexerint & tetigerint vterum tectum veste, vel etiam interula, potuit enim mulier aliquo superimposito reddere vētrem suum tumidiorem. Nec plena fides eis esset adhibenda, etiamsi dicerent dum tetigerunt, se sensisse puerum in ventre, & ita mouendo dicere tangenti,* SENTIS NE? *& eam inducere ad credulitatem. Et minus ei esset credendum, si tactus iste esset factus instante ipsa muliere. Et minus etiam quando apparet ex processu ipsam fuisse solicitā circa hoc, scilicet vt tangeretur. Etenim credibile est, eam omni actu vsam fuisse, vt se grauidam fingeret, & maximè tunc temporis dum volebat tangi, omnes artes parasse, quo tangentes induceret ad credendum grauidam esse.* Et post alios ita nouissimè notant *Hadri. Negus. in sylua respon. d. q. 400. n. 103. Paul. Zacch.* post *Fortunat. Fidel.* & alios in *Medico-legal. tit 3. q. 2. num. 40.* vbi plurimos fuisse grauidas attestatur septimum mensem prætergressas, conceptum, ab immotione, ignorantes. Idque sæpè & sæpiùs harum rerum experientiam demonstrasse.

Omnibus demum insignius & firmius signum esse videtur, si mammillas tumidas, & lac † simul in eis mulier denuò habere incipiat, maximè 30
accedente ventris tumore, & eius augmento vltra procedente, vt post *Bald.* & alios notat *Menoch. lib. 1. præs. q. 3. n. 3. Giurba d. glossa 2. n. 7.* His addo *Sextum Empyricum* (alia signa suprà, vt vidimus, irridentem) istud tantùm (post plura, quæ de signo in genere disseruerat) approbasse *aduersus Mathematicos lib. 2. de Philosophia*, his verbis: *Oportetque signum non solùm esse antecedens in recto connexo, sed etiam habere naturam quæ appareat, ac releuet id quod desinit, seu consequens, cuiusmodi est in his connexis:* SI ISTA HABET LAC IN VBERIBVS, CONCEPIT, &c. Etenim citra venereum coitum nunquam lac haberi posse firmauit *Artemidorus lib. 1. Oneirocriticorum, ca. 17.* dicens: οὐ γὰρ ἄνευ συνουσίας ἀφροδισίου γάλα ποτὲ σχεῖν. Sed veriùs est, signum istud ac cætera suprà enarrata fallax esse: nam & in mulieribus natu maioribus conceptioni ineptis lac exuberans aliquando *prodiit*: *& tanta copia* (vt ait *Philosophus lib. 3. de histor. animal. cap. 20.*) *vt infantem enutrire potuerint.* Idemque accidit virginibus, *Ioubertus lib. 5. errorum popul. cap. 3. Andreas Laurentius lib. 8. de hist. anatom. q. 2. Nacel. in analogiis, Micro. ad Macrob. lib. 4. c. 5.* Imò & maribus, *Arist. d. c. 20. & lib. 1. eiusdem historiæ, cap. 12.* Faciunt tradita ab *Hippocrate sectio. 5. aphorismo 39.* cum aliis adductis à *Zachia suprà n. 21.* Qui *nu. 26.* rectè respondet obiicientibus, lac istud virgineum & simile boni lactis

conditione destitutum, & quantitate modicum: dicens, hoc ipsum sæpè euenire prægnantibus, ex *Galeno lib.1. de sanit.tuend. cap.6.* Et ego addo ab hac obiectione liberum esse omnino casum mulierum natu maiorum, ex *Aristot.lib.3.de hist.animal.d.c.20.* expensum. Qui nisi obstaret lac aliàs albedine, crassitie, cæterísque qualitatibus & conditionibus constans, signum firmum, certumque conceptionis (vt voluit *Sextus Empyr.* cum *Artem.*) clarè exhiberet. Et planè itidem procederent quæ *Zacch.* asseuerauit in *Medico-legal.tit.3.quæst.2. à num.19.vsque 28* & iterum *nu.49.50.* & seqq. vbi alia signa adducit rem Medicam plurimùm sapientia. Tu eum (si animus ista pernoscendi, aut opus fuerit) adito: latissimè enim & exactissimè Medicus homo Medicis præmaximè, rem hanc discussit.

Ab his tamen non priùs discedam, quàm ex *Arist.lib.3. de histor.animal.d. cap.20.* impugnauerim sententiam *P.*
31 *Ioannis Baptistæ* † *Pozæ*, qui in *Elucidario Deiparæ lib.3.tract.13. cap.4.* nouissimè asserit lactationem Annæ aliud nouum miraculum supra partum & conceptum præ se ferre; vt enim ad conceptum inepta, Dei voluntate apta reddita est, ita conceptum subsequentia, ei naturalia fuerunt, & *exigua transmutatione* (vt ait alibi *Valles. in sac.Philos.c.83.* contigêre, ac in Sara & Elisabeth; maximè cùm natu maioribus etiam sine grauidatione magna lactis copia (sufficiens cuiusuis infantuli enutritioni) obuenire soleat, vt iam notauimus ex *Arist. d.c.20.* Quis demùm concedet ex singulis Annæ conceptum subsequêtibus diuersa fore constituenda miracula, vt iste vult, aut saltem supponit?

Ab hisdem multominus assentiri
32 possum eid. *P.* † *Pozæ*, qui *d.tract.13.c.5.* miraculosiorem putat Annæ lactationem, quam MARIÆ eius filiæ Angelorum Reginæ, Dominæq; nostræ; non attendens menstrua retenta, quæ fœtus enutritioni antea deseruiebant, in sanguinem album conuersa id est, lac, (vt ex Philosophis & Medicis probabimus infr. *cap.13.*) recenti partui à natura per mamillas, eâdem duce, subministrari omnibus vna exceptâ MARIA: vt quam, idem *Poza d.lib.3. tract.12. cap.2.* cum *Tolet. in Luc. cap.2.* asseruit communem menstruorum affectionem nunquam expertam fuisse. Vt inde eius lactatio omnibus fuerit longè admirabilior. Ecquis nô videt Virginis conceptum, gestationem, partus editionem, & lactationem à communi natura omnino aliena, & stupendis hominibus, quin & Angelis, ignotísque miraculis plena: Annæ verò, Saræ & Elisabeth nihil vltra conceptum præternaturale accidisse?

Sed ad signa conceptus, vnde paululùm digressi sumus, redeuntes, ex prædictis vsque dum apertè consequimur, † nullum esse σημεῖον signum PROPRIVM (vt aiunt Logici) & *Diui August.* notissimæ definitioni conueniens, quòd certo fixoque modo prægnationem, conceptionemque demonstret. Et prænumeratorum quodque esse ÆQVIVOCVM (de quo in *Priorib. Arist.* agunt iidem Logici) habens sese ad esse & non esse, ac isti eloquuntur. Et inde inuenies ipsos *Hippoc.* & *Arist.* rei Medicæ & Philosophicæ Principes (illum *d. lib. de nat.pueri*, hunc *lib.7.de hist.anim.cap.3.* & 4. & alibi sæpè) meritò hæsitasse de aliquibus, an essent prægnantes. Et *Abenz.* insignis Medicus Arabs, propriæ vxoris grauidationem ignorans, eidem solutiuum propinauit medicamentum, vt ipse ingenuè fassus est *lib. 2.Theisir.c.1.tract.3.* Et ita sane tenendum est (quicquid *Cagnolus* noster omnium

omnium Philosophorum & Medicorum capitum superare contendens animosè asseruerit in *d.l. si prægnans, n. 5. D. de euict.* cum *Andr. Laur. de hist. anato. c.* 4. & cum aliis quos nouè refert & sequitur *Paulus Zacchias* in suis *Medico-legal. tit. 3. q. 1. n. 15.*

Sed his omnibus nihil obstantibus Iurisconsulti (qui simul ac Philosophi Medicique nullum esse signum firmum, fixúmque conceptionis rati sumus) constanter admittimus ex pro-
34 positis † indiciis & signis coniecturas, aut præsumptiones conceptionis oriri.

Omnium autem præcipuè & à iure approbatæ (vt ista velut ad artem no-
35 bis redigamus) † vel ab assertione mulieris constante matrimonio, díuortióve facto prægnantem se aientis) pendent: vel ab adseueratione eiusdem mulieris post mortem viri: vel ab affirmatione viri contra mulierem negantem.

Prioris assertionis exemplum habemus apud *Vlpian.* in *l. 1. D. de agnoscendis & alen. lib.* desumptum ex Senatusconsulti *Plautiani de liberis agnoscendis* (quod ibi interpretatur) prima parte vel specie, eorum scilicet qui partum agnoscunt; vt si mulier putans se prægnantem, parénsve in cuius est potestate intra triginta dies à diuortio connumerandos, marito eiúsve parenti, sub cuius est potestate, aut domo, si nullius copiam habeat; denuntiet; quo facto, siue maritus mittat custodes futuro partui, siue non mittat, hac denuntiatione factâ, ex eo pregnans præsumitur mulier, & postea natus intra legitima tempora filius eius. Et inde partum agnoscere cogitur maritus, & si non agnouerit, extra ordinem coërcetur, quo casu denuntiationi sibi factæ non contradixerit: quæ fuit sententia *Vlpiani* in *d. l. 1. in principio*, & in §. 1. §. *denuntiare*, §. *pœna*, *D. de agnoscen. & alend. liberis*: & Imperatoris *Diocletiani & Socij in l. nec filium 9.* (quam disertè emendat *Cuiacium libr. 19. obseruat. cap. 40.*) *Cod. de patria potestate*, *Pauli* Iureconsulti *lib. 2. Sententiarum, tit. 24. Gloss. in d. §. pœna*, & *Alberici ibidem num. 1. ad finem*, *Menochij libr. 2. de arbitrarijs, casu 396. à nu. 3. Cuiacij d. c. 40. Iacobi Rauardi libr. 1. varior. iuris, cap. 18. Barbosæ* post *Speculatorem*, & alios in *rubr. 1. §. part. num. 18. D. soluto matrimonio*: vbi optimè considerat damnum mulieri obueniens ex omissa denuntiatione, ad interpretationem *text. in d. l. quinimo*, & §. *ex his apparet.* Et hisce adde inferiùs aduersa in *cap. 4. numer. 109.* cum traditis à *Stephano Gratiano* (prædicta optimè ab aliis declarante & limitante) *2. disceptat. forens. c. 267. numer. 31. & 32.*

Quæ verò Plautianum hoc Senatusconsultum statuerat circa partum post diuortium editum, idipsum alio Senatusconsulto (Hadriani Imperatoris temporibus facto dispositum exstabat ad cognoscendos partus constante matrimonio editos, vt testatur idem *Vlpianus* in *l. siue contra 5. §. quia Plautianum, D. de agnoscendis & alendis liberis.*

At in secunda assertione mulieris mortuo marito facta, Prætor (vt ait *Vlp.* in *l. 1. §. de inspiciendo, D. de inspic. cust. partu*) ita cautè edixit: *Si mulier mortuo marito prægnantem se esse dicet, his, ad quos ea res pertinebit procuratoríve eorum bis in mense denuntiandum curet, vt mittant, si velint, quæ ventrem inspicient: mittantur autem mulieres liberæ dumtaxat quinque. Hæque simul inspiciant, dum ne qua earum dum inspicit inuita muliere, ventrem tangat. Mulier in domo honestissimæ fœminæ pariat: quam ego constituam. Mulier ante dies triginta quam parituram se putat, denuntiet his ad*

quos ea res pertinet procuratoribúsque eorum vt mittant, si velint, qui ventrem custodiant. In quo conclaui mulier paritura erit, ibi nec plures aditus sint quàm vnus; si erunt ex vtraque parte tabulis præfigantur. Ante ostium eius conclauis liberi tres, & tres liberæ cum binis comitibus custodiant. Quotiescunque ea mulier in cōclauo, aliúdve quod, siue in balneum ibit, custodes, si volent, id antè prospiciant, & eos qui introierint, excutiant. Custodes qui ante conclaue positi erunt, si volent, omnes qui conclaue aut domum introierint, excutiant. Mulier cùm parturire incipiat, his ad quos ea res pertinet, procuratoribúsve eorum, denuntiet, vt mittant quibus præsentibus pariat. Mittantur liberæ mulieres duntaxat quinque, ita vt præter obstetrices duas in eo conclaui, ne plures mulieres liberæ sint quàm decem; ancillæ quàm sex. Hæ quæ intùs futuræ erunt, excutiantur omnes in eo conclaui, ne qua prægnans sit. Tria lumina, ne minus ibi sint: scilicet quia tenebræ ad subijciendum aptiores sunt. Quod natum erit, his ad quos ea res pertinet, procuratoribúsve eorum, si inspicere volent, ostendatur. Apud eum educatur, apud quem parens iusserit. Si autem nihil parens iusserit, aut is apud quem voluerit educari, curam non recipiet: apud quem educetur, causa cognita, constituam. Is apud quem educabitur quid natum erit, quoad trium mensium sit, bis in mense, ex eo tempore quoad sex mensiū sit, semel in mense: sex à mensibus quoad anniculus fiat alternis mensibus: ab anniculo, quoad fari poßit semel in sex mensibus, vbi volet ostendat. Si cui ventrem inspici, custodirive adesse partui licitum non erit, factúmve quid erit quominus ea ita fiant, vti supra comprehensum est, ei quod natum erit, possessionem causa cognita non dabo; siue quod natum erit, vt supra cautum est, inspici non licuerit, quas vtique actiones me daturum polliceor, his quibus ex edicto meo bonorum possessio data sit, eas, si mihi iusta causa videbitur, esse ei non dabo. Et his sanè accinit illud *Terentij in Andria, actu 4. scena* 1.

> *--Dîs Pol habeo gratias,*
> *Cùm in pariundo aliquot adfuerunt*
> *liberæ.*

Hoc autem Prætoris edictum transcripsit *l.17.tit.6.p.6.* Et in quibusdam admisit *l.3.tit.6.lib.3.fori.* Eiúsque interpretationem prosequuntur *Bartol. Lucas de Penna & alij* in *l. vnica, C. de mulier. & in quo loco, lib.*10. *Petr. Loriot. de iuris art. tract.*2. *de natiuit. c.* 3. *axiomate* 7. *Ascanius Clemens in tract. de patria potest c.*4. *Federicus Brukmanus in tractat. de different. sexus,*1.*p. memb.*3. *art.*10. *&* 11. *Georg. in d.l.* 17. Qui *gloss.* hæc (quæ in vsu non sunt) obseruanda ait iuxta morem regionis (*d.l.*3. *fori* ab ipso non expensa) si à propinquis mariti ita in iudicio petatur: & vidimus obseruari in opulentis hæreditatibus, quibus venientes ab intestato inhiare solent pudicitiæ optimæ matronæ notam inurere non verentes auri sacra fame.

Quæ & mulieres aliàs inculpatæ vitæ ad partus suppositionem aliquando coëgit. Quod vnum (vti frequentiùs) forsan adnotauit Rex noster Alphonsus Sapiens, dum in initio *dicta legis* 17. ita ait: *Mugeres î algunas, que despues que sus maridos son muertos dizen que son preñadas dellos: è porque en los grandes heredamientos, que fincan despues de la muerte de los omes ricos podria acaecer que se trabajarian las mugeres de fazer engaño en los partos monstrando fijos agenos, diziendo que eran suyos; porende monstraron los Sabios antiguos manera cierta para que se puedan los omes guardar desto,* &c. Quibus adde quæ longiore tractatione prosequemur infrà *cap.*5.

De tertia mariti insolita assertione contra mulierem quæ se prægnantem negat

negat (vt accidit Rutilio Seuero cum Domitia eius vxore) exstat rescriptum Diuorum Antonini & Veri ad Valerium Priscianum Prætorem vrbanum (relatum in *l.1.in prin.D.de inspic.vent. cust.que partu*) quo ita cautum est: *Nouam rem desiderare Rutilius Seuerus videtur, vt vxori quæ ab eo diuerterat, & se non esse prægnantem profiteatur, custodem apponat. Et ideò nemo mirabitur, si Nos quoque nouum consilium & remedium suggeramus. Igitur si perstat in eadem postulatione, commodissimum est, eligi honestissimæ fœminæ domum, in qua Domitia veniat, & ibi tres obstetrices probatæ artis & fidei, quæ à te assumptæ fuerint eam inspiciant: & siquidem vel omnes, vel duæ renuntiauerint* PRÆGNANTEM *videri, tunc persuadendum mulieri erit, vt perinde custodem admittat, atque si ipsa hoc desideraßet. Quòd si enixa non fuerit, sciat maritus ad inuidiam existimationémque sitam pertinere, vt nō immeritò possit videri captasse hoc ad aliquam mulieris iniuriam: si autem vel omnes vel plures non esse grauidam renuntiauerint, nulla causa custodiendi erit.* Concordat *l.* 8. *vers. Eotrosi titu.*14.*part.*3. facit *text.in cap.proposuisti* 4.*de probation.* & in *cap.fraternitatis* 6. *de frigidis & maleficiat.* His ergo tribus assertionum speciebus præsumptio prægnationis, vel extat pro muliere, vel contra eam.

In prima pro muliere præsumitur ex sola eius assertione & denuntiatione intra triginta dies à diuortio connumerandos facta, vel quocunque tēpore matrimonio constante, dum tamen custodes à marito vltro oblatos admittat, *d.l.1.§.sed si maritus, D.de agnoscend.& alendis liberis.*

In secunda, adseuerationis scilicet mulieris viduæ cum obstetricum declarationibus (dum tamen sese custodiri patiatur: quâ formâ dispositum exstat in *d.l.1.§.de inspiciendo, D.de inspiciendo ventre, d.l.*17.*titu.*6.*part.* 6.) idem dicendum & tenendum est.

In tertia, dicto viri & trium obstetricum, vel maioris partis, etiam muliere negante, standum est.

Cùm enim istarum (vt aiunt *Cyprianus* ad Pomponium, relatus in *cap. nec aliqua* 27.*q.*1. & *Innocentius III.* in *c.causam matrimonij* 14.*de probat.*) manus & oculi sæpè fallantur: † hinc 36
factum, vt tres adhibeantur probatæ & fidei, vel quinque, in casibus *d.l.*1. *in princ. & in d. §. de inspiciendo.*

A quibus facilè exploduntur quæ circa attestationem vnius obstetricis, assertioni mulieris, sese prægnantem aientis concinnam, resoluunt *Iosephus de Rusticis lib.*4.*cap.*15.*n.*17. *Mascardus* (post *Speculatorem*) *conclu.*125.*nu.*5. Etenim *Vlpian. in d.l. in princ.* apertè docet adseuerationem prægnantis duarum saltem obstetricum dicto obfirmandam: & ita ferè omnes iuris Interpretes, ista tractantes, supponunt cum nouissimo *Thoma Actio. in tract. de legali infirmit.*1.*p.c.*20.*nu.*14. Et in specie firmat *Menoch.* post *Bart. Alexand.Decium Rebuff.* & alios *libr.*2.*de arbitrar.casu* 114.*nu.*27.*& in tract.de adipisc.possess.remed.*5.*nume.*162.*& cons.* 284.*nu.* 26. *lib.*3.

Et ego addo, etiam tot obstetricum numero multum iura indulsisse in hisce quæ adeò vult imperceptibilia sunt: sed non immeritò. Earum enim ars (quæ etiam primis fuit excitata mundi temporibus, † vt patet *Geneseos cap.* 37
35.*vers.*17.*& cap.*38.*vers.*28. semper necessaria visa est, *Petr.Grego.libr.*14.*de Republica, ca.*2 *à n.*3. *Thomas Actius de infirmitate legali.cap.*20.ex *num.*14. *Farinac.q.*41. *numer.* 85.) antiquitus longè fuit excellentior. Erant enim olim obstetrices istarum rerum notitiâ & scientiâ, his quæ hodie hoc nomine insigniuntur, longè superiores,

vt colligitur *ex cap.1. Exodi, verſ.19.* & ex *l. item & obſtetrix, D. ad l. Aquiliam, l.1. §. ſed obſtetricem, D. de extraordin. cogn.* vbi *Vlpian.* conſulit, obſtetrices audiendas, *quæ vtique medicinam exhibere videntur.* Quò tendunt illa *Terentij in Andria, act.3. ſcena 2.*

Adhuc Archillis, quæ adſolent, quæque oportet,
Signa ad ſalutem, omnia huic eſſe video.
Nunc primùm fac iſthæc vt lauet, pòſt deinde,
Quod iuſſi ei dare bibere, & quantum Imperaui
Date, mox hùc reuertar:

Et clariùs prædicta confirmantur ab *Artemidoro lib.1. Oneirocrit. cap.17.* ita dicente: *Obſtetrix arcana & occulta perſcrutatur, educit enim ex continente ſemper contentum ipſúmque terræ committit: eos verò qui ab aliquo violẽter detinentur, liberat: nam contentum corpus à continente exſoluit, atque ſic contentũ corpus à continente liberans, corpus leuius facit.* Et faciunt tradita à *Galeno 5. Aphoriſ. 62.* & à *Theodoro Priſc. in proœmio ſuæ Gineſiæ,* & in *c.5.* Et à *Platone*, triplex munus & ſcientiam obſtetricum commendante in *Theætheto.* Vbi plura huius propoſiti diſertè & pluribus verbis aſſerit in perſona *Hippocratis* (& fortè an in eius gratiam, vt qui matrem habuit obſtetricem nomine *Phœnaretem*, vt teſtatur *Valerius lib.3. cap.4.*) Ab his Medici, qui γυναικεῖα ſcripſerunt, horum libros obſtetricibus potiſſimum dicabant, vt optimè prob at *Cuiacius libr.27. obſeru. cap. 27.* Et fortè an non multis ab hinc annis inde earum examen ἀρχιάτροις & Medicis Regiæ Cameræ Primis committebatur, vt colligitur ex *Gregor. gloſ 8 in d.l.17. tit.6. part.6.* Quod vtinã nobis hodie in vſu eſſet, & ars iſta à matronis non infimæ notæ exerceretur. Quales fuiſſe antiquitùs deprehéditur ex *Vlpiano* in *l.3. §. duæ autem, D. de Carboniano edicto.*

Ad hæc obſtetrices iſtæ in caſibus prædictis & ſimilibus debent deponere iuratæ † inſtar teſtium, *Bartol. & Alberic. in l.1. D. de inſpicien. ventr.* idem *Bart.* in *l. Theopompus, D. de dot. prælegata*, cum pluribus aliis quos refert & ſequitur *Maſcardus de probat. 1209. n.6. Gregor. in d.l.8. tit.24. p.3. gl. 6. Daniel Mollerus ad conſtitutiones Saxoniæ, p.4. titul.31. Paulus Zacchias quæſtionibus Medico-legalibus tit.3. p. q.1.* Sed quæ dicta ſunt ſuprà de numero obſtetricum, limitanda ſanè ſunt in locis vbi iſta obſtetricum copia deficit, vt optimè notat *Menochius conſ.284. nu.26.*

Quæ verò in probanda conceptione à iure (vt vidimus) obſtetricibus conceduntur cum iuramento (quod noſtri appellant de credulitate) deponentibus non procedunt (vt hæc obiter dicam) in probatione virginitatis quæ non ſolùm difficilem, verùm & penè impoſſibilem reputat *Cuiacius d. cap.27.* quod concludit dicens: *Nam huic rei vnquam legitur obſtetricibus delatum arbitrium.* Et hoc ſanè intelligendum eſt tam attento iure Ciuili quàm Canonico *capit. cauſam matrimonij, in fine, de probation.* vbi dictum *Cuiacij* mirè comprobatur: vt meritò veniant improbandi relati à *Maſcardo concl.1412. n.16.* & à *Menochio lib. præſumpt.89. à n.12.* contrarium tenentes, & verum ſenſum *tex. in cap. propter ſuiſti 4. de probation.* & in *cap. fraternitatis, de frigidis & maleficiatis,* non callentes: & re vera adſtruentes inaniter quòd *d. capit. cauſam matrimonij*, & *cap. nec aliqua 17. q.27.* improbarunt & *Diuus Ambroſius epiſt. 64.* Vbi pluribus adductis auctoritatibus ſacræ Paginæ hoc genus probationis in eruenda & comprobanda virginis defloratione refellit. A quibus etiam inſup-

insuperhabenda sunt quæ magno verborum apparatu nouissimè enarrauit *Anton. Mornat. in l.3. C. si min. se mai. dix.* Maximè attenta veriore, & iam receptiore sententiâ existimantium, nullum virginibus inesse theemerium, siue ὑμένα, vt post *Ludou. Bassæum in tabulis Anatomicis, Paræum lib.23.cap. 22. Valles. de sacra Philosophia, cap.25. Ferneli. lib.1. Physiologiæ, cap.7.* notat *Andreas Laurentius lib.2. de histor. anatom. q.*11.

SECTIO II.

De effectibus conceptus.

SYNOPSIS.

40 *A dignotione conceptus, naturalis partus secernitur ab abortiuo.*

41 *Partus conditio attenditur ad consequendam patris dignitatem.*

42 *Filius à nota patris post eius conceptionem delinquentis liberatur.*

43 *Naturalis filius ab incestuoso distinguitur, tempore conceptionis attento. Et num.44. huius rei disquisitio (nobis Hispanis maximè necessaria propter l.1.tit.11.p.7.) commendatur.*

45 *Seruus ab ingenuo filio ex tempore conceptionis discernendus.*

46 *Conceptionis notitia ad causam transmissionis legitimæ hæreditatis conducit. Et num.47. ad sustinendam vel excludendam pupillarem substitutionem conceptio consideratur.*

48 *In quæstione de nato ab ea quæ secũdo nupsit viro illicò post mortem primi cõceptio valdè attendenda.*

49 *Et in causa retractus consanguinei à lege indulti.*

50 *Et in concepto viuo vel mortuo patre de aui hæreditate agente.*

51 *Et in danda vel deneganda bonorum possessione nascituro.*

52 *Et in ea quæ proximioribus ex titulo* vnde cognati *defertur.*

53 *Et in vsucapione partus ancillæ. Et eiusdem partus vendicatione, si fuerit oppignerata.*

54 *In enodando communi illo dicterio:* Qui in vtero est, pro nato haberi debet.

55 *Non tantùm conceptionem, sed eam præcedentia Iurisprudentes fauore partus aliquando cõsiderarunt.*

SVPERIORIBVS (vt disceptatio ista nobis vtilior euadat) addo, varias esse in iure causas, quibus tempus & effectus conceptionis præcisè attendi oportet.

Velut in ineunda ratione partus naturalis & abortiui † sub initium vndecimi mensis, vel eo progrediente, iuxta superius tradita *n.*21. & infra latiùs dicenda in *cap.*14.

Secundò, in conditione † lucem videntium præsumenda (si melior eorũ fit à tempore conceptus) *l. emancipatum,* in princ. *& §. sed & si quis, l. liberos, D. de Senatoribus, l. vel viuo, D. de suis & legitim. hæred. l. si quis Decurio* 55. *l. doctrij* 63. ibi: *Adhuc in ea dignitate patre suo posito gignuntur, l. diuæ memoriæ* 65. ibi: *Cum liberis suis quandocunque progenitis, l. fin.* ibi: *Sed progeniti filij antequam ad fisci patronatum peruenerint, in conditione pristina remaneant, C. de Decur. li* 10. *l. quicunque, C. de præpositis agentium in rebus lib.*10. *l. si Senator, C. de dignit. lib.*12. *Gloss.* verbo *filiis* in *Extrauagan. execrabilis Ioannis XXII.* cum aliis adductis in *cap. seq.* Quibus adde insignem huius propositi resolutionem (traditam ad terminos *l. si qua illustris, C. ad Orphi.*) à *Ben. Ægidio de priuil. honestatis, art.* 13. *num.*8. 41

Tertiò, in effugienda † nota sceleris 42

à patre vel à matre post filij conceptionem patrati, *cap. si habes, 24. quæst. 3.* ibi *Quicquid posteaquam eum genuit, peccati pater eius admiserit, vbi particeps ipse non fuit, ad eum non pertinere, quis ambigit? cap. quæris 29. de consecr. distinct. 4.* in illis verbis: *Semel generatus per aliorum voluntatem, non potest macula aliena iniquitatis obstringi, cui nulla voluntate consentit.* Quibus concinnit *l. 6. tit. 27. part. 2.* ibi: *Pero esto no se entiende con los fijos que huuiessen fecho antes que errassen, mas de los que despues fiziessen, siendo ellos de tan mala ventura, que viuos fincassen*: & in hoc sensu intelligendi sunt *text. in c. non imputãtur*, ibi: *Post eorum natiuitatem*, adde vel conceptionem, 1. q. 4. & in *l. ex facto 17. §. ex facto, D. ad Trebellianum*, ibi: *Post deportationem susceptos* (id est, conceptos, vt interpretatur *Gothofredus* ad illum *textum*, post *Cuiacium*, quem ibi refert) Etenim à conceptione, non à natiuitate, dependet ratio excludendi filios sceleratorum iuxta illud *Ouidij 4. Metamorph.*

Qui viret in foliis venit à radicibus humor,
Et patrum in filios abeunt cum semine mores.

Quartò, in comprobanda causa &
43 qualitate filij naturalis, † cuius pater matrimonium cum alia conceptioni contemporaneum init: aut ordines sacros suscipit: aut religionem ingreditur (hoc est, solemnem emittit professionem) ad tradita per *Palacios Rub. in l. 9. Tauri, Couarruuiam* cum aliis quos refert & sequitur *Garcia de nobilitate, glos. 2. nu. 31. & seqq. Parlad. in sesquicenturia, differ. 145. §. 2. ad finem* Nam licet iure antiquo dubium fuerit exortum (à sinistro intellectu *l. Paulus, D. de statu homin.* de qua suo loco agemus) an tempus conceptionis vel natiuitatis esset inspiciendum: & pluribus placuerit natiuitatis (in quibus *Paulus de Castro post Cynum in l. ex libera, C. de suis & legitimis hæred. Salicet. in l. filium, C. eodem*, & probari ita videtur in *l. si contra, cum Glossa, C. de nuptiis, D. Francis. Sarmiento*, enixè huic adhærens sententiæ *lib. 1. select. cap. 5. num. 10.*) Verius longè est, & iure communi attento, tempus conceptionis (si fœtui hoc vtilius foret) inspiciendum: quæ fuit sententia *Ioan. Andreæ, Antonij & Cardinalis in cap. tanta, qui filij sint legitimi. Couarr. in 4. 2. p. c. 8. §. 2. num. 2.* Et nobis expressè probatur in *l. 11. Tauri*, quæ est *l. 9. tit. 8. lib. 5. Recop.* in illis verbis: *Porque no se pueda dudar quales son hijos naturales: Ordenamos, que entonces se digan ser los hijos naturales, quando al tiempo que nacieren, o fueren concebidos, sus padres podian casar con sus madres juntamente sin dispensacion.* Et hoc ipsum, quod attinet ad computationem à tempore conceptionis faciendam, dispositum erat in *l. 8. tit. 13. part. 6.* ibi: *E que fuesse il fijo engendrado en tiempo que el non ouiesse muger legitima.*

Huius autem conceptionis disquisitio & cognitio nobis Hispanis † apprimè est vtilis hoc casu, cùm habeamus *legem primam* (iuris communis derogatoriam) *tit. 11. p. 7.* quæ in naturales nobilitatem paternam transfundit, *Garcia* post *Tiraq. Couar. Sarm. Meneses*, & alios, *de nobilit. gloss. 20. num. 36.*

Et demùm notitia conceptionis generaliter proderit ad dignoscendum quis sit filius naturalis, iuxta terminos *d. l. 11. Tauri, & d. l. 9. tit. 8. lib. 5. Recop.*

Quintò, in eruenda à seruitute † illius natiuitate, qui matrem tempore conceptionis ingenuam aut liberam habuit, *l. & seruorũ 5. §. ingenui. l. Imperator Hadrianus, 18. de statu hominis, d. l. 4. C. de pœnis, Iulius Paulus lib. 2. senten. tit. 24. §. 2. §. sed & si quis, instit. de iu*

de ingenuis,l.2.tit.21.p.4. Quod benignè fuisse inductum, notat *Cuiac.* ad *Paul.lib.4.senten.tit.24.d.§.2.*& probat apertè verbũ placuit,*d.§.sed & si quis,* iunctis his quæ communiter notantur in *l. placet, D. de liberis & posthumis,* & in *l.placet,C.de sacros.Eccles.* & colligitur ex d.*l.Imperator,d.l.4.& d. tit.24.Pauli.*Et clariùs ex *Vlpiano* contrarium clarè ex mero iure adserẽte & resoluente in *fragmentis tit.5. §.in his, & in l.3.§.fin. D.de suis & legitimis hæred.Neratio in l.eius 9. D. ad municip. & de incolis,Philippo* Imperat.*in l. partum 7.C.de rei vind.*(quę desumpta fuit à *lib.3.tit.2.l.4.C.Theod.*)

46 Sextò,in transmissione † hæreditatis legitimæ ascendentis vel agnati, prædefuncti,iam concepto hæredi legitimo tempore delatæ,vel non concepto,deneganda, iuxta considerationem & distinctionem *Iuliani* in *l. Titius 6.cum seq. D. de suis & legiti.hæredibus.*

47 Septimò, in sustinenda vel explodenda pupillari † substitutione,& adsignatione tutoris , iuxta dicenda in *cap.2.§.1.num.155.*

48 Octauò,in enodanda & resoluenda perdifficili illâ quæstione † de nato ab ea quæ statim repetito nuptiarum fœdere peperit decimo vel vndecimo mense,an prioris vel sequentis mariti filius sit æstimandus? Quam latè discutiunt nostri in *l.Gallus, D.de liberis & posthum.* & nos, Deo duce,exactè pertractabimus inferiùs in *cap.20.*

49 Nonò , in retractu indulgendo † vel denegando rei venditæ proximiori in vtero existenti tempore alienationis: qui concedendus est iam concepto,iuxta ea quę de aliorum sententiâ resoluit. *Tiraq. de retract.lignagier,§.1.glos.8.ex num.82.Marius Giurba* post plures relatos *decis.76. num.1.* & 9.Quibus locis malè confundit terminos , & eandem causam esse putat concepti & non concepti tempore alienationis.

Decimò,in concepto viuo vel mortuo auo,† qui primo casu subintrat locum patris,secundo verò non ita, *l.vel si viuo,7.D.de suis & legit. hæred.§.cum autem,vers.& licet,& vers.planè,inst.de hæred.quæ ab intestato defer.*vbi omnes, & *Anton.Gomez.1.tomo variar. cap.1. n.8.Morquechus* post *Crassum* & alios, *in tract.de diuisione bonorum,libr.3.cap. 9.n.37.*& *lib.4.cap.6.nu.12. Anton. Fab. lib.6.coniecturarum, cap.1.post princ.* Ex cuius dictis ibi & in *cap.seq.*dignosces plurimùm prodesse conceptionis notitiam ad constituendam & assignandam differentiam inter posthumum suum & alienum.Imò iuxta tradita ab *Schifordeghero li.3.tract.16.q.1.*posthumus suus ex tempore conceptionis dignoscitur. Et ab his etiam dependet causa posthumi,qui defuncti (quo tẽpore in vtero erat) testamentum inofficiosum dicit,iuxta *tex.in l.posthumus, 6.in princ.D.de inoffic.testam.*(detracta negatione legendum iuxta *Pandectas* Florentinos , vt optimè notat & adstruit *Anton. Augustin.lib.4. emendation.ca.17.*) Quem ab impugnatione *Gregorij Holoandri* defendit *Cuiac.in commentar.ad illam tex.Gothofredus* ibidem *D.Pichard.in lectura ad l. Gallus.in pri.cap.4.n.11.* 50

Vndecimò, in danda vel deneganda bonorum possessione † Prætoriâ nasciturо,*l.verum est, D.de bonor.poss. l.1.§.& l.fin. D. de ventre in poss.mit.* notauit *Raphaël Fulgosius in l. Gallus, §.ille casus,D.de lib.& posthum. Eman. Costa* optimè *in §.posthumus, numer.14. instit.de legat.* 51

Duodecimò,in bonorũ † possessione vnde cognati delata proximioribus: quo nomine venit conceptus viuo eo de cuius bonorum possessione agitur,ex singulari decisione *text.in l. 1.d.§.si quis proximior,D.vnde cognati.* 52

Decimotertiò, in vsucapione par-
53 tus ancillæ furtiuæ: † nam si apud furem concipiat, edito partu apud bonæ fidei possessorem, eius vsucapio non datur (*l. qui vas 48. §. ancilla, ff. de furtis, l. non solùm 33. ff. de vsucapion. l. qui in vtero 26. vers. propterea. ff. de statu homin.*) ac si apud bonæ fidei possessorem conceperit, ex dictis *legibus*: & *l. si ego 11. §. si partus, ff. de publiciana in rem actione*, cum aliis adductis, & latè tractandis infrà, *capite* 3. §. 1.

His addo ancillæ pignori obligatæ partum conceptum apud debitorem posse à creditore vendicari, conceptum verò apud emptorem non ita, *l. fideiussores 26. §. 1. l. paulus. 29. §. 1. de pignor. l. si conuenerit 18. §. si fundus, ff. de pignorat. actione*. Et hac eadem distinctione adhibita procedit decisio *text. in l. 1. ff. de Saluiano interdicto*, ex notandis in d. *cap.* 3.

Prænotatis ergo casibus (qui mihi occurrunt) cum aliis (quos alij adnotabunt) conceptionis certæ & firmæ cognitio valdè vtilis, imò & necessaria erit ad eorum exactam resolutionem.

Sed omnium maximè vtilior erit ad plures casus decidendos ex con-
54 tentis in regula *l. qui in vtero* † 7. *&* 26. *ff. de statu homin.* cum similibus. Velut ille de origine recens nati in ciuitate, qua eius parentes domicilium nondum habebant, qui si conceptus fuerit in loco originis suorum parentum, etsi alibi nascatur, habetur pro nato à quo tempore conceptus est, iuxta ea quæ de sententia *Ripæ* & *Rebuf.* resoluit *Mascard. de probation. conclu.* 1141. *n.* 7.

Et sanè adeò vera & constans est dictæ *l. qui in vtero* 7. *&* 26. præcipua decisio, *eum qui in vtero est pro nato haberi*, vt ex quo quis conceptus est, & animal adhuc non est (longè enim distat conceptionis tempus à subsequenti, quo anima infunditur, ex dicendis infrà *hoc cap.* §. 2.) pro nato tamen habeatur; ita vt quo tempore animatus non est, non solùm pro animato, sed & pro nato habeatur, vt differtè considerat *Anton. Faber in Iurisprudent. Papin. scien. tit. 4. princ. 3. & fut. 4. vers. adeò autem.*

Quinimò non tantùm embryone fixa & certa conceptione coagulato, sed & genitura in primis conceptionis partibus vel actionibus consistente, velut in prima seminum commixtione (iuxta notata in initio *huius cap.*) pro ventris conceptu, quin & pro filio nato, haberi debet, si postea maturo tempore nascatur, ex dicendis latè in *c. seq.* Vt ab his ea quæ dicta remanent in hac *sect.* 2. *de effectibus conceptionis*, locum habeant, & securè procedant, etiam in prima generationis actione, seu seminis in vtero retentione; dum tamen postea fixa conceptio, efformatio & articulatio subsequatur, & tempore perfecto partus editio. Quæ summè notanda censeo in re ista; omnium naturæ prima & præcipua: vt quæ in personæ humanæ substantia consistit (ac notauimus initio *huius cap.*)

Quamque nec Iurisconsultos latuisse, immò insigniter prænotasse, deo in *l. item prætor. 8. ff. de suis & legitim. hæred.* & in *l. paulus 47. §. ... lus, in 1. ff. de bonis libert.* Sed & conceptum aliquando melioris esse conditionis, quàm natum, voluerunt & antiqui. 3. *ff. si pars hæred. petatur*, & aliis iuribus suo loco *hac disputatione* expendendis.

§. I.

DE FORMATIONE hominis.

SYNOPSIS.

1 *Sententiam Auctoris libri de carnibus circa formationem refert & refellit.* Et *eundem librum Hippocrati falsò adscribi variis rationibus demonstrat Auctor. Et n.2. aliam Aristotelis doctrinam in materia formationis adducit. Et num.3. alias Anton. Musæ, Brasauolæ & aliorum. Et nu. 4. aliam Vallesij. Et nu.5. aliam Ludou. Mercadi. Et nu.6. aliam Bonauenturæ.*

7 *Præfatas opiniones improbat. Et n.8. aliam Rodolphi Magistri.*

9 *Aliam opinionem doctiss. D. Michaelis Barredæ Primarij Complutensis enarrat. Et num.10. consimilem aliam Galeni.*

11 *Suam sententiam subiungit Auctor, formationem in primam & perfectam distinguens.*

12 *Primam formationem cum priori, fixa conceptione: & perfectam cum secunda animatione concurrere ait.*

13 *Iosephi Mascardi sententiam circa efformationem impugnat.*

14 *Quæ partes formentur in homine prius: & an omnes simul, discutit.*

15 *De conformationis humanæ causa efficienti agit.*

INSTITVTI nostri ratio postulat, vt quæ fœtui à conceptione (iam absoluta) editionem vsque contingunt, prosequamur, his obiter, quæ leges huius propositi statuunt, lucem dantes.

Et quidem primo loco adnotandum est, conceptionem, de qua vsquedum egimus, subsequi fœtus formationem. Quam *Auctor* † *libri de carnibus* 1 (inter opera *Hippocratis* conlocati) prioribus septem diebus à seminis immissione subesse docet, & tanquam testis oculatus affirmat: *Porro* (inquit) *vita hominis septem dierum est. Primùm enim cùm genitura in vteros peruenit, in septem diebus habet, quæcunque corpus habere debet. Mirari autem quis possit, quomodo id sciam: verùm multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicæ, quæ sæpe de seipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt quando in ventre concipiant, & postea conceptũ intra se perdunt. Postquam autem iam perditus est, elabitur velut caruncula: hanc carunculam in aquam coniectam, si conspicatus consideraueris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum.* Sed hæc quã manifestò falsa sunt, & veriori experientiæ cõtraria. Quin & his quæ *Hippocr.* tradit in *lib. de natura pueri*, & in *libello de octomestri partu*: vbi membrorũ discretionem post dies quadraginta apparere disertis verbis attestatur. Vt inde par sit credere *librum* illum *de carnibus* ab *Hippocrate* nõ fuisse conscriptum, vti ex hoc solo capite intrepidè asseuerauit *Horat. Augenius lib.* 1. *de hominis partu, c.*8. ob idque à *Galeno* prætermissum ait in suis ad *Hippocratem* cõmentis. Quod vltimum parum vrget cum alia *Hippocratis* opera intacta iste reliquerit. Nisi subaddamus huius libri *de carnibus* rationem, aut mentionem nec vllam apud *Galenum* vllibi esse. Ast ego in horum comprobationem noto in eodem *libro de carnibus in fine*, commentitiam illam propositionem: *In septem annis sunt ratione & numero exactæ hebdomadum decades trecentæ & sexaginta:* ἔστι δ' (ait) λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως δέκαδες ἑβδομα-

δων ἑξήκοντα καὶ τειηκόσιαι. Si enim cõmunem aliàs apud *Hippocratem* hebdomadum computationem attendas & ineas, quinquaginta hebdomades, aut quinque hebdomadum decuriæ annum constituunt, vt notauit *Anotius Foesius* ad *Hippocr. in scholiis* ad dictum *librum de carnibus*, *scholio vltimo*. Vnde est, vt trecentum & quinquaginta tantum hebdomadum decades septem annos integrent, nec earum ascendat numerus ad trecentum & sexaginta, vt in *lib. illo de carnibus*, exprimitur. Nec sustineri debet *Foesius* sup. post *Allemantium*, quem refert, dum voluit loco prædictorum verborum textus Græci illa reponere: ἑβδόμαδες πεντήκοντα καὶ τειηκόσιαι, vel δέκαδες ἑβδομάδων πέντε καὶ τειήκοντα (vnde ipse vertit: *Et septem annos pleno & iusto numero exactè trecentæ & quinquaginta hebdomades conficiũt.*) Nam hæc ex capite sunt, & diuinationis plena, & contra omnium codi ũ fidem conficta, vt prædictam *Hippocrati* malè impositam sententiam *isti* saluarent. Quam nec à nota nostra vindicabit, qui hebdomades tantùm septem diebus constantes fecerit. Harum namque trecentum sexaginta & quinque annos septem vertentes exactos conficiant, non trecentum sexaginta, vt prædicto *libro de carnibus* scriptum exstat.

Non est ergo cur cum *Marsilio Cagnato lib. 4. var. obseru. c. 13.* diuagemur & torqueamur in conciliandis distãtissimis illis locis *lib. de carnibus*, & *lib. de natura pueri*. Nec emendatio textus Græci ad libitum ab eo itidem facta in *cap. seq.* quicquam conducit, cùm adhuc vrgeant tradita ab eodem *Hippocrate* in d. *lib. de octomest. partu.* & ideo *Cagnatus* parum de conciliatione sua fidens, & velut desperãs demum idem ratus est in d. *cap. 13. ad fin.* quod *Horatius Augenius supra.*

Sub hæc *Aristoteles* † *lib. 2. de generat. animal. c. 4.* duplicem facit conformationem, vnam partium interiorũ, aliam exteriorum: & ibidem contra *Democritum* disputat, & elicit internas partes, vt cor, iecur, cerebrũ priùs formari; sed neutrius formationis tempora designat.

Vnde sententiâ *Auctoris libri de carnibus* explosâ, ex iam dictis simul cum dicendis in *§. seq.* & prætermissâ generali seu vaga doctrina *Aristotelis d. c. 4.* videndum est, quid cæteri Philosophi & Medici nouiores (post *Galenum* infrà referendum) circa hominis formationem excogitauerint & sequendum putauerint.

Et quidem *Antonius Musa*, † *Brasau. 4. sectione, aphorismo 4.* triplex tempus cõformationis constituit, à triplici tempore motus, numeris quibusdã multiplicatis. Alij verò duplex à duplici motu confingunt. At his (quæ à Neotericis meritò impugnantur) immorari superuacuum duco.

Sed & *Franc. Vallesius* † ἀρχιατρὸς *lib. 2. controuers. c. 10.* formationem vnicam agnouit conceptioni velut contemporaneam; & post eam tres insignes mutationes, figurationem scilicet, motum & partum certis quibusdam temporibus contingere ait. In quo sanè diuersus non est ab his qui (ab Auctore *libri de carnibus*) scripsit in d. *c. 18. sac. Philosoph.* vbi conceptionem & delineationem simultaneas facit, licèt parum aptè, ex dicendis in *§. seq.*

Ast *Ludo. Mercad. lib. 3. de mulier. affect. c. 6.* postquam multa præ cæteris Neotericis de formatione disputauerat, quadruplex † in ea constituit tempus. Primum sex aut septem dierum spatio intercludit, quibus conceptionem GENITVRAM appellat, & rudem quandam sortiri vitalium principiorum delineationem adscriptis iecoris

iecoris primùm, mox cordis, deinde cerebri. Secundum à nono vsque ad decimum quintum diem, iuxta maiorem aut minorem facultatis formatricis efficaciam constituit, tempusq; istud naturam conterere ait in carnificatione & eius partibus (quæ sunt membra, colores, durities & mollicies) constituendis, & iam tunc (ait iste) GENITVRA non dicitur, vt primo tempore, sed FOETVS. Tertium esse ait cùm euidentior fit formatio, & reliquorum membrorum delineatio, & partium ventris, & brachiorum & crurium distinctio; & hoc temporis RAMIFICATIONEM appellasse *Hippocratem* scribit. Quartum demum tempus ex isto Auctore illud est, quo interiora membra perfectè & conspicuè sunt delineata, & brachia distincta, & tunc non FOETVS, sed INFANS iam dicitur, quod in vtero gestatur, ex sententia *Hippoc.* ab eo relati. Et demum Auctor iste in fine disputationis ita rem absoluit. *Ad institutum igitur rediens, totum formationis tempus hac lege partiri oportet: sex enim Soles spumificationi dicare Auctores solent, quatuor lineationi, octò lineationis appletioni, quatuor & decem carnificationi, tredecim efformationi quoque attribuunt, quibus proculdubio quadraginta quinque dierum numerus constat: quem esse maiorem formationis terminum omnes asseuerant, sicuti minorem triginta dierum vel trigintaquinque spatio constare: quoniam Soles sex spumificationis, duo lineationis, quatuor lineationis repletionis, nouem carnificationis, totidem formationis sunt, neque his pauciores esse possunt. Quod quidem computationis genus de maris generatione subaudiendum est: secus quidem res se habet de fœminæ conceptu & formatione: quippe qui longioribus temporum impendiis absoluatur, decem namque dierum spatium (licèt non desint qui paucioribus formari referant) vltra masculi spatia ad sui efformationem expostulant.*

Omnia verò prædicta eleganti & breui stylo *is Auctor* complexus postea fuit *lib.4.de mulier.affect. c.1.* dum ait: *Præcedenti libro quatuor temporibus partitam esse* diximus *vniuersam formandi hominis conceptionem, quorū primum septem dierum spatio circunscribitur* GENITVRAM *appellatam, effingunt secundùm carnem & osseæ substantiæ molem præparans esse constat, licèt integram delineationem ante triginta dies non adipiscatur. Tertium quidē principia viuentis effingit ac efformat. Quartum verò & vltimum perfectionem omnium membrorum præmissa delineatione præstat, præstaturum deinceps infantis nomen.*

Frederic. verò *Bonau.lib.3.de octomestri partu,c.92.* quadruplicis efformationis † vel articulationis diuersa à *Mercado* tempora designat, & ait, primam esse quæ septimo à conceptionis die terminum sumit, & rudem adhuc maléque digestam molem repræsentat, cuius meminisse ait *Hippocr.* & *Aristot.* illum in *lib.de principiis*, istum *lib.2.de generat.d.c.4.* vbi eam ὑπογραφὴν, CIRCVMSCRIPTIONEM appellat similem prioribus pictorum delineamentis esse supponens. Secunda huius Auctoris articulatio est, quam *Hippocrates* πρώτην πῆξιν, id est, PRIMÆ EFFORMATIONEM, seu COAGVLATIONEM ait nominasse *d.lib.de natura pueri*, dum ait: *Fœmela quidem quadraginta & duobus diebus primam coarticulationē recipit.* Et appellatio eam PRIMAM asserit; quoniam inter perfectiores articulationes, & quæ distinctiorē partium effigiem nobis offerunt, principem locum tenet. Euenirēque articulationem istam (quę *Hippocrat.* est doctrinæ ratione secundâ) in mare tri-

6

gesimo die, in fœmina quadragesimo secundo, ex eod. *Hippocrate d. lib. 1. de natura pueri.* De tertia verò articulatione (quam PERFECTIONEM vocat) ita scripsisse ait eundem *Hippocrat. lib. 1. de diata. Non autem in æquali temporis spatio omnes fœtus exornantur, sed alij citius, alij tardius, prout singuli & ignem & alimentum fuerint nacti: aliqui itaque in quadraginta ac tribus diebus scaturiunt ac formantur, alij in quatuor mensibus.* Vbi verbum SCATVRIVNT (Græco ἴζχει respondens) non solùm articulationem, sed & motum denotat. Et dum *Hippocrates* superioribus verbis asserit, fœtus pro ratione ignis & alimenti varios habere terminos articulationis & motus (denotatos per dictum verbum ἴζχει) clarè (vt iste ait) ostendit, mares tanquam calidiores quadragesimotertio die, fœminas verò tanquam frigidiores tertio mense exacto, & ineunte quarto articulari. Et huc respicere quæ *Diuinus iste Senex in opusculo de septimestri partu* scripsit, maris partes die quadragesimo à conceptione valde conspicuas apparere, fœminas verò carnis exortus solos & processus habere. Quarta demum articulatio *Bonauenturæ* illa est, quæ cum fœtus perfectione coincidit, quam *Arist. d. lib. 7. de hist. animal. cap. 3.* τελείωσιν, PERFECTIONEM, passim appellat: quæ sanè articulatio perfectam: & omnibus numeris absolutam membrorum efformationem & compositionem demonstrat, quam fœtus septimo mense, & reliquis ad nascendum aptis, habent.

Hæc autem quæ *Bonauentura* confixit (ad effugiendam contrarietatem inter *Hippocr.* & *Aristot.* in his quæ de formatione, quin & motu fœtus animati, disseruerunt, ex dicendis ȷ̃. §. 2. & 3.) *Mercadique* & aliorum præcitatorum Medicorum sententiæ (tátas támque varias constituentium efformationes & articulationes) mihi non probantur, qui video vnicam † eámque omnibus numeris perfectam & absolutam *efformationem* (hoc nomine condignam, ex dicendis ȷ̃. num. 11.) à sanctis Patribus considerari & assignari in fœtu simul cum animæ rationalis infusione, vt probabimus in §. sequ. ex *Augustino*, *Hieronymo*, *D. Thoma*: & insuper ex *sacra Pagina*, *Philone* & aliis, à quibus non dissentiunt *Hippocr.* & *Aristot.* sed tantùm isti eorum noui interpretes, qui suo ductu & marte efformationis & articulationis iam perfectæ duos gradus constituunt, & post primam (quæ animæ rationali consociatur) aliam perfectiorem adstituunt, superuacuè quidem: nam & eodem modo plures alias fœtus posset superaddere efformationes, vsquedum lucem videt, & magis ac magis perfectè formatur. At certè dici non potest ista nouam efformationem constituere, sed perfectiorem & firmiorem tantùm, vt mihi clarè probat *Philosophus lib. 3. de generat. animal. cap. 11.* dum appositè in horum comprobatione ait: *Aliud est efformari perfectè, aliud magis ac magis perfici ad partum:* & mox: *Est enim* (inquit) *conceptus perfectio quædam, quamobrem exit, permutátque generationem, vt qui iam sua recipit, nec præterea accipit:* quibus nihil in proposito expressius dici, excogitaríve potuit.

Vltimo demũ loco à prædictis veniunt improbanda quę nouissimè *Rodulph. Magister* † in *tract. de limitib. humani partus, sect. 1. c. 3. 4. & 5.* circa ista & eisdẽ connexa non tam verè quàm eleganter ita edisserit: *Materia seminis vtero cõcepti variè à Natura & facultate illa cõformatrice distrahitur, tenuiores eius calidioresq; partes intima sede, medióq; totius molis coercẽtur: crassæ autem ...*

magis terrenæ illas ambiunt, ex quibus vel calore, vel contagione vteri sensim coactis, atque obduratis postea membranæ fœtus inuolucra producuntur; interiora porro incalescunt magis ac magis, summamque tenuitatem adepta, spiritúmque de se excitant. Qui deinceps à quoquo versum diffusus, cunctaque permeans calorem insitum regit, facultates moderatur: & verus procreationis auctor partes omnes conformat conseruatque, crassiores materiæ portiones fingendis ossibus, tenuiores venis, arterijs, ac neruis formandis accommodat. Et operis quidem in elio tres velut bullas conspicias, rudimenta cordis, iecoris & cerebri: quas formator ille spiritus in sua loca seiuncta, propria figura & specie deinde exornat perficitq. cætera. Iam septimo die apparet quædã rudioris formæ dispositio: quintodecimo partes substantiæ, sitúque manifestiùs discretæ: at decimoseptimo formam penitùs absolutam consequutæ & concretæ, etiam cute iam descẽter contectæ. Proiectus inde ex vtero sanguis & circum iecoris fibras inhærescẽs, totam illius molem primam constituit: mox longè transmissus, varieque distributus nutriendo, cætera corporis carne replet ac perficit. Tum per calorem exhaustis paulatim humoribus & mucis partium exsiccatis, robur vniuerso corpori ac firmitudo conciliatur: fœtui sensus prior accedit, motus verò posterior. Ad secundum & quadragesimum diem primos conatus tentare solet; quos mense tertio vel quarto validiores crebris cal citratibus testatur; nam semen calore quodam cælesti præditum animum in se, cùm naturalem, tũ sensus motusque participem potestatem continet; quæ quidem primis diebus veluti sopita delitescens tandem rumpit in actum, & sese factis ostentat, quam seu vegetalem animam, seu naturam vocites, perinde esse arbitror. Mens autem & præstans illa ratio nullis consortij vinculis corpori adnexa, demissaque cælitùs terreum subijt ac mortale caduci corporis domicilium: ipsa diuersa penitùs conditione cælestis atque immortalis. Et illabendi tempus mensis quartus, vt quidam prodidere, cùm omnes fœtus partes iam absolutæ consummatæque fuerint.

Cùm autem hæc tam variè apud Medicos & Philosophos sese haberent curiosè cœpi inuestigare, quid hodie in Medicis Scholis super hisce circumferretur (quando in Philosophicis ista & alia potissima scitúve digna, nugarum causâ, quibus tempus conteritur, prætermitti non ignorarem) ob idque in Complutensi Academia, quæ valdè in Hispaniis prælucet, doctissimum Michaëlem Barredam† Medicinæ Primarium professorem, omnium quos tulit nostra ætas acutissimum, & reconditæ Philosophiæ d[i]squisitorem consului: à quo sequens responsum: *Cuique datum est formationis tempus iuxta insignes mutationes in ea contingentes aliter atque aliter diuidere, dum tamen singulis partibus terminum certum præfiniat, ego autem tres insignes mutationes in formatione reperio: primam in qua quasi fabricatur domus fœtui accõmoda cum portis per quas alimentum intret, & hæc erit formatio* MEMBRANARVM, *siue* INVOLVCRORVM, *quibus fœtus obtegitur: quæque prima formari omnes Anatomici ex Hippocr. obseruant. Quæ prima formatio, &, intùs contentum* GENITVRA *propriè dicitur: Secundam, in qua internæ partes principales delineantur, & quodammodo perficiuntur (externis rudem quandam tantùm delineationem habẽtibus) quæ ad introductionem animæ sunt necessariæ, de quo loquuntur Sancti, & ista* EMBRYO *appellatur: Tertiam denique, in qua omnes partes etiam externæ, crura & similia apparent perfectè delineatæ, & hæc* PVER *nuncupabitur.* 9

Quæ certè (tanto viro digna) velut

10 incidere † videntur dictis & notatis hoc proposito à *Galeno lib.1.de semi.c.* 9.vbi generaliter tempus quo seminis species præpollet γονὴν, id est, GENITVRAM,ex *Hippocr.* appellat (nihil enim ex *Galeni* sententia eo tempore præter semina coagulata, & crustula obducta apparent.) Secundum κύημα, id est FOLIVM, vocat,quo rudis partium quædam adumbratio, & moles quasi carnea conspicitur. Tertium verò,quo partium omnium spermaticarum prima stamina cernere datur, ἔμβρυον,EMBRYONEM,seu RAMIFICATIONEM indigitauit.Quartum verò cùm omnium partium descriptio, & delineatio perfecta apparet, παιδίον, καὶ κοῖρον, id est,INFANTEM, nuncupauit.

Quod si mea inter tot insignes Philosophos & Medicos sententia alicu-
11 ius esset ponderis;ego†sanè duplicem tantùm formationem & longè diuersam constituerem, vnamque appellarem *primam*, quæ FORMATIO dicetur,aliam *perfectam*, quę EFFORMATIONIS nomine cōmuniter designatur,quam *Valles.figurationem*, appellat suprà. Ita vt prima formatio cū prima & fixa,perfectáque conceptione & animatione (communi homini cum plantis,ex dicendis in §.*seq.*) conueniat;perfecta verò efformatio animæ rationalis infusioni velut contemporanea sit,veréque simultanea, ex dicendis in §.*seq.*Quo fiet,vt harum formationum prima (quæ accidit tempore conceptionis)sit EMBRYONIS; secunda autem (quæ obuenit tempore infusionis animæ rationalis) sit HOMINIS: ita vt eas his nominibus *formatio* & *efformatio* aptè distinguamus. *Delineatio* verò,*repletio* & *carnificatio* (quæ sunt loquelæ communes in Scholis Medicorum: quarumque meminit *Mercadus* in locis *supra* relatis) termini quidam sint, vel mutationes ad perfectam efformationem tendentes, vt clarè supponit *D. Hieronymus in Epistola ad Pammachium* relatus *in capitul.nasci,* 56. *distinctione*,& *Leuinus Lemnius libr.* 4. *de occultis naturæ miracu.cap.*23.*versic. Postremo.*

De prioris formationis tempore intelligenda† sunt quæ *suprà* notauimus de tempore perfectæ conceptionis (in qua concurrit)De secundæ verò efformationis termino agemus *inferiùs*, vbi perfectę animationis tempus designauerimus.

Sed nō prius vltra progrediar quàm errorem *Iosephi*† *Mascar.*notandū retegam,existimātis in suo *tract.de prob. concl.*1146. *n.*18. ante septimum mensem partum nec organizari, nec articulari:quod ab *Arist. libr.*7.*de histor. animal.c.*9. pessimè comprobare contendit. Nec deuiam istam adsertionem quicquam iuuat subauditio *Zacchiæ* in suis *Medico-legalib. tit.*2.*q.*2.*n.* 40.Longè namque differt vltima perfectio ad editionem & vitam necessaria (in qua *Zacchias Mascardum* putat intelligendum)ab articulatione & organizatione, in qua is ipse disertis verbis loquitur.

QVID verò prius, † quid posterius in fœtu Natura effingat post primam formationem,& ante secūdam (quam efformationis nomine condecorauimus)in difficili est,imò Philosophis ipsis & Medicis, qui Anatomica non tractarunt,adeò incognitum, vt *Galen.in lib. de fœt.form.in prin.* Philosophos irrideat, qui nullam ex dissectione considerationem adhibentes rem istam agunt:& *Hippocrati* ideò fortiùs notam fuisse ait; *quia non ratione tantùm, nixisve opinionibus quæstionem hanc prosequutus fuit, sed sensui expositis euidentiis,atque his non paucis:* & repetit *cap.*5. & 6. vbi plura adducit huius propositi, & cæteris deinceps capit;

capitibus *illius libri*; & prosequitur *Auicenna lib.3.fen.21.tract.1.cap.2.* Sed ego rem hanc (quam *Galenus* & *Auicenna* sibi veluti vendicasse videntur) Philosophos sæpiùs tractasse inuen o, maximè *Aristotelem libr. 3. de partibus animal.cap.4.* vbi cor primum formari ait, *Plinium lib.10.cap.53.Censorinum de die natali, c.6.Solinum in Polyhist.c.4. Basi. Magnum in Psalm.1.in princ.Lact.in.Firmian.de opificio Dei, c.12. Plutarch.* (varias antiquorum opiniones referentem *libr.5.de placit.Philos.c.17.*) his verbis: *Aristoteles primùm lumbos in vtero formari ait, tanquam carinam nauis; Alcmæo caput, partẽ scilicet principalem; Medici cor, in quo sunt venæ & arteriæ; Alij magnum pedis digitum Alij vmbilicum.* Dissentit tamen *Galenus*, (qui ea quæ de corde *Plutarchus* Medicis tribuit) ipse ad *Chrysippum*, aliósque *Stoicos*, & ad *Peripateticos* refert *li.de fœt.form.c.4.* Qui antea in c. 2.iecur omnium prius efformari obnixè contenderat. At *Genebrard. supr. Psal.138.vers.13.* verbis illis: *Quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ* (in Hebræo *Sanct.Pagnini: Texisti me in vtero*, &c.) meminisse ait, Diuinum *Psaltem* renum quòd primum formentur, velut duæ Sphæræ Poli.

Cùm autem nihil certo experimento compertum vnquam fuerit, inque eo dissidentes sint *Arist.Galen.* & *Auicenna*, vt rectè notat *Pet. Garc.in eundem Auicen.disput.38.c.1.num.10. vers. Ad vltimum*: hinc *Ioan.Fernel.* omniũ, quos viderim, primus ansam arripuit, vt contenderet in *libr. 7. Physiolog. cap.10.* omnes hominis partes simus in vtero efformari. Cúmque humani corporis quibúsque partibus idem principium tribuisset, perfectionis verò terminos diuersos asseuerasset, subdit hæc in *fine* capit. *Quoniam magna est partium tum in dignitate, tùm in facultatum robore varietas, fieri omnino nequit, vt gubernatrix omnium* NATVRA *omnes æquè promoueat: sed dum ipsa vniuersim in omnes vires suas exercet, accidit, vt aliæ partes citiùs, aliæ tardius formam consequantur, & genitæ appareant. Ac tum primum vsu quodam dicere solemus Naturam eas partes procreasse. Proinde si quis à veteribus conformatarum partium propositus est ordo, non agentis est Naturæ, sed effecti operis.* Et hanc considerationem (quâ dissidentes antiquorum sententias velut ad concordiam reducit) aptè comprobat ex *Hippoc.* & prosequitur *Andreas Laurentius libr. 8. de histor. anatomica, cap.5.qu.1.& seqq.* & *Mercad.libr.1.de princip.p.4.clas.2.art.2. Pet.Garc. in Auic.disp.38.c.1.ex num.5.Iacob. Guillelm.* (ab *Hippocr.in d.libel.de locis*) *in opere Chirur.libr.1.de gener.tit.de semine, fol. 206.in prin.& 213. Tho. Fienus* (de internis & externis, supernis & inferioribus partibus corporis loquutus (in *li.de format.fœt.q.1.* & post istos (quorum nomina suppressit) *D. Sancta-Cruz de Hippocr. Philosoph.super text. 44.ab Hippocr.eodem loci* dextrè comprobare conatus.

Sed mihi, his omnibus insuperhabitis, certius & verius videtur ista hominibus omnino incognita esse, vti clarè Regius *Propheta* testatus est d. *Ps. 138.vers.14.& seqq.* dum ait: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum* in translatione Hebr. *Sanct. Pagn. embryonem meum*) *viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.* Quibus verbis (vt concinnè interpretatur. *Genebrar.*) velut quodam paradigmate perspicacitatis Diuinæ mirabile artificium in membrorum in-

ternorum compagine (hominibus ignotum) *Propheta* insinuat. In his ergo nil certi mortalibus nosse datum est. Nihil enim inhumanis rebus humanâ formatione diuinius, nil admirabilius, nil denique magis reconditum. Id quod *Galenum* (harum rerum diligentissimum indagatorem) demum agnouisse video in *libello, An omnes partes animalis fiant simul*, vbi apertè fassus est hoc soli DEO & NATVRÆ cognatum. Et inde *is ipse* in *lib. de fœtus format. cap. vltim.* humanæ generationis perfectionem considerans, eam nec ab anima vegetatiua, nec à temperamento patrari posse, sed vel à DEO, vel ab aliqua SAPIENTISSIMA INTELLIGENTIA asseuerauit. Et ante istum *Plato in conuiuio*, ita ait: *Viri sanè mulierísque congressu fœtus partúsque prouenit. Est autem opus hoc* DIVINVM, *& in animali ipso mortali immortale, hoc est*, CONCEPTIO *scilicet &* GENERATIO. His mirè concinit insignis *Tertulliani* locus expensus *sup. in Proleg. num. 6.*

ET ab istis sanè (& iterum atque aptiùs à *Propheta* P*sal.* 118. *vers.* 73. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, & Iob. cap.* 10. cum traditis ab *Scoto* 2. *Sentent. d.* 18. & anteà à *D. August. libr.* 16. *de Ciuit. Dei. cap.* 8. & alibi *inferiùs* expendendo) facilis & prōpta subministratur resolutio illius perarduæ, valdéque agitatæ inter Philósophos & Medicos disquisitionis,
15 †quæ in designanda efficienti conformationis humanæ causa versatur. In ea enim varij & nutantes fuerūt Principes rei Philosophicæ & Medicæ *Aristot.* & *Galenus*, ille siquidem in *libris de anima*, variis locis anxiè dubitat, quid sit illud quod fœtum conformat? an anima? an pars animę? an animam habens? an facultas animæ vegetans? *Et libr.* 12. *Metaphys. c.* 18. hoc tribuit intelligentiæ cælesti. Et *libri secundo de gener. animal. c.* 3. cœlesti cuidam vi cum cœlesti calore in spiritu seminis residenti. *Galenus* verò *l.* 1. *de vsu partium cap.* 1. *& lib.* 9. *de placitis, cap.* 5. *& libr.* 1. *de facultat. natur. cap.* 5. & alibi, plura inuoluit. Demúmque in d. *libro de fœtus formatione, capit.* omnibus vndique perpensis cōcludit se causam humanæ conformationis ignorare: qualiscunque tamen ea infinitâ potentiâ & sapientiâ prædi tam ratus est; & subdit, se nullos vnquam Philosophos reperisse, qui veram sibi conformatricem designauerint: indéque rogat omnes vt si de quicquam certi repererint, id sibi velint communicare.

Sin autem subsequentium Philosophorum & Medicorum scripta attentè perlegeris, plures inuenies, qui intelligentias, effluxus cœlestes & animam mundi conformationis humanæ causam efficientem putant. Alij calorem natiuum. Alij generatiuam parentum. Alij vterum. Alij semen solius viri vel vtriúsque parentis. Alij demum animam rationalem post conceptionem fœtui aduenientem.

Sed certè omnia ista facilè refelli posse puto à quoquam scripta Auctorum super hisce inter se dissidentium euoluenti: maximè ea quæ docto calamo nouissimè congessit & digessit *Thomas Fienus* Medicus Louaniensis *in libro de formatione fœtus.*

Quæ nos quâ potuerimus breuitate prosequuti, & alia insuper addentes, adnotamus, intelligentiis influxibus, animæve mundi formatricé nequaquam adscribi posse, cùm substantiæ abstractæ non inducant formas in materiam, sed solæ corporeæ materia & forma præditæ, vt colligitur ex *Arist. libr.* 12. *Metaphys. capite secundo*, & probat

probat apertè *D.Tho.* 1. *p.quæstione nonagesima sexta*;*art*.2. Vnde est,vt nullum prædictorum possit seminis partes alterare,immutare,exsiccare, calefacere, & ad formam ossis, carni & nerui disponere.

Generatiuam verò parentum (quam fatemur causam esse efficientem dispositionum & alterationum animæ introductionem necessariò præuenientium) non potest esse causa efficiens ipsius formationis: nam quod non est actu, non potest esse causa in actu; generatiua parentum potest non esse actu tempore conformationis: quinimò & potest tunc temporis in rerum non esse natura: planè ergo consequimur à generatiua causam actualem conformationis humanæ prouenire non posse.

At calor solus natiuus seminis efficientem causam prædictare conformationi præstare non potest (quicquid nouissimè dixerit *D.Sācta-Cruz de Hippocr.Philosoph.super text*.43.*discur*.5.ab *Hippocrate ibidem*) cum tanta támque diuina & admirabilis actio nudæ ac simplici caloris qualitati adscribi non possit. Maximè si notes in conformatione velut infinitas particulas concurrere, in quarum singulis peculiaris *figura*, *quantitas*, *situs* & *numerus*, ad amussim obseruantur. Quis autem sanæ mentis ista omnia nudo tantùm tribuet calori? cùm re vera virtutem aliquam diuiniorem aut longè excellentiorem exigant.

Quid quod vteri virtus non potest esse causa principalis efficiens, nisi cōcedas viri semen in generatione passiuè concurrere (quod contra commune Philosophorum & Medicorum placitum quidam incassùm adserere non sunt veriti) & simul admittas, mulieri (quæ simul cum viro concurrit, & semen aptum, necessáriúmque conceptui subministrat, ex dicendis in *c*. 20. & spiritus calorem,quem vocant, natiuum, & alimentum pro toto tempore gestationis in vtero præstat) velut totam hominis generationem deberi; cum alioquin communis Philosophorum Schola, *Aristotelem* Antesignanum sequuta, vix minimam ei concedat particulam. Adde oua auium extra vterum conformari; quæ res clarè præ se fert, semen animantium à sola vteri vi conformationem non accipere. Demum in ista nota,vterum in generatione eodem se habere modo, quo terra in plantis, quæ nullam certè habet virtutem eas conformandi.

Sub hæc opinionem illam (quæ habet vtriusque semen aut virile tantùm conformationi hominis in causa esse, ex *Aristot.lib*. 1. *de generat.animal.cap*. 20.*&* *lib*.2.*cap*.1.*Galeno de fœtuum format.capit*.2.3.5.*&* 14.*&* *libr*.1.*de semine*, *capit*. 8. *&* 18.& *lib*. 2.*cap*.1.2.5.*&* 14.& *libro primo de vsu partium cap*. 7. *&* 8. omnium maximè inualuisse video, vt quæ à Neotericis primæ notæ viris tam in re Philosophica quàm Medica comprobatur, & præcipuè à *Fernelio libro sexto Physiolog.c* 4.6. *&* 9. *Mercuriali in libr. de hominis procreatione*, *cap*.6.*Vallesio libr*.2. *controuers.capit*.7. *Schola Conimbricensi libr*. 1.*de generat*. *c*.4.*Andrea Laurentio lib*.8.*de histor.anatom*. *q*.2.*&* 12. *Sancta-Cruz super d. tex*.43. Hi enim & alij ab iisdem relati in semine principium actiuū (vt aiunt) generationis, id est,quandam vim admirabilem & diuinam testibus impressam,& ab anima parentum procedentem ab *Aristotele* & *Galeno sup*. apponunt. Dein sententiam suam (ab illa sese illicò obiiciēte impugnatione aientium, actionē & passionem simul in eodem, his attentis, concedendam subiecto) variis vindicant mediis

& subterfugiis: sed infeliciter quidem, vt *Fienus* dicto *libr. de formatrice fœtus, quæstio. 6.* per totam validissimis adstruit mediis. Quorum quintum ad litteram proponendum duco, vt quod singulare & excludens omnino quæ passim ab huius sententiæ assertoribus circunferũtur. Ait enim sic: *Quintò; si in semine esset principium actiuum conformationis, seu generationis, vt alij confundunt, semen ageret in seipsum, vt docet* Aristot. 1. de generat. & corrupt. cap. 7. *Ergo. Quia si aliquid ageret, in seipsum esset agens & patiens actu & potentia respectu eiusdem, quod est impossibile; quia esset destructiuũ sui ipsius, & maximè semen, quia illa actio eius tẽderet per se ad destructionem ipsius: tenderet enim ad generationem viuentis, quæ fieri non potest absque seminis destructione.* Scotus in 2. Senten. distin. 18. *in fine, postquam dixisset, semen non esse principium actiuum vltimæ formæ, scilicet animæ rationalis: quærit, an saltem possit esse principium præuium alteratiuum corporis organici, quod generatur? & concludit, quòd non, & inter alias ponit hanc rationem: quia (inquit) sequeretur hoc absurdum, quòd aliquod ageret in seipsum. Quod argumentum tanti fecit, vt eo coactus dixerit pro inueniendo principio conformationis, ad virtutem diuinam ac cælestem esse confugiendum. Ad saluandum hoc argumentum solet communiter responderi, in semine esse diuersas substantias, vnam tenuem & spirituosam, aliam crassam & terrestrem: in illa residere virtutem actiuam, hanc esse materiam & principium passiuum: & illam virtutem actiuam ex spirituosa parte agere in partem seminis crassiorem tanquam in materiam: & hac ratione vnum & idẽ nõ agere in seipsum, sed in diuersa: nec vnum & idem habere rationem principij actiui & passiui respectu eiusdem, sed solùm respectu diuersorum, quod non est absurdum. Actiuum illud principium, seu illam virtutem residere in spiritu seminis docet* Aristotel. 1. de generatione animalium capit. 3. &c. *idem docet* Diuus Thomas 1. part. quæst. 118. art. 4. ad 3. *his verbis:* Et ideo non oportet quòd illa vis actiua habeat aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine, quod est spumosum, vt testatur eius albedo: *quæ eadem dicit* 2. contra Gentes, cap. 89. *& nonnullis aliis locis. Verùm solutio non valet, & in rei veritate non est, nisi mera euasio inuenta ad argumenti elusionem, quia non est verum talem virtutem in spiritu seminis residere. Quod probatur primò, quia spiritus qui in semine est, vel est pars essentialis eius, vel non est. Si est, sequeretur vnam partem essentialem alicuius entis esse destructiuam alterius partis essentialis eiusdem. Hoc esse non potest. Primò, quia infinitæ res inueniuntur in mundo constantes diuersis ac heterogeneis partibus, in quibus tamen non videtur vna vnquam destruere alteram, seu vna esse ordinata ad destructionem alterius. Etenim si vna esset ordinata ad destructionem alterius, sequeretur quòd esset ordinata ad destructionem totius: & consequenter sui ipsius: vna enim parte essentiali destructa, totum destrueretur. At contra est, quia partes essentiales vnius entis non sunt comparatæ ad pugnandum inter se, seu se mutuò destruendum, sed vt concordi nexu colligentur, & amica vnione valeant formam sustentare; & forma vicissim comparata est, vt partes illas teneat vnitas & regat, ne à se mutuò secedant, vel mutuò destruant. Nisi enim ita esset, nunquam posset forma in rebus heterogeneis vel ad minimum tempus subsistere ac permanere. Accedit, quòd actio omnis permanet ab ente toto, & ab ente perfecto & à supposito: partes autem essentiales vnius entis non sunt ens totum, neque ens perfectum, nec suppositum, & ita per se non agunt*

agunt. Si non esset pars essentialis seminis, sequeretur quòd illa virtus non esset in semine, nisi vt in continenti, & vt in loco, & quòd non esset in semine, sed in aliquo alio corpore in semine contento: & quod semen non esset vnum ens de per se, sed aggregatum ex diuersis entibus: & ens vnũ per aggregationẽ, & non per essentialem compositionem, quod est absurdũ. Secundò, si virtus illa resideret in solo spiritu, & non in toto semine, hoc natura non fecisset propter aliam causam, quàm quia in vna & eadẽ substãtia non posset esse principiũ actiuũ & passiuũ simul. Si ergo propter illam causam esset in spiritu, sequeretur quòd propter eandem deberet quoq; esse in spiritu seminũ reliquorũ omniũ viuentiũ: at non est in spiritu seminis piscium, auium & plantarum, quare nec in spiritu seminis aliorũ animaliũ. Minor probatur, quia in ouis auiũ, quæ habent rationẽ seminis, & in seminibus piscium & plantarũ nulla talis est substantia spirituosa. Nã quæ substantia est spirituosa in albumine oui natura frigido & humido, & iã ab aëre multos dies actuali frigidatione refrigerato? quæ autẽ substãtia spirituosa est in seminibus plãtarũ iã diu in scrinio custoditis & exsiccatis, & interim adhuc fœcundis. Tertiò ad hoc vt illa virtus posset esse principiũ actiuum conformationis aut generationis deberet inesse talis substantiæ, quæ semini maximè esset intrinseca, eíque essentialiter vnita, quo in eius omnes partes ageret, eísque firmiter adhærere, ab eísq; nunquam recedere, ac diuelli posset: at spiritus non sunt semini sic intrinseci, nec sunt semini essentialiter vniti: Ergo. Etenim propter suã tenuitatem & fluxibilitatem non possent substantiæ seminis sic vniri, intrinsecari atq; adglutinari, quin possint ab ea semper auolare. Et de facto non esse sic vnitos, & intrinsecatos spiritus, ex eo patet, quod quàm citissimè in aërem euanescunt, & suo recessu relinquunt semen aqueum albedine sua destitutum, & infœcundum, quod non esset, si ei essentialiter vniti, & penitus essent intrinsecati. Quartò, virtus illa, quæ nos in vitæ exordio formauit, primámq; carnem, ossa, neruos produxit, est absq; dubio illa eadem, quæ adhuc nunc aliquando in nobis partes deciduas reponit, & nõdum genitas producit, vt iam ostensum est. Hactenus *Fienus* in hoc quinto & irrefragabili medio. Quo penitus euertit cõmunem hodiernum assensum existimantium, semen causam efficientem conformationis præstare.

Nec vim eius effugiunt concedentes omnes seminis partes formationi deseruire: & addentes, semen ex *Aristotele libr. 9. Metaphys. cap. 9.* esse substantiam quandam imperfectam omnino, à natura intentam propter finem generationis, & non propter seipsam. Et inde in *libro* incerti Auctoris *de definitionibus Medicis, c. 2.* semen ita definiri, vt sit *spiritus calidus in humido, qui in seipso mouetur, potens generare, quale est id à quo decisum est*: à quo mirum videri non debet, si propria operatione ad alium finẽ principaliter ordinata, sese destruat, nullo ob id inconuenienti concesso, vt putabat *Fienus*. Nam hac solutione (quæ non ratione, sed *Aristotelis* auctoritate iam hisce insuper habitâ, præcipuè innittitur) admissa, in aliud manus incidimus absurdum. Siquidem *ineuitabili* (vt est in dicterio) *Fato* cogimur fateri, aliquid sine causa fieri. Ex quo enim in instanti quo fit viuens, iam non est semen, cùm duæ formæ in eâdem materia admitti non possint, clarè consequimur, ad semen causâ efficienti generationis relatâ, eam in suo priori instanti absque causa cõsistere. Quòd si instes, semen in generatione quæ in instanti fit, non concurrere, sed in organizatione tantùm: affectata sanè deuia & ridicula erit euasio, vt quæ à semine abstrahit, quòd eius est, & quòd

principaliter intendit, & illud indulget, quod ei aptari nec vllo modo potest, ex iam dictis. Vltra quàm quòd euasio ista confictum quid & improbabile tanquam certum supponit: & velut idem per idem probat.

Denique anima rationalis fœtui post conceptionem adueniens, non potest esse causa efficiens conformationis, vt nouè & paradoxè existimauit *Thom. Fien. de formatr. fœtus, quæ. 7. conclu.* 8. & nouissimè post eum sentit *Ioan. Bapt. Poza.* (iisdem mediis & rationibus vsus) *in Elucid. Deiparæ lib. 3. tract. 6. c. 5.* Hoc enim prædictis omnibus incertius & inuerosimilius est, variisq; ex causis ob id à *D. Sancta-Cruz* explosum de *Hippocr. philosoph. super text.* 43. vbi argumentis *Fieni* respondet, & causam erroneam quæ ipsum mouit, retegit.

Et ego adductis in cõtrarium à *Sancta-Cruz* addo, *Fienum*, dum conformationis seu organizationis causam animæ rationali adscribit, generationis (quam sua argumenta propriùs respiciunt) velut oblitum causæ, quæ sanè ad animam rationalem referri non potest, cùm generatio (vt omnes Philosophi passim ex *Aristotele* variis locis attestantur) sit formę productio, vel vnio in materia: cùm autem anima non possit esse causa sui ipsius, *Fien.* planè obstringitur nobis designare causam efficientem immediatam, ab anima rationali diuersam, in formæ productione vel vnione eius cum materia cõcurrentem, quæ sit etiam causa efficiens conformationis (separandæ dubio procul ab animæ introductione, cuius vltimæ dispositiones sunt organizatio, & perfecta hominis conformatio.)

Secundò, viuentia omnia (vt ex *Philosopho lib. 1. Physic. cap. 3.* notant cæteri) terminos habent magnitudinis & paruitatis, vt ipsi loquuntur, hoc est, certam requirunt materiæ quantitatem, à qua primum sui esse recipiant, & hoc quidem in instanti intrinseco suæ conceptionis, in quo verum est dicere. *Nunc sunt, & antea non erant.* At determinata ista quantitas ad inceptionem & primum esse requisita, & ad formandum diuersa organa necessaria, non datur in anima: clarè ergo consequimur, eam conformationi in causa efficienti esse nõ posse: alioquin enim si saluari & conseruari posset anima in materia non organica, cur etiam & in quauis parte carnis separata non conseruabitur aliquo tempore? quod magnum certè præ se fert absurdum.

Tertiò, si anima rationalis conformationem mollitur, planè ipsa introducit, & producit omnia organa & membra humana, iuxta species in semine virtualiter tantùm contentas. Quî ergo fieri potest, vt anima rationalis à semine tantùm humano monstra conformet, & hominem aliquando producat aliquibus membris belluæ similem, aut belluam membra aliqua humana habentem? Et vbi est virtus animæ ad ista efformanda? cùm in semine tantummodo sint species illud emittentium.

Ad hæc *Fienus* supponit perfectam corporis efformationem & organizationem ante animę rationalis infusionem contingere non posse: intérque eam & cõceptus coagulationem, primámve formationem, de qua egimus *sup.* vix aliquod tempus considerabile admittit. Et ab his eò prolabitur, vt asserere ausus fuerit, animam rationalem secundo aut tertio à conceptionis die fœtui infundi: quod quàm falsum sit, & deuium in *§. seq. nu. 6.* clarè comprobabimus.

Dum tamen hîc quinto & vltimo loco non prætereamus *Fienum*, & ab eo valdè notandum, quòd conceptum inter-

interuallo illo duorum, triúmve dierum,quod ante animæ infusionem designauit, ociosum facit contra ea quæ *Fernel.*disertè aduerterat *lib.7.Physiologiæ*,cap.10.

Quid quod & in Fide Orthodoxa magna forsan ab hac opinione *Fieni* resultant inconuenientia, quæ Theologi melius præuidebunt.

Nec quicquam prædictum *Fieni* hac de re nouum iudicium iuuant alia argumenta, quibus id adstruere conatus fuit *d.q.7.* Primum enim ab enumeratione (vt aiunt)partium constructum facilè in eum retorquetur,attentis superiùs traditis. Secundum verò idem ferè concludit: Eíque, cum alio ducto ab exemplo plantarum (in quibus animæ introductionem subsequitur conformatio) ex integro fit satis à traditis quàm dexterrimè per *Doctorem Sancta-Cruz super dicto textu 43.* Vltimo demum *Fieni* medio ducto ab auctoritate *Aristotelis* & *Galeni* (vltra quam eius inductione non parum torquentur.) Respondeo, ipsum paulò antea agnouisse & notasse istorum varietatem: vt vnde nil mirandum, si hinc illinc errantes,dum causam conformationis inquirerent,eam vel animæ introductioni, inter cætera adscripserint.

Cùm ergo à prædictorum omnium enarratione & cõfutatione planè demonstrauerimus, nullam ab illis congruam conformationis effectricẽ causam posse desumi,clarè consequimur, eam ad DIVINAM POTENTIAM & SAPIENTIAM referendã ex *Propheta,Tertulliano,Scoto,Platone* & *Galeno* s̃.adductis. Ita vt Deus sit causa efficiens prima formationis humanæ, in qua interueniunt velut causæ proximè adiuuantes, *intelligentia mouens cœlum*,& *cœlum ipsum*,cum suis *influẽtib. qualitatibus*,& cætera s̃.relata;maxime *vterus* suo calore & loci cómoditate eidem conformationi apprimè aptus. Id quod placuisse video *Doctori Sancta Cruz super d. textu 45. discur.5.* & demum velut in nostra incidisse *cõsider.1.vers.accedamus*,& alibi.

Nec quicquam his obstat consideratio *Fieni de format.fœtus q.1.*inquiẽs in conformatione humana monstra contingere non posse, si Deus esset eius causa proxima, cùm errare non possit. Hic namque obex (quo superatus *Fienus* nouam causam in casum excogitauit) facilè diluitur ex traditis à *D. August.lib.16. de Ciuit.Dei, d.c.8.* ita in proposito egregiè edisserente: *Deus Creator est omniũ,qui vbi & quãdo creari quid oporteat vel oportuerit, ipse nouit: sciens vniuersitatis pulchritudinem,quarũ partium vel similitudine, vel diuersitate contexat. Sed qui totũ inspicere non potest,tanquam deformitate partis offenditur: quoniã cui cõgruat & quò referatur ignorat. Pluribus quam quinis digitis in manibus & pedibus nasci homines nouimus, & hæc leuior est quam illa distantia. Sed tamen absit vt quis ita desipiat, vt existimet in numero humanorum digitorũ errasse Creatorẽ quãuis nesciens cur hoc fecerit; ita & si maior diuersitas oriatur,scit ille quid egerit, cuius opera nemo iustè reprehẽdit.* Idem *Diuus* iterum de monstrosis partionibus loquutus *li.21.de de Ciu.Dei, c.8.* ita ait: *Nobis autem ista quæ velut contra naturã fiunt: & contra naturam fieri dicuntur(quo more hominum loquutus est & Apostolus, dicendo*: Contra naturam in olea insitum oleastrum factũ esse participẽ pinguedinis oleæ)*& monstra,ostenta,portenta,prodigia nuncupantur: hoc monstrare debent,hoc ostẽdere vel præostẽdere,hoc prædicere,quod facturus sit Deus,quæ de corporibus hominũ se pronuntiauit esse facturum, nulla impediẽte difficultate,nulla præscribẽte lege naturæ.*Vnde *Hierony.relatus in cap.nasci 56.distinct.*ita ait: *Inter seci e-*

tas ventris angustias Dei munus semper operatur, idemque est corporis Creator & animæ. Noli despicere bonitatem figuli tui qui te plasmauit & fecit vt voluit.

His accedit primam & præcipuam intra nostrum captum monstrosorum partuum causam ad DEI OPT. MAX. iustitiam & prouidentiam referendam, vt optimè post *Iacobum Rueffum lib.5.de conceptu,cap.3. Gasparum Peucerum lib.15. de diuinat. generib. cap.2.* notat *Gasparus Bauhinus lib.1.de Hermaphroditis,cap.7.* Deus enim (vt iste ait) eiusmodi partiones *vel in scelerum vindictã, vel in futuræ mox vltionis signum generari* PERMITTIT: *idque vel propte parẽtum impietatem: vel propter errorem in coniunctione commissum, dum à concubitu eo tempore quo lex diuina & honesta prohibent, homines non abstinent, vel vago & nefando concubitu sese miscent* (vnde *Esdræ lib. 4.cap.5. feminas sanguine menstruo conspurgatas monstra parituras* prædicitur) *vel ob alias causas mortalib.ignotas.*

Prædictis omnibus demum addo ad DEVM OPT. MAX. immediata conformationis causa relata, vitari conformatricem sopitam, iterum in adultioribus suscitatam, & dentes gignentem & proferentem ex *Fernel. lib.7.Physiol.c.vlt.* & aliis. Quos dum effugere destinasset *D. Sancta-Cruz* incongruum sanè huic obiici responsum assignauit *super d. text. 41.fol.74. vers.quarta, & fol.82.vers. ad Vndecimum*, vbi iterum ista *summis* (vt aiunt) *labris* delibauit. Nec feliciùs certè vim *5.argum.Fieni* (vt hæc obiter dicam) effugit *d.fol.74. vers. quintum*, diuersas in semine partes constituens; id quod planè refellitur ex dictis s̃.

Demum verissima ista sententia admissa, & aliorum nugis explosis, vitabimus diuersam conformatricem, quã velut coacti fatentur alij, qui in semine, calore, vero & aliis s̃. relatis eam à principio ponebant.

§. II.

DE ANIMATIONE.

SYNOPSIS.

1 *Duplicem velut constituit Auctor animationem, duplici formationi respondentem.*

2 *Hominem vita plantæ prius viuere plures ab Aristotele affirmantes Auctor citat: & in id vltra omnes, Hippocr. & Chalcidium expendit.*

3 *Quod Aristoteles de vita Plantæ dixit, declarat & illustrat.*

4 *Nullus in homine datur animarum concursus.*

5 *Vita & anima differunt.*

6 *Nullam verò animã ante rationalem in corpus introduci fatetur Auctor.*

7 *Improbat sententiam Olerij, Petri Garciæ sequentis Menam, & alios, & ab eorum impugnationibus Aristotelem & D.Thomam vindicat.*

8 *Diuisionem formationis in internam & conspicuam explodit.*

9 *Ad veram & nouam interpretationẽ l.1.§.si quis proximior, D.vnde cognati, ex dictis infert.*

10 *Sensitiuam animam non esse tempore priorem, nec à rationali diuersam tenet cum Neotericis.*

11 *Sententiam apponentium animam in semine, refellit, & quî istud intelligi & procedere possit, declarat.*

12 *Quosdam animationem ante corporis humani constructionem malè supponentes refert. Et num.13. adducitur, & probatur contraria sententia Diuorum Augustini, Hieronymi & aliorum. Et num.18. confirmatur Augu-*

Augustini ratione. Et num.19. pro ea Auctor expendit Hippocr.& Arist. Ex numer 14. probatur auctoritate Exodi iuxta lectionem LXX. Interp. Et num.15. & 16. defenditur ab impugnatione Fieni (cui arrisit P. Ioann. Babtista Poza) & comprobatur ex Philone & alijs.

17 Pater Poza conatus fuit respondere Augustino & Hieronymo, sed nihil minus præstitit: & ab alijs eorundem locis, & Tertull. cum Lactantio refellitur.

20 Tumultuariæ euasiones Fieni, à Poza approbatæ, reijciuntur.

21 A dictis Auctor lucem dat l. si quis aliquid, §. qui abortionis. ff. de pœnis.

22 Opinionem Argenterij falsam & erroneam esse à dictis demonstrat.

23 Ieremiæ cap.1. communi opinioni non obstare, quinimo eam adstruere ostendit.

24 Secundæ animationis tempus varium designat.

25 Hippocrates masculum triginta diebus, fœminam vt longissimè quadragesimo secundo die efformari docuit.

26 Aristoteles verò maris efformationi quadraginta dies, fœminæ nonaginta designauit.

27 Hippocrates & Aristoteles non solum dissident in tempore efformationis, sed & motus.

28 Auicennæ & aliorum plurium opiniones circa tempora introductionis animæ rationalis recenset.

29 Læuinus Lemnius aliud diuersum efformationis tempus apposuit.

30 Bonauentura certum tempus animationi à Leuitici c.12. præfiniens, refellitur.

31 Opinionem quorundam Theologorum refert & refellit. Et num.32. diuersas aliorum Theologorum sententias adducit Auctor.

33 Quid in his Iurisprudentes senserint, declarat.

34 Hippocratis doctrinam à Vallesio probatam sequitur.

35 In decisione causarum rem istam iudicis arbitrio deferendam concludit.

36 Tardioris efformationis fœmineæ rationem reddit ab Hippocrate.

37 Franc. Vallesius ab iniusta nota Bonauenturæ vindicatur.

38 Aristotelem libr.7. de animal. hist. c.3. fœliciter à Vallesio emendatum diiudicat.

39 Tardioris partus fœminei editionis rationem cum Lalamantio à dictis eruit.

40 Plinium in hisce valdè errantem notat. Et numer. 41. ridiculos versus Ægidij terminos efformationis & animationis decantantis. Et numero 42. alios Ausonij cum notis Eliæ Veneti.

43 Cupidos alia, efformationem & animationem attinentia, pernoscendi, ad Auctores iam relatos remittit.

SVPERIORE §. duplicem hominis formationem assignanimus, primam imperfectam, quæ cum conceptione concurrit, secundam perfectam, cui simultanea est animæ rationalis infusio. Nũc addimus velut † duplicem in homine esse animationem, 1
duplici formationi quodammodo respondentem, ita vt priore, conceptionis & formationis primæ tempore contingente, fœtus viuat *vita* (vt aiunt ferè omnes) *plantæ*. Secundo verò tempore, vita perfecta (quam vocant *sensitiuam*) & rationali simul, vt nunc sentiunt plures. Et primum quidem clarè comprobant ex † *Aristot. libr.2.* 2
de gener. animal. cap.3. ita intelligendo in illis verbis, *Conceptum enim inanimatum esse nemo statuerit vita omnibus modis priuatum: quippe cùm nihilominus semina & conceptus animalium viuant quam stirpes, & aliquando prolifica sunt.* Et mox ita clariùs ait: *Prin-*

cipio enim hæc omnia vitam stirpis viuere videntur. Et idem repetit *libro 5. de generat. animal. cap. 1.* & comprobat *Galenus lib. 1. de semine, cap. 9. & in libro de format. fœtus, cap. 3.* doctissimus & insignis Philosoph s *D. Thom. libr. 2. contra Gentes, cap. 89.* vbi rationem reddit (à *Pet. Garc. in Auic. disput. 38. c. 2. nu. 13. & 14.* optimè defensam) & demum ita ait: *Anima igitur vegetabilis, quæ primo inest, dum embryo viuit vita plantæ, corrumpitur, & succedit alia perfectior,* &c & repetit *1. p. in quæst. vnica de anima, art. 11. ad 1. & q. 3. de potentia, art. 9.* & senserat ead. *1. p. quæ. 79. art. 3. ad 3.* & *q. 118. art. 2. ad 2.* Cardinalis *Tolet.* (exemplo ab amygdala ducto, in qua prius est aqua, postea lac, & demum coagulatio, & induratio eam perficiens) *lib. 2. de anima, cap. 4. q. 7. Fernel. lib. 5. physiolog. cap. 18. & lib. 7. c. 5.* Et post plures alios ita nouè stabiliuit *Schola Conimbricen. lib. 2. de anima, cap. 1. q. 4 art. 2.* Et ante omnes id innuisse & sensisse mihi videtur *Hippocr. in l b. de genitura,* dicens, *Si genitura ab vtroque parente perfecta in mulieris vtero permanserit, primùm quidem, cùm mulier minimè quiescat, simul permiscetur, condensatur, & calore crassescit, deindè spiritum concipit.* Et hunc, mox calidum in principio, deinde frigidum esse ait, eoque genituram nutriri, vt contingit in lignis, leguminibus, &c. Et demum concludit: *Quæcunque enim incalescunt, spiritum emittunt, & alium frigidum vicissim, quo nutriuntur, attrahunt. Atque hæ quidem à me adductæ rationes necessariò efficiunt, vt genitura in vtero incalescens spiritum habeat, & emittere videatur, simulque à matre spirante spirationem habere.* Nec ab his dissentit *Chalcidius in Timæum Platonis.*

Cùm autem *Aristoteles,* & priores eum sequuti edixerunt, hominem vita stirpis aut plantæ viuere, non ita intelligendum † est, vt eadem homo tunc temporis viuat vita qua planta, sed instar plantæ (quę animal non est, vt malè existimabant relati à *Plutarcho lib. 5. de placitis philos. cap. 26.*) adnascendo alimentum sibi desumere, & ad vltimam tendere perfectionem, vt docet idem *Aristot. l br. 3 de generatione animal. cap. 2.,* vbi cùm docuisset, principio vita plantæ viuere, quæ in ouis, & quæ in animalibus gignuntur, vt hæc aptiùs perciperentur, subdit: *Adhærendo enim capiunt primum & incrementum & alimentum:* quasi diceret, auium & animalium cæterorum nutritionem consimilem, quam damus in plantis ab incremento & alimento prouenientem. Et hoc mirè confirmat *Petrus Garcia in Auicen. disputat. 38. cap. 2. nu. 12.* ab eodem *Aristotele lib. 5. Metaphys. cap. 4.*

Et inde quàm euidentissimè elicitur vitam plantæ apud *Aristotelem* pro facultate quadam vitali, & vere nutritiua, vel pro operatione virenti vitali desumendam, non pro vera vita, quæ nec in plantis est: cùm enim is & alij *vitam plantæ* dixerunt improprie sanè, & velut similitudinaria quadam elocutione vsi sunt, vt in hi aptissimè probat *Theophrast. lib. 4. cap. 5.* dicens: δοκεῖ ὁ βίος τῆς χλόας εἶναι [...] in plantarum *productione inesse videtur.* Et conferunt quæ *is ipse* tradit *lib. 1. capit. 11.* & *ibidem* commentatus est *Iulius Scaliger:* & demum notauit *Ambr. Pareus lib. 23. c. 11.* Sed & isto in sensu similitudinario plantas in mares & fœminas distinxerũt *Plin. lib. 21. cap. 21. Theophrast. de causis plantarum lib. 3. cap. 10. Galen. libr. 6. de simplicibus. Dioscorides libro 4. capite 6. D. Ambros. in Hexamer.* addentes in hisce integrum concursum paterno & materno similem dari: quæ omnia (simul cum aliis adductis p[...]

batum à Platone, Aristot. & aliis in *Eclog. physic. tit. Quomodo stirpes alentur*) ad nutritiuam istam facultatem virentem seu vitalem sunt referenda. Ea enim in cuiusuis mortalium generatione præexistit, & animæ rationalis infusionem præit, nullo ab hac regula excepto præter primum Parentem quem eâ contentum malè putauit *Valles. in sacra philosoph. cap.* 4. (in hoc iustè notatus à *D. Sancta-Cruz de Hippocr. philosoph. super tex.* 44.)

4 Et ab iisdem clarè itidem infero, nullum † in homine dari animarum concursum eum efformantium, & consequenter plurium formarum in eodem subiecto: vna enim tantùm est anima & vita, seu principalis animæ efformatio ab animæ infusione post vltimam corporis perfectionem (vt inferiùs probabimus) proueniens: anima enim vegetatiua, siue facultas nutritiua, & similes, habent se (vt strenuè ait *Peramatus in lib. de anima facultat. c.* 4.) tanquam præparamentum ad animam intellectualem, quæ *verus est actus* (vt *iste* ait) *& hominis entelechia.* Hinc clarè percipies rationem qua motus fuit *Aristot. lib. 7. politic. c.* 16. vt in multitudine filiorũ gentilitio ritu vitanda, & deperditione (quam *ἀμβλωσιν* appellant) inferenda edixerit: FAS ESSE VEL NEFAS: PIVM ET RELIGIOSVM VEL NON: deperditionem istam curare, FAS scilicet si fieret primis concepti, & prioris istius animationis temporibus cùm fœtus viuit *vita*, vt aiunt, *plantæ*: postea verò, id est, post animæ rationalis aduentum, NEFAS.

Et sanè ab istis (obiter) retegitur error Athei *Luciani*, duplicem in homine animam astruentis in *Demonactis vita.* Quæ fuerit sententia *Plotini* 1. *Ennead. c. vlt.* & ante istos *Philonis in lib. Quod deterius potiori insidiari solent,* quem optimè refellit *Valles. in sacra philosoph. cap.* 5. post *D. Gregor. Nyssen.* strenuè ista explodentem in *li. de creatione hom. c.* 15.

Quid quod supponentes (ab *Arist.*) in homine & plantis animam vegetatiuam, id malè desumunt ab eius assertione & oratione de vita plantæ, cùm *vita* & † *anima* non conuertantur (vt aiunt Logici) idémve sint, vt 5 disertè notauit *Boecius super elenchis Sophist. Aristot. cap.* 4. & sensit *Lucretius* (insignior in Physicis quàm in Poëticis) dum *vitam* sæpius *animæ potestatem* appellat *libr.* 3. dicens:

Quod genus nostris membris & corpore toto
Mixta latens animi vis est, animæque potestas.

Idem:

Conquassatæ enim tunc mens, animæque potestas.

Idem:

Postquam distracta est natura animæque potestas.

Et demum idem:

Denique corporis atque animæ viuata potestas
Inter se coniuncta valent, vitaque fruuntur.

Sed & à prædictis facilè diluuntur argumenta mordicùs tenentium, nullam in corpore animam † ante rationalem introduci, quod & nos planè 6 fatemur, dum tamen facultatem nutritiuam à tempore primæ fixæque conceptionis, seu prioris formationis vsque ad animæ rationalis introductionem isti amittant.

Neque enim ferendi † sunt qui cum 7 *Olerio lib.* 1. *de morbis internis, c.* 58. dicunt, priore tempore fœtui dari *esse vegetatiuum*: & eo plures deinde perfectiones gradus recipiente dare esse *sensitiuum*, & demum *rationale*. Quod absurdissimum est, & contra sanctorũ Patrum verum & tenendum assen-

sum (de quo *infrà*) & meritò refellit *Petrus Garcia in Auicen.disput.38.d.c.2.n.12.* Licèt ipse velut in eandem paulò pòst reciderit sententiam, probabilius diiudicans *d.cap.2.n.14.* fœtum in sua prima formatione illicò habere formam perfectam similem generanti. Quæ fuit sententia *Ferdinandi Menæ in librum de septimest.partu, super tex.14.* Inde improbantis communem assensum existimantium in aborsu ante trigesimum diem procurato, homicidium non patrari, cùm frequentissimum sit, vt *iste* ait, die septimo à seminis inmissione disponi materiā ad animæ rationalis introductionem. Et hoc demum arrisit *Toleto lib.2. de anima, c.4. & D.Sancta Cruz super d.tex.44. Hippoc.* Sed certè istorum sententia nullo apto fulcitur medio: omnia enim quæ pro eâ adstruendâ adduxit *Mena* nullius sunt ponderis vel momenti. Nititur enim argumentis tantùm ab auctoritate ductis; & primò id comprobat ab *Hippocrate in lib. de carnibus* loco illo jam per nos expenso s̃.*hoc.cap.1.in princ.* Sed respondet *Garcia*, argumentum hoc nec ab auctoritate quicquam concludere, quandoquidem *Auctor libri de carnibus* solummodo firmauerit, septimo die cōceptum habere dispositionem & organizationem aptam animæ rationalis introductioni. Sed melius respondisset, *librum* illum *de carnibus* non fuisse Hippocratis, & in eo commentitium istud inter alia adnotandum, vt clarè probauimus *d.§.1.in princ.* Quæ sanè si doctissimus *Vallesius* itidē aduertisset, non ita in tempore humanæ delineationis à vero deuiasset *in sacra Philosophia c.18.post princ.* Ad hæc impugnatio prædicta *Garciæ* mihi perquam ridicula est, cùm in sola seminū commistione & ante primam fixam conceptionem (de qua iam suo loco egimus) vitam seu facultatem nutritiuam & vegetatiuam eâdem normâ dari posse supponat, ac post primam formationem seu conceptionem. Secundò *Mena* pro sua sententia expendit *Aristot.lib.2.de generat.animal. c.3.* sed malè, vt notat *Garcia* s̃.*d.num.14 in fine.* Vbi alij argumento à sententia *D.Thom.* sumpto ex integro facit satis.

Superest vt rationes prosequamur, quibus hanc sententiam obfirmare conatus fuit idem *Petr. Garcia* s̃.*nu.15.* vers. *Quicquid autem.* Vbi primò arguit ab auctoritate *Aristotelis*, principium generationis fœtus in corde constituentis *lib.3. de partib.animal.cap.4.* Sed respondetur, hanc sententiam *Aristotelis* veram non esse, vt ex pluribus probauimus s̃.*hoc cap.§.1.num.14* & ideo corruit argumentum istud ab auctoritate.

Sub hæc, rationibus sententiam *Aristotelis, D.Thomæ,* & aliorum sup. relatorum sese impugnaturum pollicitus fuit *Garcia*, sed nil minus re vera præstitit: arguit enim tantummodo ab experimento, dicens, nullo in tempore solam animam vegetatiuam inueniri, aut eius operationes: in quo doctissimus iste vir apertè fallitur, quandoquidem post primam perfectam conceptionem & simultaneam formationem septimo die, & sequentib. vsque ad trigesimum in maribus, & quadragesimum vel vltra in fœminis (ex dicendis j̃.) videamus aborientes sanguineas, siue carneas tantummodo coagulationes (quas *offas* appellauit *Iuuenalis* expendendus in *c.16.*) & crustula quædam informia: quæ pòst à trigesimo vel quadragesimo die omnium membrorum perfectione, organizatione & figuratione cōstāt. Quorum omnium mihi testis est *Hippocr.* (quem miror hos tantos viros præteriisse) in *lib.de natura pueri*, & in *libello de octomestri partu.* Sed & quo-

plus est, hoc quàm apertissimè comprobatur *Exodi cap.21.*& à *Philone, D. Augustino, Hieronymo*, & aliis inferius expendendis *hoc §.ex nu.14.* Quæ clarè demonstrant erroneam esse sententiam *Ferdinandi Menæ* adserentis, homicidium in aborsu post septimum diem patrari.

Nec quicquam egit *D.Sancta Cruz*, cùm pro sua & *Menæ*, *Toleti* & *Petri Garciæ* (quos subticuit) sententiâ expendit *D.Augustinum* in *lib. de spiritu & anima*, ita edisserentem: *Habet quoque anima vires, quibus corpori commiscetur, quarum prima est naturalis, secunda vitalis, tertia animalis. Et sicut Deus trinus & vnus, verus & perfectus omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia superexcedit, omnia complectitur: sic anima his tribus viribus per totum corpus diffunditur, non locali distensione, sed vitali intensione. Naturalis namque virtus operatur in hepate sanguinem & alios humores, quos per venas ad omnia corporis membra transmittit, vt inde augeantur & nutriantur. Vis itaque quadrifariam est, diuiditur namque in appetitiuam, retentiuam, expulsiuam, distributiuam*, &c. (quibus verbis Augustinum controuersiam de anima vegetatiua diremisse, & præcedentem in fœtu vitam plantæ explosisse securè adserit *D.Sancta-Cruz super dicto textu 44.*) Etenim *Diuus Augustinus* de animæ tantùm viribus ibi egit, eásque triplici conlocauit classe, quo tempore homo iam constat corpore & animâ rationali. An verò ante animæ rationalis infusionem fœtui insit vel non, naturalis vegetabilisve aliqua vita seu facultas, nec *Augustinus* docuit, nec supposuit, ac nec reliqui *Sancti Patres* à *D.Sancta-Cruz vbi s.* relati. Sed & quod plus est, vitam plantæ in fœtu agnouit *Augustinus q. 80. super Exod.* (relatus à *Sancta-Cruz super textu 43. fol. 93.*) per *Nos ibidem*, & *alibi* expendendus *infrà numero 16.*

Quod verò alij commenti sunt, duplicem formationem adstruentes, vnã partium internarum sensibus imperceptibilium, aliam verò conspicuarũ, merum figmentum est: & in id nos aptiùs retorquemus, experimentũ nullum esse; vltraquàm quòd magnam ingerunt violentiam *Exodi c. 21. Philonis* & cæterorum sententiæ, si eam referri curent ad primam internam partium configurationem & conformationem. 8

Demum vt hisce aliqua nostra intermisceamus, ego à communis sententię prioris animationis nostrâ propugnatione interpretor *Vlpianum* in *l.1.§.si quis proximior*, *D. vnde cogn.* (cuius s. mentionem fecimus in hoc *c.1.sect.2.illat.11.nu.51.*) vbi cùm adseruisset Iurisconsultissimus iste vir proximiorem cognatum, qui nasci speratur, in ea conditione esse, vt dici debeat obstare cum sequentibus in successione bonorum defuncti, ex *c.vnde cognati*, subdit: *Sed hoc ita demum erit accipiendum, si hic qui in vtero esse dicitur, viuo eo, de cuius bonorum possessione agitur, fuit conceptus: nam si post mortem non obstabit alij, nec ipse admittetur, quia non fuit proximus cognatus ei quo viuo nondum animax* (ita legendum cũ *Florentinis*) *fuerit.* Vbi doctissimus *Vlpianus* Philosophorum subtilitates, & communem sententiam sequutus ANIMAX, aut ANIMATVM (iuxta aliam lectionem, quam sequitur *Cuiac. ad lib.19.quæst. Papin.in comment.ad l. in lege Falcidia, D.ad l.Falc.*) vocat fœtum animæ rationalis adhuc expertẽ; qui *vita plantæ* viuit, aut nutritur, primámque viuentis exercet operationem: vt inde respuenda sit communis lectio illius textus: *Nondũ animal fuerit.* Et clarius ex dicendis in *cap.seq. in princ.ex num.3.* Nisi dicas, *Vlpianum* 9

subtilitate Peripateticorum insuper
habita (vt qui Stoicus) animal appel-
lasse fœtum sola vita plantæ viuentē.
Sed vtcunque legas, locus iste *Vlpiani*
primam dubio procul animationem
hominis (de qua noster est sermo) re-
spicit, & ad eam comprobandam est
insignis: retenta autem veriore lectio-
ne *Pandectarum* Florentinorum insi-
gnior & elegātior ex proximè dictis.
Quæ planè demonstrant quàm longè
à vero deuiauerit *Accursij* interpreta-
tio ad illum textum, dum supponit,
fœtum antequam nascatur, animatum
non esse: id quod directò contrariatur
Vlpiani sententiæ, & verò sensui illius
textus.

In eo autem Neotericis Philosophis
10 † & Medicis assentimur, vt sensitiuam
animam à rationali non separemus
(ac voluit & docuit *Aristotel. lib. 2. de
generat. animal. d. c. 3. & lib. 5. d. cap. 1.
sanct. Thom. 2 contra Gentes d. cap. 89.*)
quod multis sanè irrefragabilibus me-
diis comprobare facile foret, ni plus
debito diuagaremur, quando iam as-
sertionem illam, animæ vegetatiuæ, si-
ue vitæ plantæ fœtui in sua priore
formatione contingenti, satis supér-
que comprobauerimus tam rationi-
bus quàm auctoritatibus.

Illud insuper huius propositi vlti-
mo loco annotandum moneo, vitan-
11 dam & respuendam † omnino esse co-
rum opinionem, qui in semine ipso
ante conceptum, quin & in testib. pa-
rentum præexistenti animam conce-
dunt, è quorum numero fuêre *Fran-
cisc. Vallesf. lib. 2. controuers. cap. 9. Ioan.
Argenterius super arte parua, tit. de tē-
peramentis testium, Christophorus Vega
lib. de arte medendi, c. 5. Peramat. in lib.
de animæ facultat. c. 5. Ioubertus in com-
ment. ad lib. 1. Galeni de facult. natur. c. 5.
Mercad. lib. 1. physiolog. p. 4. class. 1. qu.
98. Cardan. & Capiuaceus,* cū aliis quos
refert & sequitur *Thomas Fienus de
formatrice fœtus q. 5. fol. 50.* Nam con-
trarium longè verius est, idque *Aui-
cennæ, Auerrei,* aliisque placuit relati
& laudatis à *Fernel. lib. 7. physiolog. d. c.
5. Andr. Laurent. de histor. anatom. li. 8.
q. 12. Segar. de facult. natur. cap. 5. Iacob.
Guillem in lib. de generat. tit. de semine
fol. 204. Sancta-Cruz* (ab *Hippocr.*) *de
philosoph. Hippocr. super tex. 43. fol. 61.
& D. Tho.* ante eos *1. p. q. 119. art. vlt. &
q 3 de potentia dicto art. 9. & lib. 2. con-
tra Gentes d. c. 89. in solutione ad* 11. *ar-
gumentum, Scoto in 4. Sentent. distinct.
44. qu. 1. Conimbricensibus lib. 1. de gene-
rat. c. 4. q. 25. art. 2.* nouissimè per *Gar-
cia* (*Galeno* lucem dans) in *Auicen. qu.
38. d. c. 2. n. 15.* Neque his obstat *Hippo-
crates,* dum in *libro de Diæta* ait: *Si quis
non credit animam animæ misceri, vehe-
mens est:* nam ista ita sunt intelligen-
da, vt semen in potentia sit animatum
non in actu. Et eodem sensu perci-
piendi sunt *Aristot. lib. 1. de generat. c.
18. & lib. 2. c. 1. & d. c. 3 Galenus in lib.
Marasmo,* vbi tria esse ait viuentium
genera, *animalia* scilicet, *plantas & se-
mina.* Et hoc ipsum innuit *lib. 1. de fa-
cultat. natural. d. c. 5. & lib. 1. de semine
c. 7.*

HÆc de prima animatione, siue
facultate virenti & nutritiua
fœtus dixisse sufficiat.

Ad secundam (quæ in animæ ratio-
nalis infusione consistit) deueniens,
noto valdè dubium omni tempore
fuisse, an ipsa ante vel post corporis
efformationem, & organizationem
contingat, pluribus hinc inde contra-
rium asseuerantibus. Et sanè anima-
tionem istam ante † corporis perfectā
constructionem stabilire sunt conati
*Alexand. Aphrodisæus lib. 1. quæstionum
natural. cap. 25.* vbi *organicum corpus
organicum esse* (dicit) *ab anima, & ani-
mam præexistere organizationi.* Tho-
mist lib. 1. de anima, cap. 22. *Anima* (in-
quit) *fabricatur, architectatúrque sibi
dom*

domicilium, & accommodatum instrumentum: & Marsil. Ficin. in Timæum Platonis: *Prius (ait) quàm adultum sit corpus, anima tota in illius fabrica occupatur.* Idque *Fienus* & alij inferiùs referendi probare contendunt *Aristotelis* auctoritate *lib. 2. de generat. anim. c. 3.* & *Galeni in lib. de fœtus format. cap. 17. 19 & 21.* Nec displicuit sententia ista *Bonauenturæ*, qua duplicē efformationem vel articulationē constituenti, *lib. 3. de octomest. partu, cap. 92.* vt adnotauimus in §. *præcedenti, numer. 5.* Et eam sanè apertè ex nostris amplexus fuit nouissimus *Hadrianus Negusant. in sylua responsorum, qu. 400. nu. 35.* His addit *Fienus* in suo *lib. de formatrice fœtus, quæst. 7. & 8.* tantum abesse vt anima rationalis post corporis perfectionem introducatur in fœtum, quin potiùs ipsa, corpus (cuius est forma) conformet & organizet. Id quod *Patri Ioanni Baptistæ Pozæ*, relato in §. *præcedenti*, non parum arrisit. Deinum ista ampliandi licentia eò deuenit, vt *Ioannes* quidam *Argenterius* in sua *methodo parua*, & alibi, adserere ausus fuerit, animam rationalem adhuc in testibus existere, & semen esse homunculum, non expressis membris consistentem.

Et sanè prior illa opinio *Alexandri Aphrodisæi* & cæterorum comprobari posse videtur ab illo *Ieremiæ* capit. 1. *Prius quam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, sanctificaui te*: vbi in tanti Prophetæ voto efformationem videtur præcedere animatio.

13 At contraria † sententia statuētium, eam post perfectam corporis formationem velut subsequi, eique contemporaneam, vel vt propriùs loquar, simultaneam esse, verior est & tenenda, vt quam amplexi sunt insignes sancti Patres *Augustinus* & *Hieronymus*, ille in *libro quæstion. veteris & noui Testa. cap. 23.* relato in *cap. Moyses 32. q. 2.* iste in *Epist. ad Pamachium*, relata *in capit. nasci, 56. distinct. D. Thom. libr. 2. contra Gentes, cap. 89. Henricus de Gandauo quod lib. 15. quæst. 13.* & nouè post alios Theologos istam sententiam adstruit & aliquibus auctoritatibus confirmat *Leonardus Lessius libr. 2. de iustit. & iure, capit. 9. dub. 10. num. 65.* Et ex nostris ita sensit *Petrus Gregor. lib. 36. syntagm. iuris, cap. 15, numer. 18. Paulus Borgasius de irregularitate part. 6. tit. de beneficijs, num. 14. in fine.* E Philosophis (post *Aristotelem*, *Philonem* & alios infrà referendos) *Occamus libro 2. de generat. animal. cap. 3. Læuinus Lemnius libr. 1. de occult Naturæ mirac. cap. 11.* E Medicis *Auicenna lib. de anima part. 1. cap. 5. & lib. 16. de animal. cap. 1 Fernelius libro 7. Physiolog. cap. 13. Ambrosius Paræus libro 23. cap. 1. Iacobus Guillemaus in lib. de gener. tit. de semine, fol. 208. in princip. & fine, & fol. 211. in princip.* nouissimè *D. Sancta Crus de Hippocrat. discip. in commentar. super textu 43. discurs. 5.* vbi plura in confirmationem huius sententiæ adducit.

Quæ (cum rationibus euidentiam, vt aiunt, facientibus, nec firmis experientiis possit confirmari) mihi præ cæteris aptissimè † probatur *Exodi capite 21.* iuxta interpretationem LXX. 14
Interpretum, quæ in originali Græco ita se habet: ἐὰν δὲ μάχονται δύο ἄνδρες καὶ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται, καθ' ὅτι ἂν ἐπιβάλῃ ὁ ἀνὴρ τῆς γυναικός, καὶ δώσει μετὰ ἀξιώματος. ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος, χεῖρα ἀντὶ χειρός, πόδα ἀντὶ ποδός. *Si duo viri pugnā inierint, & mulieris fœtum percusserint, si infans non figuratus egressus fuerit, multa illa percussor multabitur, quæ ei a viro mulieris fuerit imposita, illamque cum postulatione exsoluet. Quod si figura in-*

fans habeat, animam dabit pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedē pro pede. Quæ verba clarè ſupponunt, imò demōſtrāt corporis humani perfectionem ſeu figurationem, & animę rationalis infuſionem, velut contemporaneas eſſe, ſimulque ſtare.

At *Thomas Fienus* (qui omnia huius propoſiti percurrit) eiúſq; Μιμητὴς *P. Poza* his ſatisfacere conantur, dicētes, id quod de figuratione dicitur in trāſlatione LXX. Interp. in textu Latino (cui ſtandum) ita ſe habere: *Si duo viri rixati fuerint, & vnus percuſſerit mulierem prægnantem, & abortum fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetiuerit, &c. ſin autem mors eius fuerit ſubſequuta, dabit animam pro anima, &c.* Et addit *Fienus* iſtis adcinere tranſlationem illam *Sanctes-Pagn.* ex Hebræo: *Et ſi rixati fuerint viri, & vnus percuſſerit mulierem prægnantem, & egreſſi fuerint nati eius, & non fuerit mors, puniendo punietur, quemadmodum impoſuerit ei maritus mulieris, & dabit vt ſtatuerint iudices. Et ſi mors fuerit, dabit animam pro anima, &c.* Ex quibus verbis *Fienus* (cui iſta obſcurare in animo tantùm) colligi non poſſe, ait, de cuius morte ſit ſermo, an mulieris, an fœtus? Sed hæc probari non poſſunt:

15 nam & lectio † Græca LXX. magnę eſt auctoritatis, & à ſanctis Patribus Latinis recepta, maximè *Auguſtino* & *Hieronymo* ſ. relatis. Et hiſce ego addo *Philonem* (legum *Exodo* contentarum ſcientiſſimum) in *lib. de ſpecialib. legib.* dictum *c. 21.* hiſce verbis commentatū: Ἐὰν δὲ συμπλακῇ τὶς γυναικὶ ἐγκύῳ, καὶ πληγὰς ἐμφορήσῃ κατὰ τὸν γαστέρα, ἡ δὲ ἀμβλώσῃ, ἐὰν μὲν ΑΠΛΑΣΤΟΝ, καὶ ἀδιατύπωτον τὸ ἀμβλωθὲν τύχῃ, ζημιούσθω, καὶ διὰ τὴν ὕβριν, καὶ ὅτι ἐμποδὼν ἐγένετο τῇ φύσει ζωογονῆσαι τὸ κάλλιστον τεχνιτευούσῃ καὶ δημιουργούσῃ ζῶον, ἄνθρωπον. εἰ δ᾽ ἤδη ΜΕΜΟΡΦΩΜΕΝΟΝ, ἁπάντων μερῶν τὰς οἰκείας τάξεις καὶ ποιότητας ἀπειληφότων, θνησκέτω. τὸ γὰρ τοιοῦτον ΑΝΘΡΩΠΟΣ ἐστιν, ὃν ἐν τῷ τῆς φύσεως ἐργαστηρίῳ διεχρήσατο, μήπω καιρὸν εἶναι νομιζούσης εἰς φῶς προαγαγεῖν, ἐοικὸς ἀνδριάντι ἐν πλαστικῇ κατακειμένῳ, πλεῖον οὐδὲν ἢ τὴν ἔξω παραπομπὴν καὶ ἄνεσιν ἐπιζητοῦντι. *Sin autem quis rixando cum muliere grauida pugnos in ventrem inflixerit, ita vt abortus ſequatur, ſi abortiuum* INFORME *fuerit, multetur, tum propter violentiam, tum quia fuit impedimento naturæ hominis animalis pulcherrimi opificium exorſæ. Quòd ſi* FORMATVS *fœtus abſoluta membra & in ordinem digeſta habuerit, moriatur percuſſor: iam enim erat* HOMO, *qui in Naturæ officina interemptus eſt, nondum ab ea prolatus in lucem, ſimilis ſtatuæ latenti apud fictorem ſuum, & nihil aliud expectanti, quam dum illi libeat, populo ſpectandam proponere.*

Vnde *Fienus*, qui Græci textus fidē & auctoritatem non ignorabat, ſecundò reſpondet, eo non exprimi fœtum nondum organizatum non eſſe animatum, ſed non eſſe adhuc hominem perfectum, & ideo qui illius interemptioni cauſam dederit, non eſſe puniendum morte, ac ſi perfectum occidiſſet hominem, ſed ſolùm graui aliqua multa multandum. At hoc falſum † eſt, & apertè conuincitur ex *Philone* ſ. Neque enim quidquam clarius, certiúſve eſt, quàm habentem animam rationalem hominem eſſe, & per conſequens homicidium dari in eius deperditione. Ad hæc quis vno excepto *Fieno* dicet figurationem ſolam & vltimam perfectionem grauiori & capitali pœnæ eſſe in cauſa, cùm aliàs multa tantùm eſſet imponenda, nec quidem ſemper grauiſſima, vt *Fienus* ſe capite ſubponit.

Sub hæc P. *Ioan. Bapt.* Poza (cui nulli fuit impedimento text. Græcus LXX. attenta prima ſolutione *Fieni* animum

animum vertit vt *Augustino* & *Hieron.* in locis *supr.* relatis congruum re-
17 sponsum daret, sed nihil † minus certè præstitit, vti eius verba apertè demonstrant.

Quod verò ex *D. August. in Enchir. ad Laurentium* adducit, prædicta non perturbat: verba enim summi Ecclesiæ *Doctoris* ab eo expensa id solum concludunt & euincunt, certò scilicet sciri non posse principium vitæ in vtero existentis, id quod nec vllus vnquam negauit.

Sed hæc alia res est. Et sanè eã *P. Poza* istis intermiscuit nil minus curans quàm ex integro facere satis, ac proposuerat, illis *Augustini in d. cap. quod* Moyses. *Si formatum fuerit, det animam pro anima: si autem informatum fuerit multetur pecunia.* Et quid, quæso, respondebit aliis eiusdem *Augustini* consimilibus in *eod. Enchirid. ad Laurent.* adseuerantis, informes fœtus in die iudicij non resurrecturos, quia animati non fuerint? Et illis itidem eiusdem *Diui* huius propositi, *quæst.* 80. *sup. Exod. Quod verò non formatum puerperium noluit ad homicidiũ pertinere: profectò nec hominem deputauit, quod tale in vtero geritur. Hic de anima quæstio solet agitari: vtrùm quòd formatum, nec animatum quidem possit intelligi, & ideò non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habet?* Quid insuper respõdebit illis *Hieronymi* in d. *cap. sicuti* 32. *quæst.* 2. *Sicuti semina paulatim formantur in vteris, & tandiu non reputatur homo, donec elementa confecta suas imagines, membráque suscipiant?* Quid *Lactantio de opificio Dei, cap.* 7. vbi nõ statim post conceptum animam insinuari ait, sed cùm fœtum in vtero necessitas diuina formarit? Quid aliis pluribus consimilibus veterum sanctorúmque Patrum, maximè è Græcis *Gregorio Nisseno lib. de homin. cap.* 29. & 30. *Chrysostom. homilia* 12. & 13. *in Genes.* è Latinis * *Damasc. lib.* 2. *de Fide orthod. cap.* 12. & *D. Thomæ* 1. *part. quæst.* 91. & aliis nouioribus textum illum *Exodi* concordi voto ita interpretantibus? Licèt enim differant, dũ alij existimant, corporis efformationem priùs TEMPORE procedere, alij verò priùs tantùm NATVRA: conueniunt tamen, & æquè concinunt, corpus organicum perfectum animæ infusionem præcedere. Quid demùm *Pater Poza* respõdebit plurium Theologorum primæ notæ inferiùs referendorum communiori & veriori sẽtentiæ, statuenti animam rationalem quadragesimo die masculis, & vlteriore tempore feminis infundi? Hæc enim irrefragabilia sunt, & ab euasionibus *Fieni* & *Pozæ* vndequaque immunia, quicquid ipse *Fienus* huc & illuc vagatus inaniter excogitarit, vt ex eius scriptis (quorum impugnatione non immoror) cuique liquidò patefiet.

* *Latinos hic intelligas Ecclesiæ Romanæ Dogmatum approbatores & defensores quorũ numero adcensendus* Damascenus, *qui (vt refert* Baroni. *in* Anna. CHRISTI *ann.* 727.) *Romanam Fidem & doctrinã ab incunabulis, à* Cosima *quodam Italo, ceu lac purũ, ebibit.*

Secundo loco veram sententiam (quæ post corporis efformationem illicò animæ rationalis admittit infusionem) *D.* † *Augustinus in dicto*
cap. Moyses comprobat à *Genes. cap.* 18
1. vbi Deus fecit Adamum de limo terræ, & eo constructo & figurato spirauit spiraculum vitæ: à quibus sanctissimus & disertissimus *Doctor* Ecclesiæ elicit animam non introduci ante lineamenta corporis compacta, nec priùs habitatorem induci posse, quàm habitatio facta sit. Nec satisfacit *Fienus* dicens, hoc mundi exordio euenisse, quando Deus aliter res ex nihilo creauit, ac nunc aliæ ab aliis producuntur: alioquin (iste ait) eodẽ tempore cæteræ omnes animæ infunderentur. Vim namque argumenti *à simili* deducti (& sæpè apud Logicos & Rhetores vsurpati) non calluit, quæ in eo consistit, vt existimemus,

quòd quemadmodum Protoplasto Deus post membrorum perfectam compaginem animam infudit, credere par sit idem accidere cæteris ab eo descendentibus. Quinimò id argumento præciso & necessario euenire contendit *D. Sancta-Cruz sup. d.text. 43.discur.5.fol.93. vers.sed tempus.*

Tertiò, prædictam sententiam vt
19 certam subposuit † *Hippocr.* & contrariam *Fieni* & aliorum velut præuiderat & damnauerat, quando in *lib.de natura pueri*, grauidæ psaltriæ suasit, vt intra sextum diem semen receptum saltando excuteret: quasi clarè sentiret eo tempore vtero muliebri retentum, anima rationali carêre: aliàs enim terminum illum dierum non præfixisset, nec abortum suadêret, qui tale quid suo solemni & notissimo iureiurando inter alia cauerat. Et hoc ipsum colligitur ex *Aristotele lib. 2. de generat.animal.cap.3.& lib.2.de anima, cap.1.& 2.*& clariùs ex *libr.7. Politicor. capit. 16.* iam suprà relato: vbi fœtus ἀμβλωσιν *deperditionem* in multitudine filiorum admittit, quandiù sensu ac vitâ præditus non est, quasi subponat aliquo notabili spatio, fœtum sine vita esse: si enim secundo, tertio, aut quarto die animari & viuere credidisset, vix vllo tempore prædictam deperditionem admisisset.

His *Fienus* & *Poza* tumultuario
28 † quodam sermone omnia cõturbante respondent, & *Aristotelis doctrinam circa hanc rem esse obscuram, verbáque talia, vt in omnem opinionem trahi possint: proinde ab eorum auctoritate non posse quoque validum contra suam conclusionem depromi argumentum.* Ab his in *Galenum* (hisce maximopere varium adseuerantes) sese diuertunt: & subinde ad varias opiniones constituentium & adsignantium diuersos terminos animæ introducti. Et demum concludit *Fienus, in re tam dubia, & tam difficili, & de qua omnes ambigunt, non esse multum auctoritati tribuendum.* Hoc autem nil aliud est quàm *Hippocrate* & *Aristotele* conculcatis suam obstinatè obfirmare sententiam: quam vti falsam & erroneam prædamnauerat *Schola Conimbricensis libr.2.de anima, quæst. 14.art.1.*

IN eámque stat demum quarto loco auctoritas Iuriscõsulti *Iulij Pauli* † *in l. si quis aliquid 38. §. qui abortionis* (qui sumptus fuit à *libro quinto Sententiar. eiusdem Pauli titul. 23. D. de pœnis:* vbi abortionis aut amatorij poculi propinator, etsi dolo non fecerit, morte punitur, si fœtus animatus deperierit, vt probare videntur illa verba (alio itidem in sensu inlustranda in *cap.16. §.1.num. 17.*) *Quod si mulier vel homo perierit, summo supplicio punitur.* Hominem enim appellat *Paulus* fœtum efformatum & animatum, velut eum ab informi distinguens, & membrorum perfectam conformationem, animationémque simultaneas supponens. His adde consimilem *legem* patriam 8. *titulo octauo part. 7.* idem clariùs disponentem illis verbis: *Dezimos, que si era ya viua la criatura en el vientre, estonce quando ella fiziere, que deue morir por ello.*

A dictis quàm apertissimè elicitur *Argenterij* † opinionem *suprà relatam*) homine impuro & perfricatæ frontis dignam) sustineri non posse. Quem enim Philosophum imò è media plebe hominem istius error (quem *D. Sancta-Cruz supra à digressione prima* præ aliis refellit) non deterrebit? Demus in semine humano vim quandam esse Diuinam, vt *Aristoteles* & *Theophrastus*, aliíque relati à *Sancta-Cruz*

adseuerarunt: quis, quæso, sanæ mentis in vi ista animam rationalem collocabit? aut in semine animato, quod struebat *Iulius Scaliger libro de subtilitat. aduersus Card. exercitatione* 280? qui sanè intelligendus est de animatione in potentia, non in actu, iuxta *supr.* tradita: aliàs eius dicta non tenent.

Denique nobis non obstat illud
23 *Ieremiæ* † *dicto cap.* 1. *Priùs quam te formarem, &c.* quæ velut supponere videntur, animationem præambulam esse efformationi. Nam (præter quam quod præcipuè considerari debet allegoricus, prædictorum verborum sensus enodatus à *Diuo Thoma lib.* 3. *Sententiarum, distinctione* 3. *quæst.* 1. *in responsione ad* 1. *quæstiunculam*) si litteralem attendamus, clarè percipiemus, ibi tantum exprimi, animationem editione priorem fuisse, in illis verbis, *Et antè quàm exires de ventre, sanctificaui te*: nam præcedentia illa: *Priùs quam te formarem in vtero, noui te*, Domini DEI nostri præscientiam denotant, & præuiam bonorum approbationem, ex *Diuo Thoma supra.* Qua verissima & plana interpretatione admissa, necessarium non est ad aliam violentam *Bonauen.* (suam quadruplicem articulationem de qua egimus in §. anteriore, attendentis) recurrere. Quid quod prædicta verba (eodem sensu, quo in obiice proponuntur) percepta, & argumento ab speciali ducto, iuxta *l. quòd verò contra l. ius singulare, D. de legib. l.* 1. *D. ad municip. & de incolis* (quod frequens, forte & vtile est, *Euar. in Topic. loco* 68.) clarè demonstrant veterum & sanctorum Patrum doctrinam, & aliorum *suprà* relatorum (qui efformationem & animationem simultaneas adseuerarunt) regularem & verissimam esse.

Reliquum est, vt istius secundæ animationis (de qua sunt intelligendi *text.* in *ca. sicut ex literarum, de homicidio*, & in *cap. aliquando*, cum *duobus seqq.* 32. *q.* 2.) tempus & terminos adsignemus, & per consequens efformationis perfectæ, vt prædiximus, ita vt quæ in posterum de efformatione dixerimus, de animatione æquè sint intelligenda: & sanè in hoc variæ † sunt Theologorum, Philosophorum & Medicorum sententiæ, 24
quin & nostrorum.

Et omissis aliorum antiquorum opinionibus (quas sigillatim recensuit *Plutarchus libr.* 5. *de placitis philosophorum, c.* 21.) solos *Hippocratem* † *&* 25
Aristotelem ab antiquitate repetam: quorum primus (postquam in *lib. de Diæta text.* 7. fœtum inæquali temporis spatio efformari dixerat, & alium citiùs, alium tardiùs, prout rationem ignis & alimenti fuerint nacti) aliam diuersam iniit rationem *in li. de natura pueri diuersis locis*, docens, masculum trigesimo die efformari, fœminam verò vt longissimè quadragesimo secundò. Idque comprobat argumento ab expurgatione ducto, quæ post masculi partum durat diebus triginta, post fœminæ verò, quadraginta & insuper diebus. Et sanè in his velut talionem à Natura rependi sensit, dum ait: *Iam vero genitus est infans, eóque peruenit, vt fœmina quidem primam concretionem duobus & quadraginta diebus cùm longissimè accipiat, mas verò triginta diebus, quod longissimum. Nam & purgatio à partu fit mulieribus vt plurimum, iis quidem, quæ fœminam susceperunt, duobus & quadraginta diebus, in masculo vero purgatio diebus triginta contingit.* Et mox: *At verò purgationes à partu ea de causa mulieribus contingunt, quod primo tempore ad duos & quadraginta dies in fœmina, in masculo verò ad dies triginta*

pauciſſimus ſanguis in pueri alimentum cedit, ex eo verò ad partum vſque copioſior. Et infrà: *Pleræque autem iam mulieres fœtum maſculum paulò ante trigeſimum diem obortione reddidere, ſed is diſtinctus conſpectus eſt. Qui verò paulò pòſt, aut eo ipſo die reiecti ſunt, omnes diſtinctis membris viſi ſunt.* Inq; horum illuſtratione multa adducit *Andreas Laurentius libr.8.de hiſt.anatom.c.5.q.19.*

26 Sed *Ariſtot.* † *libr. 7. de hiſt. animal.c.3.* mares circa quadrageſimum diem, fœmellas circa nonageſimum efformari & moueri ſimul putat: in quo iſti rei Medicæ & Philoſophicæ Coriphæi inuicem pugnant, vt notat *Lælius Biſciola lib.18. horar.ſubſeciuar. cap.21.to.1.* Nec conciliationem admittunt *Federici Bonauent. libr.3.de octomeſt.partu,cap.92.& ſeqq.* duplicem illam conſtituentis (vt his & aliis *ſuprà* notatis occurreret) articulationem, & *Hippocratem* de vna, *Ariſtotelem* verò de alia intelligentis: quandoquidem hæc concordia iſtorum ſententiis aptari non poſſet, cùm vterque loquatur de perfecta articulatione & efformatione hominis. Quin

27 & ibidem † diuerſa ſentiunt circa motum hominis conformati: & *Ariſtoteles* efformationem & motum ei obuenire eodem tempore exiſtimat contra *Hippocrat.* Inde eſt, vt tam in efformatione, quàm in motu diſſentiant, ac alij Philoſophi relati à *Plutarcho libr. 5. de placit. Philoſoph. cap.21.*

28 Poſthæc *Auicen.* † *lib.16. de animal. d. c. 1.* aliam longè diuerſam in efformatione & animæ rationalis introductione rationem & computationem init. Aliam *Auerroes* in *libris de anima*, exiſtimans, tunc infundi, quando pueri patrem & matrem poſſunt appellare. Aliam *Soranus* Epheſius Medicus in ſua *Iſagoge cap.17.* vbi aſſerit, animam rationalem tertio menſe interſeri fœtui. Aliam *Occamus libr.2. de generatione animal.cap.3. Fernel.lib. 7. Phyſiolog. cap. 13.* qui animæ rationalis infuſionem contingere putant tertio aut quarto menſe, cùm primùm fœtus perfectè fuerit creatus.

Læuinius † verò *Lemnius libr. 1. de occultis Naturæ miraculis cap. 11.* animam infundi maribus quinto ac quadrageſimo à conceptu die, fœminis verò (quarum natura magis flacida eſt) ad quinquageſimum diem animationem porrigi adſueuit: ídque comprobat ex *Hippocrate in lib. de nat. fœtus*, cui certè iſta imponit.

At *Franciſcus Valleſius in ſacra Philoſophia cap. 18. & libr. 2. controuerſiarum dicto. cap. 10.* ex *Hippocrate* in *libello de alimento*, nunc triginta diebus: nunc triginta & quinque: nunc quadraginta: nunc quinquaginta terminari efformationem & animationem ſcribit.

Ferdinandus verò *Mena in comment. ad lib.de ſeptimeſtri partu, cap. 14.* animam ſeptimo die infundi dixit, & probat ex *Auctore libri de carnibus*, cuius ſententiam refellimus *ſupr. hoc c.§. 1.n.1.*

Demum *Federicus* † *Bonauentura libro 7.de partu octomeſtri, cap. 90.* efformationi & animationi certum tempus à natura conſtitutum aſſerit, cuius metas iſta prætergredi non poſſe contendit, ídque probari ex *Leuitici cap. 12.* (à quo *textus in cap. 15. diſtinctione*) vbi ita ſcriptum eſt: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octauo circuncidetur infantulus. Ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.* Et mox: *Sin autem fœminam pepererit, im-*

munda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Quibus verbis (iunctis his, quæ suprà ab *Hippocrate in libro de natura pueri* expendimus) mirâ breuitate & claritate (reiectis longissimis Philosophorum & Medicorum commentis) nos edoceri ait, menstrua à partione maris triginta & tres dies perdurare, tótque consumi in eius perfecta efformatione & animatione; & à partu fœminæ sexaginta & sex dies effluere, totidémque terminari eius animationem.

Sed hæc *Bonauenturæ* consideratio & supputatio facilè eliditur considerant in ea deesse septem priores dies immundi sanguinis addendos subsequentibus triginta & tribus, relatis in *Textu sacro*, qui omnes simul iuncti quadraginta dies efficiunt: & inde VIRGINIS Purificationem Ecclesia eodem dierum termino concelebrat. Et forsan à Iudæis Græci consimili ritu sunt vsi, teste *Censorino libro de die natali ad Q. Cærelium, capit.* 11. qui *in Græcia* (ait) *dies habent quadragesimos insignes: namque prægnans ante diem quadragesimum non prodit in Fanum, & post partum pleræque fœtæ grauiores sunt, nec sanguinem interdum continent.*

32 Et sanè ab ista vera computatione nonnulli † Theologi, ducti auctoritate dicti *cap.* 12. *Leuitici*, existimarunt, masculorum animationem quadragesimo die, fœminarum verò octuagesimo accidere; ídque post alios adfirmarunt insignes Iesuitæ *Maldonadus ad cap.* 2. *Lucæ*, & ibi, *Toledus adnotat.* 34. & *Pater Francisc. Suarez tom.* 2. *in* 3. *part. disputatione* 10. *sectione* 2. Sed quis sibi poterit suadêre tam longè diuersam maris materiæ dispositionem esse à fœminea, vt istius efformatio duplicato tempore absumatur?

Vnde communior † Theologorum adsensus efformationem & animationem, siue maris siue fœminæ diem vsq; protrahit quadragesimum, ex notatis *à Bonauentura lib.* 7. *de octomest. partu, cap.* 109. Alij alia excogitarũt, vt *Henricus de Gandauo*, qui masculis triginta, fœminis verò quadraginta & duos dies præfixit. Id quod placuisse video *Peramento libr. de hominis procreatione, cap.* 3. *Mercado lib. Physiologiæ part.* 5. *Andreæ Laurentio lib.* 8. *de histor. anatom. q.* 18.

Sub hæc omnia, qui Iurisperitos consuluerit, eosdem itidem longè diuersos † adinueniet. Nam *Glos. final. in summa,* 5. *distinc.* fœmineum fœtum 33 à masculo eodem modo, quo Theologi suprà relati, distinguit numero quadraginta & octuaginta dierum. Quod pluribus placuisse video: & ex nostris *Anton. Gomez tomo* 3. *variar. cap.* 3. *num.* 32. *versi. & talis anima, Petro Plazæ de delictis libr.* 1. *cap.* 9. *ex nume.* 7. Idque isti *Aristoteli, Plinio* & aliis (quos non viderunt) imponunt. *Gregorius* verò *Lopez in l.* 8. *titul.* 8. *part.* 7. *gloss.* 2. eundem terminum fœminis præfinit, masculis verò sexaginta dies, cum *Bartol.* & *Angel.* quos ibi refert. Subinde *Antonius Thesaurus decis.* 2. *numer.* 2. mari trigesimo die, fœminæ quadragesimo animationem contingere, testatur post alios. Demum plura in proposito comminiscuntur *Gothofred. in schol. ad l.* 3. *§. fin. D. de suis & leg. hæred.* & in *l. Cicero. D. de pœn.* & latiùs *Zacchias in Medico-legali b. tit.* 2. *quæst.* 9. & 10. *Lælius Zecchius de casibus reseruat. super casu* 9. *Gambarupta in eodem tract. fol.* 191. *numer.* 6. *Quaranta in summa Bullarij, verb. Abortus, nu.* 5. nouissimè *Augustinus Barbosa de officio*

*& potestate Episcopi, allegatione 51. numer.*137.

Omnibus denique hinc inde pensatis,
34 mihi † omnium verior videtur præposita *Hippocr.* sententia in *libr. de Diæta dict. text.*71. *& Vallesij* suprà citati, rectè existimantis præcocioris aut senioris tam masculi, quàm fœminæ animationis causas à seminis & vteri maiore minoréve virtute & fœcunditate pendêre: quam rationem malè sibi arrogasse *Horatium Augen.* rectè notauit *D. Sancta-Cruz in comment. super dict. text.* 71. Sed his nihilo seciùs superaddendum duco efformationis & animationis regulare tempus menstruis adsimilari, vt docuit *Hippocr. in dicto libro de natura pueri,* & ita tenendum, postquam pluribus perlectis, & insignibus super hac re Medicis & Anatomicis consultis, nil certi ab eis didicerim vel deduxerim.

35 Et ab his, ego † Iurisperitis rem istam (cognitu perquàm necessariam ad pœnas abortioni infligendas, de quibus acturi sumus in *c.* 16.) totam in arbitrium iudicis deferrem, qui adscitis & examinatis Medicis, Anatomicis & peritis obstetricibus animationis tempora distinguet: perpensis itidem his quæ *supra* tradidimus. Dum simul partum fœmineum serioris animationis esse ad pœnalia maximè præcaueat, ex *Hippocrate* & aliis iam adductis.

Quibus adiunge causam tardioris
36 † fœminę animationis ab eodem *Hippocrate dict. libr. de natura pueri,* ita edisserente: *Quod autem femella posterius conformatur, ac coarticulatur, causa hæc est, quod genitura fœminea debilior est ac humidior quam mascula, & iuxta hanc rationem necesse est posteriùs conformari puellam, quàm masculum.* Idque confirmat *Aristoteles libro* 4. *de generatione animal. cap.* 6. dicens; *Sunt enim fœminæ sua natura debiliores frigidioréſque, & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem & detrimentum esse, putandum est: intùs igitur tardè præ sua frigiditate discernũtur: hæc etenim discretio concoctio est, calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est.* Meritò ergò tardior articulatio & efformatio fœminis tribuitur, ex ratione ab *Hippocrate* & *Aristotele* designata, quam strenuè illustrat *Fredericus Bonauentura de octomestri partu libro tertio, capite* 102. Etsi ibidem malè improbet sen-
tentiam *Vallesij*, † qui *dicto capite de-* 37
cimooctauo sacræ Philosophiæ hoc ab humiditate prouenire dixit, vt iste putat. Mihi autem, & cuiuis, attentè *à Vallesio* dicta legenti idem probant quod *Fridericus* adstruit, & ab humiditate cum frigiditate simul tardiorem procedere articulationem fœmellæ.

Et hoc ipsum, & ab eâdem causa (quod valdè notandum) facit Natura in lactis indicatione, quæ in mare accidit trigesimo, in fœmina quadra-
gesimo die, vt docuit *Aristoteles* † *li-* 38
bro 7. *de animal. histor. dict. capite* 3. (cuius verba illa: *Purgationes autem accidunt plurimis cùm conceperint ad tempus quoddam, scilicet triginta dierum, maximè si concepta fœmina est, quadraginta si mas*) feliciter restituit *Vallesius d. cap.* 18. vbi legit: *quadraginta dierum, maximè si concepta fœmina est, triginta si mas.*

Et ab his (vt hæc obiter dicam) eli-
cit *Lalamant.* † *in lib.* 2. *dierum decret.* 39
cap. 2. *fol.* 300. causam tardioris editionis partui fœmineo implurimum contingentis.

Ex quibus omnibus valdè venit no-
tandus *Plinius*, † *qui libr.* 7. *naturalis* 40
histor. cap. 4. *in fine*, contra naturales istas rationes tantorum virorum: & contra rerum firmissimos successus existi-

existimauit, fœminas celeriùs gigni quàm mares.

Demum ex prædictis facilè colliges
41 quàm ridiculi † & à vero deuij sint versiculi illi (qui passim circumferuntur) *Ægidij*:

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine trini,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

Quin & illi, quos ex *Rayner.* refert *Paulus Borgas. de irregularitate 6. part. d. tit. de beneficiis, num.* 14.

Susceptum semen sex primis crede diebus,
Fit quasi lac, reliquisque nouem fit sanguis; & inde
Consolidat duodena dies, bis nona deinceps
Effigiat, tempúsque sequens producit ad ortum.

Nec feliciùs animationem antea de-
42 signauit *Ausonius* † *Edylio* 12. dum illis versibus:

(Ast vbi conuersis post menstrua tempora habenis
Scandit purpureo iam tertia sidera curru
Obliqua exilem demittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.)

innuit eam simul cum motu perfici & obuenire mense tertio.

Sed multo peius *Elias Venetus ibidem in scholijs*, efformationem cum motu confundit, & eam mari contingere tertio mense à conceptu, fœminæ verò mense quarto putat ab *Hippocrate*, cui ista re vera imponit:

Qui plura alia de efformatione &
43 animatione videre † cupit, adeat & perlegat suprà relatos, maximè *D. Sancta-Cruz in commentar. super dicto text.* 45. & 71. *Hippocratis*, vbi aliqua alia adduxit.

§. III.

DE MOTV.

SYNOPSIS.

1 *Auctores aliquos de motu tractantes allegat Auctor.*

2 *Hippocratis hac de re sententiam refert. Et num.* 3. *aliam Aristotelis. Et num.* 4. *eorum dissensum demonstrat.*

5 *Ocyoris vel tardioris motus causas aperit. Et nu.* 6. *serioris fœminei motus rationem ab Hippocrate deducit.*

SVPERIORIBVS §§. formationis & animationis humanæ rationem (Iurisprudentibus & omnibus scitu dignam) exactiore, quà potuimus, scriptione prosequuti sumus: & quidem seiunctim facilioris doctrinæ, & rei difficillimæ aptioris perceptionis causa; quamuis, vt iam adnotauimus, prima formatio cum fixa conceptione, & secunda cum secunda animatione coincidat. Nunc de motu fœtus iam efformati succedit tractatio, in qua multa comminiscuntur † Philosophi & Medici, maximè ex 1
nostris *Franc. Valles. libr.* 2. *controuers. cap.* 10. *Ludou. Mercad. lib.* 4. *de mulier. affect. cap.* 1. Et ex Iurisprudentibus *Petr. Gregor. libr.* 36. *syntagm. iuris, cap.* 15. *numero octauo Dionys. Gothofred. ad l. Cicero, D. de pœnis.* At in re ista (nobis parum conducente) sat sit in medium afferre quæ *Hippocrates* † & *A-* 2
ristoteles edocuerunt; *Hippocratis* sequentia sunt in *libr. de natura pueri: Cùm itaque extremitates corporis pueris foras ramos sparserint, & vngues ac pili radices egerint, tunc iam etiam mouetur, & tempus ad hoc fit masculo quidem menses tres, fœmellæ verò quatuor: sic enim vt plurimum contingit: sunt autem aliqui pueri, qui ante hoc tempus mouentur.* Aristoteles † verò 3

lib.7.de histor.animal. dict.cap.3. ita ait: *Mares fœtus magna ex parte circa quadragesimum diem dextro potius latere mouentur, fœmellæ sinistro circa nonagesimum; nihil tamen certè in his affirmari licet, multis enim ferentibus fœminam motus agitur in dextro, & contra in sinistro gerentibus marem: sic enim hæc & reliqua huiuscemodi, vt differunt, eoque magna ex parte, & magis minusve accidit, sic accipimus.* Ecce *Hippocratem* & † *Aristotel.* contrarios (quic-
4 quid alij comminiscantur & suppleāt, vt iam adnotauimus in §. *præcedenti, num.27.*) circa regularem fœtus animati priorem motum, quem *Hippocrates* in masculo constituit mense tertio, in fœmina verò quarto. *Aristoteles* autem in mare circa diem quadragesimum, & in fœmina circiter nonagesimum. Conueniunt tamen dum vterque disertis verbis fatetur, nil certi in hoc statui non posse: quod ego verissimum reputo, & motum post efformationem & animationem fœtui obuenire, prout vires ei à matre & natura suppetunt: ita vt indelebilis & malè affectæ mulieris prægnatione quarto aut quinto mense non moueatur, qui in robusta ἴσχει καὶ sentitur &
5 mouetur mense tertio. † Maior ergo minórve fœtus animati vigor ocyori vel tardiori motui in causa erit: vt accidit in principali eius motu, id est, in calcitratu & disruptione pelliculatum, de quibus *Hippocrates in libro de natura pueri*, ita ait: *Quando verò mulieri partus appropinquat, tunc puero se mouente, & manibus & pedibus calcitrante, pelliculam quandam internam rumpi contingit.* Nam septimestres (naturæ ratione perfecti & maturi ex *Hippocrate in libello de septimestri partu, & Aristotele libro 4. de generatione animal. cap.6. l. septimo mense 12. D. de statu hominum, l 3. §. fin. D. de suis & legitim. hæred. Paulo libr. 5. Senten. tit 9. §. 5.*) motu isto præcipuo præmisso lucē vident in septimo mense; nonomestres verò & decimestres seriore tempore maturam perfectionem huic motui conuenientem recipiunt. Vt inde motus in puerperio nulla ratio esse possit ad dignoscendum eius statum, tempus & similia. Nobis igitur ad nihilum proderit hisce amplius vagari, & priorem fœtus motum exactiùs perquirere. Qui reliqua huius propositi scire desiderat, adeat perquam disertum *Ioannem Fernelium lib.7. Physiologiæ, cap. 11.* & alios nouiores.

Nobis sat sint proposita. Dum tamen eis finem demus redditâ insuper causâ ocyoris † motus in mare, & tar- 6
dioris in fœmina: quam disertè demonstrauit *Hippocrates in dict. libello de natura pueri*, his verbis: *Mouetur autem primò masculus, quia fortior est quàm fœmella, & primùm quoque conformatur masculus, nam à fortiore & crassiore genitura fit*: Et conferunt latiùs tradita in §. *præcedenti.*

CAPVT

CAPVT II.

DE FOETV, QVI IVRISPRVDENTIBVS Venter dicitur.

SYNOPSIS.

1 Venter *Iurisprudentibus mulierem prægnantem denotat.*
2 *Medici* fœtum *vocant per vlteriores dies à conceptione.*
3 *Iidem* fœtum *animal dicunt, in quo à Iurisprudentibus differunt.*
4 *Idem sentiunt Theologi quod Medici.*
5 *Stoici non concedunt* fœtum *animal esse. Et ab his idem Iurisconsulti sentiunt. Et num. seqq.*
6 *Anton. Faber* (*qui* fœtum *Iurisconsultis in rerum natura esse existimauit*) *notatur. Et iterum nu.8. dum posthumum hæredem institui posse adseruit, quia in rerum natura est. Et nu.9. eiusdem Fabri differentia inter res non existentes in rerum natura, vel in rebus humanis, refellitur.*
7 *L.2.ff. de mortuo inferendo declaratur cum alijs.*
10 *Plures leges expenduntur, quibus probatur vel supponitur fœtum non esse animal, sed partem quandam matris accidentalem.*
11 *In quibus conueniant Stoici & Iurisconsulti, & in quibus dissentiant, notat Auctor.*
12 *Fœtus ante editionem Iurisconsultis non est in consideratione, vt qui pars accidentalis: quæ longè differt ab integrali, quotitatiua & numerali.*
13 *L.1.§.si quis proximior, ff. vnde cognati illustratur.*
14 *L. vel si viuo 7. ff. de suis & legitimis hæredib. declaratur.*
15 *L. intelligendus* 153. *ff. de verb. signif. suo vero casu intelligitur.*
16 *L. si quod ex Pamphila 73 ff. de legat. 2. latè expendit, eique lucem dat Auctor.*
17 *L. non quocunque* 82. *§. Iulianus, ff. de legat. 1. declaratur cum alijs.*
18 *L. si prægnans* 42. *ff. de euiction. declaratur itidem cum alijs.*
19 *Duabus legibus in Digestis compilatis* (*quæ sunt Scæuolæ*) *partus vt res à matre seiuncta consideratur.*
20 *Initium bonum & iustum in vsucapione requiritur, maximè partus ancillæ furtiuæ.*
21 *Solus partus conceptus & editus apud bonæ fidei possessorem contrectationis est expers.*
22 *Scæuolæ sententia in vsucapione partus ancillæ ex pluribus improbatur.*
23 *Subauditiones* Ant. *Fabri &* D. Amaia *ad Scæuolæ sententiam exploduntur: & Ioannes Gœddæus reijcitur.*
24 *Euasio Gœddæi ad saluandum Scæuolam quicquam non prodest.*
25 Antonius *Faber existimans partum partem ancillæ, refellitur. Et l.2.ff. pro suo cum alijs illustratur.*
26 *D.* Amaia *partum nondum editum cum edito confundens, impugnatur.*
27 *L. sed addes, §. si quis mulierem ff. locati cum similibus interpret.*
28 *L.3.tit.17.lib.3.Recopil. declaratur.*

1 VENTER Iurisconsultorum ἰδίᾳ phrasi mulierem prægnantem denotat † in titulis, *ff. de ventre inspiciendo, custodiendóque partu*, & *ff. si ventris nomine mulier in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur*. Et *ff. si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicitur*. Et *ff. de ventre in possess. mitten. vel curatore eius*. Vnde ventrem in possessionem mittere in prædictis titulis, & in *l. Fulcinius*, *§. adeò, vers. planè, ff. ex quibus causis in poss. eatur, l. non est ambigendum 12. ff. de bonorum possess.* idem est ac si diceres, mulierem prægnantem (quæ hæredem se parituram asserit) mittendam in possessionem, *l. 1. in prin ff. de ventre in possess. mitten.* Et ab hisdem venter pro nascituro posthumo sumitur, cùm de eo instituendo vel exhæredendo agitur apud disertissimum *Papinianum in l. ventre præterito 84. ff. de acquir. hæredit.* & *Iustinianum in l. fin. C. de instit. & substitut.* Et cùm de curatore ei dando tractat *Vlpian. in l. si ventri 9. ff. de priuileg. creditor.*

Et in summa apud nos vènter nuncupatur, qui Philosophis & Medicis dicitur *fœtus* per vlteriores dies à con-
2 ceptione † vsque dum edatur. Siue vt ait *Hippocrat. in libello de natura puer. in fin.* γονὴ χωρεισθεῖσα, id est, *genitura seorsum consistens*, quæ vitam & enutritionem habet distinctam à matre, cuius vtero gestatur.

Quæ fuit sententia *Galeni* in *libello* εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρὸς; *an animal sit quod in vtero est? c. 2. 3. 4. & 5.* & cæterorum Medicorum existimantium, fœtum vel embryonẽ viuum animal propriè
3 dici, † & per se moueri & enutriri. Id quod probarunt etiam Philosophi, maximè *Aristot. qui libr. 7. de animal. histor. cap. 1.* duas in homine constituit generationes, primam cùm fœtus concipitur, secundam cùm nascitur & lucem videt. Et in idem recidit *Plato apud Plutarchum lib. 5. de placit. Philosophor. cap. 15.* cùm ita ait: Πλάτων τὸ ἔμβρυον ζῶον, καὶ γὰρ κινεῖσθαι ἐν τῇ γαστρὶ, καὶ τρέφεσθαι, *Plato animal censet embryonem, quia & moueatur in vtero & alatur*: & conferunt alia quæ à veteribus eruditè obseruauit *Edmund. Merillius lib. 1. obseruat. cap. 16.*

Prędictis Theologi adsentiunt, † & 4
inter alios primæ notæ *Tertullian. in Apologet. cap. 9.* & in *lib. de anima, c. 37. Ex eo autem* (ait) *fœtus in vtero homo, à quo forma completa est.* Lactant. *libr. de opific. Dei, cap. 17. D. Augustin. in Enchir. ad Laurentium, cap. 86. & libro 6. contra Iulian. cap. 5.* quod habetur in *cap. si ad matris 114. de consecrat. distin. 4.* vbi (qua solet ingenij dexteritate) ita edisserit: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizatur, non vtique his baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus, cùm esset in vtero, pertinebat.* Quibus verbis sanctissimus, & doctissimus Doctor velut incusat Iurisprudentum receptiorem sententiam illicò referendam.

Indeque abacti partus vel abortus grauissimæ sunt pœnæ legibus Christianorum tam Ciuilibus quàm Canonicis, vt dicemus suo locô.

At ex Philosophis Stoici (quorum doctrina apud Iurisconsultos ferè semper inualuit) fœtum animal esse negant, † & mulieris partem esse adserunt, quemadmodum arboris pars est fructus ab ea pendens, teste *Plutarcho suprà*, his verbis: οἱ Στωικοὶ μέρος εἶναι αὐτὸ (loquitur de embryone) τῆς γαστρὸς, οὐ ζῶον, ὥσπερ γὰρ τοὺς καρποὺς μέρη τῶν φυτῶν ὄντας πεπαινομένους, ἀπορρεῖν, οὕτω καὶ τὸ ἔμ-

τοὔμβρυον *Stoici fœtum partem matris esse putant, non animal: vtque fructus qui stirpium partes sunt, vbi maturuere, defluunt, ita rem quoque se habere de fœtu.* Vel vt ait *Alexander Aphrodisæus* Stoicos sequutus, *in libro de anima, c.* 20. fœtus est vter animatus, vel vteri portio. Et *Vlpianus* eosdem imitatus in *l.1.§.ex hoc rescripto, ff.de ventre inspic.* fœtum dum in vtero est mulieris, vel eius viscerum portionem esse dixit. Et eodem sensu *Tryphoninus* aptè fuit loquutus in *l.Cicero, ff. de pœnis,* dum ait: *Sed & si qua visceribus suis post diuortium, quod prægnans esset, vim intulerit.* Et itidem *Seneca*, qui Epist. vlt. *Maternorum viscerum latens onus,* appositè fœtum vocat. Et huc etiam tendunt illa *Quintiliani* declamat. 338. *Filium matri eripere conaris, & partem viscerum auellis.*

Ab istis *Marcellus in l.2.ff. de mortuo inferendo*, fœtum *spem animantis* appellat. Et Paulus nondum natum in potestate parentis non esse dixit in *l. fin.ff.de collat.bonor.* Et *Papiniano* partus nondum editus homo non rectè fuisse creditur in *l.in lege Falcidia 9.ff. ad l.Falcid.* Et *Vlpianus* posthumum in rebus humanis non esse (id est, rem humanam per se subsistentem) dixit in *l.sed si plures* 10.*§.1.ff.de vulgar. & pupill.& in l.vbicunque* 7. *ff. de vent. in poss.mitt.* & in *l.nomen filiarum* 164.*ff. de verb.signif.* & in *l. generaliter* 24.*§. seruo eius, ff de fideicomm. libert.* Nec in rerum natura esse affirmauit *Pompon.in l.quod in rerum* 24.*ff.de legat.1. Iustinian. in §.ea quoque res, instit. de legat.*

Vt meritò veniat notandus *Eguinarius Baro*, qui in *l.7.ff.de statu homin. Accursium* improbat (dicentem *in l. antiqui,ff.si pars hæred.peta.*& in *d.l.fi. ff.de collat.bonor.* eum qui in vtero est Iurisconsultis animal non esse) & malè asserit, eos tale quid nec vnquam respondisse: idque verum tunc tantum fuisse, cùm nondum conceptio fuit consequuta ex *l.1.§.si quis proximior, ff. vnde cogna.* cuius verum sensum enodauimus s̃.in *Prolegomenis*, & in *c.1.§.* 2.& prosequemur *inferius num.*13.) Sed nec id quod de conceptionis tempore Auctor iste generaliter tradidit, verum est, attentis his quæ disseruimus s̃.in *d.c.1.in princ.n.*22.

Et ab his venit itidem refellendus *Anton.* † *Faber in Iurispr.Papin.scient. sub tit.4.de ingenuis, princ.3. & illat.3.* 6 eiusdem principij, in *§.postremum, vers. illud sanè*: vbi nouè adstruere conatur posthumum in HOMINVM tantùm dici, *non esse natura*, non æquè IN REBVS HVMANIS, vel IN RERVM NATVRA, quod comprobare nititur ex *d.l.2 ff.de mortuo inferen.* Vbi propter spem nascendi (ait) ventris haberi rationem. Et *confutatione sequenti* pro ista sua sententia expendit *tex. in l sed & si ad tempus* 20. *ff. ad Trebell. & in l. si quis prægnantem* 148. *alias* 187.*ff.de diuers.regul.iur.* & in *l.intelligendus* 153.*ff.de verbor.significat.* Et plura ab hac sua doctrina infert *refutationibus sequentibus.* Sed sustineri non potest, vt quæ expressè contrariatur precitatis iuribus, in quibus existens in ventre, nec in rebus humanis, nec in rerum natura esse dicitur. Nec contrarium probat d. *l.* 2. *D. de mort.inferen.*† quæ tantùm spem ani- 7 mantis non rem præexistentem in fœtu grauidæ considerat. Agit enim ibi *Marcellus* de prægnante viuo fœtu defuncta non humanda antè quàm partus ei exscindatur, & qui contrà fecerint, spem animantis cum grauida peremisse videri ait, ex *lege Regia* (quę Numæ fuit) relata à *I.Lipsio* & aliis, his verbis: *Mulierem si prægnans mortua fuat, nisi exsciso partu, ne humato. Qui secus faxit quasi* SPEM *animantis perimit. Ita esto.* Quod idem est ac si di-

ceres cum *Papiniano*, partum nondum editum non esse hominem, siquidem spes animalis non est animal. Et sanè prædicto casu spem in re tam miseranda *Marcellus* post *legem Regiam* prouidè attendit, id preuidens, quod euenire potuit. Et videmus in *Valerio Maximo lib.1.c.vlt.* accidisse Gorgiæ illi Epirotæ forti & claro viro, in funere matris suę vtero elapso, qui inopinato vagitu lectum ferentis consistere coëgit: & ita euenit matrem fato functam peperisse Gorgiam, & ex ipsius rogo non tantùm lucem, sed etiam cunas assequutum: *Et antè elatum* (vt ait *Valerius*) *quàm natum.* At d.*l.sed & si ad tempus* 20.*ff.ad Trebell.* & d.*l.si quis prægnantem* 187. *ff. de diuers.reg.iur.* in fœtu postea edito loquuntur, iuxta terminos *l.qui in vtero 7.& 26. ff. de statu homin.* de quarum intellectu latè inferiùs agemus in §.4.

Decisio verò *tex. in l. intelligendus* 153.*ff.de verb.signif.* aliam longè diuersam habet causam paulò inferiùs adnotandam.

8 In eo verò quod † dict. *princip.*3. priùs is Auctor edixerat, posthumum, vt qui in rerum esset natura, institui posse, ex *l.conficiuntur* 14. *§.si post factum, versic.nam & si, ff.de iure codicillor. l.* 4.*ff. de his quæ pro non script. habent.* toto (vt aiunt) errauit cœlo, quandoquidem longè diuersa est thesis & ratio *illius tex.* Quin hâc improuidâ resolutione attentâ, posthumi alieni institutio teneret, quod iste cum communi & saniore Interpretum sententia (inferiùs resoluenda) non admittit.

Et supra omnia reiicienda est dif-
9 ferentia † ab isto Auctore constituta inter res non existentes in rerum natura, vel in rebus humanis, quę re vera in idem recidunt, *d.l.si plures, §.1.cum aliis, ff.de vulgar.& pupill.substit. d.l. quod in rerum, cum similibus, ff. de legat.*1.

Et præ omnibus desidiosę culpæ annumanda est allegatio & expensio à *Fabro* facta *dictæ l.*4.*ff.de his quæ pro non script.haben.* etenim ab eo dicta, *tex. ille* omnibus penitiùs proterit & euertit: cùm ibi *Vlpian.* non vtatur phrasi illâ: *In rerum natura* (quam alterius naturę iste facit) sed illâ alterâ *in rebus humanis*, vt patet ibi: *In rebus humanis non erat:* & tamen pro non scripto habendum ait legatum harum rerum.

Ergo tenendum est, in vtero existentem, nec in hominum nec in rerum (quod idem est) natura esse, iuxta mentem & assensum Iurisconsultorum & Imperatorum simul: quicquid nouè excogitauerit. *Faber* & eius μιμητὴς *Schifordegher.disputat. forens. tract.*16. *q.*3. contra præcitata Iurisprudentum responsa, Quibus adde *Iustiniani* constitutionem in *l.cùm inter veteres, C.de fideicommiss.libert.* in illis verbis: *Et homo fieri speraretur.* Et insignem *Manilij* locum ita *lib.*3. dicentis:

Omniáque INTRANTVM *mixta nutritia turba.*

Vbi *Ioseph.Scalig.* (qui nostra non percepit) malè legit *infantum* pro *intrantum*: & tã securè quàm pessimè sequẽtia subiungit: *Qui nascuntur non intrant, sed prodeunt in lucem: vnde* Γένεσις *ab Astrologis dicitur* ἐκπορεία*, id est, exitus, vt etiam vertunt Arabes: ineptum ergo intrantum, quod proculdubio falsum, Manilius namque scripsit, infantum.* Ego enim idiomatis Arabici ignarus, & in Astrologia vix initiatus, ista nihilominus securiùs derideo ex prædictis. Quibus insuper addo, nutritia & educationem vltra infantiam extẽdi, vt inde nec aptè nec verè legi possit *infantum*, in pręcitato *Manilio.* Et sanè ad ista reducenda sunt, quę *Brodæ. libr.*19.*cap.*5. adnotauit in quæstione nostra

nostra, an partus nondum editus homo sit? aliàs non constabunt, iuxta s. tradita.

Quibus subnecte pluribus aliis Imperatorum auctoritatibus; aut Iureconsultorum responsis (congestis diligenter ab *Hotomano lib.7. obseruat. cap.18.* & mutilatis à *D. Francisco Amain eum referente lib.3. obseruat. cap.1. §.2. ex num.5.*) probari † aut supponi 10 fœtum vel ventrem non esse animal, sed partem quandam matris accidentalem, vt in *l. equis 9. l. partum 10. l. respondit 14. §.1. ff. de vsur.* & in *l. si quis cum totum, §.1. ff. de except. rei iudic.* vbi *Papinian. Paul. & Vlpian.* cum qui prægnantem petit ancillam, partum petisse videri aiunt, tanquam ipsius partem (quicquid alij eliciant ex §. *de fructibus eiusdem legis*, cui reiecta emendatione *Zangeri 3. par. de exception. cap.17. à n.18.* plenè satisfacit *Osuald. Hilliger. ad Donel. lib.21. comment. iur. c.5.*) *l. fin. ff. de acquir. rer. domin.* vbi natus illius esse dicitur, qui tempore partus dominus erat ancillæ: *l. ancillarum 27. ff. de petit. hæred.* vbi partus ancillæ hæreditariæ hereditarius est: *l. cum pater 77. §. si pater. ff. de legat.2.* vbi partus ancillæ legatæ legatarij esse dicitur: *l. cùm post, §. vltim. ff. de iur. dot. l. si marito 31. §. vltim. ff. solut. matrimon. l.1. C. eod.* vbi ancillæ dotalis inæstimatę partus dotalis est: *l. vltim. §. Proculus, ff. quæ in fraud. creditor.* vbi partus simul cum ancilla in fraudem creditorum alienata restituitur, quia pars ipsius est, *l. si quod ex Pamphila 73. ff. de legat.2. l. in bello 12. §. vltim. ff. de captiu. & postlim. reuer.* vbi emptorem ancillæ prægnantis partum emisse dicunt *Papinian. & Triphon. l. ancilla 60. ff. de furtis*, vbi ancilla fugitiua non tantùm sui corporis, sed & fœtus partúsve furtum facere videtur, ex sententia *Africani, l. si conuenerit 18. §.2. ff. de pignor. actione, l.1. ff. de Saluiano inter d. l. Paulus 29. §.1. ff. de pignorib. l.1. C. de partu pignor.* vbi partus ancillæ pignori datæ apud creditorem editus eidem pignori subiacet. Idémque probatur in *l. Licinius 48. ff. de legat.2. l. si mancipia 18. ff. de iure dotium, l. in his rebus 66. §. mancipia, ff. soluto matrimon. l. penult. C. de action. empti, l. ancillarum 27. ff. de petit. hæreditat.* Et vltra alios ista prosequuntur *Tiraquell. in l. si vnquam*, verb. *susceperit liberos, numer.149.* (vbi plura adducit) *C. de reuoc. don. Iacob. Cuiac. in lib.19. quæst. Papinian. ad l. 9. ff. ad l. Falcid.* & in *l.2.* post med. *ff. de excusation. tutor. Petrus Gregor. libr.7. syntagmat. iur. cap.1. num.10. & 11. Adrian. Negusant. in sylua respons. q.100. num.35. & 36. Andr. Fachin. lib.1. controuers. iur. c.95. num.4.* Et ex nostris *Montaluus* (disertè interpretatus *d. l. 2. ff. de mortuo inferen.* & partum nondum editum, vt qui pars matris, cum ea simul sepeliendum affirmans) *in l. 3. tit.6. lib.3. fori*, verb. *nasciere. Azeu. in l.1. tit.4. lib.7. recop. n.45. Valen. cons.96. n.7.*

Conuenit ergo Iurisconsultorum communis Schola † cum Stoicis, dum 11 partum nondum editum partem matris faciunt, quemadmodum & fructus pendentes partem arboris vel fundi, censerunt iidem Stoici. Differunt tamen (quod valde vltra omnes notandum) in ineunda ratione huius fœtus: nam Stoici, teste *Plutarcho suprà*, cum partem matris faciunt: ὥσπερ οἱ καρποὶ μέρη τῶν φυτικῶν εἰσι, ad modum fructus (vt diximus) ab arbore pendentis, qui re vera pars arboris est, siue maturus sit, siue immaturus, vt argumento *tex. in l. fructus 44. ff. de rei vindic.* probat latè *Tiraquel. de retract. lignag. §.1. gloss. 7. à nu.37. Barbosa in l. diuortio, in princ. num.79. ff. soluto matrim.* Ita vt accessione fructus maturi, aut immaturi arbor pretiosior reddatur. Iurisconsultis verò ancilla non ideò maioris est

valoris & æstimationis quòd prægnãs
sit, vt in *l. si prægnans* 42. *ff. de euiction.*
vbi ancillę prægnantis venditor par-
tu euicto de euictione ob hanc cau-
sam non conuenitur, id est, quia fœ-
tus non venditur venditâ ancillâ præ-
gnante. Quod expressè itidem probat
l. 4. §. si antequam, ibi: *Sicut in emptis
rebus placuit, ff. de vsucap.* Non enim
vendi potest homo, vel animal, quod
nondum est, vt ait *Papinian. in d. l. 9.
ff. ad l. Falcid.* Et his concinit *tex. in l.
inter stipulantem* 53. *§. fin. D. de verbor.
obligat.* Fœtus ergo vel ventris (qui
tam Stoicis, quàm Iureconsultis pars
mulieris est) maior ratio est apud
Stoicos, qui eum fructum æstimatio-
ne dignum faciunt, quàm apud Iuris-
12 prudentes, quibus † interim dum edi-
tur, in consideratione non est: præter
vnum aut alterum casum fau[illegible]
tionis & æquitatis, de quibus [illegible] age-
mus.

Quòd si opponas, velut contraria
videri censenda, fœtum partem matris
esse, & in rerum vel hominum natura
non esse, respond. Iurisconsultos (dum
ventrem aut fœtum partem aut por-
tionem matris, vel eius viscerum esse
dicunt) intelligi non posse de parte
subiectiua (quam Logici *prædicamen-
talem* appellant, quæ sub toto vniuer-
sali continetur, & de suo genere præ-
dicatur: velut homo, bos & vrsus, pars
sunt animalis) Nec de parte *integrali*
(quæ integrat suum totum, ex *Bart. in
l. si mater, §. si quis iter, ff. de except. rei
iudic.* velut paries pars est domus, *l.
eum qui ædes, ff. de vsucapion.* & vsus-
fructus pars est fundi) Nec de parte, vt
aiunt, *quotatiua* (de qua in *l. seruum*
50. *§. fin. D. de hæredib. instituen.* & in *§.
hæreditas, instit. eod. tit.*) Nec de par-
te *numerali* (de qua agit *Alciat. in l.
appellatione, D. de verbor. signific. num.*
5.) Sed de parte *accidentali*, quæ (vt
tradunt Nostri post Logicos & Phi-
losophos in *l. 1. D. de legat. 1.*) adesse &
abesse potest præter totius corruptio-
nem: vt pupillaris substitutio pars est
paterni testamenti (quod sine tabulis
pupillaribus subsistere potest, *l. penult.
ff. quemadm. testam. aperian.*) & dies
pars dicitur obligationis, *l. 1. §. diem,
ff. de edendo*: cùm tamen sine die stipu-
lationem fieri posse, certissimum sit,
*§. omnium, institut. de verbor. obliga-
tion.*

Nec prædictis aduersatur *Vlpian.*
in *d. l. 1. §. si quis proximior, D. vnde co-
gnati*, ibi: *Quia non fuit proximus co-
gnatus ei, quo viuo nondum animal fuit*:
quę à contrario sensu conceptum, ani-
mal esse prædicant. Nam verba ista
† in *Pandectis* Florentinis aliter se ha-
bent, & pro *animal* legitur *animax*, vel
animatum. Vt annotauimus in *cap. an-
teced. §. 2.* vt sit sensus (ita eleganter e-
disserente *Iacobo Cuiac. lib. 19. qu.
Papin. ad d. l. in lege Falcidia*) tantùm
abesse non conceptum animal esse, vt
nec sit animatum, siue animationis ca-
pax, quo significatur, vel præsupponi-
tur, quod conceptum est animatum
dici posse, non verò animal, vel homi-
nem.

Hæc mirè comprobantur † in *l. vel
si viuo* 7. *ff. de suis & legitimis hæredi-
bus*: vbi *Celsus* conceptum *quodam-
modo* in rerum natura esse dixit: *Hoc
enim articulo adhibito facilè feram* (di-
xit *Cuiacius* suprà) *quemlibet dicere
conceptum partum quodammodo animal
esse.*

Sub hęc Papiniani superiori senten-
tiæ nihil obstat, *l. intelligendus* 153. *ff. de
verbor. signific.* † vbi *Terentius Clem.*
ait, intelligẽdum mortis tempore fuis-
se, qui in vtero relictus est: *Nam illa
vox* (vt ait *Cuiac. s.*) *non est generali-
ter accipienda, sed aptanda propriis ca-
sibus accommodatis & congruis: pertinet
ergo ea lex ad leges caducarias Iuliā &
Papiam: quibus orbi, hoc est, qui non ha-
bent*

bent liberos, quasi incapaces aliqua enim repelluntur à commodis testamentorum, & quæ eis relicta sunt in fiscum rediguntur. Finge propter istas leges non habenti liberos, quidam legauit in tempus liberorum, id est, quandocunque habuerit liberos: is decessit vxore prægnante relicta, extitisse videtur conditio legati, & habuisse liberos, odio scilicet legum caducariarum, vt legatum transeat ad posthumum, & eius commodo cedat. Quæ fuit sententia *Vlpiani in l. sed & si 20. ff. ad Trebell.* & *Iuliani in l. is cui 18. ff. quando dies leg. cedat.* Addo istam, *l. intelligendus*, idipsum præsupponere, quòd omnes suprà citatæ, & fœtum nondum editum partem esse matris, quando ad effugiendam pœnam prædictam *legis Iuliæ & Papiæ* fictione vtitur, & natum supponit, vel fingit, cũ qui in vtero est, quod clarè denotant illa verba, *Intelligendus est mortis tempore fuisse.* Quasi aliud sentiat *Consultus* extra casum odiosum, de quo ibi, & in *l. non est ambigendum 12. ff. de bono. possess.* Vel summę æquitatis.

Quâ solâ innititur *Papinianus* responsum in suis *quæstionibus*, relatum in *d. l. si quod ex Pamphila 73. ff. de legatis 2.*
16 vbi ait: *Si quod ex Pamphila nascetur, legatum mihi fuerit* (quod legatum valet, §. *ea quoque res, instit. de legat.*) *& ego Pamphilam emam, eaque apud me sit enixa, ratione summa responsum est, non ex causa lucratiua partum intelligi meũ factum, ideoque petendum ex testamento, tanquam istum emissem, vt scilicet pretij contributione facta, consequar tãtum, quanti puerum, deducta matris æstimatione, constitisse mihi, iudex ex causa legati datus æstimauerit*, expensis verbis illis: RATIONE SVMMA *responsum est*: quæ strictam iuris rationem excludunt, & æquitatem præ se ferunt. *Papiniano* ita disertis verbis nos edocente in alio illo suarum *quæstionum responso*, quod habemus in *l. sunt personæ, ff. de religios. & sumpt. funer.* ibi: *Propter publicam vtilitatem, ne insepulta cadauera iacerent strictam rationem insuper habemus: quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet: nam SVMMAM esse RATIONEM, quæ pro religione facit.* Ecce strictam iuris rationem, summę rationi, id est ęquitati, oppositam. Sed & hoc ipsum expressè denotarunt *Imperatores* in *l. filiam 16. C. de collationib.* ita dicentes: *Filiam cũ fratribus suis coheredibus intestato patri succedentem, vltra relictum codicillis non conferentem dotem iudicio familiæ erciscundæ nihil posse consequi* SVMMA *cum* RATIONE *placuit* (expenso itidẽ verbo illo *placuit*, denotante dispositionem æquitate fundatam, & contra stricti iuris regulas inductam, iuxta notata in *l. placet 5. C. de sacrosanct. Eccles. l. placuit 8. C. de iudic.* *Alciat. in l. Gallus in princ. num. 4. ff. de liber. & posthum.*) Et sanè stricti iuris regulæ (cui summa ratio illius *tex.* opponitur) meminêre iidem Imperatores in *l. à patre 10. C. eo tit. de collation.* Qui ipsi summam istam rationem ÆQVITATIS RATIONEM appellarunt in *l. si res tuas 8. C. ad exhib.* in illis verbis: *Intelligis nullam te eius pacto contra quẽ supplicas, actionem stricto iure habere, vtilis autem tibi propter* ÆQVITATIS RATIONEM *dabitur depositi actio.* Vide est, vt benigna interpretatione (de qua in *l. 2.* & in *l. quidam cùm testamentum 5. §. sed cùm veteres, C. de necessar. ser. hered. instit.*) vel (vt aiunt *Imperatores* in *l. 2. C. de inoff. testam.*) AVXILIO ÆQVITATIS (cuius præcipuam esse rationem, quam iuris stricti dixit *tex.* in *d. l. placuit*, & in *l. final. ff. de Publician. in rem actione*) partus non diiudicetur ex causa lucratiua, id est, per legatum damnationis (de quo ĩ.) acquisitus in *d. l. si quod ex Pamphila*: sed quadam æqua fictione censeatur simul cum ancilla prægnante emptus,

vt innuant illa verba, *tanquam istum emissem*, ita vt spes animantis, de qua in illo *tex.* simul cum ancilla SVMMA RATIONE videatur empta: vt partus æstimationem ineat iudex in causa legatorum datus (de quo in *l. non quocunque* 82. §. *fundus*, *D. de legat.* 1. & apud *Cuiac. lib.* 23. *quæst. Papinian. super hac lege*) cui ante oculos æquitas esse debet; *l. quod si Ephesi* 4. *D. de eo quod certo loco*, cum similibus.

Huic autem verissimæ interpretationi obstare videtur *text.* in *d. l. non*
17 *quocunque* † §. *Iulianus*: vbi eadam proposita thesi Iulianus euicto partu actionem ex empto competere ait. Et hoc ipsum pro regula tradidisse videtur in *l. venditor* 8. *D. de euiction.* ita vt ex sententia *Iuliani* isto casu actio pro partu detur, etiam strictis iuris regulis attentis, nec opus sit ad æquitatem recurrere, vt subponebat *Papinian.* in *d. l. si quod ex Pamphila*. Sed respondetur, actionem ex empto, de qua in his iuribus, longè differre ab actione ex testamento, cuius meminit *Papinian.* Hæc enim in legato damnationis (in quo ipse loquitur ex dicendis j. cum *D. Richardo, hoc eod. cap.*) personalis tantùm erat *Papiniani* temporibus, vt colligitur ex *l.* 1. *C. commun. de legat.* & ex § *sed nostra, instit. eod. tit.* & pro eisdem tantùm rebus legatis dabatur etiam post *Iustinianum* in *d. l.* 1. id expressè asserentem in illis verbis: *Quare eis liceat easdem res siue per quodcunque genus legati, siue per fideicommissum fuerint derelictæ, vendicare*, &c. Ita vt nec pro fructibus & vsuris, & accessionibus ipsius rei legatæ per damnationem competeret antiquitùs, vt probabimus in *cap. seq.* Illa verò non tantùm dantur pro re empta & vendita, verùm & pro eo quod emptioni accedit, *l. euicta re* 16. *D. de euiction.* Partus verò accessionis iure ad eum pertinet, ad quem & mater, ex dicendis in *cap. seq.* Et inde est, vt euicto partu actio ex empto pro eo detur. Et quia in actione ex empto (quæ bonæ fidei est, §. *actionum*, cum vulgaribus, *Instit. de action.*) id quod interest officio iudicis venit æstimandum, *l. ex empto* 11. *l. qui per collusionem* 49. §. 1. *D. de action. empti*: inde est, vt pro partu ancillæ (non vendito ex *l. si prægnans* 42. *ff. de euiction.* cum dicendis *infrà*: pertinente tamē ad emptorem accessionis iure) detur eidem actio ex empto in *d. l. non quocunque*, §. *Iulianus* & in *d. l. venditor*: non verò detur summo iure attento actio ex testamento in *l. si quod ex Pamphila*, vt in qua tantùm res legata iure actionis venit, ex iam dictis. Et ad ista reducenda sunt quę in proposito notantur *ab Ant. Fabro de errorib. pragmat. decade* 60. *error.* 4. *ad fin.* & melius & exactius à *Cuiac. ad lib.* 23. *quæst. Papinian.* super *d. l. si quod ex Pamphila*: quamuis neuter eorum veram *illius textus* attigerit sententiam: nec iterum idem *Faber* (illicò referendus in sua *Iurispr. Papin. scient.*) & multominus *Goueanus* (plura inutilia disfundens) in *l.* 9. *ff. ad leg. Falcid.* & *lib.* 1. *varior. c.* 1.

Nec prædictis contrariatur *text.* in *l. si prægnans* 42. *ff. de euict.* † vbi pro partu ancillæ euicto non potest venditor de euictione conueniri: nam vt disertissimè probat *Cuiac.* in *d. l. si quod ex Pamphila*, longè etiam differt actio ex empto ab euictione; illa enim datur pro re vēdita, & eius accessione ex *l. non quocunque*, §. *Iulianus*. & d. *l. venditor*: ista verò (quæ stricti iuris est, & ab stipulatione duplæ prouenit, vt disertè post *Gloss.* in d. *l. si prægnans*, probat *Cuiac.* illam *legem* iungens cum sequenti) ex stipulatu agi non potest pro euicto partu, qui expressè in conuentionem stipulatione obfirmatam deductus non fuit. Id quod elegantèr probat

probat

probat is *Auctor* à *l. ex mille 64. D. de euiction.* vbi re vendita meliore, minore, deterioréve facta euictionis obligatio non augetur, nec minuitur ex *l. bonitatis 13. iuncta gloss.* & *l. naue 36. D. illo tit. de euiction.* cum aliis ibidem per istum adductis. Quæ planè & plenè probant, si actionis ex stipulatu de euictione (quæ stricti iuris est) naturam inspiciamus, partum in d. *l. si prægnans* venditum non fuisse: & ob id euicto partu stipulationem non committi, nec enim iure stricto inspecto, accessio (qualis est partus) in stipulationem venit, ac in actione ex empto: hæc enim (cùm bonæ fidei sit) pro accessionibus datur, d. *l. venditor*, cum traditis *suprà*.

Quæ omnia clarè demonstrãt, partum siue fœtum, dum in vtero est, considerari non posse velut rem à matre distinctam, & per se in *rerum* existentem *natura* vel *hominum*, sed vt quid accidentale matri inhærens, quod in iure tunc regulariter incipit esse, cùm editum fuerit, non antè.

Fateor in *Digestis duas* este leges (nõ *plures*, quicquid nouissimè asserat & adstruere conatus fuerit *Doctor Amaia* inferiùs referendus & refellendus)
19 quibus expresſè dicitur, partum † nõ matris partem, imò rem esse diuersam; eæ sunt *l. partum 26. D. de verbor. significat.* vbi (*Vlpiano teste lib. 16. ad Edictum*) partum *non esse partem rei furtiuæ, Scæuola lib. 11. quæst.* scribit. Et hoc ipsum *eod libro 16. ad Edictum* testatur ab eodem *Scæuola* idem *Vlpian.* in *l. si aliena 10. §. fin.* incip. *Scæuola D. de vsucapion. & vsurpat.* cùm ait: *Scæuola libro vndecimo quæstionũ scribit, Marcellum existimasse si bos apud furem cõcepit, vel apud furis hæredem, pariátque apud furis hæredem, vsucapi ab hærede distractum iuuencum non posse: sic* (*inquit*) *quemadmodum nec ancillæ partus: Scæuola autem scribit, se putare vsucapere posse & partum. Cæterùm si esset pars, nec si apud bonæ fidei emptorem peperisset, vsucapi poterat.* Sed in his legibus *Scæuolæ* sententiam retulit *Vlpianus*, nõn verò eam approbauit; vt optimè considerant *Cuiac. lib. 16. obseruat. c. 20. Hotmanus lib. 7. obser. d. ca. 18. Cisnerus in d. l. aliena*, & ibidem *Gothofredus*.

Sed vt communem Iuris Interpretum errorem lector euitet, & faciliùs quæ *Neoterici* à d. §. *finali* malè deducunt, euertat: & tam ad prædictorum, quàm dicendorum in *cap. sequenti*, §. 1. circa vsucapionem partus ancillæ, lucem: operæ meæ pretium facturum existimo, si pro vero sensu demonstrãdo contentorum in d. §. *fin.* (vbi principaliter de partus ancillæ furtiuæ vsucapione agitur) paulūlum immoratus annotauerim, initium bonum vel iustum † in vsucapione regulariter desiderari, *l. si liberam, C. quod cum eo, l. vis eius 15. C. de probation.* Et omnium maximè in vsucapione partus ancillæ furtiuæ, *l. 4. § si antequam, d. l. si aliena 10. in principio*, dict. *l. iusto 44. §. etsi possessionis, D. de vsucapion.* Nam cùm partus ancillæ nondum editus, quod attinet ad vsucapionem, pro nato haberi debeat, d. *l. qui in vtero 26. ff. de statu hominum* (iunctis his quæ latiore sermone post *Accursium*, *Bartolum*, *Paulum* & alios *inferiùs* sumus prosequuturi in §. 4. & iterum in *cap. 3.*) sanè si apud furem sit conceptus, vsucapi nullo modo potest, deficiente bono & iusto initio in vsucapione apprimè necessario. 20

His *Faber* (*inferiùs* exacta cura examinandus, an verus, ac subtilis?) addit in *Rationalibus* ad *l. si ego, §. interdum, D. de Publicana in rem actione*, partum nõ dum editum partem esse viscerum matris, *l. 1. §. ex hoc rescripto, D. de ventre in possess. mitten.* cum aliis per nos *suprà* addictis. Indeque fieri, vt si bo-

na desit fides possessoris in initio, hoc est, tempore conceptionis, partus ancillæ furtiuæ sit furtiuus, & ventrem sequatur, & ad eundem dominum pertineat, ad quem & mater tanquam portio viscerum eius: ita vt instanti conceptionis ancillæ furtiuæ partus sit furtiuus. Licèt enim (ait *Faber*) vsucapio non incipiat à die conceptionis (quando nulla interuenire potest traditio) sed à quo die partus editus est, *lege quarta*, §. *si anteaquam pariat*, *ff. de vsucap.* quia tamen tunc incipit possideri, vel posse tradi (si traditio necessaria ei est, qui ancillam penes se habet) ideò, inquit iste, bona fides requiritur possessoris, etiam tempore cóceptionis ancillæ: ne aliàs partus vitio rei furtiuæ affecti vsucapio impedita remaneat contrectatione: quæ incipit à conceptione, iuxta sententiam *Iuliani* & *Vlpiani*, aliorúmque suæ ætatis Iurisconsultorum in *l. non solùm* 32. *ff. de vsucap.* & in *l. qui vas* 48. §. *ancilla*, *ff. de furtis*, & *Impp.* in *l. ancillæ* 12. *Cod. eod.* cum aliis pluribus in *cap. seq.* latè expendendis.

Solius ergo partus concepti & editi apud bonæ fidei possessorem nulla
21 fit fraudulenta contrectatio, † iuxta *suprà* tradita ex *Fabro*: vt meritò in illo nil impedimento esse videatur legitimæ vsucapioni, cùm omnia tempora & extrema inueniantur habilia, & ad eam apta. Et licèt à tempore quo partus editus est, vsucapio incipiat, dict. §. *si antequam*: vires tamen assumit, & fundamentum à bona fide tempore conceptionis interueniente, dict. *l. si ego* §. *partus*, *ff. de Publiciana in rem actione*, dict. *l. qui vas* 48. §. *ancilla*, *ff. de furtis*, cum similibus. Ita vt casus iste liber omnino sit à dispositione *legis xij. Tabul.* & *Attiniæ*, de qua in dicta *lege quarta*, §. *quod autem*, & in dict. *l. non solùm trigesima tertia*, *ff. de vsucapi.* Cuius Auctor est *Iulianus* relatus & probatus ab *Vlpiano* in dict. *l. si ego*, §. *idem Iulianus*, *D. de Publ. in rem act.*

Ab his ergo planè & plenè nunc deducimus malè argumentari † contra *Marcell.* in dict. *l. si aliena*, §. *Scæuola*, *ff. de vsucapionib.* dum ait, partum, si pars matris esset, nec à bonæ fidei possessore vsucapi posse: nam quo tempore matris portio, aut pars accidentalis est, id est, dum in vtero est, bona fides (summè necessaria possessoris ancillæ prægnantis causam vsucapioni legitimam præstat. Cùm verò partus editus est, & alius res à matre esse incipit (vt diximus *suprà*, & demonstrabimus in *cap. sequenti* §. *primo*,) incipit & vsucapi iam antea fundata in bona fide interueniente in ipso instanti conceptionis, vt ex *Papiniano*, *Vlpiano* & aliis non sine nausea, obseruauit *Anton. Faber in Rationalibus ad dict.* §. *idem Iulianus*.

Secundus error, & quidem maximus, est in propositione illa *Scæuol.* qua contendit, partum conceptum apud furem, vel conceptum & editum apud furis hæredem, matris partem non esse: licèt enim in partu iam edito (considerato prout nunc) hoc tam certum sit, quàm quod certius, ex dicendis *inferiùs*; in partu vero, cuius conceptum simul cum editione consideramus ad bonum, iustúmque in eodem initium legitimæ vsucapionis, ex dict. *l. qui in vtero vigesima sexta*, *ff. de statu homin.* cum traditis *suprà* (& attendisse videmus *Marcellum*, & post eum *Vlpianum* & alios *inferiùs* referendos) constantissimè simul est tenendum, eum partem matris diiudicandum, ex pluribus iuribus iam *suprà* per nos expensis cum *Hotomano num.* 10. & ex traditis *proximè*.

Tertiò, deuiat à vero Scæuola dum

dum ſupponit, partum ſi eſſet pars ancillæ, vſucapi non poſſe, nec à bonæ fidei emptore: nam quo tempore viſcerum matris portio párſve accidentalis erat, bonum initium (ex iam dictis) vſucapio aſſumit: eámque impoſterum perfici videmus poſt partus editi legitimam poſſeſſionem.

Quartò, confundit, & eandem peſſimè facit cauſam & caſum partus editi (quem ſi vlteriùs ab editione conſideremus, certiſſimum eſt à iam dictis partem matris non eſſe) & nondum editi, vel conſiderati tempore conceptionis, vel ad illud relati: in quo ſolo inerat dubium Iuriſconſultorum, Philoſophorum & Medicorum, an eſſet animal? an eſſet pars matris?

Quintò, ipſum fugit regula & ratio notiſſima *text.* in *l. qui in vtero 7. & 26. ff. de ſtatu homin.* vbi partus ancillæ prægnantis ſubreptæ editus apud bonæ fidei poſſeſſorem vſu non capitur: quia cùm in vtero eſt, habetur pro nato, vt exempla illius *textus* proſequuti) latè comprobamus *infra* in §. *quarto.*

Sextò, ſententia principalis *Scæuolæ* (quod attinet ad partus ancillæ furtiuæ vſucapionem) longiùs aberrat à certa & firma *Iuliani*, *Vlpiani* & aliorum reſolutione (proſequenda *infrà* in *capite tertio*) vt qui vſucapionem admittit partus concepti apud furem & furis hæredem, nulla conſtituta differentia inter bonæ vel malæ fidei poſſeſſorem tempore conceptus: quando in vtroque re vera partus vſucapionem ex eo tantum dari ait, quia partus pars non eſt, ſed res à matre diuerſa. Nec enim eius ſententia ſubauditiones Interpretum Iuris admittit: † maximè confictam à *Fabro* poſt alios in dict. *l. ſi ego, §. interdum*, & refellendam dict. *capite tertio*, cum pluribus aliis nouiſſimè adductis à *D. Amaia libro 3. obſeru. c. 1. §. 3.* Etenim quotquot *Scæuolæ* ſententiam defendere ſunt conati, in magnos, varióſque velut ineuitabili fato prolapſi ſunt errores.

Intérque eos valdè eminet ille *Ioan. Goddæi* in *l. partum, numer. quarto, ff. de verborum ſignificationib.* vbi exiſtimat, partum aut ventrem non eſſe partem mulieris prægnantis, eo nixus fundamento, quòd non ſit pars integri, nec vniuerſi: in quo is *Auctor.* & *Bened. Pinel. libro 2. ſelect. cap. 1. ex numer. 8.* & iterum *numer. 30.* cum *D. Amaia* (non parum nutante *libro tertio obſeruat. c. 1. c. 2. ex num. 22.*) partes Philoſophorum & Medicorum aſſumunt, qui fœtum animal eſſe dicebant; non callentes in Iuriſconſultorum ſcientia (quam profitentur) fœtum aut partum nondum editum portionem viſcerum matris, partémve accidentalem tantùm eſſe, non prædicamentalem, integralem, aut numeralem, vt iam *ſuprà* enodauimus.

Nec quidquam agit *Gœddæus* † *ſuprà*, aſſerens, partum ancillæ furtiuæ conceptum apud furem, & editum apud bonæ fidei poſſeſſorem non vſucapi, quia aſſeſſio eſt (non quia pars) rei furtiuæ, *l. de aſſeſſionibus, ff. de diuer. & tempor. præſcript. l. qui ſaccum 77. ff. de furtis*: nam etſi concedamus in partu ancillarum aſſeſſionem & rationem cauſæ (de quibus agemus in *cap. ſeq.*) hoc intelligi tantùm debet in partu iam edito, vt in *l. præterea 20. ff. de rei vindic. l. ancillarum vigeſimo ſeptimo, ff. de petit. hæredit. l. ſecunda l. equis octaua ff. de vſuris*, cum aliis. In eo verò qui nondum editus eſt, adhuc vigent diſpoſitiones iurium *ſuprà* relatorum, quæ eo potiſſimùm nituntur fundamento, quòd venter vel partus nondum editus pars eſt mulieris prægnantis. Quî enim fieri poteſt, 24

vti re vera *Auctor* iste ſupponit, vt fœtus vel venter ſit aſſeſſio , ſi non eſt homo? dict. *l. in lege Falcidia 9. ff. ad legem Falcidiam.* Si non eſt res (vt aiunt *Phyſici*) in facto eſſe, ſed in fieri? & ſpes eſt ſola animantis, *d. l. ſecunda, ff. de mortuo inferendo* : vel hominis: *d. l. cùm inter Veteres, Cod. de fideicommiſſar. libertat.* qui in fructu nõ eſt. Quod verò *Auctor* iſte ſubdit *nu. 6. Scæuolam relatum* in d. *l. ſi aliena, ff. de vſucapionibus*, refutaſſe tantùm rationem decidendi *Marcelli* (quòd venter vel fœtus ſit pars matris) non tamen eius deciſionem, longè etiam diſtat à vero : nam præterquàm quòd in *Marcello* de hiſce nec vllum eſt verbum, vt *infrà* in *Doctorem Amaiam* adnotabimus) *Scæuola* diſertis verbis aſſerit contra *Marcellum*, non tantùm fœtum ſed & partum vſucapi poſſe. Ex quibus facilè corruunt iſta *Gœddæi*.

Secundus, & quidem maximus error
25 fuit *Anton. Fabri* † 2. *to. ration. in ſchol. ad l. ſi ego, §. interdum, ff. de Public. in rem act.* vbi ſtat pro *Scæuola* contra *Papinianum*, *Vlpianum* & alios, ea ſolùm motus cauſa, quòd vendita ancilla, aut vacca prægnante, ſi partus aut vitulus fuerit euictus, non datur emptori actio de euictione : quod nulla alia cauſa fieri poſſe ait, niſi quia partus non ſit pars rei venditæ: aliàs enim euictio daretur, vt quæ competit etiam re pro parte euicta, *l. 1. ff. de euiction.* Etenim Conſultiſſimus iſte vir cum *Gœddæo* ſupponit, fœtum partem eſſe ſubiectiuam aut integralem, vel quotitatiuam (vt aiunt) matris, qui ſolùm eſt accidentalis, & nullius æſtimationis vſque dum editus eſt, vt qui interim homo non eſt, dicta *l. in lege Falcidia 9. ff. ad legem Falcidiam*: nec in rerum natura, dicta *l. quod in rerum, ff. de legatis* 1. cum aliis *ſuprà* relatis. Quæ plenè euincunt, venditorem ancillæ prægnantis fœtum, nec vt partem eius, nec alio vllo modo videri vendere. Vnde eſt, vt pro re non vendita, imò pro ea quæ vendi non poteſt (qualis eſt partus nondum editus : dicta *lege quarta, §. ſi antequam, in fine, ff. de vſucapionibus*) agi non poſſit contra venditorem de euictione. Quæ ſi *Faber* (aliàs vir ſingulari doctrina & eruditione præditus) aduerteret, non ita facilè à communi Iuriſprudentum aſſenſu deuiaret, & vnum *Scæuolam* ab eis improbatum ſequeretur.

Deuiat itidem à vero idem *Faber* in dict. §. *interdum*, & in §. *ſequenti*, dum ſecurè affirmat, *Paulum* & *Pomponium* ſenſiſſe cum *Scæuola*, ventrem vel fœtum non eſſe partem mulieris prægnantis in *l. 2. & 4. ff. pro ſuo*: nam *Paulus* in dicta *l. 2.* totum contrarium ſupponit, quando fructus ſeparat à partu, vt fecerat idem *Paulus*, & eodem loco (*libro* ſcilicet 54. *ad Edictum*) relatus in dicta *l. 4. §. fructus*, & in aliis §§. eiuſdem *legis*. Et ſanè hanc differentiam in Digeſtis paſſim inueniri optimè notauit *Cuiacius* in *lib. 54. Pauli ad Edictum ſuper d. l. 4.* (. *heres.*

Nec quidquam iuuant *Antonij Fabri* ſententiam verba illa dicta *lege ſecunda. Item quæ ex rebus alieno nomine poſſeßis nata poßidemus, veluti partum hæreditariæ aut emptæ ancillæ pro noſtro poßidemus* : nam referri debent iuxta communem Interpretum aſſenſum, ad vſucapionem pro ſuo (quæ datur in partu hęreditariæ aut emptæ ancillæ) aut quouis alio titulo poſſeſſæ, puta pro hęrede, aut pro donato (quod denotant illa verba *textus alieno nomine*, vt optimè notat *Gothofredus* ibi) Ex his enim & ſimilibus titulis partus vſucapionem, admittunt *Vlpianus*, *Iulianus* & *Papinian.* iuxta terminos *text. in l. ſi ego, §. partus, ff. de Public. in rem acti.*

act.l.qui vas 48.*§.ancilla*, *D. de furtis*, *l.non solùm* 33.& in *l.iusto* 44.§. *etsi possessionis,ff.de vsucapionibus*, cum aliis adnotatis in *cap.sequenti* circa partus vsucapionem: & simul per nos nouè considerandis in §.1.*num.* 9. illius *capitis*, circa intellectum dicta *l.* 2.*D.pro suo.*

Pomponius verò nec dixit nec sensit (quod ei *Faber* imponit) in dicta *lege quarta*, *ff. pro suo*: vbi vsucapionem partus admittit contra *Trebatium*, vel *Neratium* his solis casibus, in quibus *Papinianus*, *Vlpianus*, *Paulus* & cæteri suæ sectæ eam concedunt, vt quam euidentissimè demonstrabitur in *seq. capite.*

26 Nouissimus demum error fuit *D. Amaiæ*,† qui *lib.*5.*obseruatio. c.* 1. *d.*§.2. *ex d.numero vigesimosecundo*, partum nondum editum (de quo noster sermo & cęterorum) cum iam edito confundens, adhæret sententiæ *Scæuolæ*,& contrariam (quam *Marcello* constanter adscribit) impugnare contendit. Cùmque id auctoritatibus & rationibus eruere conaretur: primo loco in d. §.2.*nume.*12.& latiùs in §.3.*à nume.*51.ex *Vulteio* & *Nicolao Genoa* putat,& mordicùs tenet *Vlpianum Scæuolæ* sententiæ adhæsisse, quia eam vltimo retulit & constituit loco. At consideratio ista parum vrget, quandoquidem *Vlpianus* (aptiùs quamplures ex nostris sine delectu & ordine temporum, Auctores referentes) vltimo loco *Ceruid. Scæuolæ* (*Marcellum* subsequentis) sententiam refert. Et sanè si *Auctor* iste ab hac consideratione *Triboniani* assensum argueret & deduceret (*Vlpiani* scripta *lib.*16.*ad Edictum* pro libito libris Digestorum aptantis in dicta *l. si aliena*,§.*Scæuola*, & in *l.partùm* 26.*de verborum significationib.*) facilè eidem ego assentirem. Cùm autem videam de eadem re & θέσει egisse *Vlpianum* in his legibus, & in *l. si ego*, §. *partus*, *ff.de public. in rem act.* (quæ omnes desumptæ fuerunt ab scriptis per istum Iurisconsultum super dict. *libro decimosexto ad Edictum*) planéque in dict. §. *partus* vsucapionem denegasse illo eodem casu, in quo *Scæuola* eam admittebat, inde velut certum & euidens fit, *Vlpianum* ei non adrisisse, ac *D. Amaia* putauit.

Ecquis dicet, *Vlpiano* placuisse deuium à iure medium (satis supérque à nobis iam *supr.* impugnatum) quo suam sententiam *Scæuola* conabatur adstruere: & deductam à prędicto pessimo antecedenti inlationem & principalem conclusionem & propositionem non approbasse? Credant alij, quibus ista suadere potuerit *D. Amaia*. Qui nihil itidem agit, dum ait, *Vlpian.* in dict.*l.qui vas*,*§.ancilla*, *vers. sed si concepit*, docuisse partum furtiuæ ancillæ conceptum & editum apud bonæ fidei possessorem vsucapi posse, & per consequens supposuisse, non esse partem matris: nam ab his (latiùs prosequendis *infrà capite tertio in principio*) facilè expedior considerans *Vlpianum* loquutum de partu apud bonę fidei possessorem cóncepto & edito, & legitimo tempore possesso, & post perfectam & impletam vsucapionem eidem bonæ fidei possessori acquisito, qui tempore acquisitionis res est seiuncta à matre, nec vlterius pars illius vllo modo dici potest, vt agnouit *Vlpianus* & cęteri, qui, cùm partum matris partem faciunt, eum ad tempora conceptionis, legitimam vsucapionem impedientis interueniente mala fide, referunt, ex traditis *suprà*. A quo malo initio fit, vt consideretur pars matris etiam post editionem, quod attinet ad vsucapionem.

Sed & in eodem partu iam edito loquitur *Celsus* in *l. si ancillas* 63. *ff. de*

legatis 1.(quem malè *ff. Amaia* opinionis *Scæuolæ* assertorem facit, d. §. *nume.* 13.) Quod verò de assessione ibidem, & *numero sequenti* subiungit, alterius tractationis est,quam nos *infrà* suo loco apto prosequimur in *capite* 3. §. 2. Sed nec *Vlpianus*, quisve quis auctor est *l.4.§. si res, aliàs l.5.ff. de diem adiectione*,& in *l.proinde* 33.*§.final.ff.de ædilitio edicto*,stant pro *Scæuola*, vt *D. Amaia* putat,cùm in prædicto casu,partus iam editi loquantur. Itidémque *Paulus* in *l.si ancilla* 62. *ff. de legatis* 1. & in *l.* 3. *ff. de peculio legato*, & in *l.iustissimè* 44.*ff.de ædilitio edicto*, & in *l.si prægnans*.42.*ff.de euiction.*& in *l.2.ff.pro suo.*& *Pomponius* in *l.* 4. *ff. eodem*. At idem *Paulus* in *l. inter stipulantem* 83. *§.finali, ff.de verborum obligatione*, tantum abest vt *Goeddæi* sententiæ concinat, vt potiùs eam euertat, ex dictis per nos *supra num.*11.

Quæ verò ipse *Doctor Amaia* edisserit *num.* 21. (ratione naturali,vt ipse ait,prædictam sententiam obfirmans) nullius sunt momenti,cùm tantùm euincant, fœtum vel partum adesse & abesse posse à matre, nec eius subiectum, vt partem substantialem vel integralem complere, aut integrare, quod nos non negamus: quinimò apertè contra *Goddæum supra* latè adstruximus.

Sub hæc *Doctor Amaia d.* §. 2.*à numero vigesimoquinto* respondet iuribus ab eo adductis ex *numero quinto* (clarè comprobantibus, ventrem esse matris partem) dicens,intelligenda,dum fœtus in vtero est, ídque sæpe & sæpiùs repetit *numeris seqq.*nostræ adhærens sententiæ *&* *Goddæi* contrariam,quam adstruendam susceperat, deferens:qui cùm ad ista descendere in animo habuerit (vt re vera fecit) incassùm sanè *Scæuolæ* sententiam antea confirmare, & contrariam euertere fuerat conatus, postea raturus & fassurus (ac ingenuè facit) partum nondum editum partem matris esse, contra *Scæuolam*: cuius dicta & ad partum nondum editum referri debent, ex iam dictis *suprà*.

Ad hæc aduertere debuerat *Auctor* iste nouissimus (qui cæterorum scripta perlegit, vt clarè sua non vulgaris eruditionis demonstrant) nulli vnquam iuris conditorum, vel eius interpretum in mentem venisse, partum iam editum partem matris esse, quod is malè attribuit *Marcello*, tale quid non asserenti, nec supponenti, nec excogitanti, quidquid alij somniarint, vt patet ex dicto §. *Scæuola*, iunctis his quę in *dicto capite tertio*,nos latè adnotaturi sumus. Vt inde assertore egeat sententia ista, quam *D. Amaia* eidem imponit: & cùm nullum putem vnquam futurum, superuacuũ duco, quæ pro *Marcello* iniecta sententia iste latè tradidit dicto § *secundo à numero quinto*, & latiùs diluit ex *numero vigesimoquarto*. Prætereà quàm quòd aliò tendunt expensæ ab eo decisiones *l. si quis* 7. §. *si ancillam*, *&* §. *de fructibus, ff.de exception.rei iudicatæ*, & *l. quamuis, ff. de precario* cum similibus,& *l.fin.§.Proculus, ff. quæ in fraudem creditor* & *l. iusto* 44. §. *&* *si possessionis*, *ff. de vsucapionibus* (de quorum vero sensu agemus in *capite tertio*) & dictæ *l. si quod ex Pamphila*, iam per nos illustratæ *suprà nume.* 16. *&* 17.

Ab his discedam hoc vno superaddito *Bart.*quem pro sua sententia citat *D.Amaia num.*21.loqui in partu edito. Sed & *Alciatus* in *l.partum, ff.de verb. sign.*neutiquã dixit quod ei *Auctor* iste adscribit, imò totum cõtrarium,dum partum apud furem cõceptum rei furtiuæ partem facit, & viscerum maternorum portionem. Sub hæc *Osualdus*, ab *Amaia* citatus super *Donello libr.5,cap.25.lit.B.* pedem non fixit. De vaga

vaga verò illius *allegatione d. num.* 21. illis verbis concepta, HANC PARTEM TVENTVR FERE OMNES, curandum non est. Vt enim ex iam dictis patet, singulares ferè *Scæuolæ* propugnatores fuerunt *Ioannes Goddæus* & *Antonius Fab.* Et singularior sanè *D. Amaia*, qui cùm à communi Iurisconsultorum & Interpretum Iuris sententia (existimantium partum nondum editum partem vel portionem esse matris, editum autem rem aliam esse) re vera non deuiauerit, bellum verbo tenus indidit *Marcello* Iuriscõsulto (quem contrariæ sententiæ primum & præcipuum assertorem sinistrè facit.) Eam enim aptiùs referret ad *Papinianum* & cæteros suæ scholæ, id disertis verbis (quæ in *Marcello* non inuenies) asseuerantes in iuribus s. citatis. Cætera quæ attinent ad interpretationem *l. si aliena*, §. *Scæuola, D. de vsucapion.* non aptiùs prosequemur *infra in capite tertio in princip.* & *in* §. 1.

Demum his quæ de partu iam edito (vt res à matre distincta considerando) *supra* resoluimus, & nondum editum tantùm eius partem dici; & (vt omnia huius propositi vno velut
27 ductu prosequamur) noto grauiter videri obstare † *text. in l. sed addes* 19. §. *si quis mulierem, D. locati*: vbi naulo pro muliere prægnante constituto id non augetur, nec quid aliud debetur, si infans in naui natus sit: quasi sentiat Consultus editum etiam partum partem matris esse. Quod & nobis probare videtur *l.* 9. *cap.* 7. *titul.* 10. *lib.* 6. *Recopilationis, tomo tertio* ibi: *Con que esto no se entienda en las criaturas que leuaren à sus pechos sus madres, ò otras qualesquier mugeres: que por ellas no se ha de pagar porte alguno, fuera de lo que pagaren por si las mugeres que las lleuaren al respeto dicho.* Et iisdem accinunt *l. quamuis* 10. *D. de precario* (vbi si quis ancillam precario rogauerit, id actum videtur, vt etiam quod ex ancilla natum esset, in eadem causa haberetur) & *l. si vt certo* 5. §. *vsque adeò, D. commodati* (vbi equa commodata, ad pulli matrem comitantis custodiã commodatarius tenetur, vt inde ipse pro pullo, vel equuleo furti agere possit) *l. eum qui emit* 14. §. *non solùm, D. de furtis.*

Et sanè horum iurium argumento *Bald. in cap. translato, num.* 3. *de constit. Angelus, Albericus, Fulgosius* & alij in d. §. *non solùm* (quos refert & sequitur *Antonius Gomez. in* 2. *tomo, cap.* 2. *num.* 14.) in ea quæstione, an ancilla, vacca, vel equa simpliciter vendita, veniat partus iam editus, vt quid matri cohærens? distinguunt: & partum in emptione tunc tantùm comprehendi nõ putant, cùm à matre puer non lactatur, & vitulus vel hinnulus iam pascunt herbam: quod si à matre lactentur, vna & eadem res cum ea esse videantur, vt isti aiunt: ita vt nec à matre debeant separari, *l. plerumque, D. de ædilitio edicto.* Dura enim (dicunt) separatio est inter similia, *l. possessionum, C. communia vtriusque iudicij, l. item filium, C. de patria potestate* (deque ista & coniugum dura separatione plura notatu digna strenuè disseruit *Rodulphus Fornerius rerum quotidianarum libro tertio c.* 4.) Sed hæc sententia (quam video etiam placuisse *Cardinali Manticæ de tacitis & ambiguis conuention. lib.* 4. *tit.* 9. *num.* 17. & aliis nouioribus, quos nouissimè refert & sequitur *Alphonsius Narbona in d. l.* 9. *Recop. glos.* 7. *n.* 7.) mihi non probatur. Stat enim cõtra eam proposita verissima resolutio, quæ partum editũ à matre distinguit, & rem diuersam facit, non tantùm in homine, verùm & in cæteris animalibus. Sed & resolutio ista communis apertè refellitur ex *l. legatis* 65. §. *ouibus*, & *l. seruis legatis*

81.§.*ouibus. D.de legat.3.* vbi ouium legato agnos non contineri *Martianus* & *Modestinus* disertè affirmarunt & docuerunt. Facit *l.cùm quæreretur* 60. *D.illo tit.* vbi agnorum legato *Alfenus* contineri ait, & qui minores anniculi essent, quasi clarè sentiat hoc legato recèns etiam natos solos absque matribus venire. Adde pro ista sententia *textum* singularem in *l.* 3. *D.de peculio legato*: vbi defunctâ ancillâ, quæ simul cum natis legata fuerat, liberi ad legatarium pertinent; vt enim ait *Paulus* ibi: *Duo legata sunt separata.*

Neque quidquam obstat d. *l. sed addes*, §. *si quis mulierem*, *D. locati*, cum aliis adductis *suprà*, in quibus nec verbum vnum de alienatione & translatione dominij partus recẽs editi. Imò ex quo partus (de quibus in illis iuribus) quid diuersum à matre re vera constituunt, nata fuit dubitandi ratio, an commodati furtíque actio daretur pro nato ex ancilla commodata? & an naulum pro recẽs edito deberetur? & an partus apud eum, qui ancillam rogauit, in eâdem causâ cum ancillâ esset? Et visum fuit commodati & furti actionem commodatario concedi debere, qui custodia partus editi ad eum pertineat ex bona fide: quæ in hoc contractu inesse debet. Sed & æquitate attentâ responsum fuit in d. §. *si quis mulierem*, *l. sed addes*, nil nauli causâ pro recèns nato exsoluendum, vt clarè probant verba illa: *Cùm nec vectura eius magna sit, neque his omnibus vtatur, quæ ad nauigantium vsum parantur.* Facit *text.* in *l.3. in principio*, iunctâ *l.omnino*, *D. de impensis in res dot. fact.* Demum & eâdem æquitate innititur decisio d. *l. quamuis* 10. *ff. de precario*, vt innuunt illa verba, *id actum videtur.* Etenim æquitatis proprium est supplere quod expressim in conuentionem deductũ non est, vt *Neoterici* optimè adnotarunt *in l.8. Codic. de iudiciis*, & alibi.

Ad hæc nemo ex beneficio in alium conlato damnum sentire debet: nec rem suam commodato aut precario quisquam concessisse censendus est, vt eâ commodatarius, vel is qui precario rogauit, abuteretur, vt re vera accideret, si partui recèns edito, ad dominum ancillæ indubiè pertinenti, curam competentem vterque non adhiberet.

Hæc autem cessant, cùm quis vendit, legátve ancillam aut oues, vel alia pecora: qui simili venditione aut legato partum non contentum, curandum supponit, vel à se, vel ab hærede: quod mirè comprobabis ex *l. Ædiles* 38. §. *si plura*, *cum sequent. D. de ædilitio edicto*: vbi res quæ commodè separantur, simul redhiberi debent, cùm tamen separatim possint vendi. Et hùc reducenda sunt, quæ post ista scripta verborum multiloquio, & parum apto video tractasse *D. Amaiam libro tertio obseruat. capite primo* §.2. *ex num.*32. horum iurium prætextu: quæ ipse (pro iniectâ ab eodem post alios *Marcello* sententiâ) superuacuè adduxit & diluit, oleum, operamque deperdens.

Sed & à dictis certè pendet vera ratio *l. patriæ* 3. *titul.* 17. *libr.* 6. *Recopil.* † in illis verbis: *La lei que dispone, que no se pueda hazer execucion en las yeguas de vientre, se entienda i pratique en las crias*: ita vt hac noua decisione & declaratione opus fuerit, ne hinnuli executioni creditoris subiecti essent. Hoc enim prouidus PRVDENSQVE (iusto cognomento) PHILIPPVS II. Rex noster statuit, inter multa legibus nostris indulta pro conseruatione bonæ indolis equitij Hispani, vt patet ex aliis *legibus* illius *tituli* 17. *libri sexti Recopilationis.* Quæ quum cessent in hinnulo

nulo simul vendito cum matre sellæ & fræno adsuefacta, inde fiet, vt ex venditione hinnuli gabella debeatur, quamuis ab eius exsolutione matris venditio sit immunis, ex *l.34.titul.18. lib.9.Recop.* quidquid dicant *Messia* & *Lasarte* laudati à *Narbona* in *d.l.9. tit.10.lib.6.Recop.glos.7.num.10.* Differt namque substantiâ & quantitate hinnulus à matre, & diuersam constituit emptionem, ex traditis *suprà*. Sed & alia huius generis ab isto *Auctore* in d. *glos.* tradita (quibus non immoror) à prędictis facile & quàm euidenter veniunt impugnanda.

Nobis sat sit euicisse, & demonstrasse, partum nõdum editum partem matris accidentalem esse, editum verò (qui natura vnum totum constituit) matris partem non esse, aut censeri debere in iure, maximè cùm de dominij translatione agitur. Idque (post ista scripta) ita adnotasse video *Stephanum Forcatulum in iuris Ciuilis auiario, cap. 6.num.6.* Et dictis adde *Franciscum Cõnan. & Iulium Pacium* (licèt dissentiẽtes) illum *libr.7.commentar.cap.8.n.14.* istum *de contractib.tract.4.de deposito, c.3.in fine.*

§. I.

DIVERSAS INlationes (à prędictis & resolutis de fœtu siue ventre, nec in hominũ, aut in rerum natura Iurisprudentib. æstimando) continens.

SYNOPSIS.

1 *Partus nondũ editus gradum non facit.*
2 *Partus nondum editus non est in potestate patris. Et num.3. testamentum ante natiuitatem non rumpit.*
4 *Venter donationem, ad terminos* l. si vnquam, C. de reuocand. donat. *non infirmat.*
5 *Partui nondũ edito ius retractatus non competit. Et num.6. hoc remißiuè limitatur.*
7 *Venter ad excusationem tutelæ ex capite multitudinis filiorum non prodest. Et nu.8. idem in alijs muneribus.*
9 *D. Marta, qui ventrem in numero quinque filiorum reputat, refellitur.*
10 *Ventri non datur tutor. Et nu.11. redditur ratio.*
12 *Qui in Vtero est, sub tutela matris est.*
13 *Posthumo suo testamento tutor dari potest.*
14 *Mater exsecando ventri tutorem non potest adsignare. Tenetur tamen ventri ac filio iam edito curatorem petere.*
15 *Ventri non competit priuilegium aliàs pupillis concessum in bonis tutorum.*
16 *Curator ventris ad certos tantum effectus designatur. Et numero 17. limitatur in dato ventri & bonis simul: & agitur de differentia inter curatorem ventris & furiosi, prodigive.*
18 *Partus, siue fœtus ante aditionem non restituitur.*
19 *Libertas ventri meo iure relinqui non poterat.*
20 *Senatusconsulto Orficiano opus fuit vt ventri libertas relinqui posset.*
21 *Hæc interuertit Iustinianus in* l. cùm inter veteres, Cod. de fideicom. libert.
22 Ant. Faber, *qui varia excogitauit circa libertatem fideicommissariam ventri relictam, notatur.*
23 Ant. Faber *distinguens inter libertatem directam, & fideicommissariam ventri concessam, refellitur.*
24 L. minor 5. & l. cùm inter vete-

res, C. de fideicomm. libert. *declarantur.*

25 Anton. Fabri *explicationem, ad finalia verba* d.l. cùm inter, *laudat* Auctor.

26 Antonij Fab. *rationes, cur iure Ciuili libertas ventri non poterat dari, probat.*

27 *Legatum vendicationis ventri relinqui non poterat, damnationis verò tenebat.*

28 L. quod in rerum 24. ff. de legat. 1. *cum similibus enodantur.*

29 *Legati damnationis diuersa ratio demonstratur.*

30 *Cur ancilla prægnante vendita partus non censetur venditus ad interpretationem* l. si prægnans 42. ff. de euict. *notat* Auctor. *Et numero 31. eiusdem rei rationem reddit ab* Anton. Fabro *excogitatam subtilem & inanem simul ostendit.*

32 *Partus non pertinet ad emptorem tanquam pars matris, vt putabat* Anto. Faber.

33 *Idem* Faber *dum supponit partum matris partem integralem fallitur & refellitur.*

34 *Dicta* l. si prægnans, ff. de euictiõn. *declaratur: & in num. seq.*

PLVRA sunt valdè insignia & notatu digna, quæ à pronotata Iurisprudentum sententia (aiente, ventrem aut partum nondum editum in rerum natura, aut in rebus humanis, non esse) deducuntur.

Inlatio prima.

ET quidem primo loco ab ea in-
1 fertur, partum istum gradum † nō facere, vt post alios nouè notat *Christophorus de Paz de tenuta tract. 2. c. 68. num. 30.*

Inlatio secunda.

SECVNDO ab his prouenit, partum prædictum, siue ventrem non esse
in patris † potestate, *l. vltim. ff. de collat. bonorum*, *l. fin. ff. de adsignand. libertis*, *Marius Giurba* post alios *decisio. 76. numer. 14. Valençuola cons. 96. num. 7.* 2

Et ex eodem principio subinfertur ante natiuitatem partum istum testa-
mentum paternum non rumpere, † *l. 3. in princ.* & in §. *ex his apparet, ff. de iniusto, rupto, irritóve fact. testam. Tiraq. in l. si vnquam, verb. susceperit liberos, n. 145. C. de reuoc. donat.* 3

Inlatio tertia.

TERTIO ab hac sola causa, partus
nōdum editus donationem † ad 4
terminos *l. si vnquam. C. de reuoc. donat.* factam non infirmat, ex latè traditis, & de multorum sententia per *Tiraqu. in d. l. si vnquam, verb. susceperit liberos à num. 144.*

Inlatio quarta.

QVARTO, inde etiam fit, vt ven-
tri non detur ius retractus † in 5
rebus consanguineorum venditis, *Decius cons. 222.* cum pluribus relatis à *Mario Giurba sup. nu. 1.* & alijs *inferius* adnotatis. Quod à dicendis *infrà* §. 4. n. 6
41. limitationem † & interpretationem recipit.

Inlatio quinta.

QVINTO venter ad excusationem
tutelæ † ex capite multitudinis 7
filiorum, cùm in rerum, vel hominum non sit natura, patri non proderit, *l. 2. §. qui autem, ff. de excusat. tutor.* Imò
nec aliorum munerum ciuilium † ex- 8
cusationem præstabit, d. §. *qui autem*, *Anton. Fab. in sua Iurisprüden. titul. de ingenuis, confutat. 1. & 4. illation. 4.* Cùm autem hæc Πολυπαιδία insignibus

bus aliàs iuris priuilegiis cohonestetur: in *titul.C.qui numero liberorum se excus.* & in *l.cùm ratio 7.§.cùm plures, ff.de bon.damnator.* & alibi. Vt meritò
9 venia notandus *Doctor Marta*, † qui nouissimè in sua *summa success. legal. part.1.quæst.25.art.2.num.5.* asserit, ventrem computari in numero quinque filiorum, etiam si veniat casus antequam sit natus. Nec *Bartol.cons.22.nu.3.& 4.lib.1. dicit* quod ei *Marta* imponit.

Inlatio sexta.

10 SEXTÒ, ob hanc eandem rationem ventri non datur tutor,† *l.si nemo, 19.§.vltim.ff.de testament.tutela, l.1.§.si quis quasi,ff.de eo qui pro tutore.* Tutor
11 enim † datur personæ, partus verò nõ editus animal non est, iuxta commune Iurisprudentum placitum, quod *suprà* resoluimus. Ad hæc persona (vt ait *Petrus Gregor.lib.13.syntagmat. cap.*
12 *7.in princ.*) eius qui in vtero est satis † sub tutela matris est, cùm sit portio & pars viscerum eius, *l.1.§.ex hoc rescripto,ff.de ventre inspiciend.* Prosequitur eleganter *Anton.Fab.in Iurisprud. Papin.scient.titul.de ingenuis, princ.3. inlat.5.* Ab hac tamen regula excipien-
13 dus † est posthumus suus, qui qua ratione institui hæres potest, ex dicendis *infrà*, ei itidem testamento tutor dari potest, *l.1.§.1.ff.de testament.tutela, §.penultim.instit.qui testam.tutores dari poss.* cum dicendis *infrà inlat.12.& 13.* Matri verò, quæ liberos non habet in potestate, talis ex hoc solo capite designatio exsecando ventri
14 † non conceditur. Ob id tamen aliàs non excusabitur curatorem petere ventri,velut infanti filio; quod si non fecerit æquè multabitur, ac si filio iam nato eum non petiisset, *l.2.§.quid si cùm prægnans, ff.ad Senatuscons.Tertull.* Et post *Bart.Bald.* & plures alios annotauit *Stephan.Gratian.1.part. disceptat.capitul.2.numer.1.* Qui *numer. seqq.* huius rei rationes varias adducit.

Inlatio septima.

SEPTIMÒ, ex eodem capite ventri non competit priuilegium concessum pupillis in bonis suorum † tu- 15
torum, *l.ventri 9.ff.de priuileg.credit.* Vt qui re vera tutorem non habet,sed curatorem. Et hunc quidem ad casus & effectus certos † & determinatos: 16
vt cibum scilicet,potum,vestitum, tectúmque mulieri præstet pro facultatibus defuncti, & pro dignitate eius atque mulieris, *l.1.§.mulier.ff.de ventre in possess.mitten.l.penult. ff. de ritu nuptiar.l.bonorum 8 ff.de curat.furios.* & aliis. Nisi curator ventri & bonis † 17
datus sit, *d.l.1.§.quoties, l.curator,in princ.* & in *§.1.ff.eod.tit.* Sed & iste bonis datus,longè differt à curatore minoris,furiosi, aut prodigi, quibus plena rerum administratio conceditur, *d.l.bonorum, Petrus Gregorius d.cap.7. num.3.Thom.Cormerius* (plura disertè prosequutus circa institutionem & officium curatoris ventris) in *Codice iuris Romani & Gallici lib.24.tit.14. c.3.p.1.& 2.*

Inlatio octaua.

OCTAVÒ, & ex eadem causa, & à proximè dictis velut necessariò infertur, partum siue fœtum ante editionem beneficio restitutionis † in integrum non iuuari. Nam 18
cùm eo tempore quo quis in vtero est, nihil gesserit, nec omiserit, nec amiserit, inde est vt restitui non possit. Nec obstat *text.* in *l. etiam 45. D.de minor.* vbi *Callistratus* ex Labeone *etiam ei, qui priùs quàm nasceretur, vsucaptum amisit, restituendam*

actionem scribit. Nam (omissa *Antonij Fabri* diuinatoriâ interpretatione, & superuacuâ suppositione, qui in *Rationalibus ad d.l.etiam*, vt saluaret verbũ illud, *amisit*, existimauit, necessariò supplendum & subaudiendum hæreditatem ibi aditam fuisse per tutorem; alioquin, vt iste ait, ab vsucapione nihil eum, si heres non esset, videri amisisse quo tempore nasceretur. In quo ferè multa absurda, & à iure deuia is *Auctor* supponit. Maximè tutorem dari posse posthumo, qui suus & necessarius hæres non esset, contra ea quæ resoluimus s̃. ex *num*.10. Vel dictam *l.etiam*, necessariò intelligendam in posthumo hærede ex testamento, cùm eius decisio simul & æquè procedat in posthumo alieno hærede legitimo, de quo in *l.3. §.vtique, l.Titius 6.cum seq. ff.de suis & legit.hæred.* cum aliis. Et insuper retrotractionem *l.qui in vtero 7.& 26.ff.de statu homin.* ei denegandã; & pro nato non habendum, quo tempore in vtero fuisset, contra ea quę verè & solidè resoluemus j. §.4. *ex num.* 48.) mihi valdè arridet *Accursij* interpretatio (quam immeritò *Faber* impugnat) verbum illud, *amisit*, disertissimè explicantis, id est, *inuenit postea amissum*: quasi diceret, eum, qui postea editus & natus esset, restituendum esse contra vsucapionem inceptam in defunctum, à quo causam habuit, & completam quo tempore esset in vtero. Istum enim nec nos negamus restituendum, ac restituitur quilibet minor aduersus vsucapionem suo tempore perfectam & completam, *l.1.C.si aduersus vsucapion.* cum aliis pluribus (quæ lato & prolixo stylo post alios prosequitur *Petrus Gilken.* contrariis respondens in *tract. de præscription.3.p.c.*1.per totum.) Nam cùm editus est (vi retrotractionis & fictionis dictæ *l.qui in vtero 7.& 26.ff.de statu homin.*) intelligitur natus tempore impletæ vsucapionis. Quod in eo qui lucem nõ vidit secùs est, quia nec in rerum nec hominum naturâ fuisse censendus est, ex iam dictis.

Inlatio nona.

NOnò, ab eodem principio fit, libertatem ventri relinqui † non 19
posse; cùm enim liberum esse qualitas sit, quæ sine subiecto esse non possit: inde fit, vt existenti in ventre (qui nec homo est, nec in rerum natura esse reputatur) libertas dari non possit. Adde *legem Caniniam* (quæ libertatibus testamento relictis modum imposuit) simul cauisse libertatem seruis nominatim testamento relinquendam, vt docet *Vlpianus lib. singulari Regular. tit.1.§.vlt. Gaius in l.nominatim 24.ff.de manumiss.testam.* Libertas autem nominatim relinqui non potest, nisi sub nomine expresso, ex regula *l.1.* cũ aliis, *ff de liber.& posthum.* vel indubitabili signo, *l.quoties, §.si quis nomen, ff.de hæred.instituend.* Vnde factum est, vt libertas ventri vel posthumo relinqui non possit: vt quæ incerta erat personæ, §.*libertas, instit.de legat.* Quò respexisse videtur *Iustinianus* in *l. cùm inter veteres 14.C.de fideicommissar.libert.* in illis verbis: *Fauore libertatis censemus & fideicommissariam, necnon directam libertatem suam firmitatem habere, siue in masculo, siue in fœmina, qui, quæue adhuc in ventre vehitur*; & clariùs in *§.sin autem, eiusdem legis.* Nec enim certa persona illius est, qui in vtero portatur; cùm incertum sit, quis, quæve nasci debeat: & an vnus, duo, vel plures, an nullus nasceretur. Vnde opus fuit Senatusconsulto *Orficiano* (cuius meminit *Paul. lib.4 Sent. tit.14. in princ.*) vt libertas relinqui possit ventri, vti clarè probant verba illa *Pauli*: *Cùm autem obsonatorem, vel qui ex ancilla illa nascitur, liberum esse volo*, ex *Orf-*

Orficiano Senatusconsulto perinde libertas competit, ac si nominatim data sit. Quod postea ad alium casum extendit *Iustinianus* in *l.fin.C.ad Senatusconsf. Orfician.*

Qui attenta summa ratione libertatis (cuius fauore multa contra iuris rigorem sunt constituta, *l.generaliter, 24.§.si quis seruo, ff.de fideicommiss. liber.*) & vetus iurgium Iurisconsultorũ dissidentium resoluens, hæc omnia
21 interuertit† in d.*l.cùm inter veteres 14.C. de fideicommiss.libert.* Vbi amplioribus fauoribus libertatem prosequutus statuit deinceps non tantùm fideicõmissariam, sed & directam existenti in vtero relinqui posse: ita vt simul cũ libertate fœtus editus Solem adspiciat. Quod singulari iure, & à Iurisconsultorum communi sensu longè distanti factũ videmus apertè:& verba dictæ *l. cùm inter veteres*, ita clarè prę se ferũt. Vt meritò miremur, *Antonium Fabrũ*
22 † tam varia,& à vero aliena excogitasse in sua *Iurisprudentia* sub dict. *tit. de ingenuis, princip.3.inlation.3.* in assignãda ratione, cur ventri libertas fideicommissaria relinqui non possit.

23 Sed maiore admiratione dignum † est, quod ibidem adstruere conatur, distinguens inter libertatem fideicommissariam & directam, asserens illam existenti in ventre relinqui ante *Iustinianum* non potuisse, istam verò posse. Quod dubio procul à veris & certissimis deuiat iuris principiis. Quî enim fieri poterat vt directa libertas relinqueretur ei, qui nondum erat? In quo sanè *Faber* qualitatem sine subiecto supponit. Aut quis concedit aut inuenit casum, in quo datio libertatis directæ teneret, fideicommissariæ verò non item? Quod *Faber* certè solus excogitauit contra verba illa *d.l.cùm inter: Fideicommissariam, necnon directam libertatem suam firmitatẽ habere:* quasi diceret Imperator, deinceps existenti in ventre non solùm fideicommissariã libertatem (quæ non tam iuris solemnitates, quàm voluntatem dantis respicit, ex legibus *illius tituli*, & similib. in *Digestis*) sed & directam (quæ certis formulis concipiebatur, ex adductis §.) relinqui posse. Et hoc velut genere argumenti vtitur *Alexand. Imperator in l.minor* † *5.C.illo tit.de fideicõmiss.libert.* in illis verbis: *Minor annis lege definitis, nec per fideicommissum libertatem supremis suis elogiis relinquere potest.* quasi supponens, vt indubitatũ, directam eum non posse. His adde 24
Iustinianum directæ etiam libertatis meminisse in *d.l.cùm inter veteres:* vt inde penitus euertas *Fabri* considerationem, dicentis in d.*l.cùm inter veteres* in princ. *Iustinianum* egisse tantùm de fideicommissaria libertate: id enim ei impedimento non fuit, quominus & obiter casum propositum adaptatus fuerit, vel extenderit ad libertatem directam, ac fecit Imperator in d. *l.minor*, ex communi Doctorum sententia. Nec ista perturbat interpretatio *Fabri* ad ea verba prædictæ legis: *Censemus & fideicommissariam, necnon directam libertatem suam firmitatem habere:* vim namque manifestam & summam restrictionem illis infert, vt clarè præ se ferunt, quæ is ipse incassùm adducit & comminiscitur.

Cùm verò ista miramur & improbamus, simul mirãda & laudanda † cẽsemus, quæ is *Auctor* eadem inlatione 25
strenuè prosequitur circa interpretationẽ eiusdem *l.cùm inter*, in illis verbis: *Suam firmitatem habere, siue in masculo, siue in fœmina.* Et quæ edisserit, differentiam constituens inter decisionẽ illius *l.* & *l.generaliter 24.§.seruo eius, ff.de fideicommis.libert.* quã disertè intelligit in ventre, qui dominus est serui manummissi (ex regula *l. qui in vtero 7.* & *26. D.de stat.homin.*) cui ni-

hil impedimento esse debet in fideicommissaria libertate consequẽda. Et
26 quæ † demum diligentissimè disquirit, & in lucem profert, veram rationem demonstrans, cur iure Ciuili vetere libertas dari non posset ei qui in vtero est : ita vt partus pro iam nato habeatur hoc casu, ac aliis pluribus commodum eius respicientibus (de quibus ĵ. suo loco agemus.) Quod valdè notandum, cùm aliàs omnium maximus sit libertatis fauor. In hisce enim & similibus plura singularia, subtilia & notanda animaduertit *Auctor* iste.

Ab his demum quàm euidentissimè refellitur *Accurs. in §.fin. verb. discrimine, institut. de libert.* qui contra iuris principia & regulas notissimas securè tenet, ventrem manumitti posse. Quod nouissimè placuisse video *Didaco Cuellar. de manumiss. 2. par. nu.* 58. nisi *Accurs.* & sequaces excuses & intelligas, attento nouiore iure *Iustiniani.*

Inlatio decima.

DECIMÒ, ex eodem principio fit, nullum esse legatum partus nasciturі ex ancilla, quando per vendi-
27 cationem relinquitur, licèt secùs † sit in legato damnationis, vt vtrumque optimè probat, & rationem nobis aptam subiungit *Gaius*, quisve quis ista compilauit, *lib. 2. institutio. tit. 6. Illæ etiam res* (ait) *quia in rerum natura non sunt, per damnatiõe legato dimitti possunt, velut si ita testator in testamento scribat: Fructus qui ex illo agro nati fuerint, aut illud quod ex illa ancilla natũ fuerit: quod in legato vindicationis fieri non potest, quia non potest hæc legatarius testatore mortuo continuò vindicare,* quasi diceret, partum qui in rerum nec hominum natura est, legari non posse per vindicationem, qua legatarius (testamento morte testatoris confirmato) experiri in hæredem non potest prætextu rei nec suæ nec alterius, vt quæ non est.

Quæ verò leges legatum illud: *Si quod ex Pamphila nascetur,* admittunt, (eæ sunt *l. quod in rerum* † 24. *ff. de legat.* 28
1. d. *l. si quod ex Pamphila* 37. *ff. de legat.* 2. *l. etiam* 17. *ff. de legat.* 3. *l.* 1. *§. inest, ff. de condit. & demonstr.*) de legato damnationis præcisè intelligendæ sunt, vt optimè notat D. *Antonius Pichard. in §. ea quoque res* 8. *num.* 2. *institution. de legat.* & mihi probant verba illa: *Ideóque petendum ex testamento*, d. *l.* 73. *de legat.* 2.

Addo, legatum istud per damnatio-
nem † rei velut certæ esse, vel saltem 29
sub certa demonstratione comprehẽsæ: quandoquidem legatum ita conceptum: *Quod ex Pamphila ancilla mea nascetur, hæres meus Titio dare damnas esto,* omnes primo partu ex ancilla editos comprehendat: & certo certiùs sit legari posse ea quæ in rerum non sunt natura, & futura certò aut verosimiliter sperantur, ex dictis iuribus, & d. §. *ea quoque res* 8. *institution. de legatis,* iuncto §. 13. *tit.* 6. *lib.* 3. *Sententiar. Pauli.* In quo differt legatum rei incertæ personæ certæ relictum, à legato rei incertæ in certam personam collato, ex dicendis in *sequenti inlatione,* ex *num.* 38.

Sed an id quod diximus de legato vindicationis, hodie locum habeat attenta generali decisione *l. 2. tit. 16. lib. 5. Recop.* colliges ex his quæ circa donationem resoluemus latè ĵ. *hoc eodem cap.* §. 3.

Inlatio vndecima.

VNDECIMÒ, ab eadem causa pendet ratio *tex.* in *l. si prægnans* 42. *ff. de euictio.* vbi ancilla prægnante vẽ-
dita, partus non † intelligitur vendi- 30
tus,

tus, id est, quia nec in hominum nec
in rerum esse naturâ dicitur. Quæ ve-
31 rior & concludentior † ratio est eâ
quam tradit *Antonius Faber* in suâ
Iurisprud.Papinian.scient.tit.4.d.princ.
3.inlat.5.6. his verbis: *Si prægnans an-*
cilla vendita & tradita sit non idcircò
partus venditus esse intelligitur, non quia
ad emptorem non pertineat (cùm enim
sit pars & portio viscerum matris, fieri
nequit, vt non spectet ad eum ipsum ad
quem & mater, l.si quod ex Pamphila
73.ff.de legat.2.) sed vt si forte euictus
sit, siue cum matre, siue sine matre, non
idcircò venditor de euictione teneatur,
d.l.si prægnans. Nimirum, quia non-
dum habetur pro nato. Alioquin tot
censerentur esse stipulationes & actiones
de euictione, quot essent res venditæ, l.
quia dicitur 32.ff.de euiction. l.scire de-
bemus 29.ff.de verb.oblig. Quæ sanè
subtilia sunt simul & inania: imò & à
32 vero deuia. † Nec enim ad emptorem
pertinet partus tanquam pars matris,
vt iste putat, sed tanquam accessio, ex
dicendis in *c.3.§.2.* & ex iam dictis per
nos s. *hoc cap. in princ.num.16. & 17.*
circa interpretationem huius *tex.* & d.
l.si quod ex Pamphila 73.ff.de legat.2. l.
venditor 8.ff.de euiction. cum aliis. Ad
33 hæc † Iurisconsultissimus iste vir ad-
mittere non debuit, partum ancillæ
partem esse integralem (vt supponit
& malè ex dictis per nos sub initium
huius *capitis*, vbi istũ improbauimus)
Alioquin euicto partu venditor an-
cillæ teneretur pro parte euicta, *l.1.ff.*
de euiction. Cuius decisione attentâ
huius propositi non est *Fabri* præcau-
tum absurdum ex d.*l.quia dicitur*, cum
aliis: nullus enim vnquam dixit, ancil-
lâ prægnante vendita duas res vendi-
34 tas videri, † nec id *Paulo* Auctori *d.l.*
si prægnans, in dubio fuit, sed id tãtum
an fœtus esset pars ancillæ? In quo
clarè sensit, partem non esse, cùm ait:
partum venditum non esse: quod non
dixisset, si pars ancillæ esset, sicut nec
rectè quis diceret fundo simpliciter
vendito viridariis eius euictis vendi-
torem non teneri de euictione, con-
tra *d.l.1.ff.de euiction.* † Ratio ergo 35
potissima, imò & vnica, *d.l.si prægnans*
ea est, quia partus nondum editus in
rerum vel hominum naturâ non est,
& pro nihilo reputatur, quod attinet
ad Iurisprudentes. Cur autem eui-
cto partu de euictione non agatur, vti
ex empto actione experitur emptor,
iam diximus *suprà* in initio *huius cap.*
num.18.

Inlatio duodecima.

SYNOPSIS.

36 *Posthumo alieno (vt qui non est) legari non potest.*

37 *Posthumus incertis personis, vel similibus incertis ascensendus.*

39 *Legatum rei incertæ, personæ certæ relictum, differt à legato rei certæ, personæ incertæ facto.*

39 *Legatum rei incertæ sua natura conditionale est.*

40 *Ad confirmationem legati requiritur capacitas accipientis.*

41 *Tractationem posthumorum exactam aggreditur, & causas reddit* Auctor.

42 *Huius vocis* posthumus *communis etymologia perpenditur.*

43 *Nullum est apud Græcos dictioni* posthumus *nomen correspondens.*

44 *Variis auctoritatibus* posthumi *etymologia comprobatur.*

45 Fortunius *Garcia* posthumum *appellat & viuo patre natum.*

46 Iacob. Cuiacius *omnium primus vocem* posthumus *aliter deducit.*

47 Cuiacio *plures politioris litteraturæ viri accinunt.*

48 Adrianus Turnebus *& alij aliter rem componunt.*

49 Vulteius *Cuiacium notat,& Turnebum,aliosque verè sequitur.*

50 *Iurisconsulti his nominibus* posthumus, *&* postumus *nunquam vsi sunt promiscuè.*

51 Posthumi *nomen his tantum conuenit,qui post mortem patris nascuntur. Et num.67.*

52 *Nullibi apud Iurisconsultos inuenitur* postumi *nomine cohonestatus is qui post mortem patris nascitur.*

53 Cuiacius *& eum sequuti solummodò euicerunt & probarunt,vocem* postumus *vltimum aut postremum denotare.*

54 L.3.§.1.ff.de iniusto,rupto, irritóque testam.*declaratur.Et num.56.& 57*

55 P*luribus iuribus comprobatur communis sententia existimantium* pósthumi *vocem ad natum post mortem patris referendam.*

58 L.1.C.de posthum.hæred.instit. *explicatur.*

59 L.posthumus præteritus 12. ff. de iniusto,rupto irritóque testam.*intelligitur.*

60 L.si ita quis 16.§.fin.ff.de testamen. tutela,*inlustratur.Et n.61.& 62.*

63 L.3.§.nominatim, ff.de iniusto,rupto,irritoque testam.*enodatur.*

64 §.ita demum.institut.de hæred.quę ab intest. defer.*interpr.*

65 §.3.tit.3.lib.2.institut.Gai *perpenditur.*

66 Virgilius libro 6. Æneid. *declaratur.*

68 *Varia genera posthumorum* Glos. *& alij* DD. *excogitarunt.*

69 *Alia addunt* Bald.Ias.Bologn.Massinius,D.Pichard.*& alij.*

70 *Quos,Iuris Interpretes diuersis casibus* posthumos *appellant, melius* posthumis similes *dixissent.*

71 *Statutum de* posthumis *loquens, intelligi tantùm debet de natis post mortem patris ex* Bart.*sed alia longè diuersa ex causa.*

72 P*osthumorum diuersionem à* Duareno *traditam probat* Auctor.

73 Sch.fordegherus *superuacuam reputat eorum disquisitionem, qui anxiè quærunt, an* posthumus Aquilianus *sit suus vel extraneus.*

74 *Interpretes Iuris, docendi gratiâ varia posthumorum genera excogitarunt.*

75 *Omnia de posthumis deinceps tractanda, ad illa tria genera posthumorum* Duareni *sunt reducenda.*

76 *Definitio posthumi alieni, tradita in* §.posthumo quoque alieno,institution.de leg.*declaratur, & quatuor numeris sequentibus.*

81 *Definitionem posthumi sui traditam à* Iustiniano *in* §.ita demum, institutionum de hæred. quæ ab intest. defer. *(alia* Antonij Fabri *impugnata)defendit & inlustrat* Auctor. *& n.seq.*

83 P*osthumus suus ex proprio & alieno corpore esse potest.*

84 *Qui in ventre est* posthumus suus *ex varijs causis dici non potest.*

85 P*osthumus Aquilianus ex diuersis causis & considerationibus suus & alienus est.*

86 Pater Bisciola *in his quæ de posthumis tractat sæpè & sæpiùs fallitur.*

87 *Quæ de posthumis vsquedū dicta sunt proderunt simul dicendis* inlat.seq.

DVODECIMÒ, ab eodē principio prouenit ratio & causa inutilis leg iti†alieno posthum.relicti,de quo § loquitur *Iustinianus* in *§.posthumo quoque alieno 26.insti.de legat.* Quia ei qui nondum est,sed esse tantùm separatum nil dari potest. Tum etiā,quia posthumus iste de incertis † personis est,vel in similibus incertis (vt *infra* notamus) quibus legare vetitum erat in *§. incertis eod.tit.de legat.Vlpian.lib.singular. regul.titul.24.Paul.d.libr.3.Sententiar. tit.6.*

tit.6. Quòd si dicas, eadem de causa nec posthumo suo legatum relinqui posse; respondeo, posthumos suos ab hac regula exceptos fuisse, ex dicendis *inlat.seq.à num.*156.

Nec etiam obstabit, si opponas, rei incertæ legatum valere ex *l.quod in re-*
38 *rum,ff.de legat.*1.cum alijs. † Nam longè differt rei incertæ verosimiliter futuræ legatum certæ personæ factum, de quo in illo *text.& similib.* à rei certæ legato incertæ personæ facto; in primo enim casu legatur res, id est, spes, quæ legari (vt in d. *l.quod in rerũ*) & promitti potest, *l.interdum 73.ff.de verbor.oblig.* vbi Consultus de stipulatione eius quod in vtero est loquitur.
39 † Adhæc similis promissio seu legatũ rei incertæ conditionale est, ex natura sua, d.*l.interdum,l.*1.*in fine, vbi Bart.q.*4 *ff.de condit.& demonstr.* licèt purum reputetur quoad transmissionem, *l. conditiones extrinsecus,ff.illo tit.de condit.& demonstr.* prosequitur *Osualdus Hillig.in Donel.li.*8.*c.*11. *lit.C.in notis.* Et ideò ex vno & altero capite rei incertæ promissio vel legatum sustinetur. At secundo casu legatur res certa personæ incertæ, quæ nescitur: vel spes hominis (*l.*2.*ff.de mortuo infer.*) qui re vera non est: legati verò munificentia exerceri non potest, si deficiat accipiens, *Seneca lib.*2.*de benefic. cap.*35.*& seqq.* Iulian.*in l.*2.§.1. Martianus in *l. Diui,*6. §.*fin.* Scæuola in *l.quidam retulerunt* 14 in illis verbis: *Nullius momenti est legatum, quod datum est ei, qui tempore codicillorum in rebus humanis non est. Esse enim debet cui detur, ff.de iure codicill.l.si eo tempore* 4.*ff.de his quæ pro non script.habentur.*

40 Quin simul cum existentia, requiritur † capacitas accipientis, d.*l.si eo tẽpore,*§.1.*l.si seruo* 101.*in fin. ff.de legat.*1. §.*legari* 24.*institut.de legatis.* Sed hæc & similia *sequenti inlatione* aptiùs prosequemur.

CVM autem in legato posthumo alieno relicto hîc inciderimus, & in sequenti *inlatione* agendum sit, velut in sua sede, de istius, † & posthu- 41
mi etiam sui institutione. Et cùm nostrum proprium munus sit de causis posthumorum adnoscere, vt nouè ait insignis Medicus *Rodolphus Magister in proœmio lib.de limitibus humani partus.* Cumque eorumdem tractatio (omnium iuris difficilior) nostræ scriptionis proprior sit, quàm quæ magis: non abs re erit in tractatione ista perdifficili, nostriq; θήματος, præmittere POSTHVMI etymologiam, diuisiones & definitiones, siue descriptiones, vt aptè & exactè tota res ista explicata maneat.

Et primò, quòd attinet ad etymologiam: trita & nota est huius vocis deriuatio à particula POST, & dictione HVMVS, vt verbum, POSTHVMVS, natum post humationem † patris de- 42
notet, ex *Azone in rubr. C.de posthumis hæredib.insti. Accurs.in l.*3.§.1.*verb. duntaxat,ff.de iniusto rupto.* A quibus & aliis illicò referendis, non multum distat *Fortun.in d.l.Gallus. nu.*29. *Spanochius ibidem particula* 8.*num* 14. Qui posthumum dicunt, quasi postea humatum. His ergo † hoc vnum addo si- 43
mile aliud substantiuum in Græca lingua non inueniri. Non enim ei plenè correspondet (quidquid dixerit *Cuiacius* illicò referendus) vox νυοφερόμενος denotans tantùm in vtero gestatum mortuo patre: vnde *Plutarch. in Coriol.* ad designandum posthumum illo vtitur verborum multiloquio, τεθνήκοντος πατρὸς γίνεται: & *in Sulla:* ὕστερον τῆς τοῦ πατρὸς τελευτῆς. Verbum enim Πόσθυμος, Græcum non est, sed adscititium & barbarum, quidquid (parum distinctè loquutus) supponat *Ludouic. Cerda in Comment.ad* 6.*Æneid.*

Hæc autem communis & verissima

m

posthumi denominatio notiſſimis ſo-
44 let inluſtrari auctoritatibus † *Marci Terentij, Varronis, Sex. Pompei Feſti.* Et Iuriſconſultorum *Gaij* & *Vlpiani* in *l. 3. §. poſthumos, ff. de iniuſto, rupto,* & in *l. nomen. 164. ff. de verborum ſignific.* Et *D. Iſidori lib. 9. Etymologiarum, cap. 3.* Et comprobari itidem aſſolet ex *Plauto in Aulular. actu 2. ſcena* 1. qui, de ducente vxorem poſt mediam ætatem, & filios ex ea habente, ait:

Quid dubitas, quin ſit paratum nomen puero, POSTHVMI?

Et ita poſt *Azonem* & *Accurſium ſuprà*, ſentiunt, *Perot. in Cornucopia, Duaren. ad titulum, ff. de liberis & poſthum. cap. de poſthumis, Zucard.* in *l. poſthumo nato num. 4. Cod. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tab. Conan. lib. 11. commentar. c. 1. nume.* 8. *Forcatul. dialogo* 8. *num. 3. Robert. lib. 3. animaduerſion. cap. 3. & 2. Goddæus ad l. nomen 164. ff. de verb. ſignif. nu. 1. & ſeqq. Vulteius ad §. 1. n. 12. inſtitut. de exhered. liber.*

45 Sed diſſentit *Fortuni. Garcia*, qui in d. *l. Gallus n. 96.* affirmat, poſthumũ dici & eum qui viuo patre natus eſt.

His *Iacobus Cuiacius* (variis bonorum Auctorum locis adductis *lib. 3. obſeru. ca.* 4. & ad d. *l. 1. ff. de iniuſto, rupto*, & ad *l. 4. ff. de liber. & poſthum.* & *libro 2. notarum in Ioannem Robertum*
46 *cap. 2.*) addit, & omnium primus † exiſtimauit, *poſthumum* dici quòd pòſt natus ſit: & in hac voce nil aliud adnotandum affirmat, præter dictionem *poſt*, ita vt ſequens illa *umus*, ſit productio verbi, vt ab *extra, extumus*, & à *citra, citumus.* Et ideò ſcribendum cenſet *poſtumus*, non *poſthumus:* ita vt poſtremum ex natis denotet. Quod mirè comprobari putant, *Cuiacius*, & eius aſſeclæ ex illis *Virgilij* verſibus 6. *Æneid.*

--Surget
Siluius, Albanum nomen, tua poſtuma proles,
Quem tibi longæuo ſecum Lauinia coniux
Educet ſiluis Regem, Regúmque parentem,

Ex quo & aliis *Cuiacius d. lib. 3. cap. 4. ad finem*, omnibus poſthac edicit, vt *poſtumum* ſine aſpiratione ſcribãt. † E- 4
iúſq; edicto in ſcriptionibus ſuis plures politioris litteraturæ viros obtemperaſſe videbis, vbi vocis iſtius ratio eorum ſcriptis inciderit. Et *Cuiacij* ſententiam diſertis verbis comprobãt *Goclen. lib. 2. controuerſ. grammatic. cap. 6. Albertus Gentilis lection: Virg. cap. 6.* Et ex noſtris *Briſſon. Hotman. Vulteius, Spanochi*, & alij quos refert *Gilkenius in rubr. Cod. de poſthum. hæred. inſtit. numero ſecundo*, nouiſſimè *Maſinius in d. l. Gallus in princ. num. 26. & Ioan. Ludouic. de la Cerda*, poſt alios, in *Virg. ſupr.* expenſus.

At *Adrian. Turneb.* † vir eruditio- 4
nis non vulgaris, & *Iacobus Pamelius* omnigena lectione eruditus (quos refert & ſequitur *Pater Lælius Biſciola libro quinto horarum ſubſeciuar. capit. 4. tom. 2.*) rem ita componunt, vt nomina *poſthumus* & *poſtumus* ſint verè Latina: & quæ communis noſtrorum aſſenſus de poſthumo affirmat, ſimul cũ his quæ de poſtumo *Cuiacius* enarra-
uit, laudant. † Nec diſſentit *Herman.* 4
Vulteius, quamuis *Cuiac.* notet dum in *§. poſthumi, inſtitution. de exhæredat. liber numero ſecundo* ait, antiquos teſte *Quintil. lib. 1. inſtit. Orator. capite nono*, conſueuiſſe in his vocibus aſpirationem omittere; id comprobans ex *Pandectis Florenti.* vbi pro *hominis*, legitur in *l. liberi 70. ff. de cont. empt. umanis* pro *humanis* in *l. ſed ſi plures 10. §. 2. ff. de vulg. & pupil. ab eo* pro *habeo.* in *l. venditio 7. §. primo, ff. de cõtra. empt. ero* pro *hæro* in *l. item Mela 11 §. legis, ff. ad leg. Aquil.* & alium demum addit locum à *Cuiacio* adnotatum *libr. 11. obſeruati. cap. 21.*

Ego

Ego verò (qui istorum sententiam non improbo, quod attinet ad diuersam nominum *posthumus* & *postumus* rationem) conciliationem tamen non admitto vnius & alterius sententiæ *supr.* relatæ. † Et veriùs diiudico prædictis nominibus nec Iurisconsultos, nec bonos Auctores vnquam promiscuè vsos, vt quem *posthumum* dicimus, eundem *postumum* appellent: sicuti nec proprio nomine designaretur, qui post mortem patris natus *posterus, po-*
51 *sterior*, aut *postremus* vocitaretur. † Nomen ego *Posthumi* proprium & aptum tantùm puto iis, qui post mortem patris, aut alterius nascuntur. *Postumi* verò latiùs vagari existimo: quemadmodum & coincidentia illa, *posterus, posterior*, aut *postremus*, quæ vltimum rei statum denotant, *leg. si ea 23. ff. de donation. l. si mater. 6. Cod. ne de statu defunct. post quinque l. fi. §. sin vero, Cod. de iure deliberã. l. 4. C. de secund. nupt.* cum
52 aliis. † Nec vllibi apud Consultos aliósve Auctores Latinos inuenies *postumum* appellatum qui nascitur post mortem patris, aut alterius de cuius bonis agitur, vna excepta *l. 3. §. ex his, ff. de iniusto rupto*, iuxta varias eius lectiones in illis verbis: *Ex his apparet, aliam causam esse filiorum superstitum, aliam posthumorum*, aliàs *posteriorum* aut *posterorum*: quæ ista ratione attenta ad communiorem sunt redigendæ, quæ habet *posthumorum*, & quæ meliùs etiam adaptatur subsequentibus: *Illi iniustum faciunt, hi rumpunt,*
53 *illi semper, hi si nascantur*, &c. † Nec enim *Cuiac.* & post eum & alios *Bisciolæ* & *P. Cerda* aliquid aliud egerunt, quàm varios concinnare. Auctorum antiquorum locos, in quibus verbo *postumus* (vltimum quid, & supremum denotante) illi sunt vsi, quod nemo negabit.

Prædicta mirè nobis comprobat
54 † *Vlpiani* auctoritas in *dict. l. 3. §. 1. ff. de iniusto rupto*, in illis verbis: *Posthumos autem dicimus eos* DVMTAXAT, *qui post mortem parentis nascuntur*, expensa dictione *dumtaxat*, quæ dispositionem ad casum expressum restringit, & alios excludit, ex *Glossa* ibi: & probatur in *leg. fin. Cod. de patribus qui filios distrah. l. fin. Cod. de prædiis minorum, Cicero de Amicitia*: *Coluntur autem simulatione amicitiæ dumtaxat ad tempus.* Et idem importare quòd aduerbium *solùm*, probat expressus *textus* in *l. cùm plures duodecimo §. cùm tutor, ff. de administr. tutor.* vbi *Paulus* ait, tutorem *non* rebus *dumtaxat*, sed etiam moribus pupilli pręponi, vbi *non dumtaxat* stat pro *non solùm*: faciunt tradita à *Bart. in l. cùm ita, ff. de cordit. & demonstrat.*

Item expendi potest † pro commu- 55
ni *textus* in dicta *l. nomen filiarum 164. ff. de verbor. significat.* vbi *nomen filiarum & in posthumam cadere quæstionis non est, quamuis posthumæ non cadere in eam, quæ in rebus humanis sit, certum sit*: quò tendit decisio *l. si quis filiabus ff. de testamentaria tutela*: facit *l. si quando decimo Cod. de bonis proscriptorum*: vbi superstitibus liberis Theodosius & Valentinianus *posthumos* opponunt. Et in *l. finali, Cod. de posthum. hæredibus instituendis*: vbi ex causa (*inferiùs expendenda in interpretatione l. si ita quis decima sexta §. fin. ff. de testamentaria tutela, lege tertia §. si nominatim, ff. de iniusto, rupto, irrito facto testamento*) posthumi appellatio ad natum viuo testatore extenditur. Et in *l. posthumorum decima tertia, ff. illo titulo de iniusto, rupto, & §. posthumorum, institution. de exheredatione liberorum* (quibus concinit *l. vigesima titulo primo partita 6.* vbi posthumorum loco habentur (cùm re vera non sint) nepotes locum patris subintrantes. Vt inde posthumus ille propriè sit, qui post mortem intra decem menses

nascitur, vt ait *Leriotus de iur. arte, axiomate 6.*

Nec prædictis obstat *l. 3. d. §. primo versi. sed & hi, ff. de iniusto, rupto* (quo adductus fuit *Fortunius*, vt existimaret, posthumos eos etiam dici, qui in vita patris post conditum testamentum
56 nascuntur.) † Nam *Vlpianus* in illo *textu* non appellat posthumum viuo testatore natum filium, sed tantùm ait, non solùm posthumos nominatim exhæredandos, ne agnascendo rumpant testamentum paternum (vt in *principio dictæ l. tertiæ*, iam exstabat decisum) sed & nepotes, qui viuo testatore parentum suorum locum occupant, ad exemplum posthumorum exhæredari debere nominatim ex *legis Vellææ* prouisione. Vnde est, vt versiculus *sed & hi* coniungendus sit cum initio *legis*, vel ad illud referendus, vt optimè, quamuis nutans, notauit *Forcatulus dialogo 35.*
57 Addo, referri non posse † ad immediata; nam hoc non patitur aduerbium *dumtaxat*, quod *suprà* expendimus. Si enim *Vlpianus* (qui posthumos eos dumtaxat esse asseruit & docuit, qui post mortem patris nascuntur) illicò dixisset: *Sed & hi posthumi appellandi sunt, qui post testamentum factum in vita nascerentur*, sibi contrariaretur, quod in tanto Iurisconsulto nullus admittet.

Secundò, communi Doctorum assensui non aduersatur *textus* in *l. prima, Cod. de posthumis hæredibus instituendis*, ibi enim Imperator Antoninus idem consulit quòd *Vlpianus in dicto versiculo, sed & hi*, & rationem reddit, *Cùm agnatione posthumi vel posthumæ, cuius non meminit, testamentum*
58 *ruptum sit:* † quasi diceret, eum qui in vtero vxoris est, tèmpore conditi testamenti, vel institui, vel exhæredari debere, ne natus siue post testamentum, siue post mortem patris, rumpat eius testamentum: quod plerúmque posthumi agnatione rumpitur.

Tertiò non obest *Vlpiani* responsum in *l. posthumus præteritus 12. ff. illo titulo de iniusto rupto*: vbi posthumus appellatur is, qui viuo testatore natus est. Nam † is ibi *posthumus* ideò dici- 59
tur, quia testamenti facti tempore talis futurus sperabatur & appellabatur. Idque per Prolepsin fit, quemadmodum *emptio* & *venditio* dicitur in *l. si rem decimo octauo, §. si cùm mihi, ff. de præscriptis verbis*, quæ ita futura erat: & *dos* appellatur, quæ speratur talis esse in *l. si serua trigesimo nono D. de iure dotium.*

Quartò, non obstat decisio in *l. si quis ita dederit decimo sexto, §. finali, ff. de testamentaria tutela:* nam omissa interpretatione *Alexandri* & *Iasonis* in *rubrica, ff. de liberis & posthumis*, & altera *Socini* ibidem, cum alia *Pereiræ* in *l. si curatorem habens, verbo sine curatore, numero quadragesimonono, Cod. de in integrum restitutione, versi. nec obstat textus* (existimantis textum illum loqui in dispositione hominũ, qui cùm abusiuè, vt iste ait, loquantur *l. non aliter 67. §. 1. ff. de legat. 3.* inde est, vt posthumi nomine natum viuo patre denotent, secùs vero esse si apponatur in legibus, aut statutis: quod perquam ridiculum est) † Tu tene, ibi potiùs pro- 60
bari communem Interpretum sententiam, quod facilè colliges ex implicita illius *text.* ratione dubitandi, quæ illa sola est, quòd posthumi appellatio ad natos post mortem patris tantùm refertur: qua tamen non obstante contrarium in illo *textu* deciditur propter præsumptam voluntatem testatoris, vt optimè notat *Forcatulus dialogo octauo numero quarto.* Voluntas autem ibi planè deprehenditur ex mentione posthumorum à patre testante facta, eísque prouidente in casum, quem euenturum putabat post mortẽ suam.

Fit

Fit enim testamentũ ferè semper mortis cogitatione: quin eâ instante, impendente & imminente ;& ideò tutelæ datio extenditur ad natum post testamentum viuo patre, vt notat *Sarmiento in rubrica, numero octauo, ff. de liberis & posthumis, Alciatus libr.* 8. *Parergon, cap.* 13. facit *text. in l. Titius* 25. §. *Lucius* (de cuius interpretatione latior inferiùs erit sermo in *sequenti inlatione*) *ff. illo titulo de liberis & posthum. hæred. instituen.*

61 His vltra omnes addo † verba dicti §. *finalis* (*Si posthumis dederit tutores, hique viuo nascantur; an datio valeat? Et magis est, vt vtilis datio fiat, etiam si viuo eo nascãtur*) clarè prę se ferre, posthumum eum tantùm propriè & verè dici, qui post mortem patris nascitur: & summo iure natum viuo testatore non comprehendi in dispositione testamentaria prouidente & assi-
62 gnãte tantùm tutores posthumis. † Sed quia, vt diximus cum *Alciato* & *Sarmiento*, tacita subest hoc casu voluntas testatoris nascituros respicientis & attendentis, ideò vtilis datio tutoris fit, id est, ex ęquitate tutor assignari debet nato, viuo testatore. Quo sensu *vtilem persecutionem* appellant Imperatores, quæ ex æquitate, ad exemplum ordinariarum actionum, conceditur in *l. cùm res* 5. *Cod. si aliena res pignori data sit*, in illis verbis: *Sed tamen æquitatem facere, vt facilè vtilis persequutio exemplo pignoratitiæ detur.* Et *vtilis vindicatio*, in *l. si vt proponis* 8. *Cod. de rei vindicatione*, dicitur, quæ suggerente æquitate datur, ibi: *Præses Prouinciæ vtilem vindicationem obtentu militiæ tibi, eo nomine impertiri desideranti partes æquitatis, non negabit.* Et *vtilis actio*, quæ sola nititur æquitate, *l. actio* 47. *ff. de negotiis gestis, l. si ex voluntate* 7. *Cod. de donationibus inter vir. & vxor. l. vnica, §. taceat, C. de rei vxor. actione.*

Quintò non obstat decisio *textus* in dicta *lege tertia*, §. *nominatim, ff. de iniusto, rupto, irritóque testamento*, † qui 63
eandem recipit dubio procul interpretationem, quam proximè cum *Alciato* & *Sarmiento* assignamus ad dictam *leg. si quis ita dederit*, §. *finali, ff. de testamentaria tutela*: constat enim ibi de testantis voluntate & prouisione, quod attinet ad nascituros, & ideò posthumorum exheredatio in testamento, mortis cogitatione facta, extenditur ad natos viuo testatore.

Sextò, sententiæ communi non aduersatur *textus* in dicto §. *ita demum, versiculo posthumi, institution. de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*:
† qui non dicit natos viuo testatore 64
posthumos esse, sed eos qui post mortem patris nascuntur, ita demum ei suos hæredes esse, si talis sint conditionis, vt si viuo eo nati essent, in sua potestate futuri essent, ex fictione *l. intelligendus, ff. de verborum significatione, l. qui in vtero septimo, & vigesimo sexto, ff. de statu hominum*, vt ex *Pinelo*, & aliis optimè notat *Doctor Pichard. in dicto* §. *ita demum, numero finali.*

Septimò insuper vltimóque loco *Fortunij* & *Cuiacij* opinioni mirè fauet §. 3. *tit. tertio, libro* 2. *institution. Gai*, illis verbis: *Posthumorum duo genera sunt: posthumi appellantur hi qui post patris mortem de vxore nati fuerint, & illi qui post testamentum factum nascuntur.* † Sed hæc non sunt *Gai*, & à Iure- 65
consultorum eleganti phrasi deuiant, ibi: *Posthumorum duo genera sunt*, & multo magis illa: *De vxore nati*: quin & illa quę sequuntur: *Et ideò nisi is qui testamentum facit, in ipso testamento comprehenderit.* Quod facilè suadebimus, his qui ad iudicium super istis institutionibus à doctissimo *Cuiacio* factũ in *præfatione super Codice Theo-*

doſiano approbatum à *Gothofredo*,& a-
liis) recurrerint,& epitomen iſtam in-
ſtitutionum *Gaij* ab *Aniano* Alarici
Gothorum Regis Conſiliario (imò
Cancellario, vt aſſerit *Ioannes Tilius*)
conſtructam (quo tempore barbaries
plurimum irrepſerat) ſibi perſuaſerint:
eámq; adeò deformem & prototypo
Gaio diſſimilem euaſiſſe, vt inter la-
teres *Aniani* malè coctos, vix *Gaio* a-
liquid dignum, aut proprium inue-
niamus, iuxta notata à *Dionyſio Go-
thofredo in præfatione harum inſtitutio-
num.*

Poſtuma verò proles *Virgilij*, omiſ-
ſis pluribus adductis ab *A. Gellio libro
ſecundo, noctium Atticarum, cap.16. Al-
ciato libro octauo Parergon, cap. 13. Co-
nano libro decimo commentariorum, ca.
1. num.8. Ioanne Roberto libr.2. animad-
uerſionum cap.1. Turnebo lib.19. aduer-
66 ſariorum cap. 1.)* † nihil nos remorari
debet, imo facile retorquetur in *Cuia-
cium*,& ſuos ſectatores : *poſtuma* enim
Poëtarum Principi dicitur *proles* Syl-
uius, vltimus Æneæ longævi & ſuper-
ſtitis (quidquid contra elaborauerit
A. Gellius ſupra) natus. Lõgæuus enim
eſt qui diu viuit, non qui mortuus eſt:
vnde eſt, vt Syluius dici propriè non
potuerit *poſtuma* proles, ſed poſterior,
aut *poſtuma*, vt eſt in *Virgilij* terſiore
lectione:& hoc vero ſenſu admiſſo fa-
cilè refelles quæ *Ioãnes Caluinus Vve-
teranus* circa horum verborum inter-
pretationem in ſuo *Lexico Iuridico*
ſomniauit.

EVICIMVS ergo veram eſſe com-
munem Doctorum aſſertionem, quæ
habet, poſthumum dici eum tantùm,
67 † qui poſt mortem patris natus eſt : &
ſimul demonſtrauimus huius nominis
POSTHVMVS, propriam ſignificatio-
nem, etymologiam & orthographiam,
non ſine fructu (vt mos eſt Grammati-
corum) ſed pluribus legibus paſſim
occurrentibus lucem dantes.

Quam à dictis itidem accipiunt,
quæ Interpretes Iuris circa varia ge-
nera poſthumorum comminiſcuntur,
præmaximè *Gloſſa* in *rubrica. C. de po-
ſthumis hæredibus inſtituendis* : † vbi
quinque eſſe ait, quæ (vna excepta ſu-
periore poſthumi acceptione) elegan-
ti & compendioſo ſermone velut cô-
prehendiſſe, aut ſaltem innuiſſe, vide-
tur *Tryphoninus in l. filius à patre 28. §.
filiusfamilias, ff. de liberis & poſthumis,*
in illis verbis : *Non quidem adoptauit:
nec hodie ei natus eſt filius, nec priore
ſubducto de poteſtate ſuo hærede vlterior
ſucceſſit in proximum locum : ſed tamen
in poteſtate ſua habere cœpit, quem non
habebat; ſimúlque paterfamilias factus
eſt, & filius ſub eius recidit poteſtate.*
† Alia addit *Baldus in l. filius à patre, §.
1. ff. de liberis & poſthumis* : alia *Iaſon in
rubric. ff. illo tit. de liber. & poſthum. nu-
mero ſecundo & ſequentibus* : alia *Bo-
lognetus à numero octauo* alia *Angelus
Spanochius lib. ſingulari ad leg. Gallus in
protheriis, particula 9. numero primo.* Et
hiſce multa demum addunt nouiſſi-
mè *Maſinius ad l. Gallus, in principio, à
nu.107. ff. Pichardus in prælud. cap.2. nu.
26.27.40. & ſequentib.* Quæ omnia il-
luſtrantur ex adductis à *Tiraquello, in
l. ſi vnquam, verbo ſuſceperit liberos, nu-
mer.70.*

Sed mihi iſtorum ſententiæ abſo-
lutè non probantur, qui ex *ſuprà* tra-
ditis, & verè reſolutis video eum
tantùm propriè poſthumum dici, qui
poſt mortem patris naſcitur. Quos
autem *Accurſius*, & alij, poſthumos
appellant, † veriùs poſthumis ſimi-
les dicerent, quod attinet ad Iuris ef-
fectus.

Et ita dubio procul procedit do-
ctrina *Bartoli* in dicta *l. Gallus, in prin-
cipio, numero ſeptimo* vbi aſſerit, † ſta-
tutum de poſthumo mentionem fa-
ciens, intelligi tantùm debere de eo
qui poſt mortem patris naſcitur : quæ
pòſt

pòst fuit sententia eum subsequentiū, maximè *Alexan.* & *Soci. in rubr. D. de liber. & posthumis*, *Pereiræ in l. si curatorem habens, verbo, sine curatore, num. 49. C. de in integrum restitutione*: & mihi valdè arridet, non tamen ex ratione quam isti adducunt (quam probauit *Antonius Faber*, rigidus aliàs communium iuris sensuum impugnator, in sua *Iurisprudentia*, sub *titulo, De ingenuis, principio 3. in initio*, & nos *infra* §. *4. num.* 47. impugnamus) quòd statuta sunt stricti iuris: sed ex decisione *textus in l. 3. §. posthumos, D. de iniusto, rupto, irritóque testam.* cum traditis per nos s̃.

Vnde mihi omnium aptior & disertior videtur diuisio, quam fecit *Franciscus Duarenus libro 2. disputationum, capit. 28.* & ad dictam *leg. Gallus in*
72 *princip.* † dum constituit tria genera posthumorum, SVOS, qui quandocunque nati fuerint, primum in successione occupāt locum, nec vllo modo alieni esse possunt (de quibus in dicto §. *posthumus*, & alibi sæpè) ALIENOS, qui quandocunque nati sint, nō possunt esse sui (de quibus *Iustinianus* in §. *posthumo 26. institutionum de legatis*, à quo *Hotmanus lib. 6. obseruationum, cap. 10. ad finem*, malè delet verba illa *ex emancipato*) SVOS & ALIENOS, qui possunt nasci sui præmortuo eorum patre, & alieni, si viuat & præoccupet primum locum, de quibus in dicta *l. Gallus*, cum traditis à *Vulteio lib. 1. Iurisprudentiæ, cap. 73. numero 63. Ioanne Roberto libro 1. receptarum le-*
73 *ctionum, cap. 3. Schifordegher.* latè dicto *lib. 3. tractatu 16. quæst. 1. & 2.* † Vbi optimè (post *Antonium Fabrum lib. 9. coniecturarum cap. 1. Andream Fachinæum lib. 10. controuersiar. cap. 42.*) notat, superuacuam esse Interpretum disquisitionem, an posthumus à Gallo institutus sit seruus, vel alienus? cùm certo certius sit, *alienum* esse, si eum simpliciter (vt aiunt) consideremus, *suum* verò attento effectu & formula institutionis: per quam non alienus, sed suus verè posthumus instituitur. Vt inde veniat omnino admittendum tertium membrum prædictæ diuisionis.

Hæc cùm in Iure ita se habeant, eius † Interpretes docendi gratia alia 74
posthumorum genera constituunt, vt patet ex Auctoribus relatis *suprà* præmaximè *Glossa in dicta rubrica, C. de posthumis hæredibus instituendis.* Quæ inter alia ADROGATVM post testamentum, posthumum vocat, attenta similitudine. Ad quam reducendi sunt varij alij casus *Glossæ*, & aliorum posthumorum similitudinariorum: velut PRIMVS *posthumus* VELLEANVS, de quo in *l. Gallus*, §. *nunc de lege* (is est qui viuo auo, mortuo tamen patre, post eius testamentum natus est) Vel SECVNDVS (is est qui natus ante aui testamentum viuo auo & filio, eius patre, postea testamento facto, & mortuo patre, deinde auo, eidem succedit (de quo in dicta *leg. Gallus*, §. *sequenti parte.* Adde alium improprium, & similitudinarium posthumum, quem *Neoterici* IVLIANVM vocant: is est nepos post aui testamentum natus viuo auo, & filio (eius patre) ante auum decedente, de quo in dicta *leg. Gallus*, §. *ille casus*, quem ibi considerauit *Iulianus* duobus *legis Velleæ* capitibus commistis. Demum his addi solet posthumus CORNELIANVS (is est qui post fictam patris testantis mortem, id est, captiuitatem, nascitur) de quo in *l. lege Cornelia 12.* vbi *Cuiacius*, *D. de testamentis*, *l. lex Cornelia decima octaua*, *D. de vulgari*, *Antonius Faber libro decimo coniecturarum, capite nono & sequentibus*, *Melchior de Valencia in tractatu tertio, c. octauo. D. Pichard. post Masinium dicto capite 1. numero 1.*

Qui numeris antecedentibus optimè agnoscit, hos verè posthumos non esse, sed impropriè, quamuis ad similitudinem *Aquiliani*, qui verus est, appellentur à nouioribus, posthumus *Velleianus*, *Iulianus*, & *Cornelianus*, qui ante mortem & humationem aui vel patris, de cuius hæreditate agitur, nati sunt. De quibus hæc tantùm prænotasse sufficiat, dum simul lectores ad-
75 monitos † velim, vt deinceps, quæ de posthumis dixerimus, ad illa tria genera posthumorum (quæ *suprà* cum *Duareno*, & aliis adduximus) referant: ni de posthumo *Veleano*, aut de aliis impropriis speciali notâ mentionem fecerimus.

Præmissis ergo posthumorum diuisionibus, ad definitiones, vel descriptiones deueniens, ex ordine me facturum puto, si primo loco posthumum alienum cum *Iustiniano* definiã
76 † in §. *posthumo quoque, institutionum de legatis*, dicente: *Posthumus alienus est qui natus inter suos, hæres testatoris futurus non est*: quæ lectio ab *Antonio Goneano, Cuiacio, Donello, Fabro* & *Schifordeghero* (eos referente) *d. tract. 17. q. 1.* recepta est: simul cum interpunctione *Taurelli* post verbum, *natus*: quam laudauit *Spanochius ad l. Gallus, parte 12. num. 25.* & optimè tuetur *Masinius ibi à nu. 113.* vt sit sensus (posthumus alienus est, qui si natus esset viuo testatore, & susceptus ab aliquo qui eius esset hæres, suus nihilomagis testatori hęres futurus esset: vt qui pręcederetur à patre vel auo, primum gradum in patria potestate & successione
77 occupante. Quòd † si communem sequaris lectionem & interpunctionem, vnoque ductu legas, *Natus inter suos hæredes*, hæc interpretanda erunt cum *Donello* in *lect. posthuma ad l. Gallus*, id est *in suis hæredibus*, vel *in numero suorum* (hoc est, primum locum occupantium) is non est, quia cum pater præcedit. Porrò is solus suus est, quem nemo antecedit, *§. sui institution. de hæred. qualit. & differentia.*

Vt inde ab hac definitione rectè inferat † *Iustinianus* in dicto *§. posthumo,* 78
versiculo ideò: *Ex emancipato filio conceptum nepotem extraneum esse posthumum auo.* Id quod latè prosequitur & comprobat *Schifordegherus dicto tractatu 16. quæstio. 2.* distinguens inter
† posthumum ante vel post emanci- 79
pationem concepto. Ibique simul laudat *Fabri* Antesignani definitionem *lib. 9. coniecturarum, cap. 1.* dicentis, *posthumum alienum esse qui testamenti tempore iam conceptus, inter suos hæredes testatoris futurus non esset.* Quæ 80
definitio eadem † est cum tradita à *Iustiniano*: nisi quòd illa elegantioribus & concissioribus verbis prolata est, hæc autem *Fabri* clarioribus, & tyronibus aptioribus.

Sub hæc à definitione posthumi alieni, velut per consequentiam, infer-
tur, † quis sit suus: quem *Iustinianus* 81
postea disertiùs descripsit in *§. ita demum, versic. posthumi, institution. de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur*, dicens, *posthumum suum eum esse, qui si viuo parente natus esset, hæres eius, & in potestate futurus foret.* Quæ definitio verior & aptior est cæteris omnibus ab Interpretibus Iuris sedulò in *Iustinianum* excogitatis, quas vel superfluitatis, vel diminutionis vitio laborare video. Et præ aliis, explodenda est illa *Antonij Fabri lib. 9. coniecturarum, ca. 1. in principio*, posthumos suos aientis, *qui si eo tempore nascerentur, quo testamentum fit, dummodo iam tunc concepti sint, inter suos hæredes testatori futuri essent.* Licèt enim eam miretur *Schifordegherus*, & suo *Fabro* dignam, & omnium clarissimam asserat, ego planè video definitionem istam mancam & deminutam, vt quæ non comprehendat expressas Iuris decisiones

in l.

in *l. placet 4. cum duabus sequentibus,ff.de liberis & posthumis*,vbi posthumus suus nondum conceptus testamenti tempore iustè hæres instituitur, quòd latè comprobatur *infra* ex *numero* 143.& iterum *numero* 154. Sanè *Fabrum* decepit decisio *textus* in *l.1.§.si pater in potestate, ff.de coniungend.cum emancip.liberis eius*, qui alterius est propositi, & longæ diuersæ causæ. Ex quibus velut euidens fit, quantis sese periculis exponant, qui studio solius nouitatis,& vt singulares appareant, à certo & vsitato tramite desistentes,inuium spontè aggrediuntur. Non est ergo curà verissima, & omnibus numeris perfecta *Iustiniani* definitione deuiemus.

A qua subinde clarè infertur, id quod *suprà* innuimus, scilicet posthumum
82 mancipati filij ante emancipationem conceptum suum verè † auo hæredem esse,d.*l.1.§ si pater in potestate ff.de coniung.cum emancip.lib.eius*,in illis expressis verbis: *Sed etsi posthumus natus sit ex emācipato, ante emancipationem conceptus,idem erit dicendum.* Ita
83 vt posthumus suus ex *proprio* vel *alieno corpore* detur † (vt strenuè ait *D.Pichard.*in *Relectione ad l.Gallus in præludijs,cap.1.num.3.*) Etenim *ex proprio* dicetur is qui ex marito & vxore nascitur,*l.placet 4 ff.de liber. & posthum.* cum aliis pluribus iuribus *illius tituli. Ex alieno* verò erit nepos, qui ex filio prædefuncto vel emancipato sub aui potestate natus est,*l.qui si nepotes 6.ad finem,ff.de testamen.tutela*: vel conceptus,d.§ *si pater in potestate.* Is autem ex alieno corpore susceptus posthumus suus differt à posthumo Galli Aquilij (quem deinceps aliorum more & stylo *Aquilianum* vocabimus) quòd iste testamenti auiti tempore ex defuncto in potestate filio, aut viuo & emancipato, ante emancipationem conceptus fuerat. Aquilianus verò posthumus, viuo patre testamenti tempore,vel post,conceptus fit. Quò ducenda sunt quæ in proposito edisserit *D.Pichard.suprà numer.*32. & quæ subdit *num.*33. vbi de posthumo *Volleano* loquitur,ab isto *suo*, distinguendo; aliter enim sustineri non possunt distinctiones ab eo traditæ: vt quæ à iuris principiis omnino deuiæ remanerent.

Secundò, ex prædicta posthumi sui definitione infertur, † nullum dum in vtero est posthumum suum dici posse; 84
cùm,quia natus non est, tum quia in potestate testatoris tunc temporis nō est,d.*l.fin.ff.de collation. bonor.* d.*l.fin.ff. de adsignan.libertis*,notat optimè post alios *Anton.Faber.lib.10.coniectur.cap. 10.ad fin.vers.itaque suum posthumum.* Posthumus ergo *suus*, ille postquam editus fuerit,dicetur,qui si viuo patre aut auo natus esset, suus hæres & in potestate futurus foret,d. *vers.posthumi*, collatis scilicet omnibus iuribus in tempus nascendi,vt dixit *Consultus* in *l.antiqui.3.ff. si pars hæred. petatur,l. qui in vtero 7.& 26. ff. de statu hominum,l.intelligendus 153.ff. de verbor.signific.*cum aliis:& agnouit noster *Antonius Gomez* in *l.13.Tauri,numer.2.* simul cum his addendus dicendis *infrà numero* 151.

Posthumus verò *suus* & *alienus*, id est,Aquilianus,†quâ parte alienus est, 85
sub posthumi alieni definitione continebitur, qua verò suus, sub descriptione posthumi sui comprehendetur:vt inde aliam eius propriorem definitionem meritò Iuris Interpretes nec vnquam disquisierint.

Ex his autem (quæ plures doctissimi Iuris Interpretes non calluerunt) obiter & meritò venit irridendus *pater Lælius Bisciola*,†qui circa posthumorum diuisiones & definitiones cæcus vagatur,dicto suo 2. *tomo horarum subsecivarum,lib.5.cap.4.à numero 8.ad*

n

16. id ipsum sibi forsan in iure attribuens (vt dictorum confidentia demonstrat) quod *Angelus Politianus*, qui (cùm gloriaretur se facilè in Iuris Romani glossematis *Accursium* superare posse) interrogatus à *Socino* quid esset *suitas*, vel *suus hæres*, obmutuit, teste *Alciato lib.4.de verb.sign.* prope finem: quod & *Bisciolæ* euenturum par est credere, si tanquam discipulus interrogaretur, qui ita audenter decidit, & docet vt magister.

87 Hæc enarrasse † operæ pretium duximus in re tam difficili quàm trita, vt euidentius ratio & causa constaret, cur posthumo legari non posset, quod simul proderit dicendis *inlatione seq.* circa eius vetitam institutionem.

Inlatio decimatertia.

SYNOPSIS.

88 *Posthumi alieni vetita institutio nititur ea ratione, quòd posthumus, dum in vtero est, non est in rerum natura. Et n.91.*

89 Iustinianus *primus posthumi alieni institutionem admisit.*

90 *Leges Iuris Ciuilis expenduntur, quæ posthumi alieni institutionem explodebant.*

91 *Rationem præfatam, cur posthumus institui non poterat,* Costa *&* Schifordegherus *comprobarunt post alios.*

93 *Aliam ex aliorum sententia addit* Costa *ab incertitudine desumptam. Et nu.95.*

94 *Duplex est in posthumo incertitudo.*

95 *Cum incertis personis non est testamenti factio, nec legatum aut donatio eisdem facta tenet.*

96 *Incertus tutor non datur.*

97 *Nec incerta libertas.*

98 *Consilium testantis certum esse debet.*

99 Theophilus *posthumum incertæ personæ similem esse ait.*

100 *Posthumus est quid incertum futurū: & incertitudinis in eo maior viget ratio, quam in alijs.*

101 *Rationem* Auctor *reddit à* D. Pichard.

102 *A qua ipse postea discedit,* Masinij *fundans sententiam.*

103 *Aliam* Matthæi Gribaldi *(inferiùs expendendam) sub nube* Auctor *refert.*

104 *Plura iura congerit & digerit, quæ alieni posthumi institutionem concedere videbantur.*

105 Doctor Gabriel Enriquez, *Auctoris Magister, alieni posthumi institutionem Salmanticæ defendit & docuit.*

106 D. Ant. Pichard. *communem Magistrum* Gabrielem Enriquez *fuit sequutus.*

107 *Ante istos alieni posthumi institutionem enixè adstruxit* Angelus Spanochius.

108 *Et ante* Spanoch. *alij, à quibus, eorum nominibus suppressis, multa desumpsit.*

109 *Rationem ab incertitudine prouenientem refellit* Spanoch.

110 *Et* Matthæus *itidem* Gribaldus *ab alijs causis.*

111 *Principium* institut. de bonor. poss. *vers.* nam si alienus *interpretatur* Spanoch. *Sed refellitur numero* 112. *&* 113.

114 Doctor Gabriel Enriquez *aliter interpretatur dictum vers.* Nam si alienus. *Et num.*116.

115 Doctor Gabriel Enriquez *posthumum cum infante, furioso & alijs comparat.*

117 D. Gabr. Enriq. *suam interpretationem ab inconuenienti vel absurdo vitando vindicare contendit.*

118 *Tempus*

118 *Temporibus Theodosij aliter rem decisam affirmat* D. Gab. Enriq.
119 *Opinionem* D. Gabr. Enriqu. *improbat* Auctor, *& communem defendit.*
120 *Princip.* institut. de bonor. possess. *vers.* nam si alienus *declar. Et n.* 121. *&* 125.
122 *Infanti, furioso, muto, & aliis, nec tutore, curatore, patréve auctoribus hæreditatem adire concedebatur.*
123 *Iuris rigorem pupillorum fauor temperauit.*
124 L. si infanti, C. de iur. deliber. *interp. Et nu.* 126.
127 *Causas, ob quas* Iustiniani noua constitutio *super. institutione posthumorum lata in suo nouo Codice fuerit prætermissa, subinfert* Auctor.

DECIMOTERTIÒ, conclusione illa in initio huius capitis proposita (quę habet, eum qui in vtero est nec hominem, nec animal Iure Ciuili esse, nec in hominum vel rerum natu-
88 ra) innititur † posthumi alieni vetita institutio ante *Iustinianum* in §. *posthumis, institut. de legat.* & in *principio institut. de bonor. possess.* in vers. *nam si alienus posthumus*: vbi posthumi alieni institutionem noua sua constitutione
89 (in dictis locis relata) indulsit, † quam
90 ius Ciuile antea non admittebat, † *l. posthumus 6. vers. hoc planè, ff. de inoffic. testam. l. quòd si nepotes 6. ff. de testam. tutela, l. placet 4. l. ideoque 5. l. sed est quæsitum 6. l. si quis posthumus 9. in princ. & in §. sed si ex ea, & §. si ex ea quam,* & in *§. sed si per adoptionem, l. commodissimè 10. l. si ita scriptum 13. l. cùm posthumus 22. l. posthuma 24. l. posthumum 27. l. filius 28. §. si quis ex certa, & §. si quid eo tempore, & §. quid autem, ff. de liber. & posthumis, l. cùm quidam 50. §. suum hæredem, ff. de acquir. hæred. l. 1. ff. de iniusto, rupto,* cum aliis. Nimirum, vt diximus, quia † is qui in vtero est, homo 91
non est, imò nec in hominum vel rerum natura, iuris intellectu: quam rationem comprobauit communis † In- 92
terpretum apud *Costam in d. §. posthumus, numer. 8. instit. de legat. Schifordegher. lib. 3. d. tract. 16. quæst. 3.* vbi strenuè dicit, hanc vocem POSTHVMVS *naturalem personam* non supponere (quæ est qualitas posita in moribus & fortuna) nec *ciuilem* (quæ caput & statum in ciuitatem designat, quo sensu seruus dicitur ἀπρόσωπος) & per consequens posthumus alienus hæres institui non poterat, ex regula *tex.* in *leg. quidam referunt, versicul. esse enim debet, ff. de iure codicill.*

Addit & illam † *Costa*, post alios, n. 5. 93
huius vetitæ institutionis rationem, quòd posthumus alienus incerta persona est, & quidem † duplici incerti- 94
tudine (omitto aliam, quam in *Aquiliano* subtiliter excogitauit *Masinius in l. Gallus num.* 251. quam suo loco discutiemus.) Prima an nascetur, *leg.* 1. §. *quare. ff. de ventre in possess. mitten. Satius est enim sub incerto eius qui editur ali etiam eum. l. antiqui 3. ff. si pars hæred. petat. Dum incertum est, an nasci possit.* Secunda, an vnus vel plures nascantur, vt in iisdem legibus probatur, & in *l. 1. § fin ff. eod. tit. si pars hæred. petatur. Quia quot edantur fratrum defuncti filij, incertum est.* Prosequitur *Edmundus Meril. in expositión. ad 50. Constitut. Iustiniani, cap. 24.* & innuit *Choppin. ad leges Andium lib. 1. c. 10. n. 2. in fin.* Vnde ex capite incertitudinis nec legatum, nec institutio posthumi alieni tenet: quia † cum incertis per- 95
sonis non est testamenti factio, §. *legari, institut. de legat.* Et ideò Nec legari eis potest, § *incertis, eod. tit.* nec hæredes institui possunt, *l. alienum, §. 1. ff. de hæred. instit. Vlp. in frag. tit. 22. §. incert. a:*

Nec donari eisdem poterit, vt in *Guidonem Papium decis.267.* optimè adstruit *Hotmanus* (his & aliis innixus mediis) *lib.4.obseruat.c.28. & 29.* (cuius dicta *inferiùs* prosequemur latiùs.) Et inde nec incertus itidem tutor
96 † datur, *l.tutor 20.ff.de testament.tutela.*
97 Nec incerta libertas, † *l.nominatim,ff. de manumiss.testam. §.incertis, vers.libertas,instit.de legat.* Quæ omnia planè & plenè comprobantur in *tit.C.de incertis personis* (nouioribus *Iustinianæi Codic.* editionibus superaddito) maximè in *l.1.illius tit.* Et horum in-
98 super ratio est † quam designat *Vlpian.* in d.§.*incerta: Quoniam certum consilium debet esse testantis. Hermogian.* in *l.sub conditione 18.versic. certo enim iudicio, ff.de bonor.possess.contra tabul.*

Nec his obstabit, si opponas, alienum posthumum incertam personam
99 non esse, sed incertæ similem † ex sententia *Theophili* in §.*posthumo,instit.de legat.* dum ait: ὁ ἀλλότειος ποσθοῦμος ἔοικε τοῖς ἰνκέρτοις προσώποις: quasi dicat, posthumos incertas personas reuera non esse, vt sensit *D.Pichard.in d.l. Gallus,in princ.c.4.num.62.* argumento *tex.* in *l.quod Nerua 32.ff.depositi.* Ideò enim *Theophilus*, subtilis Iuris Ciuilis Interpres, posthumum personæ incertæ similem facit, quia persona non est, vt nos adstruimus. Est autem quid
100 incertum futurum, † quod incertis personis (de quibus loquitur *Iustinianus* in d.§.*incertis*) assimilatur, & in quo maiore causa militat ratio decisionis illius §. cùm duplex in eo incertitudo inueniatur, an futurus sit, &
101 quotus, vt iam diximus. At † nil incertius esse potest, quàm quod super incerta persona non tantùm versatur, verùm & super non ente, vt disertè argumentatur *D.Pichard. d.c.4.num. 19.* Qui ab his paulò inferiùs ex *num.*
102 102. vltrò discedit, † *Masinij* fundans incertitudinem, & nouam posthumorum instituendorum rationem statuens, de qua suo loco tractabimus. Sed & poëticam causam *Matthæi Gribaldi* † prædictam itidem rationem 103
(ab incertitudine desumptam) impugnantis examinabimus suo loco. Nũc enim latiùs vagari non licet, sed in latione proposita persistere.

Quam *Neoterici inferiùs* referendi 104
variis obicibus impugnant: † & inter alia obstare ei videntur iura sequentia, quæ partim posthumi alieni institutionem, partim legatum eidem posthumo factum, admittere videntur.

PRIMÒ *tex.* (huiusce rei præcipuus) in d.§.*posthumus autem, institution. de legatis.*

SECVNDÒ, *l.si duobus 17.§.fin.* cum *l. qui filiabus 17.in princip. D.de legat.1.l. 1.§.sed si seruo,ff.ad leg.Falcid.*

TERTIÒ, *l.quidam relegatus 5.§.fi.* cum *l.sequ.ff.de rebus dubiis,l.qui quartam 35.in fi.ff.de legat.1.*

QVARTÒ, *l.substitui 17.ff.de vulga. l.1.§.sed et si,ff.ad leg.Falcid.l.Lucius §. ff.de hæred.instit.*

QVINTÒ, *l.Lucius 25.§.Lucius,ff. de liber.& posthum.*

SEXTÒ, *l.hæredi cum posthumo 31.ff. de acquir.hæred.l.si filius 16.ff.de testament.*

SEPTIMÒ, *l.non est ambigendum 12. ff.de bonor.possess.*

OCTAVÒ, *l.eius seruum 64.ff.de hæred.instituen.§.seruus,institut.eodem tit.* iuncta *l.si mihi & tibi 12. §.regula, de legat.1. l.non eo minus 31. ff. de hæred. instituen. l.1.§. ad eos, ff.ad leg. Falcid.*

NONÒ, *l.si extraneo 6.ff.de ventre in possess.mitten.* iuncta inductione *D.Pichardi in d.c.4.n.92.*

DECIMÒ, *l.Gallus 29.ff.de liberis & posthumis.*

VNDECIMÒ, *l.penul.ff.de legat.1.*

Dvo

DVODECIMÒ, posthumo alieno proximioris agnati legitima hæreditas defertur, *l.1.§.vtique, l.Titius 6.* cum *l.sequent. ff. de suis & legitim.hæred.l. cùm quidam 30.§.1. versic. & in eo ventre, ff.de acquirend. hæredit.* ex quo apertè videtur inferri, & testamento hæreditatem posthumo alieno dari posse.

HORVM iurium argumento, vel plurium saltem ex eis, posthumi alieni institutionem Iure Ciuili admissam defendebat olim Salmanticæ, me au-
105 ditore, *D.Gabriel Enriquez.* †(Præceptor communis omnium ferè qui his Regnis hodie in Iurisprudentia pollent, vir sanè singulari doctrina & e-
106 ruditione præditus) quem sequitur † *D.Anton.Pichard. in princip. institut. de bonor.possess.d.versic.nam si alienus posthumus à num.*4. Et pro neruis ante i-
107 stos hanc opinionem defenderat † *Angel. Spanochius lib. singulari ad l. Gallus, particula 15.vsque ad 20.* plura
108 nominibus suppressis) mutuatus à † *Hieronym.Torniel. super d.l. Gallus à num.5. Ronchegallo in princip.institut.de bonor.possess. Ludouico Charonda lib.1. verosimil.cap.15.* (quibus antea eiusmodi sententia non displicuerat.) Et nouissimè ex pluribus eam adstruit idem *D.Pichard. ad leg. Gallus cap. 4. numer.74. & seqq. post Masin.ibi num. 210.*

Nouam autem istam opinionem & contra communem Interpretum Scholam in *d.l.Gallus*, & alibi sæpe (quam omnium primo *D. Amaia lib. 1.obseruat.cap.13.numer.8.* malè tribuit *D.Gabrieli Enriq.*) obfirmare conatur
109 *Spanochius* † *d.partic.15.à numer.9.* destructa communis sententiæ ratione, quæ posthumi alieni institutionem, tanquam incertæ personæ, non admittit: dum ait posthumum incertam personam dici non posse, cùm possit certo & indubitabili signo demonstrari; idque colligi ex *dict. §. incertis, institution.de legat.* & comprobari ex sententia *Glossæ fin.ad fin.in l.si pater 26.ff.de vulg.& pup.subst.* Quinimo & si incerta esset persona, addit is *Auctor*, incerta esset de certis, vt quæ res à futuro & incerto euentu ex certa persona penderet: quod hæredis institutioni certè impedimento non est in *d.l.quidam relegatui, l. vter ex fratribus 23.ff.de condit. institution.* prosequitur latè *D.Pichard. ad leg.Gallus in princip. d.cap.4. à numer.* 102.

His addit *Matthæus Gribald.* † præ- 110
dictam communem rationem refellens *lib.3.de ratione stud.* (vbi metri è versibus non inelegantibus *l.Gallus* explicauit) incerta dici quæ nec nomine, nec demonstratione designantur, vt qui primùm Consul fuerit *d.§.incertis*; posthumum verò alienum (qui hæres instituitur) certo signo demonstrari, & ideò institutionem tenere: velut & datio libertatis sustinetur in *l.cùm inter veteres 14. C.de fideicommiss.libert.* quæ incertæ personæ dari non poterat, *d.§.incertis, versic.libertas*: & ista probasse video *Osualdum Hilligerum in Donel.lib.6.capitul.11. in notis*: illisque alia addit *D.Pichard.in dict.capite 4.à numero 102. inferiùs* discutienda.

Et ne obstent iura, quæ posthumi alieni institutioni aduersari videntur, præmaximè decisio *tex.in princ. institution.de bonor.possess. versic.nam si alienus posthumus*, respondit *Spanochius* † *s.partic.16.à numero 3.* casum par- 111
ticularem ibi referri: nec enim (ait) *Iustinianus* absolutè proposuit, posthumi alieni institutionem non valere, sed quid agendum cùm non valeret: quo solo casu, posthumum non posse adire hæreditatem, affirmat.

Et subdit, hunc casum dari, cùm quis posthumum instituit post mortẽ patris nasciturum, tunc enim (secundùm istum) institutio non valet, quia datur votum aut desiderium captandę mortis: quod abhorret vtrumque ius, *l. fi. C. de pactis, & c. detestanda, c. ne captandæ, de præbend. in 6.* Quod si quis posthumum alienum simpliciter instituat, institutionem valere securè tenet, quia cessat malum omen, & votũ captandæ mortis. Sed hæc interpreta-
112 tio sustineri non potest, † ridiculum satè est votum captandæ mortis in posthumo existenti in vtero considerare, vt scitè hanc sententiam impugnantes notant *Fachin. lib. 3. controuers. c. 41 Schifordeg. d. tract. 16. qu. 5.* Ad hæc
113 posthumi nomen † ad natos viuo testatore propriè non pertinet: nec de aliis speciebus enumeratis à *Glossa in rubr. C. de posthum. hæredib. instituen.* & aliis iuris Auctoribus iam per nos relatis, prędicatur, vt satis supérq; comprobauimus superiore *inlatione ex numer. 51.*

Vnde dictus D. Pręceptor *Gabriel Enriquez* (quem sequitur *D. Pichard. in princ. institut. de bonor. possess. ex num. 10.* & in *relectione ad d. l. Gallus c. 4. à num. 118.*) hac explosa solutione ad d.
114 *vers. nam si alienus*, respondet † ibi suã, & *Spanochy* potiùs probari sententiã in illis verbis: *Quasi & Iure Ciuili non incognitus*, quæ idem importare ait, ac si *Iustinian.* diceret, posthumum alienum Iure Ciuili cognitum fuisse, sed impeditum hęreditatem adire, vt qui fari non poterat, *l. Pupillus si fari. ff. de acquir. hæred.* non tamen inde sequi, institutionem fuisse prohibitam; cùm & mutus, surdus, furiosus & infans adire hæreditatem non possent, eorum tamen institutio non esset vetita. Addit, prędictam institutionem posthumi alieni non fuisse illis temporibus omnino inutilem, cùm per Prætoris beneficiũ posthumo vel ventri bonorum possessio daretur, de qua in *l. 1. §. si filius, l. extraneo 6. ff. de ventre in poss. mitten. l. 1. §. sed si matris, vers. argumentum est, ff. ad Senatusc. Tertull.* Et hoc i-
psum procedere ait † in infante, furio- 115
so, muto, surdo & cœco, qui cùm adire hæreditatem non possent, ad eam tamen admittebantur per Prætorem ex titulo bonorum possessionis furioso, infanti & similibus personis competenti, de qua in *tit. ff. de bonor. poss. furioso, infanti.*

Et ne obstent illa verba: *Cùm insti-
tutio non valebat*, respondet hoc † dictò 116
à *Iustiniano* dictum, quia sine effectu erat talis institutio ex parte posthumi adire hæreditatem impediti, quandiu à Pretore non adiuuabatur, & in possessionem bonorum mittebatur. Sub-
hæc aiebat, † interpretationem istam 117
necessariam esse, ne dicamus, posthumum adire non posse, quia institutio non valeret: ex quo sequeretur posse posthumum adire hæreditatem, si institutio valeret, quod est absurdum, & contra *text.* in *d. l. pupillus si fari.*

Demum aduertit, † ista procedere 118
attenta media Iurisprudẽtia vsque ad tempora *Theodosij*, & *Constitutionis* ab eo editæ in *l. si infanti, C. de iure delib.* vbi (ait) posthumo alieno permissum hęreditatem adire, mediante patre vel tutore. Ex quo factum putat, vt *Iustinianus* in emẽdatione sui Codicis (cuius meminit in *l. 1. C. de emendat. Cod. Dom. Iust. & secunda eius edit.*) aliam similem suam Constitutionem, cõcedentem posthumo alieno per patrem vel curatorem hæreditatem adire, sustulerit, adimplens quod promiserat in *§. supradictis* illius *legis*, nullam se consimilem aut superfluam, nec inusitatã, contrariámve Constitutionem suo nouo Codice inserturum.

Sed hæc, quæ dexterrimè & ingeniosè à tanto Magistro sunt dicta, & ado-

adolescenti mihi valdè placuerant, nunc seriò rem consideranti in causa 119 esse non possunt, vt à communi † & inueterata interpretum sententia (non admittẽtium posthumi alieni institutionem) discedam. Quod enim principio ait *D. Magister*, posthumũ ex sententia *Iustiniani* Iure Ciuili, quòd attinet ad institutionem, cognitum, non benè adaptatur verbis illis dicti *vers. nam si alienus: Quasi & iure ciuili non* 120 *incognitus:* † quæ referri non possunt ad institutionem: re namque vera rationem respiciunt, quam Ius Ciuile posthumi alieni habebat in casibus *l. qui in vtero 7. & 26. ff. de statu homin.* & *in l. intelligendus 153. ff. de verb. sign.* & alibi iuxta iam dicta, & *inferius* dicenda. Quasi diceret *Iustinianus*, non omnino deuiam à Iuris Ciuilis regulis fuisse suam Constitutionem, quæ posthumum alienum hæredem instituere permisit, cùm & Iure Ciuili quasi non incognitus fuerit, id est, quodammodo cognitus, ex legibus præcitatis.

Quid quod antiquissimo iure legum *xij. Tabularum* (quod respexisse forsan potuit *Iustinianus* in prædictis verbis) posthumi alieni institutio prohibita non erat (ac post euenit medio Iurisprudentum commento) imò concessa & contenta in generali dispositione *l. verbis legis, ff. de verb. sign.* ex notandis per nos *inferius num.* 168.

Adhæc posthumis alienis hæreditates legitimæ, & post mediam Iurisprudentiam, *lege xij. Tabul.* attenta, deferebantur, *l. 3. §. vtique. l. Titius. 6. cum seq. ff. de suis & legitim. hæred.* cum dicendis *infr. à num.* 203. Sed & fideicommissorum hoc tempore capaces erant, vt latè *inferiùs* comprobabimus, à *nu.* 254. Denum Iure Prætorio (quod vel largo modo Iuris Ciuilis partem constituebat, §. *constat*, iuncto §. *Prætorum quoque edicta, instit. de iure naturali. gentium & ciuili*) posthumi alieni tam instituti, quàm ab intestato, bonorum possessionis auxilio adiuuabantur *in tit. de ventre in possess. mittendo*, & aliis relatis in *initio huius capitis*. Quæ omnia planè & plenè demonstrant rectissimè veréque *Iustinianum* asseruisse, posthumos alienos, & ante eum quasi Iure ciuili incognitos nõ fuisse. Quinimò & dictionem *quasi* (diminutionẽ & improprietatem aliàs denotantem, ex pluribus adductis à *Cenedo singulari* 84.) vitare potuit, ex prædictis.

Nec rectè inferunt *D. Gabr. Enriq.* & *D. Pichard.* institutionem posthumi alieni à *Iustiniani* sententia ex co non valere, quòd impeditus erat adire ex *regula dict. l. pupillus si fari*, nisi à Pretore bonorum possessione adiuuaretur. Nam Prætor (cuius officium in emendando, seu impugnando, & confirmando simul vetere iure cõsistebat, dicto *princip. instution. de bonor. possess.* iuncto §. *aliquando, illius tituli.*) Ius ciuile hac parte EMENDASSE asserit *Iustinianus* in dicto *princip.* id est, impugnasse & correxisse, posthumo alieno (cuius institutio Iure Ciuili non valebat) in possessionem misso. Non ergo rectè diceretur impeditus Iure Ciuili adire, qui hereditatis incapax erat omnino, & inde hæreditatem adire prohibitus. Et ab his sanè institutio inutilis erat, vt clarè denotat *Iustinianus* illis verbis: *Cùm institutio non valebat*. Cicero de finibus: *Quanquam hoc Chrysippo nõ videtur valere in omnibus.* Ex quibus Præceptorum nostrorum cõsideratio penitùs euertitur. Id quod & video partim adnotasse *D. Amaiam lib. 3. obseruat. cap. 15. ex num. 13.*

Absurdum verò quod excogitabat D. Magister *Gab. Enriq.* in casu & ratione illorũ verborum: † *Hæreditatem* 121 *Iure Ciuili adire non poterat, cum institutio non valeret*, facilè euitabis, si consideres, hæreditatis aditionem, his qui

plenum iudicium non habent mero iure prohibitam, d. *l. pupillus si fari*: & hoc ideò, quia actus erat legitimus, *l. actus. ff. de diuers. regul. iur.* qui per aliũ expediri non poterat, *l. nemo alieno. ff. eodem tit.* (cuius illa verba: *Lege agere potest*, interpretantur ibi rectè contra *Glossam* & *antiquiores Petrus Faber* & *Trissonius lib. 4. formular.* id est, *legitimum actum exercere*) nec enim hæreditas per procuratorem adiri poterat, *l. Paulus*, aliàs *per procuratorem, D. de acquir. hæred. l. 1. §. vlt. ff. de offic. Procuratoris Cæsaris, l. 15. tit. 6. part. 6.* & notat optimè *Cuiac. lib. 1. obseru. c. 34.* quidquid in contrarium dixerit *Duaren.*
122 *lib. 2. disputation. c. 27.* Et inde † (vt hæc obiter dicam) eueniebat, quòd cùm infanti, furioso, muto & similibus hæreditatem nec tutore, curatore, patréve auctoribus adire liceret, his institutis bonorum possessio ex Prætoris beneficio daretur, *l. vnica, ff. de bonorum poss. furioso, infanti, muto, surdo, cœco competenti:* interim dum adire poterant, d. *l. vnica.* Et hoc ipsum ventri à Prætore concedebatur in d. *l. 1. §. si filius*, d. *l. extraneo 6. ff. de ventre in possess. mitten. l. 1. d. §. sed si matris, versic. argumento est, D. ad Senatusconsultum Tertull.*

123 Hunc tamen iuris rigorem temperauit † deinde fauor pupillorum, quo attento concessum eis fuit (vt testatur *Paulus* in *d. l. pupillus si fari, in fine*) tutore auctore hæreditatem adire, dum tamen fari possent.

124 Postea fauorem istum ampliauit *Theodosius* † Imperator in *d. l. si infanti*, in eo qui fari non potest, vt patre vel tutore auctore possit hæreditatem adire, cùm posset & ante dictam Constitutionem, tutore auctore, sese pro hærede gerere, *l. potuit 5. C. de iure deliberan. l. seruo 65. §. si pupillo, ff. ad Trebell.* Posthumo verò vel ventri nondum hoc concessum fuerat vsque ad Constitutionem *Iustiniani*, cuius ipse meminit in dict. *princip. institut. de bonor. possess.* & in dict. *§. sed ne huiusmodi,* 125
institution. de legat. † Verus ergo sensus illorum verborum: *Hæreditatem adire non poterat, cùm institutio non valebat*, à dictis facilè eruitur; ideò scilicet ventri, vel posthumo non fuisse concessum, curatore auctore, pro hærede se gerere, vt in dict. *§. si pupillo,* & dict. *l. potuit*: nec hæreditatem adire, vt in dict. *l. si infanti*: quia institutio non valebat, vt quæ velut in eius personæ fauorem fieret, quæ in rerum adhuc natura non esset: vel saltem non erat certa, vt pupillus qui fari potest, vel infans, quibus, iudicij tantùm defectus, auctoritate tutoris suppletur, *l. quamuis. §. vltim. ff. de acquir. hær.*

Quod autem vltimo loco D. Magister ait, † posthumo alieno hæreditatis 126
aditionem, patre vel tutore auctore, indulgeri in d. *l. si infanti*, omnino deuiat à verbis & dispositione illius *text.* qui de iam natis tempore testamenti 127
loquitur. † Vnde prætermissioni dictę Constitutionis Iustinianææ in *nouo Codice*, vel causam dedit obliuio, vel eius repetita mentio in prædictis §§. vbi clarè & disertis verbis *Iustinianus* posthumi alieni institutionem omnium primus admisit, insuper habitâ ratione incertitudinis, vel non existentiæ (vt ita loquar) in rebus humanis ventris, vel posthumi hæredis instituti.

SECTIO I.

SYNOPSIS.

128 *Rationem incertitudinis, quæ impedimento est alieni posthumi instituendi, ab impugnatione* Spanochij *defendit* Auctor.

129 §.incertis,vers.sub certa, institut. de legatis,*interp.*

130 L. quidam relegatus, ff.de rebus dubiis *cum alijs declarantur suo loco.*

131 *Quid* Iustinianus *præstiterit in l.* cùm inter veteres, C.de fideicommis.libert.

132 *Rationem* Matthæi Gribaldi, *cur posthumus alienus institui non possit, explodit.*

133 D.Pichardo, & Doctori Gabr. Enriquez *excludentibus incertitudinis rationem, à posthumi sui valida institutione, Respond.huiusque institutionis vera ratio assignatur. Et 2. num.seqq.*

138 *Posthumi sui institutio omni iure permissa est ex* Bartoli *sententia.*

137 L.Gallus,§.ille casus,ff.de liberis & posthumis *declar.*

138 *Nasciturus posthumus patri vel auo (subducto filio) suus hæres actu non est, sed potentia.*

139 *Posthumi sui à principio permissæ præteritionis ratio* Anto.Fabro *ignota fuit.*

140 *Improbatur* Ant.Faber *existimans, posthumi sui institutionem fauore tantùm patris vel aui inductam.*

141 *Aliquando melior est conditio posthumorum, quam natorum. Et nu.seq.*

143 *Fauor testamenti aliquando efficit, vt testamentum alias inutile sustineatur.*

144 *Institutio ventris comprehendit quoscunque natos post testamentũ aut mortem testatoris. Et ampliatur nu.146. & 147.& limitatur num.148.*

145 L.filius à patre 28.§.si quis ex certa, *declaratur.*

149 *Eadem institutio & exhæredatio requiritur in suo hærede nascituro, quæ & in iam nato. Et num.150.formula institutionis & exhæredationis adsignatur.*

151 *Cur posthumi sui dicantur. Et num.* 152. *cur tales reputentur in substitutione pupillari. Et numer.53. in assignando eisdem tutore testamentario. Et num.154. in successione ab intestato posthumis suis deferenda. Et nu.155. ista declarantur, & suis casibus adaptantur.*

156 *Mater posthumum ex se nasciturum hæredem instituere non potest.*

157 *Ratio huius rei traditur.*

158 *Alia ibidem ab* Auctore *assignatur.*

159 Socinus, Iason, Sarmiento, *& alij tenentes contrarium, impugnantur.*

160 L.sed est quæsitum, ff.de liber.& posthum.*intellig.*

161 L.3.C.de inoffic.testam.*declar.*

162 *Parturientium periculum maximum est.*

163 L.Posthumus 6.vers. simili modo, ff.de inoffic.testam.*declar.*

164 L. filiusfam.vers.secundum quæ, ff.de testam.mil.*inlustrat.*

165 *Interpretationem* Alc. *& aliorum ad* §.posthumus,institutio.de legatis,*reijcit.*

166 *Aliam* Roberti *explodit.*

167 *Aliam* Gilkenij *refellit.*

168 *Et alteram* D.Pichard.

169 *Communem intellectum d.*§.posthumus,*amplectitur.*

170 *Eius verba interpretatur.Et nu.175. 176.179.180.& 181.*

171 §.posthumo quoque alieno, institution.de legat.*interpr.*

172 *Differentiam inter institutionem & legatum alieno posthumo factum* Auctor *agnoscit cum* Spanoch.

173 *In ratione verò differentiæ ab eo dissentit.Et num.174.*

177 Tribonianus *sæpè, & sæpius cæcutijt in Iurisconsultorum responsis.*

178 *Enarrationem contentorum à* §. incertis,*vsque ad* §.posthumus,*init.*

182 L. si duobus,§.fin. cum l.qui filiabus,ff.de leg.1.l.sed si, ff.ad legem

Falcid.*declarantur.*

183 *Apta* Schiforclegheri *verba adducit* Auctor, *suam interpretatoinem comprobantia.*

184 *Ex quo factum est, vt posthumus suus hæres institui posset, consequenter effectum est, vt eidem legari possit.*

185 Emanuelis Costæ *sententia in proposito commendatur.*

186 *Tradita ad* Schiforde g. *quo sensu accipienda.*

187 *Interpretatio* Accursij *ad* l.quidam relegatus,§.fin.*cum* l.seq.ff.de rebus dub.*reijcitur.*

188 *Et alia* Forcatuli.

189 *Cum alia* Emanuelis Costæ.

190 *Et veram interpretationem subdit* Auctor.

191 *Et ad* l.vel ex parte,ff.de rebus dubiis.*Et num.*193.*&* 194.

192 *Legati & fideicommissi alieno posthumo relicti diuersa ratio est.*

195 l.vtrum,ff.de reb.dub.*interpretationem subijcit.*

196 *Quæ fuerit principalis intentio & disputatio Auctorum d.*l.quidam relegatus,§.fin.*cum* l.seq.

197 L.substitui,ff.de vulg. *&* l. Lucius 85.ff.de hæred.institut. *interpret. &* Costæ *solutionem reijcit. Et numero* 200.

198 *Substitutio alieni posthumi Iure Ciuili fortè an prohibita non erat: & ratio.*

199 *Nepos in Galli formula institutus fuit, non substitutus.*

201 *Opinionem* Glossæ,*existimantis positos in conditione non censeri vocatos respuit.*

202 *Intellectum* Cuiacij *ad* l.Titius 25. §.Lucius,ff.de liber.&posthu. *probat contra* Anton.Fabrum. *Sed rationem* Cuiacij *reijcit num.*204.

203 *Interpretationem* Ant.Fabr.*ad eum* tex.*explodit.*

205 L. hæredi cum posthumo 31. ff.de acquir.hæred.*&* l.filiusfam.16,ff.de testam.*declarantur.*

206 Emanuelis Costæ *interpretatio ad* d.l.filiusfam.*impugnatur.*

207 L. non est ambigendum 12. ff. de bonor.possess.*intelligitur.*

208 *Interpretatio* l.eius seruum 64.ff.de hæred.institu. *tradita à* D.Pichard. *approbatur.*

209 *Hæredis institutio ab aditione hæreditatis longè differt.*

210 *Seruus iussu domini hæreditatem adijt.*

211 *Hæreditate iacente seruus hæreditarius adire non potest.*

212 *Quis appelletur seruus ventris, ad interpretationem* l. eius seruum 64. ff.de hæred.institut.*cum alijs. Et dicta ab* Amaia *circa elucidationem horum iurium referuntur, & refelluntur.*

213 *Interpretationem ad* l. extraneo 6. ff.de ventre in possess.mitten.*traditam à* D.Pichardo *probat.*

HÆc cùm ita se habeant, vnum illud præcipuum superest, vt rationibus & iuribus ex aduerso adductis faciamus satis: quod plenius certè præstabimus, si primùm rationem illam incertitudinis (qua nititur communis opinio, posthumi alieni institutionem reiiciens) ab *Spanochij* impugnatione† vindicemus; adserentis, vt posthumum non esse incertam personam, posseque indubitabili velut signo (ad terminos *text.* in l.*quoties*,§.*si quis nomen*,*ff.de hæred. instituend.*) demonstrari. Et sanè ista & alia *Spanochij*, *suprà* adducta (quæ prosequitur *D.Pichard.d.cap.*4. *à num.*102.) longè distant à vero: nam, vt euicimus *suprà*, posthumus nasciturus omnimodo incertus est, cùm incertissimum sit, vnus pluresve nascantur, an nullus: nullibi autem permissa est institutio vel legatum incertæ personæ, quæ certo iudicio demonstrari non potest, ex ratione

tione *l. sed sub conditione* 18. *ff. de bonorum possession. contra tabul.* cum aliis iam annotatis: quæ maximè militant in institutione aut legato posthumo relicto.

129 Ad hæc à denegato † incertæ personæ legato *Iustinianus in* d. *§. incertis, vers. Sub certa, institution. de legat.* excipit contra *Spanochium* personam incertam de certis, in illis verbis: *Sub certa demonstratione, id est, ex certis personis, incertæ personæ rectè legabatur, veluti ex cognatis meis, qui nunc sunt: si quis filiam meam vxorem duxerit, ei hæres meus rem illam dato.* Quibus verbis apertè innuit *Iustinianus* duo valdè notanda contra *Spanochium* & eius sectatores: primum certam demonstrationem in re tantùm quæ extat (vt cognati *qui nunc sunt*) dari posse, nó in posthumo qui nondum est (cuius causam iam definierat in generali dispositione d. *§. incertis.*) Secundum, cessare rationem incerti iudicij (de quo in d. *l. sed sub conditione*) in legato incertæ personæ de certis facto, quæ, vt diximus, in posthumo omnium maximè viget. Et ne his obstet *text.* in *l. quidam*

130 *relegatus* 5. † *in princ.* & in *§. fi. cum duabus legib. seqq. ff. de rebus dubiis, l. vter ex fratrib.* 23. *ff. de conditionib. institut.* quas pro *Spanochio* expendit *D. Pichard.* s. *n.* 105. videnda sunt, quæ ad interpretationem d. *l. quidam relegatus*, annotamus j.

Quæ verò s. à *Matthæo Gribaldo* Poëta & Iurisperito adduximus in comprobationem dictorum ab *Spanochio*, eo solo nituntur medio, quòd libertas incertę personæ relinqui non potest, d. *§. incertis:* posthumo verò dari possit, d. *l. cùm inter veteres, C. de fideicommiss. liber.* Sed aduertere debuerat,

131 † huius *legis* Auctorem fuisse *Iustinianum*, qui inter veteres id tantùm dubitatum ait, an posthumo fideicommissaria libertas relinqui possit, quasi omnes supponerent, dari ei libertatem directam non potuisse testamento, d. *§. incertis.* *Iustinianum* verò libertatis fauore nõ solùm fideicommissariam, sed & directam libertatem posthumo in testamento relinqui posse, deinceps statuisse, vt iam in *Antonium Fabrum* notauimus s.

Non ergo indigemus ratione † ab 132 Auctore isto excogitata, dum ait, posthumi alieni institutionem non fuisse admissam, ne institutio à dubia posthumi natiuitate penderet: vnde infert, seruum ventris institui posse in *l. eius seruum* 64. *ff. de hæredib. instit.* quia eo casu assignata ab eo ratio non militabat. Hęc enim (vt quę metricè dicta) poësin redolent; & sanè in communẽ incidunt rationem, quę habet posthumi alieni institutionem non permissam, quia incerta sit persona, vel incertæ similis, vt dicebat *Theophilus:* nam cùm dicimus, posthumum alienum institui non posse, quia incerta persona est, & ne à dubia posthumi natiuitate institutio pendeat, idem diuersis elocutionibus denotamus. Ad hæc decisio *text.* in d. *l. eius seruum*, ab aliis longè diuersis pendet iuris principiis, vti in eius elucidatione *inferiùs* aduertemus.

Demum impugnationi † *D. Pichardi d. n.* 102. (dum ait, hac ratione incertitudinis admissa, idem dicendum in posthumo suo, qui institui non posset, cùm incertum sit, an masculus vel fœmina, an nullus, an vnus, pluréſve nascituri sint) facilè facies satis, ex dicendis illicò circa ea quæ Magister *Gabr. Enriquez* astruere conatus fuit contra priorem rationem s. ex *nu.* 93. à nobis assignatam huiusce prohibitæ institutionis, vel legati. 133

Vt ergo ad ista deueniamus, Dominus Magister (cum impugnatione communis opinionis ex capite incertitudinis, institutionem posthumi nó

admittentis nihil agi pręuiderit, si potissima illa ratio subsisteret, denegans alieni posthumi institutionem, quia scilicet in hominum vel rerum non esset natura) eam destruere conatur,
134 † asserens, nec posthumi sui institutionem, hac ratione admissa, concedendam fore, contra *textum* in *l. si quis posthumos* 9. *l. commodissimè* 10. *l. si posthumus* 14. *l. cùm posthumus* 22. *l. posthumum* 27. *ff. de liberis & posthumis*, *l. posthumi* 3. *l. posthumus præteritus* 12. *l. posthumorum* 13. *ff. de iniusto, rupto, irrito facto testamento*, & contra varias *Ciceronis* & *Quintiliani* auctoritates huius propositi, relatas à *Boetio Epone* in *l. Gallus, num.* 4. Sed nos inlationem istã Pręceptoris facilè admittimus, & posthumi sui institutionem mero iure, à Iurisprudentibus inducto, non procedere planè fatemur; eo enim attento, posthumus siue suus siue alienus, dum in ventre est, homo non est, & per cõsequens nec institutionis capax.
135 Fuit tamen admissa † prædicta posthumi sui institutio benigna quadam interpretatione ipsius posthumi fauorem principaliter respiciente (quidquid dixerit *Antonius Faber*, *inferiùs* refellendus; & post eum suus Assecla *Schifordegherus*) quod facilè sibi persuadebunt, qui considerauerint, nullũ propriè posthumum (de nato post mortem patris aut aui, mortuo filio, loquor) stricto iure suum hęredem dici potuisse, cùm nemo antequam nascatur, sit in potestate patris vel aui, *l. finali. ff. de conlatione bonorum*, *l. final. ff. de assignand. libert.* Suus autem hęres appellari non potest, qui non est in potestate & familia patris vel aui (*l. scripto* 7. *ff. vnde liberi*) quo tempore induci possit continuatio illa dominij, de qua in *l. in suis* 11. *ff. de liberis & posthum.* *l. lege Cornelia* 12. *ff. de testam.* *§. sui institut. de hæred. qualitate & differentia*, *§. sui, institution. de hæredit. quæ ab intest. defer.*

Quæ cùm non inueniatur in posthumo nato post mortem patris vel aui, inde fit, vt illi suus hęres esse non possit, iuris stricti regulis attentis.

Hæc cùm ita se haberent, & pater auúsve rectè & ritè rerum attento, præsenti statu, posthumo pręterito testarentur, aliorsum eueniebat, vt non securè vltimum suum ordinarent iudicium; nam agnatione posthumi sui, hoc est, primum in successione prædefuncti locum occupantis testamentũ rumpebatur, *l. 3. cum suis §§. ff. de iniusto, rupto, irrito testam.* *§. posthumi, institution. de exhæredatione liberorum.* Iudicabant enim Iurisprudentes, vt colligitur ex d. *§. posthumi*, testatorem non instituentem vel exhæredantem ventrem (*lege duodecim tabularum* agnitum ex iam dictis, & dicendis *inferiùs*) vel ignorasse conceptum, vel eius oblitum esse. Quo ex capite posthumorum natiuitate, velut sui hęredis agnatione, testamenta rumpi cœperunt.

Et ne id eueniret patri prouido, & nascituris ex se prospicere volenti, factum est quadam velut consequentiâ, vt patres possent posthumos suos, quin & deberent ad similitudinem filiorum hæredes instituere, vel exhæredes facere, ni vellent testamenta sua periculo rupturæ, posteà eorum natiuitate euenturæ, supponere, d. *l. 3. cum suis §§. ff. de iniusto rupto*, d. *l. posthumus* 12. *ff. eodem*, *l. posthumus* 6. *ff. de inofficioso testamento*, *l. 1. & 3. C. de posthumis hæredibus instituend.* *l. maximum vitium, C. de liberis præteritis*, d. *§. posthumi*, & *§. posthumorum, institution. de exhæredatione liberorum*, *Gaius lib. 2. institution. tit. de exhæredatione liberor.* Quibus concinit *l. 20. tit. 1. part. 6.* Aliàs enim legis crudelitas incusari posset, si quos præterire impunè non sineret, nec instituere permitteret, vt dixit diser-

diserte *Matthæus Gribaldus lib.* 7. *de ratione stud.*

136 Vnde omni iure †posthumi sui institutionem fuisse permissam, dixit *Bart.* in d. *l. Gallus*, §. *nunc de lege*, & §. *ille casus*, *Costa* in d. §. *posthumus*, *nu.* 10. *institution. de legat. Petrus Gilken.* in d. *l. Gallus*, *n.* 3. *D. Pichard.* hos & alios referens ibidem *c.* 4. *num.* 24. Qui *num.* 27. & 28. nobilissima posthumorum suorum exempla ab antiquitate adducit ex variis locis *Liuij*, *Ciceronis*, & *Quintiliani* (quæ antea congesserat *Boetius Epo* in eadem *l. Gallus num.* 4.) Et demum *num.* 41. obicem remouet,

137 †qui ex d. §. *ille casus*, opponi his solet, in illis verbis: *Porro procedere debet, vt vtiliter sit institutus* (*quod nullo iure potuit*) *qui nondum natus erat*: post alios optimè aduertens, verba illa *nullo iure*, interpretari debere *neutro iure*, hoc est, neutro *legis Vellææ* capite. Et ego præterea noto *Scæuolam* in dicto §. *ille casus*, loqui de nepote instituto & nato ante mortem patris, qui nullo tempore posthumus suus fuit, sed *Velleanus*, duobus, ex sententia *Iuliani*, legis capitibus commistis: nos autem nunc loquimur de posthumo suo omni tempore, quem instituere permittunt præcitata iura, & qui nullo tempore indigebat Prætoria bonorum possessione: cùm ipso iure, sine aditione, ex quo natus esset, hęres fieret, *l. more* 8. *vers.* (ita intelligendo) *de ea*, *ff. de acquirend. hæredit.* §. *posthumi*, & §. *sui institut. de hæredit. quæ ab intestat. defer. D. Pichard. d. cap.* 4. *numer.* 121.

Sed his addere liceat interpretationem Prudentum (qua media, testamentum paternum aut auitum agnatione posthumi rumpebatur) posthumum ex patre vel auo (filio mortuo) nasciturum suum hæredem actu non

138 facere, †sed tantùm potentia; alioquin posthumus ante natiuitatem testamentum infirmaret, si præteritus fuisset, quemadmodum & natus suus hæres, *l.* 1. *ff. de iniust. rupt. irrito testam.* Nec institui posset sub conditione casuali vel mixta, vt in *l. cùm posthumus* 22. iūcta *l. posthumus* 24. *ff. deliber. & posth.* (quę sanè institutio, impleta conditione ante natiuitatem, sustinetur, cū tamen hoc in filio iam nato non admittatur, *l.* 4. *ff. de hæred. instit. l. filius* 15. *l. fi. C. de condition. institution.*) Sed nec testamentum, in quo posthumus præteritus fuisset, vllo momento valeret, vti re vera valet & tenet ante natiuitatem, §. *institution. de exhæred. liberor.* & vlterius omni tempore forsan sustinebitur, si vxor vel nurus oboriātur, vel monstrosum quid edant, vel mortuum, vt ait *Hotmanus in* §. 1. *institut. de exhæredatione liberor.* Hoc ideo, quia cùm spes est aliquo casu valiturum testamentum, in dubio sustinetur fauore vltimorum elogiorum, vt adnotauit *Viglius in* §. *posthumi*, *institution. de exhæredatione liberorum*, *nu.* 2. *Alexand. Picenard. in rubr. illius tituli.* Vel, vt ego verius puto, quia posthumus ante natiuitatem nec in rerum, nec in hominum natura esse dicitur iuris intellectu, vt iam s. latè notauimus, vt inde eo insuperhabito rectè quisque testatus censeatur, dum editus non esset. Hincque prouenire, posthumi postea nati præteritione testamentum paternum rumpi, quod vtique non fieret, si ipso iure nullum esset, *l. nam etsi sub conditione* 5. *ff. de iniust. rupt. irrito testam.*

Huius autem à principio permissæ posthumi sui præteritionis rationem (quamuis per se clara & patens) † *Antonium Fabrum* video latuisse, qui in sua *Iurisprudētia Papin.* sub *tit. de ingenuis*, *princip.* 3. *illat.* 3. *confut.* 3. existimauit, hoc ideò fieri, quia posthumus suus non habetur pro nato, alioquin eius præteritio ab initio testamētum in- 139

-masset,& iniustum faceret: quod dictum prorsus tanto indignum est Iurisconsulto Quis enim vnquam dubitauit, posthumi sui institutionem natiuitate vires assumere, & *ll.qui in vtero 7.& 26.ff.de statu hom.* quæ posthumos pro natis habent, intelligendas dum tamen postea nascantur, non aliter, vt probatur in *l.si primo 8. ff. de libe. & posthum.* cum aliis *inferius* cum communi latiùs prosequendis.

140 A dictis etiam pendet confutatio † dictorum ab eodem *Fabro dicta confutat.3.* vbi securè affirmat, posthumi institutionem, vel exhæredationem, non eius, sed patris vel aui filio mortuo decedentis, fauorem continere, vt qui non securè testarentur, si posthumum preteriissent. *Non enim* (is Auctor ait) *commodum posthumi sui est, posse exhæredari vel ex minima hæreditatis parte* (id de quo j. agemus) *hæredem institui posse, qui si non esset exhæredatus, vel institutus totam hæreditatem ab intestato esset habiturus.* Nam re bene perpensa Prudentium iuris interpretatio maximo fauore causam posthumi *sui* fuit prosequuta, qui cùm aliàs pro nihilo reputaretur ante natiuitatem, eius causa de posthumo deinceps actum ferè fuit, ac de filio iam nato, aut suo hærede primum locum occupante. Nec enim quòd filius à patre exhæredari potuerit, ideò eius causam in successione paterna odiosam aut non fauorabilem quis dicet: ínque his principaliter attendi fauorem patris, qui filio præterito inutiliter testaretur. Vt inde id ipsum veniat dicendū in posthumi sui institutione vel exhęredatione: ita vt contra *Fabrum* præcisè cogamur asserere; in his de causa posthumi principaliter agi: licèt inficias non eamus in eisdem fauorem dari, aut inueniri patris, auíque testantium, & rebus suis prouidè in omnem euentum prospicere volentium. Quod idem est ac si dicas, non tantùm fauorem posthumorum, sed & testamentorum simul Iurisprudentibus in causa fuisse, vt posthumi sui institutionem, vel exhæredationem admitterent: ne agnatione rumperētur, ex iam dictis, & dicendis illicò ex *nu.143.*

Imò &, quod plus est, ab illa præsumptione iam s̃. per nos expensa, quę supponit obliuionem in patre vel auo posthumum, primum locum occupaturum, prætereunte fit, vt aliquando melior † sit conditio posthumorum, 141 quàm natorum, vti euenit in posthuma, quę præterita, testamentum rūpit, vt quæ per obliuionem præterita censetur, d.*§.posthumi, institution.de exhæredatione liberorum.* Vnde necesse erat, vel eam hæredem instituere, vel exhęredare, vel aliquid eidem legare, vt obliuionis præsumptæ ratio cessaret, d. *§.posthumi.* Hæc autem in filiæ iam natę preteritione locum non habebant: sola enim præteritio pro exhęredatione habebatur, *l. maximum vitium, versicul. filia autem, & vers. cùm enim, C.de liberis præteritis, §.sed non ita, institutionum de exhæredatione liberorum. Gaius lib.2.institutionum, tit.3.§.si verò filiam, Vlpianus in fragmentis tit. 22.§.ex suis hæredibus, versicul. reliquæ verò personæ, Paulus lib.3.Sententiarum, tit.4.de testamentis, §.filio & extraneo.*

Hoc ipsum (vt causa posthumorum fauorabilior sit quàm natorum) accidit alio in casu † subtiliter considerato ab *Vlpiano* in *l. nam & si sub conditione 5.ad finem, D. de iniusto, rupto, irritóque testamento*: vbi posthumus à primo gradu pręteritus, à secundo exhæredatus, si eo tempore nascitur, quo aliquis ex institutis in primo gradu viuit, totum testamentum infirmatur: quod secùs est, ex illo

lo *textu*, in filio iam nato, qui præteritus à primo, à secundo verò exhæredatus, testamentum non rumpit, & exhæredationem à sequenti gradu factam non vitabit. Hoc ideò tam variè, quia institutio prioris gradus, à quo posthumus præteritus est, mero iure tenet, dum natus non est: & inde est, vt agnatione, & natiuitate subsequuta, gradum præexistentem rumpat, & consequentes simul, cum factum rumpentis aliis prodesse non debeat. At præteritio iam nati in primo gradu facta institutionem à principio nullam reddit, ita vt exhæredatio à secundo gradu facta, illicò suum sortiatur effectum, dicta *l. nam etsi sub conditione* 5. *ff. de iniusto, rupto*: & ita disertè annotauit *Anton. Faber lib.* 8. *conTectur ar. c.*20. & ante eum *Trentacinq.* 1. *p. tit. de substitution. c.*10. *numer.* 4. & approbauit *Osuald. Helligerus* (hos referens) *lib.* 6. *cap.* 16. *in notis litte raG.* Et insequenti, ex his infert, ad prætetitionem filiæ vel nepotis iam nati & cogniti, quæ pro exhæredatione habebatur, incogniti verò non æquè.

Ex quibus omnibus fit, vt posthumus postea natus omnia iura sui hæredis consequatur. Quin & aliquando eius causa fauorabilior sit, & amplior, quod attinet ad successionem paternam vel auitam, filio tempore natiuitatis è medio sublato.

143 Sed & fauor testamenti † vel testatoris consideratus per *Fabrum suprà*, quin & per Consultos & Imperatores in *l. vel negare* 5. *ff. quemadmodum testamenta aperiantur*, in *l.* 1. *ff. si quis omissa caussa testam.* & in *l* 1. *C. de sacro sanct. Eccles.* (vltra primum & præcipuum ventris vel posthumi sui fauorè) sępe in causa fuit, vt testamentum, aliàs mero iure inutile, sustineretur, vt in *l. placet* 4. *cum sequenti*, *ff. de liberis & posthumis*; vbi cuilibet permissum est hęredem instituere posthumum quemcunque sibi nasciturum, & agnatione aliàs rupturum testamentum, vt notat ibi *Glossa*, verbo *ex quacunque* recepta per *Iasonem nu.*18. & per *Socinum* in *l. si cognatis num.* 25. *ff. de rebus dubiis*, *Tiraquell.* in *l. si vnquam, verbo susceperit liberos, nu.*105. *C. de reuocandis donationib. Menoch. lib.* 8. *præsumptio.*21.

Quin attento fauore † prædicto institutio ventris comprehendit quoscunque natos post testamentum aut mortem testatoris: quæ fuit doctrina *Ioann. Andreæ in addition. ad Speculatorem, tit. de testamentis, vers. occurrit alia quæstio*, quem sequuntur *Alexander* & *Socinus* in dicta *l. placet.* & ibidem *Ias. num.*13. Et pro ista sententia allegari solet *text.* in *l. si quis ita dixerit* 16. *ff. de testamentaria tutela*, *l. qui filiabus* 17. §. 1. *de legat.* 1. d. *l. cùm inter veteres*, *C. de fideicommissariis libert.* cum aliis notatis à *Mantica de coniectur. vltimarum volunt. lib.* 4. *tit.* 10. *nu.* 6. *Franc. Stephano decis.* 15. vbi plura cumulat ex *n.* 5. *Fachinæ lib* 4. *controuers. c.*89. Et is optimè notat hanc sententiam aptissimè probari in dict. *l. placet*: dum tamen tu addas *l.* 3. §. *nominatim*, *ff. de iniusto, rupto, irritóque testam.* vbi ventris & posthumi institutio & exhæredatio adæquantur. Ex quo veniunt improbandi *Cuman. Paul.* & *Aretin.* contrarium tenentes, quos sequitur *Sarmiento* in d. *l. placet num.*16. per *tex.* in *l. filius à patre* 28. §. *si quis ex certa*, *ff. de liber. & posthum.* non attendentes † illud *Tryphonini* responsum referendum esse ad nasciturum ex certa & determinata vxore, vt patet ex illis *textus* verbis: *Si quis ex certa vxore natum scribit hæredem, in periculum rumpendi testamentum deducit ex alia susceptis liberis*, quasi diceret Consultus, institutionem ventris, aut posthumi non relatam ad certam vxorem, om-

nem posthumum postea nasciturum, & ex quauis alia vxore susceptũ comprehendere. Qua verissima interpretatione admissa, vitabis duram & parum aptam *Francisci Stephani d. decis.* 14.*n.*8.

Subhæc noto, quæ à d.*l.placet*,& similibus proximè deduximus, locum
146 habere, quamuis † testator sciens vel suspicans vxorẽ prægnantem, posthumum instituat: adhuc enim institutus censebitur quicunque postea nascetur, vt innuunt illa verba d.*l.placet: Cùm maritus posthumum hæredem scribit, non vtique solus posthumus scriptus videtur, qui ex ea, quam habet vxorẽ, ei natus est, vel qui tunc in vtero est, vtrum is quoque qui ex quacunque vxore nascatur:* cùm verosimile non sit, testatorem, de quo in illo *textu*, vxoris prægnationem ignorasse, contra regulam *textus* in *l.octaui gradus*, §.1.*ff.vnde cognati*, *l.de tutela* 7. *C. de integr. restitut.* Vt inde meritò veniant refellendi *Paulus* & *Sarmiento* ibi *num.* 17. & *Angel. cons.*51.*num.*3. contrariam adstruentes sententiam contra illius *textus* verba, vel saltem verum & genuinum eius sensum.

Quinimò prædicta adeò procedũt, vt ventre vel posthumo hærede insti-
147 tuto, si plures nascantur, † omnes instituti censeantur, ex *Oldrado cons.*212. *Angelo d.cons.*51.*d.num.*3. *Federico de Senis cons.*42. quos refert & sequitur *Cardinalis Thuscus tomo* 8. *littera V. concl.*78.*n.*1.*&* 2.

Qui *numero sequenti* hanc amplia-
148 tionem limitat, † vt non procedat in odiosis, vt puta dato substituto ventri vel posthumo instituto: natis siquidem pluribus posthumis substitutionem euanescere rectè ait per *text.* in *l. vel singulis* 37.*ff.de vulgari & pupillari.* Non tamen probo sublimitationem ab eo traditam *numero* 4. quando scilicet causa pia substituta fuit, quo casu ex sententia *Baldi*, quem refert, *consilio* 122.*libro* 1. tenet, pluribus natis substitutioni locum fore. Etenim nulla causa pia præponderat vocationi seu institutioni propriæ prolis. Nec ego in consilio prædicto *Baldi* inuenio quod *Thuscus* ait. Vide tamen istum prædicta variis, & pluribus aliis modis ibidem ampliantem *numero* 6.10.11.12. 13.16.17.18. *&* 20.*ex Baldo dicto consil.*122.*&* 128. *libr.* 1.*&* 133.*libro* 4.*& consilio* 113.*&* 233.*lib.* 5.*Angelo d.cons.*51.*&* 301.horum enim scripta transcribere superuacuum duco.

Sed in casibus ab his Auctoribus adductis, & aliis per nos s̃.annotatis (in quibus de posthumi sui, vel futuri sui institutione, aut exhæredatione agitur, & aliis quibusque similibus) posthumi sui causa † institutionem, aut exhæredationem eandem in casu natiuitatis expostulat, quæ & in filio iam nato, hæredéque necessariò interuenire debet: ita vt instituendus sit vel exhæredandus ad modum nati filij, iuxta leges *tituli, ff.de liberis & posthumis*, *l.*3.*cum suis* §§.*ff.de iniusto, rupto, irritoque testamento.* Ex quibus colligitur istius posthumi institutionem, vel exhæredationem (quæ pro tyronibus dicta velim) ita concipiendam; † *Quis mihi ex vxore mea post mortem meam nascetur, hæres vel exhæres esto.* Quòd si nepos, hoc modo: *Qui mihi ex nuru, quam decedens filius meus prægnantem reliquit, nepos post mortem meam nascetur, hæres vel exhæres esto*, vel aliis similibus verborum formulis, quibus institutio, vel exhęredatio posthumi libera fiat à præteritione, vel vaga exhęredatione: quæ sicuti filio aut nepoti iam nato primum locum occupanti non obstet, ita posthumo suo præiudicio esse non potest, quia agnatione rumpat testamentum, ex iam dictis, & dicendis *infrà*, cùm expen-

expenderimus *l.Gallus.*

Dum tamen & pro iisdem initiatis in iure nunc annotemus cum *Petro Lorioto de iuris arte, tractatu de natiuitate, axiomate* 10. & 11. tribus implurimùm modis posthumum suum (largè posthumi sumpto vocabulo) institui solitum. Primò *si me viuo*, vel, *mortuo nascatur*, & tũc nunquam rumpit, quia alio tempore nasci non potest. Secundò, *si me viuo nascatur*, & rumpet quidem me mortuo natus, *l. commodissimè* 10.*ff. de liberis & posthumis*: quia casus omissus sub expresso nõ continetur, *l.si extraneus, ff.de condict. causa data*: nisi personæ fauor subesset, *l.fin. C. de instit.* aut præter dispoNentis mentem casus euenisset, *l.finali, C.de posthumis hæredib.instituend.* Tertiò posthumus potest simpliciter institui, si dicat testator, *posthumum instituo*, & tunc nõ rumpet, siue viuo, siue mortuo testatore nascatur.

Cùm autem posthumus necessariò esset à patre instituendus, vel exhæredandus, ne præteritus testamentum rumperet, hinc factum est, vt posthumi (qui antequàm nascãtur non possunt dici in potestate morientis fuisse, d.*l.fin. D.de assignand.lib.* nec sui hæredes esse, cùm hoc nomen iis solùm conueniat, qui in familia & potestate defuncti fuerint: vt iam diximus) ni-
151 hilominus *sui* dicantur, † cùm nati fuerint fictione iuris, de qua in *l.qui in vtero* 7.& 26.*ff.de statu homi.* vel *futuri sui ante* natiuitatẽ, vt optimè adstruit *Valentinus Forsterus de success.ab intestato, lib.* 2.*cap.*18.*n.*27. & post eum *Osualdus Hilligerus in Donello enucleato lib.*7.*cap.*2.*in notis, litera E.* & ex nostris *D. Pichard. in* §.*posthumi, num.*8. *institut.de exhæredatione liberor.* Et iuxta ista intelligendus est *Gomez Arias in l.*11. (aliàs 13) *Tauri num.*4. dum in vtero existentem sub nomine filiorum venire ait.

Et vt tales sui hæredes reputantur in substitutione pupillari † eis à patre 152
facta, *l.*2. *versicul.posthumis, l.paterfamilias* 46.*ff. de vulgari & pupillari substitutione*, §. *non solùm, in institution.de pupil. substit.* ¶ Et in substitutione pupillari postumi sui alteri filio facta ex eleganti ratione ab *Vlpiano* annotata in *l.sed si plures*, §.1. *ff.de vulga.& pupil.*

Et in assignando eidem posthumo 153
suo testamentario tutore † (qui aliàs posthumo tanquam personæ incertæ, & in rerum natura non existenti regulariter dari non poterat, ex dicendis *inferiùs*) *l.*1.§.1. *d.l.si quis ita dederit* 16.§.*fin.ff.de testamentaria tutela*, §. *vltimo, institution. qui testam. tuto.dari possunt.*

Et in successione ab intestato posthumis suis † deferenda, qui remoran- 154
tur in sequentes sibi agnatos, quibus præferuntur, si fuerint editi, d.*l.intestato* 3. §.*vtique, D.de suis & legitim.hæred.l.*4.*Cod.eod. tit.l.cùm quidam* 30. §. *quod dicitur, cum seqq. D. de acquir. hæred.*§.*ita demum, d.vers.posthumi, institut.de hæred.quæ ab intest.defer.* facit *textus in l.fin.D.de ventre in possess.mittendo.* Quæ omnia iura loquuntur in ventre, qui suum hæredem pariturus est, vt dixit *Vlpianus* in d. §.*quod dicitur.* Vbi hoc ipsum quod attinet ad successiones legitimas locum habere in alieno posthumo clarè demonstrat illis verbis: *Et in eo ventre idem accipias qui legitimum, vel consanguineum pariturus est*, iunctis his quæ *infrà* in responsione ad 11. & 12. argumentum (huius rei causam adducentes) notabimus.

At præcedentes casus à *num.*152. enumerati intelligẽdi sunt † de posthu- 155
mis, qui tempore substitutionis pupillaris, assignationis tutoris, & successionis ab intestato delatæ, iam erant concepti; aliàs enim substitutio pu-

pillaris, & reliqua non tenebunt, ex traditis è *Saliceto* in *l. si testamento, numero septimo, Cod. de impuber. & aliis substitution. Iasone in d. l. secunda num. quarto, ff. de vulgar. & pupil. substitut.* & notant nouiores in §. *non solùm, institution. de vulgar. & pupil. substitut.* nouissimè *Anton. Merenda libr. 3. controuers. iuris cap.* 30. Qui isto in casu optimè intelligunt dict. *l. 2.* & d. §. *non solùm*, contra *Goffredum* & *Socin.* in d. *l. 2. numero secundo vers. Sed contrarium*, & alios relatos à *Merenda supra*. Ita vt in pupillari substitutione: assignatione tutoris & reliquis, in quibus de valore testamenti non contenditur, nec periculo rupturæ patris dispositio principalis subiacet, locum non habeat decisio & regula d. *l. placet*, & sequentium, *ff. de liber. & posthum.* cum aliis *suprà* adductis.

Ex dictis vsque dum de institutione posthumi sui, siue exhæredatione permissa & causatiuè simul (vt nostri aiunt) necessaria perquàm euidens fit resolutio illius quæstionis anxiè à nostris disceptatæ, an mater (quæ liberos non habet in potestate, nec habere potest, *l. nulla 13. ff. de suis & legitimis hæredibus, §. fœminæ, institution. de adoptionibus*) possit posthumum ex se nasciturum hæredem instituere? In qua dubio procul tenendum est, non posse
156 († vt aptè sensit *Vlpianus* in *l. 1. §. sed si matris ff. ad Senatusconsultum Tertullianum*: quem disertè pro ista sententia expendit *Costa* in §. *posthumus, numero sexto, institution. de legatis*. Et clariùs probatur per illa verba *l. 4. de liberis & posthumis: Placet omnem masculum posse posthumum hæredem scribere*: quandoquidem à potiore(vt nostri aiunt) masculorum sequatur exclusio fœminarum, *lege prima* vbi *Cynus, Albericus, & Angelus, Cod. de legibus, l. scripturas in fine*, vbi *Bartolus, Cod. qui potiores in pign. habeantur, l. 1.* iuncta *Glossa verbo viriles, Cod. de vestibus holober. & deaur. libr. 11. Molina* in ardua & nota quæstione *libro tertio de Hispanorum primogeniis cap. 5. numer. 30.* Et in terminis ita firmat *Raphael Cumanus in d. l. placet, Emanuel Costa in dicto §. posthumus, Franciscus Conanus libro decimo commentarior. capite tertio num. 3. Cuius in l. sed est quæsitum, ff. de liberis & posthumis*: ea moti ratione, † quia 157
cùm fœminæ filios in potestate non habeant, posthumus matri alienus est, & ideò institui non potest. Ego addo
† posthumi huius præteritione & agnatione post testamentum aut mortem matris eius vltimum elogium non infirmari, cùm talis præteritio tantum faciat quantum patris exhæredatio, §. *mater, institutionum de exhæredatione liberorum, l. filiam 15. Cod. de inofficioso testam. l. si instituta 27.* (hinc intelligenda) in §. *final.* cum *l. seq. ff. eodem, l. illud notandum 4. ad testamenta, ff. de bonorum possessione contra tabulas*, cum aliis adductis à *Costa in dicto §. posthumus numero quinto*. Vnde est, vt in præteritione posthumi à matre facta cesset fauor testaméti, quem *supra* in posthumo suo considerabamus, & per consequens eius institutio, vt cuiuscunque alterius alieni posthumi. 158

Nec audiendi sunt † *Socinus numero 2. Iason. numer. 3. Sarmiento* latiùs à *numer. 2.* in d. *l. placet*, post *Glossam* ibi, verbo *posse, Duarenus ad titulum ff. de liberis & posthumis titul. qui posthumos instit. poss. Doctor. Pichard. d. cap. 4. num. 54. Osualdus. Hilligerus in Donello enucleato libr. 6. dict. cap. 11. in scholiis pag. 1. ad finem*, existimantes, matrem posse posthumum hæredem instituere, per *textum* in d. *l. sed est quæsitum, in fine, ff. illo titul. de liberis & posthumis, l. 3. C. de inofficioso testam. l. posthumus 6. vers. simili modo, ff. eodem titul. l. si filiusfam. 33. ff. de testam. milit.* quibus ex ordine respondetur. 159

Primò

160 Primò, in *l. sed est quæsitum*, † legendum esse cum *Pandectis Florentinis*: *Hermaphroditus planè si in eo virilia prævalebunt, posthumum hæredem instituere poterit*, non *Hermaphroditus maximè*, &c. vt in vulgatis codicibus circunfertur. Quin & istorum attenta lectione, is *textus* nihil obstat ex notatis à *Costa* post *Cumanum* in dicto §. *posthumus, numero quinto versiculo*, *secundò argutè dici potest*, iunctis his quę strenuè circa dictionem *maximè* adnotauit *Doctor. Pichar. ad leg. Gallus dicto capite quarto numero quinquagesimo septimo*.

161 Ad *l. 3. Cod. de inoffic. testam.* † facilè respondetur, explosis solutionibus *Sarmien. in d. l. placet*, *numero secundo Costa in dicto §. posthumus numero 15. in fine*, nouum ius inductum ab Imperatoribus Seuero & Antonino, vt clarè præ se ferunt illa verba: *Repentini casus iniquitas per coniecturam maternæ pietatis emendanda est*, & clariùs illa: *Quare filio tuo, cui nihil præter maternum fatum imputari potest, perinde virilem portionem tribuendam esse censemus, ac si omnes filios hæredes instituisset*, quæ fictam quandam hæredis institutionem inducunt *coniectura pietatis*, hoc est, commiseratione parturientium, & sese ob bonum publicum simili (omnium maximo) periculo

162 exponentium. † Quò respexit *Iustinianus* in vulgari *l. assiduis, Cod. qui poti. in pign. hab. Quis earum* (dicens) *non miseratur, propter obsequia quæ maritis præstant, propter partus periculum? &c.* & in §. *sed nos, institution. de Senatusconsulto Tertull.* ibi: *Matri subueniendum existimauimus, respicientes ad naturam & puerperium, & periculum, & sæpè mortem ex hoc casu matribus inlatam.* Quin & præsumpti materni affectus rationem habuisse Imperatores in illo *text.* credendum est, vt in *l. si pactum 9. ff. de probation. l. tali pactum.* §. *vltim. ff. de pactis.* Ex quibus planum fit, in d. *lege tertia*, nouum & singulare ius ex singulari pietatis ratione statutum fuisse.

Legem verò *posthumus 6.* † *versic.* 163
simili modo, ego cum *Costa suprà* facilè pro nostra & communiore retorqueo sententia: ideò enim ibi datur querela inofficiosi, quia posthumo, qui de Iure Ciuili (quod prosequimur) hæres institui non poterat, si institutus esset Iure Prætorio bonorum possessio secundùm tabulas dabatur, dict. *lege prima, §. sed si matris, ff. ad Senatuscons. Tertullian.* Quæ mirum est *Osualdum suprà* non aduertisse, & *textum* istum inrefragabilem pro materni posthumi directa institutione putasse.

Denique non obstat *textus* in dict. *l. si filiusfamil. 33.* † *vers. secundum quæ*, 164
ff. de testam. militis: nam loquitur de posthumo qui militi testatori liberato à patris potestate agnoscitur suus hæres: quem filiusfamilias miles, de quo ibi, consilium (Galli Aquilij imitatus) prouidè instituere potuit hæredem. Quod iure factum probabimus in responsione ad *l. Gallus, ff. de liberis & posthumis*.

Ab his quæ in propugnatione communis rationis, posthumi alieni institutionem denegantis hucusque sunt dicta, subinde inlata, facilior paratur descensus ad responsionem iurium *suprà* ex aduerso adductorum. Vnde primo loco noto, vero & communi Interpretum iuris assensui deneganti alieni posthumi institutionem, non obstare *text.* in §. *posthumus, institution. de legat.* Nam (omissa solutione † *Alciati lib. 9. Parergon*, 165
cap. 1. qui putat addendam negationem, & legendum: *Posthumus autem non alienus hæres institui & antea poterat, & nunc potest*, nouè probata à *Vulteio in dict. §. posthumus*, & *Andrea*

Gerhardo exercitat. Iustinian. decade 8. *quæst.* 2. quam meritò vt insulsam, & à vero sensu & enarratione illius *textus* alienam post *Balduinum in d.§. posthumus*, & *Ioannem Robert. Aurelianensem libro primo receptar. sentent. capite primo* improbat *Osualdus ad Donellum libro primo, capite vndecimo*, in scholiis. Et reiecta interpretatione eiusdem *Ro-*
366 *berti* † *suprà* restringentis generalem decisionem istius *textus* ad casum singularem, & à iure deuium, quam ideò optimè impugnat *Petrus Gilkenius in l. Gallus in principio, numero octauo.* Et
367 explosa ipsius *Gilkenij* † nec feliciore responsione *supr. num.* 9. qui *textum* illum intelligere tentat de tertio genere posthumorum, per nos iam adducto superiore *inlatione*, hoc est, de eo posthumo qui ex diuersis causis *suus* & *alienus* dici potest, cuius institutionem admittit, quo sensu vel causa suus est, vel futurus est, iuxta terminos *dict. l. placet*, cum aliis, *ff. de liberis & posthumis*: etenim violenta ista restrictio cõtrariatur generali illius *textus* decisioni, quæ ei aduersatiua est, quam de legatis alienis posthumis relictis pręposuerat *Iustinianus* in §. *posthumo quoque alieno.* Et insuperhabita interpre-
368 tatione *D. Pichardi* † *in d. capite quarto à numer.* 113. nouam adstruentis opinionem circa posthumorum institutionem, (de qua vna verborum serie agemus *infr.*) Valdè mihi arridet *Ludouici Charondæ* interpretatio, qui *libro primo Verisimilium capite decimo quinto* verba illa, *antea poterat*, dicti §. *posthumus* ad *legem xij. Tabularum*, refert amplissimam testantibus concedentem facultatem de rebus suis disponendi; qua & posthumorum alienorum institutio comprehendebatur, ex dictis & notatis per quàm optimè à *Charonda* ibi, & per nos *suprà* cum *inferiùs* adducendis *nu.* 265. Ita vt posthumi alieni (quos antea *lex xij. Tabul.* instituere permittebat) hodie ex noua *Iustiniani* Constitutione (liberam testandi facultatem, Prudentium subtilitatibus oppressam, restituente) hæredes institui possint.

Sed & responderi potest (post *Accursium in d. §. posthumus*, & communem antiquorum Doctorum) cum *Goueano* in *l. Gallus numero decimo septimo Boetio Epone. numero decimo nono, Cuiacio* ibidem *in principio*, necnon *Duaren. Balduin.* & *Coras. in anteludiis* ad eandem *l. numer.* 14. *Fachinæo libro.* 10. *controuers. iur. c.* 41. *Viglio in d. §. posthumus, Hortensio in §. posthumo institution. de legat. Donello libro sexto, commentarior. cap.* 11. *Antonio Fabro libr.* 9. *coniecturarum, cap.* 2. *Schifordeghero d. tractat.* 16. *quæst.* 8. dictum §. *posthumus* 369
† ita intelligẽdum, vt posthumus alienus institui potuerit olim ante *Iustinianum*, non quidem mero Iure Ciuili, sed Prætorio tantùm attento: quod ei hæredi instituto bonorum possessionem secundùm tabulas concedebat, vt docet *Iustinianus* dict. *principio institution. de bonorum possess.* & probatur in *l.* 1. *§. si filius, l.* 6. *ff. de vẽtre in possess. mittendo.* Licèt enim Prætor hæredem facere non possit §. *quos autem* cum notatis ibi disertè per *D. Pichardum*, post alios, illo *titul. de bonor. possess.* quia tamen bonorum possessorem hæredis loco in omni causa habet, *l. Prætor* 117. *D. de diuersis reg. iur. l. in omnibus* 2. *ff. de bonor. possess.* Ideò *Iustinianus*, qui in posthumo alieno bonorum possessore Prætoris edicto (medio patre vel curatore) omnia quæ in vero hærede Iure Ciuili instituto inuenie- 370
bat, cum *antea* † id est Iure Prætorio institui posse asserit: nam cùm effectus consideratur bonorum possessionem, & possessorem bonorum *hæreditatem* & *hæredem* appellarunt ipsi Iurisconsulti in *l. conditionibus* 19. *ff. de condit. & demonstration. l. hæreditatis* 138. *ff. de verborum*

verborum significat.& ante *Iustinianum* Imperatores *Diocletianus & Maximianus* in *l.1.C.vnde liberi, & Constantius* in *l.finali, C. qui admitti ad bonor. possess.*

Prædicta euidentiora fient consideranti *Iustinianum* in d. §. *posthumo quoque, institution. illo titul. de legatis,* posthumo alieno inutiliter antea le-
171 gari asseuerasse; † quasi diceret, legatum posthumo alieno relictum nec Iure prætorio vtile fieri; quod ex pluribus latè comprobat *Costa* in dicto §. *posthumus num.* 5. In hæredis verò institutione secùs erat:& ideò eam antea fieri potuisse (subaudi vtiliter) firmat idem *Iustinianus* in d.§.*posthumus*.Nomina enim ista, *vtile*, vel *inutile*, Ius Prætorium propriè & potissimè respiciunt: quod propter vtilitatem publicam introductum dixit *Papinianus* in *l.Ius autem Ciuile* 7.§.*Ius Prætorium, ff. de iustit.& iure.*

172 Vt inde hoc vno saltem assentiri †*Spanochio* cogamur, & simul cum eo *part.19.num.*15. asserere *Iustiniani*,propositum fuisse in dictis §§.*posthumo* 26. & *posthumus* 28.*institution.de legat*. differentiam assignare inter institutiones & legata, quod attinet ad alienum posthumum. Sed in constituenda dif-
173 ferentia valdè dissentimus: † putat enim *Spanochius* verba illa dicti §. *posthumus: Et antea poterat,* absolutè intelligenda: pessimè quidem & contra *Iustinianum* in *principio institution. de bonor.possess.* vbi disertis verbis asserit, posthumum alienum Iure Ciuili hæreditatem adire non potuisse, cùm institutio non valeret,sed tantùm à Prætore adiuuaretur. Stat ergo differen-
174 tia † institutionis, & legati alieno posthumo, Iure Ciuili attento, relicti,in eo solo, quòd legatum omnino inutile erat, quod clarè præ se ferunt illa verba dict.§.*posthumo:inutiliter antea legabatur:*institutio verò à Prætore adiuuabatur,*l.posthumus 6.ff.de inofficioso testamen. l.3.ff.de bonor. possess.secundùm tabulas, d.princip. institution. de bonorum possess.* Ex quo factum est, vt *Iustinianus* in d.§.*posthumus* scripserit, posthumum alienum & antea potuisse hæredem institui, cùm tamen ei legari non posset, vt asseuerauit in d.§. *posthumo.*

Quòd si † replicet aliquis, *Iustinianum* in dict.§.*posthumus*, vna de- 175
terminatione dixisse, posthumum alienum & antea & nunc institui posse, id est, ex sua noua Constitutione, ita vt eius verba vnam vel pariformem respiciant determinationem & institutionem, *l.iam hoc iure,ff.de vulgari.* Respondemus illis verbis: *Et antea poterat, & nunc potest*, Imperatorem istum denotasse posthumi alieni institutionem,ex sua noua Constitutione inductam mirari quem non debere, cùm & antea ad omnes iuris effectus institui posset, auxilio Prætoris; id est, bonorum possessione secundum tabulas adiutus, quasi diceret, posthumus alienus,quod attinet ad iuris effectus, antea hæres institui poterat,& ideò nunc (cùm iuris subtilitates reiicimus, & æquam rationem præ oculis habemus) poterit hæres esse, vel institui sine auxilio Prætoris.

Non est ergo cur captemus voculas illas ANTE, & NVNC, POTERAT,& POTEST d.§.*posthumus*, cum hæ verborum aucupationes Iu-
risprudentibus † non conueniant, qui 176
solis verbis inhærere non debent, sed vim eorum & effectum introspicere, vt apposité in proposito adnotarunt *Vvesembeccius, Vvulteius* & *Gilkenius* relati ab *Schifordeghero supra d. qu.* 8. *ad fin.*

His addo,& intrepidè simul assero, quæ dicta sunt à §. *incertis*, vsque ad §.*posthumus, institut. de legat.* clariùs

eloqui, & aptiùs disponere potuisse
177 *Tribonianum.* Nec mirum † est, in suis hoc non fuisse consequutum, qui in alienis Iurisconsultorum responsis sæpè & sæpiùs cæcutiens inania & iure deuia profudit *Iacobo Cuiacio, Antonio Fabro*, & aliis passim animaduersa, maximè à *Petro Burgio lib.*1. *electorum, cap.*10. *&* 11.

Vnde verba d.§.*incertis*, vsque ad §. *posthumus*, ita enodare & enarrare mihi
178 liceat: † *Incertis personis legata, aut fideicommissa nec à milite olim relinqui poterant. Imò nec libertas* (cuius fauore multa contra iuris rigorem sunt constituta, *l. generaliter vigesima quarta*, §. *si quis seruo, ff. de fideicommis. libert.*) *incertæ personæ relinqui potest. Incerta verò persona dicitur, quam incerta opinione testator animo suo obijciebat*, &c. *Si tamen personis incertis legata, aut fideicommissa soluebantur, repeti non poterant ex sacris constitutionibus Principum. Posthumo quoque alieno* (*vt quæ incerta persona, vel incertæ similis.*) *legari nec iure Prætorio poterat: est autem alienus posthumus*, &c. *Noua autem nostra Constitutione non solùm hæreditates* (*ad quas posthumi alieni iure Prætorio adiuti per bonorum possessionem secundùm tabulas ius habebant*) *sed & legata, fideicommissáque his relinqui posse statuimus. Tutor verò incertus, nec nostra noua constitutione attenta, dari potest, quia certo indicio debet, quis pro tutela suæ posteritati cauere. Posthumus autem alienus* (*cui nec iure Prætorio vtiliter legabatur*) *hæres institui reuera antea poterat, cùm ex bonorum possessione secundùm tabulas eidem à Prætore concessa omnia commoda hæreditatis consequeretur. Et nunc nostra prædicta Constitutione poterit sine auxilio prætoris. Nisi in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor esse non potest.*

Quæ vltima verba (omissis variis Interpretum declarationibus, quas comminiscitur in d.§.*posthumus, numvigesimo primo, & vigesimo secundo*) excipiunt † à permissa per *Iustinianum* 179
posthumi alieni institutione, eum qui ex muliere, quam nefas esset ducere, posthumum quis hęredem institueret. Quòd meritò à *Iustiniano* ita dispositum est, ne peioris sit conditionis posthumus alioquin suus (quem ex muliere alij nupta, quis instituere non potest, *l. si quis posthumos*, §. *sed si ex ea, ff. de liber. & posthumis*) quàm alienus ab ea habitus, quæ vxor testatori esse non potest, qualis iure antiquo erat peregrina, vt deducitur ex eodem *Iustiniano* in *principio institution. de nuptijs*, & *Gaio lib.*1. *institut. tit.*4. & clariùs ex *Vlpiano in fragmentis titulo decimo quinto*, *Cicerone in Topicis*, & disertiùs ex *Seneca lib.*4. *de benefic. cap.*35. *Promisi tibi* (ait) *filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti, non est mihi cum extraneo connubium. Macrobius libro secundo Saturnal. cap.* 6. *Brissonius libr. singular. de iure connub. Paleotus de nothis & spuriis cap.*3. *nu.*5. Et hoc ipsum, *lege Solonis* 36. ex compilatis *à Prateio*, prohibitum erat connubium: & Patritio itidem *ex iure Romanorũ* cum Plebeia, *Dionys. Halicarnas. libr.*11. *Liuius libr.* 4. *Ræuardus* (hos referens) ad *leges xij. Tabular. c.* Et multo magis cuiuis ciui Romano cum serua, aut deportata, *l. Proculus* 67. *ff. de iure dot. l. si neget* 7. *ff. de agnosc. liber. Hotmanus*, qui ista & consimilia latè prosequitur in *disputatione de ritu nuptiarum, cap.*2. & in *l. si quis posthumos* 9. §. *sed & si. ff. de liberis & posthum. Cuiac. in l. filius à patre* 28. *ff. eodem tit.*

Sed & hodie † idem erit in cogna- 180
ta, furiosa, vel moniali: harum enim posthumi institui non poterunt ex *Iustiniani* sententia, id ita iure decidente in prædictis illis verbis: *Nisi in vtero eius sit, quæ iure nostro vxor esse nõ potest.* Quorum vero isto sensu attento,

181 to, † cessant omnia absurda & inconuenientia, quæ ab eis deducebant *Vulteius* in d. §. *posthumus*, & *Gilkenius* in *l. Gallus, num.9. in fin. D. de liber. & posthum.* Sed & peruersionem *textus in d. l. si quis posthumos*, à *Costa* confictam s̃. simul euitamus.

Adhæc communi opinione, quæ stat contra posthumi alieni institutionem non obstat secundum argumentum ductum à decisione d. *l. si duobus*, § *si cum l. qui filiabus*, *D. de legat.* 1. *l.* 1.
182 §. *sed si*, *D. ad leg. Falcid.* loquuntur † enim ibi *Pomponius*, *Vlpianus* & *Paulus* de legato posthumo suo relicto, vel filiæ nasciturae : cuius agnatione, sicut & filij, testamentum rumpebatur, §. *posthumi quoque*, *institutio. de exhæredat. liber.* & ex iam dictis *suprà*.
183 † *Nil autem impedire potest* (vt ait *Schifordegher. tractatu* 16. q. 7.) *si dicamus, leges has accipiendas esse* (*cùm simpliciter loquantur de posthumo*) *de eo qui sit suus, & non alienus, quando nouum non sit, vt interpretationem ex aliis legibus ducamus. Quæ cùm in proposito disertè negent, posthumo alieno legari potuisse, quid ni quod in aliis locis simpliciter dicitur, de legato posthumo relicto, illud exaudiamus de posthumo suo.* Ex quo autem posthumum suum Iure Ciuili hæ-
184 redem instituì licuit, effectum est † vt ei etiam legari possit, vt non obscurè *Iustinianus* sentit in d. §. *posthumo quoque alieno, institution. de legat.* Valet enim consequentia, vt quibus hæreditas relinqui potest, possit & legari (quidquid *Spanochius dicta particula* 16. commentus fuerit suam nouam assertionem circa posthumi alieni institutionem adstruens.) Et conferunt
185 † quæ in proposito de aliorum sententia strenuè notauit *Costa* in d. §. *posthumus*, *nu.*10. Et hùc insuper reducen-
186 da † sunt quæ post *Hortensium* in d. §. *posthumo*, *institution. de legat.* multiloquio, non ita apto, disputauit & resoluit *Scifordegher. d. tract.* 16. q. 9. per totam. Et hoc demum necessario sensu accipienda est decisio d. *l.* 1. §. *sed si seruo. D. ad leg. Falcid.*

Ad tertium de *l. quidam relegatus*, §. *fin. cum l. vel ex parte*, sequenti, *D. de reb. dubiis* (omissa interpretatione *Accursij*, † decisionem illam ad Ius Prætorium non aptè referentis : Et alia 187
Forcatuli † in *Necyomantia iuris, dialogo* 49. quam improbat *Costa*, & rectè in d. §. *posthumus*, *num.*17. *vers. infertur.* 188
Et reiecta eiusdem *Costæ* † diuinatione, qua verba illa: *Vel alieno*, d. *l. quidã relegatus*, § *fin.* in *textum* irrepsisse ait, 189
& addita fuisse à Compilatoribus Digestorum) Respondeo, iura ista intelligenda † de hæreditate per fidicommissum posthumo suo, vel alieno relicta, vt clarè demonstrant verba illa d. §. *fin. Si tibi & posthumo suo, vel alieno hæreditatem restituere quis rogauerit* : à quibus necessariam recipiunt interpretationem † *legis* subsequentis illa verba: *Vel ex parte te, & ex parte posthumum hæredem instituisset, legatúmve similiter, vel fideicommissum dedisset*, vt intelligantur de posthumo cui ex parte per fideicommissum hæreditas relicta fuisset, vel res certa fideicommisso particulari : quòd mirè comprobat inscriptio *Martiani*, seu *Metiani* (eius legis Auctoris) *lib.*3. *fideicommissorum.* Et enim fideicommissi diuersa ratio est † à legato, de quo solo loquitur *Iustinianus* in d. §. *posthumo*, vt optimè aduertit *Schifordegher.* d. q. 7. Quod verò *Martianus* subdit † de legato, intelligere oportet de legato damnationis, vel sinendi modo, quæ fideicommissorum sequuntur naturam, ad tradita per *Vlpianum in fragmentis tit.*25. *de legat.* §. 7. & *seqq.* *Gaium lib.*2. *Institution. titul.*5. Ni mauis († quod & ego magis probo, cùm alibi in iure legata prædicta posthumo alieno relinqui posse non videam) 190 191 192 193 19.

verbum illud dictæ *l. vel ex parte posthumum hæredem*, ad suum tantùm referre, cui etiam legatum (de quo ibi) iure directo consequenter relinqui potest: ita vt posteriore hoc casu (hæreditatis scilicet directò relictę) *Martianus posthumi* nudo nomine fuerit vsus, quod *alieno* iuxta iuris regulas & decisiones aptari non potest. In priore verò restitutionis hęreditatis (contento in dicto §.*fin*) mentionem fecit Iurisconsultus *Gaius* posthumi alieni, vt qui capax est hæreditatis fideicommissariæ tempore habili (id est, post natiuitatem) à patre vel tutore Iure Ciuili percipiendæ. In vtrouis sensu & casu (longè verò appositiùs in primo) rectè procedunt,
195 † quæ idem *Gaius* (Auctor dict.§,*fin.*) & eodem *li.* 1.*fideicommissorum* (in inscriptione relatus) decidit in *l.vtrùm*, in non nato, vel nato posthumo, cui hæreditas per fideicommissum ex parte relicta est, iuxta primum intellectum dictæ *l. vel ex parte*: vel directo, iuxta secundum.

Quod si opponas cum *Hortensio* in dicto §.*posthumus, d.l. quidam relegatus*, §.*fin.* loqui expresse de posthumo alieno: deque eodem intelligendam dict.*l. vel ex parte*, quæ eius est velut appendix.
196 Responde † cum *Schiforneghero suprà.* in illis legibus, inuicem coniunctis, principaliter disquiri & decidi, quam partem faciat posthumus cum aliis concurrens in hæreditate, legato vel fideicommisso. Neque enim ibi Iureconsulti *Gaius* & *Martianus*, de legato posthumo alieno facto disputationem principaliter instituunt, alibi à Iurisprudentibus decisam. Et vtcunque sit, à continuatione & vestigio præcedentis legis non licet arguere, cùm pro libito *Tribonianus* leges amputauerit, mutilauerit, & sæpe infeliciter, vt post alios notat *Schifordeghérus supra*, & iam aduertimus *num.*177.

Svbintrat responsio ad quartum oppositum ex *l. substitui* 17. *ff. de vulgar. & pupillar. l. Lucius* 85. *ff. de hæredibus instituend.* de quibus separatim agendum erit. Et mihi sanè obuia & facilis solutio videtur ad dict. *l.* 197
substitui († omissa *Costæ* interpretatione eam referentis ad Pretoriam bonorum possessionem secundùm tabulas pupillares, quarum nulla ibi mentio) vt dum ille *textus* ait *substitui liberis is etiam potest, qui post mortem eius natus fuerit, cui substitutus hæres fuerit*, intelligatur de posthumo suo fratribus substituto. Et hæc non tantùm apta, verùm & necessaria interpretatio videbitur cuique consideranti dictiones illas eivs, & cvi, præcisè referri ad testantem, nec adaptari posse verbo liberis, in plurali: vt sit prædictorum verborum verus sensus & series hæc: *Substitui liberis à patre, is etiam filius poterit, qui post mortem eius natus fuerit, suus hæres.* Quòd si dictiones illas, eivs, & cvi, referas ad vnum ex liberis institutum, & primum locum in successione occupantem, cui substitutus datus est, is qui nondum natus est, subintelligere debes, & supponere substitutum suum hæredem futurum instituto, idque clarè præ se ferre verba illa dict. *l. Cui substitutus hæres fuerit*, quæ alioquin superuacua forent: vt ita *textus* ille vno & altero casu loquatur de posthumo filio vel nepote suo substituto.

Sin autem eum velis intelligere de posthumo alieno substituto (quod sanè verba non patiuntur) adhuc nobis non obstat: nam loquitur † de post- 198
humo substituto, id est, conditionaliter instituto: est enim substitutio (vti omnibus innotescit (conditionalis quædam institutio, quæ in futurum incertum euentum confertur,

& ideò

& ideò EVENTVS dicitur in *l. cùm ex filio* 39. §. 1. *ff. de vulgari & pupillari substitut.* & CASVS appellatur in *l.* 4. *in princip.* & in *§. fin. ff. illo titulo de vulgari & pupill. substitut.* & *in l. precibus, C. de impuber. & alijs substitution.* Vnde est, vt interim dispositionem suspendat, *l. hac conditio* 10. *in princip. ff. de condition. & demonstr. l. cùm ad præsens* 37. *cum seqq. ff. de rebus creditis, & si certum petatur*, *l. conditio* 100. *ff. de verbor. obligation. §. si plures, institution. de hæredib. instituen.* & vires sumat dispositio ea impleta, & nõ antea, *l. ei qui ita* 13. *cum similib. ff. de condition. institution.* Quibus merè conuenit elegans præ cæteris, & compẽdiosa definitio conditionis à *Bart.* traditæ in *l.* 1. *ff. de condition. & demonstration.* vt sit *futurus euentus, in quem suspenditur dispositio.* Posthumus ergo alienus (qui institui purè non potest, vt qui non est, vel persona incerta est, vel incertæ similis, ex iam dictis) substitui fortè an poterit, hoc est, sub conditione institui. Et inde erit, vt si tempore existentis conditionis natus fuerit, admittatur Iure Ciuili, tempus impletæ conditionis respiciente, & ab eius existentia substitutioni vires infundenti, d. *l. ei qui ita, ff. de condition. institut.* cum pluribus aliis illius *tituli*, & insuper *tituli ff. de condition. & demonstrat.* Ita vt incertitudo, quæ institutioni obest, substitutioni non aduersetur, vt quæ ei omnibus rebus conuenientior d. *l.* 4. *in princip.* & *§. fin. ff. de vulgari; l. precibus, C. de impuber. & alijs substitut.* cum reliquis *suprà* relatis. Valida ergo videtur substitutio posthumi alieni, qui à muliere certa pregnante & paritura separatur, id est, si tempore existentis conditionis natus fuerit, & in rerum, hominúmque natura inueniatur.

Quòd si replices, his attentis nihil dari speciale in posthumo Aquiliano, qui in formula Galli institutus re vera non fuit, sed substitutus (quãuis *Scæuola* bis vsus sit verbo, *institui*, in principio illius *l. Gallus, & in* §. 1. interpretari namque debet, id est, substitui, vt in *l. si pater* 25. *ff. de vulgari & pupill. subst.* vbi *Iulianus*, quod in principio substitutionem appellauerat, in fine institutiõnẽ vocitat, *l. mulier* 20. *§. fi. ff. de condition. institution. l. in ratione* 11. *§. quod vulgò, cum seq. ff. ad leg. Falcidiam.*) Respondebis, verius † esse in prædicta 199 Galli formula nepotem institutũ fuisse, non substitutum, vt ex pluribus optimè probant *Duar. Cuiacius & Hotmanus in d. l. Gallus*, vbi *Hieronymus Torniel nu.* 3. *Anton. Gouean. n.* 20. *Spanoch. particula* 9. *ex num.* 5. *Petrus Gilkenius à num.* 34. & omnium optimè *Boetius Epo ex num.* 22. & post istos & alios *D. Pichard. d. cap.* 4. *num.* 187. Qui *numeris seqq.* ex prædictorum scriptis optimè istam sententiam adstruit contra communem *Glossæ* in dict. *l. Gallus, verbo posse*, quam nouissimè defendunt *Hugo Donel. in lect. posthuma ad eã l.* & *Masinius* ibidem, *num.* 497. Eum verò mediæ Iurisprudentiæ rigidum obseruatorem, cui ista non placuerint (& verius putarit, alienum posthumum, qui non est in rerum, hominúmve natura, substitui non posse in testamento, morte testantis illicò vires adsumente) ad priorem solutionem dictæ *l. substitui*, admandamus.

A prædictis interpretationem † recipit *l. Lucius* 85. *ff. de hæredib. institu.* 200 (quam simul cum d. *l. substitui*, hac quarta oppositione expendimus) nam liberi nasciturі (de quibus ibi admittentur impleta conditione, non aliàs, vt clarè probant illa verba *textus: Et liberos hæreditatis aditæ tempore non habuerit*, & clariùs illa: *Priùs quam hæreditatem adiret, decessit, liberis relictis.*

Qua verissima interpretatione at-

tenta, cessat anxius Iuris Interpretum labor in vero sensu illius *textus* inuestigando, in quo valdè torquentur, vt patet ex traditis à *Costa* in d. §. *posthumus*, n. 14. *vers. hinc etiam infero*. Et po-
201 tissimo simul destituta † manet fundamento opinio *Glossæ* communiter receptæ in d. *l. Lucius*, ex illo *textu* deducentis negatiuum responsum, in quæstione illa valdè trita, & omnibus nota, an filij positi (vt aiunt nostri) in conditione, censeantur vocati, quam concisè & auctorum velut dicta delibantes, & legum Iuris Ciuilis veros sensus & sententias exactius prosequuti resoluemus *infra* loco aptiore, & fœlici, vti spero, calamo, ex *numero* 283. ad 300.

Quinto obici, sumpto ex *l. Titius* 25. §. *Lucius, ff. de liberis & posthumis*, strenuè occurrit *Iacobus Cuiac.* ibi, qui
202 ideò † sustineri asserit institutionem, quia pronepos, de quo in illo *textu*, natus iam fuerat tempore conditi testamenti. Vnde fit, vt loco eius qui superstes est, habeatur, & plus valeat quod in re est, quàm quod in opinione, ita vt pronepos auxilio Prætoriæ bonorum possessionis secundùm tabulas non indigeat, & proauo ex testamento succedat, siue adeundo, siue pro hærede sese gerendo.

203 Nec sustineri † potest *Anton. Fabr. lib. 9. coniect. cap. 2* qui *Cuiacium* refellens (ex dicendis illicò) *textum* istum intelligit de institutione posthumi alieni iure Prætorio per bonorum possessionem secundùm tabulas admissi, iuxta terminos *l. posthumus 6. ff. de inoffic. testam. l. 1 §. si filius, l. extraneo 6. ff. de ventre in possess. mitten. l. 3. ff. de bonor. possess. secundùm tabul.* nam attendere debuerat Consultissimus iste vir, *Paulum* in d. *l. Titius*, in principio, loquutum fuisse de exhæredatione liberorum non ritè facta per illa verba: *Cæteri* [illegible] *exhæredes sunto*: quæ & eum comprehendit, quem pater decessisse putarat, nisi de eius errore apud iudicem doceatur. Vnde subsequens responsum §. *Lucius*, institutionis casum continens, intelligi etiam debet de institutione directa, quæ fauore testamenti sustinetur. Et quia ibi constat apertè de errore, aut ignorantia aui (qui scire non potuit neptem enixam) nil mirum si ea attendatur in §. *Lucius*, fauore institutionis & valoris testamenti, sicut in principio illius *legis*, magni est effectus in odiosa exhæredatione, si fuerit probata.

Quæ verò *Antonius Faber* in *Cuiac.* adstruit, nihil obstant. Licèt enim rationem dubitandi dict. §. *Lucius*, expresserit *Iulius Paulus*, ibi: *Verba quidem testamenti ad eum pronepotem directa videri, qui post testamentum factum nasceretur*: non tamen denotauit Consultus, quæ *Faber* supponit, sed directam pronepotis posthumi alieni institutionem (alioquin nullam) ibi subsistere, quia *eadem die, qua testamentum factum est, neptis testatoris antè quàm testamentum scriberetur, enixa est*: quasi diceret, pronepotem ante testamentum natum, iure institutum videri, cùm sit persona certa in rerum natura existens: post testamentum verò natum non ita, quia persona incerta erat, & in rerum natura non erat. Idque mihi probant vltima illa verba *textus*: *Tamen institutionem iure factam videri rectè responderi*. Quæ sanè institutioni, virtute bonorum possessionis Prætoriæ secundùm tabulas solùm validæ, ac *Faber* putabat, non benè adaptantur: diceret enim Consultus *institutionem tenere*, vel *valere*, non verò *iure factam*, quod proprium est institutionis factæ secundùm Iuris regulas. Et in hoc sensu Imperatores IVRE *testamentum* [illegible]

tum 10, & in *l.non idcirco* 11.*C.de testam.*& IVRE PERFECTVM vel IVRE CONSVMMATVM in *l.hac consultissima* 21. §.*si quis autem*, *C.eodem titul.* Addo nullibi inueniri hac vel simili phrasi Iurisconsultos vsos fuisse, cùm de testamentis, aut institutionibus Iure Prætorio sustinendis egerint.

Et demum in *Fabrum* considero, toto illo *titulo ff.de liberis & posthum.hæredibus instituend.vel exhæredand.* de exhæredatione & institutione directa posthumorum agi, non de bonorum possessione secundùm tabulas, cuius tractatio aliena est ab eo *titulo* & propria *tituli ff.de ventre in possess.mittend.* & *ff.de bonor.possess.secundùm tabulas*, vbi sunt sitæ leges huius propositi §. relatæ.

Remanet ergo libera *Cuiacij* interpretatio ad d.§.*Lucius*, ab impugnatione *Antonij Fabri.*

Qui *Cuiacij* sententiam (sustinentis institutionem, quia plus est in veritate, quàm in opinione) non impugna-
204 uit, vt potuisset, † per *textum* huius propositi in *l.is qui putat* 15. *ff.de acqu. hæred. l.is qui vsumfructum* 20. *ff. quib. modis vsusfruct.amitt.* vbi opinio veritati præualet. Quod maximè locum habet in his, quæ ab vnius dependent voluntate, vt ex *Azode* optimè notat *Gothofred.in scholiis ad dict.l.*15. Vel in his, quæ iuris publici sunt, ac testamenta, ex adductis à *Ioan.Baptista Costa in tract. de facti scient. & ignorant. centur.*2.*distinct.*74.*numer.*9. Et certè iura quæ in contrarium adduci solent suis casibus, proprias habentibus rationes (quibus non immoror) loquuntur. Contentus annotasse dispositum à lege, vel homine vno casu, haberi pro dispositione & deciso in omisso, quem si lex vel testator præuidisset, idem prouidisset, *l.cùm auus* 102 *ff.de condition.& demonstration. l. tale pactum* 40.§.*final.ff.de pactis, l.mulier* 22.*vers.Brasidas quidam, ff.ad Trebell.* Cùm ergo hîc constet de voluntate testatoris, ventrem neptis instituere volentis, ídque curantis casu in iure non permisso, & à Prætorio Iure tantùm admisso: & simus in facto testatori ignoto ex iusta causa (quia filium rure neptis fuit enixa albescente cœlo, id est, diluculo, vt ex bonis Auctoribus scitè interpretatur *Cuiacius*, cùm sex tantùm abinde horis testamentum fuerat confectum, quo tempore partus inscius erat testator ob distantiam loci, argumento *tex.*in *leg.continuus* 137.§.*cùm ita, ff.de verborum obligationibus.*) planè consequimur, re ad eum casum & tempus deuenta, à quo bonum potuit assumere principium, institutionem iure factam videri, ab eo qui si euentum præuidere potuisset, idem disposuisset.

AD SEXTVM medium, quo *Spanochij* opinio innitebatur, ductum à dispositione *textus* in *leg.hæredi cum posthum.*31.*ff.de acquirend.hæreditat. l. filiusfamilias* 16. *ff. de testament.* Respondetur, † leges istas, quę de posthu- 205
mo indistinctè loquuntur, necessariò intelligendas de posthumo suo, qui tantùm hęreditatis capax est, non de alieno, qui maiori ex parte Iure Ciuili incognitus erat, vt sentit *Iustinianus* in d. *principio institutionum de bonor. possess.* Quòd si posthumus alienus cuiusuis hereditatis capax est, ad quid, quæso, consilium *Galli* in *leg.Gallus, D. de liber. & posthumis?* ad quid permixtio capitum *legis Vellæ*, de qua in dict. *l.Gallus*, §.*iste casus?* ad quid excogitata posthumi sui futuri institutio in dict. *l.placet cum seqq. ff. illo eodem titulo?* Vt meritò miremur † 206
Costam, qui in d.§.*posthumus, numer.*12. intelligit d.*l.si filiusfamilias*, de testamenti factione, à bonorum possessio-

ne Prætoria proueniente, contra verba illa: *Testamenti factionem habere dicuntur*, pari & æquo modo determinantia, quæ præcedunt: *Filiusfamilias, & seruus alienus, & posthumus & surdus.*

Addo in prædictorum comprobationem, simili elocutione *Pomponium* in illa lege ideò vsum, vt posthumum suum à seruo alieno (de quo ibi) distingueret, aliàs enim diceret, detracta prima coniunctione: *Filiusfamilias, seruus & posthumus alienus.* Vel ita: *Seruus, & posthumus alienus.*

SEPTIMI fundamenti ex aduerso depositi de *l. non est ambigendum* 12. *ff. de bonor. possess.* vires nullæ sunt, quia
207 *text.* ille apertè loquitur † in bonorum possessione Prætoria, ventri, ad exclusionem fisci & aliorum, concedenda, vt demonstrat *titulus* sub quo dicta *lex* sita est, & colligitur ex illis verbis: *Non est ambigendum, quod plerumque & contra fiscum, & contra Rempublicam admitti debeant quidam, vt puta, venter,* &c. quasi diceret, remedio bonorum possessionis vtili attento, ventrem admittendum, & fiscum excludendum esse.

AD OCTAVVM oppositum, sumptum ex *l. eius seruum* 64. *ff. de hæred. instituen.* & §. *seruus etiam, institution. eod. tit.* quibus iuribus & in *l. 2. tit. 3. p. 6.* probatur seruum eius, qui post mortem testatoris natus est, hæredem institui posse, & per consequẽs posthumum nasciturum, cùm *regula Iuris Ciuilis* sit (vt ait *Pomponius* in *l. si mihi & tibi* 12. §. *regula, ff. de legat.* 1.) *Vt quibus ipsis legare possumus, eorum quoque seruis legare possimus,* ex ratione *l. non minus* 31. *ff. eod. titul. de hæred. institut.* (etenim *testamenti factio cum seruis ex persona dominorum inducta est*) omissis aliis solutionibus, quas prosequuntur *Fachinæus lib. 10. controuers. c. 41. Benedict. Pinel. lib. 2. select. c. 11.* mihi omniũ aptius respondet † *D. Pichar.* in d. §. *ser-* 208
uus, dicens, in eo *textu* & similibus s. relatis seruum posthumi hæredem institui posse, non quia posthumo alieno hæreditas relinqui possit, sed quia seruus iste personam sustinet defuncti, non hæredis, *l. hæreditas enim* 34. *l. hæreditas eius* 61. *ff. de acquir. rerum domin. principio institution. de stipulatione seruorum*, cum pluribus strenuè adductis ab *Hotmano lib. 3. obseruat. c. 19.* ita vt capacitatem domini (requisitam in d. *l. non minus*) à persona testatoris prædefuncti, non hæredis futuri, metiamur. Nil ergo refert posthumum institui, vel non institui hæredem posse, quod attinet ad eius seruum, cùm antiqui & prædefuncti domini habilitas sola requiratur tempore institutionis: vt accidit in seruo hæreditario, qui eadem causa hæres institui potest ante aditam hæreditatem, d. *l. non minus, vers. hæreditarium, l. seruus* 52. *ff. eod.* Et cùm vtriusque casus eadem esset ratio, ideò eos simul iunxit *Iauolenus* in d. *l. eius seruum*, & *Iustinianus* in d. §. *seruus.*

Quòd si subtiliter quis instet, seruũ hæreditarium sine noui domini iussu hæreditatem adiri nõ posse, *l. si seruus 7. in fin. D. de hæredib. instituend. l. Aristius Labeo* 62. §. *fi.* iuncta *l. si quis mihi bono* 25. §. *iussum, cum seq. ff. de acquirend. hæredit.* d. *l. hæreditas* 61. *in fi. principij, ff. de acquir. rerum domin.* §. *alienus, institut. de hæred. instituen.* & ideò posthumi iussum & capacitatem consequenter requiri in institutione & aditione sui serui, & hac concessa, necessum esse fateri, eum hæredẽ institui posse. Respõdemus, † longè distare hæ- 209
redis institutionem, qui est actus testatoris, ab aditione hæreditatis, qui est actus hęredis: vterque verò eius capacitatem requirit, & eam (quod attinet ad institutionem) habet seruus ventris vel hęreditarius, dum refert personam defun-

defuncti domini repręsentatione quadam ficta, vtilitatis causa,& rerum exigente vsu introducta, d.*l.hæreditas 34.& 61.ff.de acq.rerum domin.* cum aliis s.adductis:habet etiam seruus (de
210 quo loquimur) facultatem † adeundi hæreditatem, dum tamen præcedat iussus domini in cuius est potestate tempore aditæ hæreditatis, ne aliàs eueniat, vt inuitus dominus æri alieno per seruum obligetur, contra *l.qui in aliena 6.in princ.l.more* 8. *l. si quis mihi bona 25.§.iussum, ff.de acqu.hæred.* d.§. *seruus.*Ex quo obiter intelliges *l.si post diem 5.§.si cùm dies,ff.quando dies legati cedat:*vbi seruus ei acquirit domino in cuius est potestate tempore mortis testatoris, non tempore aditionis hæredis; quod nulla alia fit de causa,quã quia in casu illius §. (qui loquitur in legato,quod semper lucro est) nullum domino damnum ex agnitione legati per seruum facta resultat, vt obuenire eidem poterat ex serui libera hæreditatis aditione. Quò fit,vt hæreditate
211 iacente, † vel posthumo nondum nato adito in suspenso sit, effectum sortitura aditione, vel natiuitate noui domini & hęredis; qui si nolit adire, vel non nascatur, iussus substituti, vel hæredis ab intestato, vel cuiusuis alterius domini,vsque ad millesimam personam subintrabit,d.*l. Antistius Labeo 62.§.fin.ff.de acquir.hæred.l.2.§ fin.ff.de bonor.possess.secund.tabulas.* Quin & seruus ipse liber factus tempore aditionis, hæreditatem suo arbitrio adibit & agnoscet,*l.si seruus 7.ff. de hæredib.instit.*

Demum illud addo, seruum appel-
212 lari † ventris in d.*l.eius seruum 64. ff. hæred.instit.* & in d.§.*seruus,instit.eod.tit.* attento futuro euentu,& aditione eius iussu, id est, patris vel tutoris facienda post natiuitatem : nec enim nouum est aliquid rei nomine, quæ futura est,cohonestari, vt accidit in filio, vel nepote, quem viuo patre vel auo, suum hæredem, dominúmque dicimus, *l. in suis, D.de libert.& posthum.*

Hæc ita typis essent demandanda,ni inciderem in *obseruationum libros D. Francisci de Amaia* (viri sanè eruditi. & in Iurisprudentia benemerentis) qui *lib.1.cap.3.* (vbi multa circa interpretationem *l. eius seruum* non contemnenda comminiscitur) tandem *numer.*28.communi adhæret interpretationi existimantium cum *Bart.* hæreditatem quam per se dominus serui habere vel adire non potest in casu d. *l.eius seruum* (hoc vno impedimento, quòd persona sit incerta) per seruum suum (quæ certa persona est) habere posse: cùm non sit mirum, quòd quis ex sua persona habere non potest,media persona alterius quandoque acquirere, *l. 3. in fin.ff.quæ res pign. oblig.* cum aliis adductis ab *Hortensio* (qui ista illustrauit) in *§.posthumo, institut. de legat.* His addit *Amaia* d.*numer.* 28.vt mens *Labeonis* & *Iauoleni in* d.*l. eius seruum, clariùs procedat*, subaudiendum ventrem in possessionem missum in illo *tex.* ita vt hæreditas iacens ibi non detur:& demum alia pleraque similia subdit. Sed interpretatio ista, & eius confirmatio mihi non arrident:etenim abstracta vel subducta incertitudinis causa, adhuc posthumus ab illa priore institui non potest, quod non est in hominum vel rerum natura, à qua & eius seruus futurus institutionis incapax esset, nisi eius capacitatem (vt in quouis seruo) quod attinet ad institutionem, à persona defuncti domini metiremur, ac prædiximus.

Ea verò quæ *Amaia* in comprobationis huius interpretationis adducit, prorsus aliena sunt à nostra

thesi: & illa sanè aptiore apponeret loco, si de *Fachinæi* relati interpretatione impugnanda ageret. Nam quod attinet ad capacitatem vel incapacitatem, nil interest, an venter (futurus dominus) missus sit in possessionē vel non. Quid quod *D. Amaia* supponit, seruum ventris in possessionem non missi heredem institui nō posse, quod longissimè aberat à mente *Labeonis* & *Iauoleni* eum laudantis, & existimātis, seruum hereditatis iacentis hæredem institui posse: hócque exemplo videmus ab his Iurisconsultis admissam & comprobatam institutionem serui ventris post mortem testatoris lucem visuri: quia vtroque casu, à prædefuncti domini capacitate (quam hereditas iacens repræsentat, d. *l. hæreditas* 34. cum s. adductis) institutio serui tenet. Omne enim illud futuro hæredi per seruum hæreditariū acquiritur, quod defuncto, si viueret, acquireretur, *l. in eo* 33. *in princ.* & in § *fi.* d. *l. hæreditas* 61. *ff. de acq. rer. domin. l. si ex re* 28. § *illud. ff. de stipul. seruor. princ. instit. eod. tit.* Exceptis tantùm his, in quibus *factum personæ, operæve substantia desideratur:* ita disertè annotante *Hermogeniano* in d. *l. hæreditas* 61. A quo fit, vt aditio hæreditatis (quæ diuersa res est ab institutione) iussu noui domini necessariò fiat, iuxta s. tradita: quæ simul cum his quæ nunc sumus prosequuti, clarè demonstrant ventris missionē in possessionem à morte defuncti illicò subsequutam vel retardatam, nil ad proposita conducere. Quod verò is *Auctor nu. vlt.* subdit (dicens serui prædicti institutionē sustineri, vt in quo deficiant rationes incertitudinis & non entis, cùm venter intelligatur in rebus humanis existere, quando agitur de eius commodo, *l. qui in vtero* 7. & 26. *ff. de statu hom.*) sustineri non potest: admissa namque generali hac doctrina & interpretatione ad illam *legem*, nullus certè casus daretur aut inueniretur vtilitatem ventris respiciens, in quo non haberetur pro nato, & ita posthumus alienus ferè semper heres institui posset, quod sanè longè distat à vero, & insuper à legitimo sensu d. *l. qui in vtero* 7. & 26. Et facilè euertitur attentis his quæ circa earum interpretationem dicturi sumus *inferiùs hoc eod. c.* § 4. Demum *D. Amaia* his omnibus supponit in seruo personam ciuilem aditionis hæreditatis capacem, quo tempore eius dominus incerta persona est, quod ex pluribus (passim obuiis) facile cuique erit impugnare.

Ad nonum obicem sumptum ex *l. extraneo* 6. *ff. de ventre in possess. mitten.* Respond. † *Vlpianum* ibi loqui de bonorum possessione Prætoria, ventri aut posthumo extraneo instituto concedenda, vt sentit *D. Pichard.* in *l. Gallus, d. c.* 4. *n.* 119. (immemor eorum quæ dixerat *eod. c. n.* 92.) vt clarè patet ex illis verbis: *Extraneo posthumo hærede instituto non aliter venter in possessionem mittitur*, & ibi: *Ne fortè ei qui natus bonorum possessor futurus est:* quæ potiùs præsupponunt, vel saltem denotant, instituto extraneo posthumo opus ibi fuisse bonorum possessione Prætoria, vt commodo hæreditatis frui posset: alioqui non necessaria, si ipsi, medio patre vel tutore, permissum fuisset extranei adire hæreditatem.

SECTIO II.

SYNOPSIS.

214 Gallus Aquilius *nouum ius constituit ex sententia* Socini & *aliorum.*
215 Gallus Aquilius *Auctor fuit* legis Aquiliæ.
216 *Et stipulationis Aquilianæ.*
217 *Et varias adinuenit formulas.*
218 *Certo Iurisconsultorum numero indultum*

dultum fuit ab Augusto iura interpretari. Et nu. 241.

219 *Iurisconsulti appellabantur* Legum Conditores, Auctores, *&c.*

220 *Iurisconsultis magna olim cum Imperatoribus familiaritas fuit.*

221 Ælius Spartianus in Ælio Vero *declaratur.*

222 *Sed verius est Iurisconsultis concessum non fuisse nouas leges tollere, aut veteres abrogari. Et num.* 224. 225. 226. 227. 228.

223 *Iurisconsulti munus in quo antiquitus versaretur. Et nu.* 230. *&* 231. *vbi* Theophilus *declaratur.*

225 §. responsa Prudentum, institut. de iure naturali gent. & ciuili *intellig. Et nu.* 237.

227 L. iuris gentium, §. ait Prætor, ff. de pactis, *declar.*

229 Lex Aquilia *lata fuit à* Gallo, *cùm esset Tribunus Plebis.*

232 L. fin. C de legat. *&* l. 1. C. de verb. signif. *cum simil. intellig. Et quid sit ius condere declaratur. Et n.* 233.

234 *Iurisconsulti* Iuris Auctores *nuncupati, & vnde.*

235 *Iurisconsultorum auctoritatem probat ex* Pomponio *&* Cicerone.

236 L. verbis legis 120. ff. de verb. signif. *explic.*

238 *Iurisconsulti in quintuplici fuerunt statu vel differentia.*

239 *Quo casu admitti possint quæ de Iurisconsultorum facultate & auctoritate adstruebat* Anton. Faber.

240 *Secundo tempore Iurisconsulti vti homines priuati respondebant, auctoritate tamen quadã probabili, quamuis non necessaria.*

242 *Id postea Leo Imperator cum Aduocatis fecit.*

243 *Theodosius in iudicandis & decidendis causis ex responsis Iurisconsultorũ modum, formamque præscripsit.*

244 *Iustinianus* [illegible] *dentiũ sententii* [illegible] *auctoritatem legis dedit.*

425 *A dictis infert* Auctor *contra* Fabrum, *qui responsa Prudentium ius facere dixit.*

246 *Initio Romani Imperij legum ferendarum potestas apud Reges erat, & quid deinceps in eo fuerit obseruatum enarrat.*

247 L. Gallus, ff. de liber. & posthum. *declarat. Et n.* 251.

248 *Ratio inducendæ formulæ Galli designatur.*

242 *Particula* TVNC *necessaria fuit in formula Galli.*

250 Anton. Faber *perquàm disertè sentit de posthumo Aquiliano.*

252 *Ratio* Salomonij *ad l.* Gallus, *& ad* l. Velleam, *& inductionem* Iuliani *impugnatur.*

253 *Ad quid,* lege Vellea *opus fuerit, demonstratur.*

HIs succedit vnus ille maximus obex decimus de *l. Gallus* 29. *ff. de liber. & posthum.* quo pręcipuè *Spanochius* suam conatur adstruere opinionem. Et sanè eius effugiendi gratia *Bartholom. Socin.* in d. *l. Gallus*, §. *& quid si tantum, n.* 2. & ibid. *Marian. Socin. n.* 20. *Salomonius n.* 11. *Alexand. n.* 1. *Ias. n.* 11. *Æmilius Ferretus n.* 3. *Alciat. li.* 3. *Paradoxorum c.* 2. *&* 3. *Viglius in* §. *posthumorum n.* 2. *&* 3. *instit. de exheredat. liberor. Hugo Donel. li.* 6. *commentar. iuris c.* 11. *Boetius Epo ad l. Gallus* in d. §. *& quid si tantum, n.* 73. in ea fuerunt sententia, vt existimauerint, *Gallum Aquiliũ* nouũ ius † in posthumi alieni institutio- 214 ne induxisse, & ob id *Paulum* in d. *l. penul. ff. de legat.* 1. dixisse: *Obtinuit Galli sententia alienos quoque posthumos legitimos nobis hæredes fieri,* cõtra inueteratam aliorum Iurisconsultorum sentẽtiam alieni posthumi institutionem denegantium; & cõtra iuris regulas incertę personę institutionem non admittentes, ex iam dictis. Idque *Gallo*

Aquilio permissum fuisse aiunt, qui
215 *legis Aquiliæ* Auctor fuit,† vt testatur *Vigilius* in d.§.*posthumorum,n.4. Mysingerus* & alij in *princ.institut. de lege Aquilia.* Et stipulationis Aquilianæ,
216 † de qua in *l. & vno* 18.§.1.*ff.de acceptilat.* & in §.2.*institution.quibus modis tollitur obligatio.* Et variarum itidē
217 formularum † adinuentor: quarum vestigium exstat in *l. si ita quis hæres* 74.*ff.de hæred.institut.* Et quidem præcipuè de dolo formulas conscripsit aduersus dolum venditoris, & cuiusque alterius vim legis habentes, vt testatur *Cicero lib.3.Offic.* Qui rursus in *Bruto*, & *pro Cæcina* huius in cauendo summam industriam laudat: & tantæ auctoritatis eius cautiones fuisse ait, vt pro iure publico reciperentur. Vnde *Pomponius* in d.*l.2.* §. *post hos Quintus Mutius,ff.de orig.iuris*, magnam *Aquilij* in Populo Romano auctoritatem fuisse ait. Fuit etiam eminentis *Seruij Sulpicij* magister: & *Ciceronis* amicissimus, ex traditis à *Gilkenio*, post alios in dicta *l.Gallus nu.4.Pancirol.in Thes.lib.2.c.60.*

Ad hæc non solùm *Gallo Aquilio* suis temporibus, sed & aliis postea Iurisconsultis, certo tamen numero in-
218 dultum † fuit ab Augusto, ius interpretari: deque eo respondere, dicta *l.* 2.§.*Iuris Ciuilis*., iuncto §.*& vt obiter*, & §.*primus Diuus Augustus*. Ad quæ certè respexisse videtur *Iustinianus* in §.*responsa prudentum, institution.de iure naturali gent.& ciuili.* Eorum enim tanta erat auctoritas (sicuti communis Interpretum schola affirmat, ex dicto §.*responsa*) vt ab eorum responso iudici recedere non liceret.

Et ab istis elici videtur, non immeritò Imperatores eos appellasse LE-
219 GVM CONDITORES † in *l.licet* 8.*C.de incestis nupt l.fin.C.de legib.* Et IVRIS CONDITORES, *l.si furiosi* 25.*C.de nuptijs*, & in *l.cum multa* 20.*C.de donationibus ante nuptias*, cum aliis. Et TESTAMENTORVM, in *l.vnica, in princip.versic.sed & ipsis.C.de caducis tollendis.Eutropius lib.8.suæ historiæ.* Et IVRIS vel LEGVM AVCTORES in *l.manifestissimi* 22. §. *cùm autem,C.de furtis,l.1.C. de verborum significatione, l.inter* 15.*C.de vsufruct.l.3.C.de repudijs*, & in *Digestis* est *l.mora* 32.*ff. de vsuris,l.1.§.interdum*, *ff. de vsufruct. accrescen.Pomponius* in *l.2.§. post originem,ff.de origine iuris*, *Paulus* in *l.antiqui* 3.*ff.si pars hæredit.petatur*, *Modestinus* in *leg. quæro* 39. *ff. de action. empti*, *Vlpianus* in *l.Diui fratres* 17.*ff. de iure patronatus*, *Cicero libro.1. de Oratore.* Sed & IVRA CONSTITVERE dixit idem *Pomponius* in *l.verbis legis* 120.*ff.de verbor.significatione.* Vnde Iurisconsultos ius facere potuisse nouè affirmauit (licèt ista non præuiderit) *Anton.Faber libr.9.coniecturarum cap.1.* & in sua *Iurisprudentia Papin. scient.titul.2.princip.9. & in latione 1.& 3. & Schifordegherus* eius pedisequa *d. tract.16.q.5.in principio.*

Quod mirum videri forsan non debebit consideranti, Iurisconsultis magnam cum Imperatoribus † familia- 220
ritatem fuisse, vti ex *Lampridio & Xiphilino* relatis *à Valentino Forstero libro 2.de historia Iuris Ciuilis, capite* 81.*numero* 8.) planè percipitur. Et inde Imperatores eos AMICORVM nomine condecorabāt, vt patet ex rescripto *Marci Antonij* Philosophi, & *Ælij Veri* relato ab *Vlpiano* in *l.Diui fratres* 17. *ff. de iure patronatus*, in illis verbis: *Volusius Mætianus amicus noster, & Iuris Ciuilis præter veterem & benè fundatam perititiam anxiè diligens:* & paulò inferiùs: *Sed cum ipso Mætiano & alijs amicis nostris, Iurisperitis adhibitis plenius tractaremus.Suetonius in Tito,cap. 7. Amicos elegit,quibus etiam post eum Principes, vt sibi & Reipublicæ necessa-*

necessariis acquieuerũt, præcipuéque sunt vsi. Capitolinus in Pio: Neque de vllis actibus quidquam constituit, nisi quod prius ad amicos retulit.

Et ne obstet illud *Spartiani in Æ-*
221 *lio Vero:* † *Non amicos, aut comites solùm, sed Iurisconsultos*, &c. Responde cum *Isaaco Causabono in eius notis*, AMICOS *Principis*, duobus modis accipi, vt interdum eo nomine solùm illi comprehenderentur, quos in domestica & interiore vita, priuata amicitia sibi iunctos haberent, quos *Spartianus* COMITES appellat. Erant & alij Principibus dilecti, quorum consilio regebantur: & hi Iurisconsulti erant, proprio nomine ab *Spartiano* nuncupati & designati, cùm de hìs & interioris vitæ amicis simul ageret.

Et sanè ab hisdem *sociorum* nomen (quod æquale ius in Imperio habentium proprium erat) Iurisconsultis dabatur, *Lampridi. in Alexandro Seuero*, iuxta communiorem lectionem, noua *Henrici Salmasij*, eiusdem sola innitenti fide, quæ mihi valde suspecta, explosa) *Vt scias, qui viri in eius consilio fuerint, Fabius Sabinus, Sabini insignis viri filius, Cato temporis sui, Domitius Vlpianus Iurisperitissimus, Ælius Gordianus, Gordiani Imperat. pater, & ipse re vera vir insignis, Iulius Paulus Iurisperitissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tryphonius, Mætianus, Celsus, Proculus, Modestinus. Hi omnes iuris professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares & SOCII, vt scribit Acholius & Marius Maximus, Catilius Seuerus.*

Ex quibus omnibus, & aliis adductis à *Rænardo in libr. de auctorit. prudentum, cap. 4. post principium*, satis superque comprobari videtur vtriusque *Soc ni, Alexandri, Iasonis*, & aliorum *suprà* relatorum sententia existimantium, *Gallum Aquilium* ius nouum in posthumorum institutionibus induxisse.

Sed hæc responsio ad propositam difficultatem sustineri nõ potest, cùm certo certius sit, † Iurisprudentibus 222
concessum non fuisse nouas leges concedere, vt optimè adstruunt *Franciscus Connanus lib. 1. Commentariorum iuris, cap. 15. Duarenus, Cuiacius, Goueanus, & Gilkenius in commentis ad l. Gallus, Costa in dicto §. posthumus, nu. 10.* (vbi & alij iuniores) *institution. de legatis, Franciscus Hotmanus in suo Iurisconsulto, siue de optimo genere iuris interpr. post principium, Vulteius* latè in *§. responsa, institution. de iure naturali gentium & ciuili, Foresterus dicto cap. 81.* Qui ex *Cicerone 1. de Oratore*, & alibi optimè tenent Iurisconsulti munus
† versari in respondendo consulentibus, etiam de rebus familiaribus, vtpotè de conlocanda matrimonio filia, & aliis minimis, teste eodem *Cicerone lib. 1. de Oratore.* Maximè verò in negotiis & quæstionibus Iuris Ciuilis enodandis & dissoluendis, iuxta iuris regulas, quas apprimè in suis responsis attendebant, vt post *Cuiacium* disertè notat *Gilbert. Epiphanius li. 2. Enantiophanωn.* Et in interpretandis legibus aliquid ambigui habentibus, dicto *§. responsa.* In cautionibus, aut formulis, iuri conformibus, componendis. Quod vltimum acutè elicit *Gilkenius* ex dicta *l. Gallus:* in qua *Gallus Aquilius* ostendit, quorum verborum conceptione testator vti possit, vt posthumum instituendo testamentum suum in tuto conlocet. Et hoc ipsum demonstrat decisio *Pauli* in *l. penultima, ff. de legatis 1.* in prædictis illis verbis: *Et obtinuit sententia Galli alienos quoque posthumos nobis legitimos hæredes fieri*, vt

egregiè notauit subtilis *Costa* in dicto §. *posthumus, numero* 10. Sed & Iurisconsultorum proprium erat, *Scribere. In consilium adhiberi à Magistratibus. Eisque adsidere. præscribere. Libellos agere. Vadimonia concipere:* vt ex *Brissonio* notat *Caluinus* in *Lexico Iuridico.*

Nullibi autem inuenies, Iuriscon-
224 sultis concessum nouas † leges Populo dare. Erubescere ergo debuerunt, qui tantam Iurisconsultis potestatem & auctoritatem (sine lege loquentes) dederunt. Quinimò contra *Ciceronem supra*, & eundem pro *A. Cecinna*, dicentem: *Iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere.* & contra expressas *Iustiniani* constitutiones in *l.* 1. *&* 2. *C. de vetere iure enuclean.* inferiùs expendendas.

Et contra *textum* in dicto § *respon-*
225 *sa* † *prudentum*, vbi *Iustinianus* prædictis responsis nomen dedit, non *legis*, sed *sententiæ & opinionis* eorum, quibus ab Augusto concessum fuit (in dicta *l.* 2. §. *primus, ff. de origine iuris*) de iure respondere: vel illud interpretari, modo & forma *inferiùs* referenda. Cùm autem interpretatio ex verbis nascatur & concipiatur, *l. Gallus*, §. 1. *ff. de liberis & posthumis*, *Cicero de Oratore: controuersi vel contentio ex scripti interpretatione nascitur.* Planum inde fit, longè differre legis interpretationem ab eius promulgatione & rogatione.

Quid quòd si Iurisconsultis leges condere liceret *Vlpianus in vulgari l.*
226 *prospexit* † 12. *ff. qui & à quibus manumissi liberi non fiant*, legem ibi relatam (quæ omnino seruos manumittere aut alienare vetabat) corrigere, vel limitare posset. Ex quo verò hoc illi indeliberatum non erat, & legis vniuersalia verba interpretationem (quam ibi inuenit, quod attinet ad seruos tempore mortis domini longe degentes) non admittebant, in ea verba Iurisconsultus prorupit: *Quod quidem perquàm durum est, sed ita lex scripta est:* quæ planè supponunt, Iurisconsultis eam tantùm interpretationem concessam, quæ ex iure sit, & verbis legis interpretatæ concinat.

His adde ex sententia *Conani d. libr.* 1. *cap.* 5. † Prætorem (eodem *Vlpiano* 227 adseuerante in *l. iuris gentium* 7. §. *ait Prætor, ff. de pactis*) polliceri se illa pacta seruaturum, quæ *neque aduersus leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Edicta Principum essent:* quasi diceret, pactis aduersus leges initis Prætorem nec vnquam fauturum. Quod si responsa Prudentum legem & ius facerent, eorum dubio procul Consultus simul meminisset.

Demum Iurisconsultis datum non fuisse propria auctoritate † ius nouum concedere, vel ex eo facilè percipies, quòd ipsis nec ius supplere concessum fuit, vt agnoscit idem *Antonius Faber in sua Iurisprudentia papin. scientiæ, dict. principio* 9. *inlatione* 2. dum (suam assertionem explodens, nostrámque adstruens) ita disertè ait: *Si quando supplendum aliquid est, siue in lege, siue in Senatusconsulto, siue in Edicto, siue denique in hominum contractibus, aut vltimis voluntatibus, magna in eo est auctoritas prudentum, quibus scilicet datum est ius duntaxat interpretandi, non etiam supplendi. Proinde fuit semper illis casib. necessaria auctoritas & constitutio Imperatoris, vt in l. commodissimè* 10. *ff. de liberis & posthumis, iuncta l. vltima. C. de posthumis hæredibus instituendis, l.* 4. *ff. de vulgari & pupillari substitutione, l. vnum ex familia* 67. §. *vltim. ff. de legatis* 2 *l. qui filium* 74. *ff. ad Senatusconsult. Trebell. Aut Senatus, vt in l. ex facto* 17. *ff. eod. titulo, l. filiusfamilias* 114. §. *Vt quis hæredem, ff. de legatis* 1. *Exstantque alia innumera in libris nostris huius rei exempla.*

xempla. Longè namque aliud est interpretari, aliud supplere, l. Gallus 29. §. videndum, ff. de liber. & posthum &c.

Quòd si Iurisconsultis tanta tributa esset auctoritas & potestas ac voluerunt Socinus & alij, non ita eorum scientiam & ministerium contemneret & insuper haberet Cicero, dum 1. de Oratore ita ait: Iurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum: sed quia sæpè vtitur Orator subsidio iuris in causis idcircò istam iuris scientiam eloquentiæ tanquam ancillam & pedisequam adiunxisti.

Nec quidquam obstat legis Aquiliæ Auctorem fuisse Gallum, id enim euenit cùm esset Tribunus Plebis, † quo tempore legem illam rogauit, vt testatur Vlpianus in l. 1. in fin. ff. ad legem Aquiliam, Iustinianus in Authent. de triente & semisse (quæ est Nouella 18. c. 8.) & in §. ait nec plurimi, instit. de lege Aquil.

229

At stipulationis Aquilianæ formula (relata in dicta l. & vno, §. 1. ff. de acceptilation. & in §. 2. institution. quibus modis tollitur obligatio) Iuris Ciuilis regulis accinit, vt ex ea clarè patet; vnde & formulas illas de dolo malo à Gallo Aquilio adinuentas, iuri conformes fuisse par est credere, nec in aliquo eius regulis potuisse obseruari.

230 Interpretatio verò permissa † Iurisprudentibus longè distat à lege, siue noua constitutione: aliud enim est ius prohibito facere, aliud ius interpretari, vel de iure respondere, vt in d. l. 2. §. Iuris Ciuilis, & §. & vt obiter, & §. primus, & in d. §. responsa Prudentum. Etenim de iure respondere, vel illud interpretari (quæ etiam diuersa sunt, vt notat Vulteius in d §. responsa, num. 5.) ius interpretatum præexistens supponunt, cùm interpretatio ex verbis nascatur & concipiatur, vt diximus s. n. 225. ex Cicerone & aliis. Vt inde meritò reiecta sit vetus illa lectio ad d. §. responsa, quæ loco verborum de iure respondere, habebat, iura condere.

Nisi subaudias † κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν, id est, iuxta interrogationem & responsionem, vt ait Theophil. 231

In quo sensu percipi debent † d. l. fin. C. de legib. l. 1. C. de verbor. significat. cum aliis s. adductis, in quibus Prudentes isti iuris Auctores, & iuris, legum, testamentorumve conditores nuncupantur. Nisi mauis dicere, Iurisconsultos Ius Ciuile condidisse, hoc est, exornasse & ampliauisse suis interpretationibus & responsis signatis, de quibus j. agemus. 232

Condere enim (vt ait Sextus Pompeius Festus de verb. signif.) inter alia interpretatur conscribere & componere. Cicero pro domo: Rempublicam condere meo discessu, quam omnium interitu occidere malui. Vnde conditum apud Isidor. lib. 20. c. 3. Etymol. appellatur quod non est simplex, sed commistum, compositúmve. Idem ergo est leges aut iura condere, ac si dicas, Iurisconsultos ista componere & conscribere. Id quod ab Augusto & sequentibus Imperatoribus eis concessum est, l. 1. (ita intelligenda) in §. iubemus, Cod. de vet. iure enuclean. in illis verbis: Antiquorum prudentium, quibus auctoritatem conscribendarum, interpretandarũ legum Sacratissimi Principes præbuerunt. Et conferunt quæ in proposito annotauit Hotmanus libr. 10. obseruat. c. 1. dicens bonam iuris partem in Iurisconsultorum θεωρίᾳ, siue δίσκεψει, hoc est, prudentia, disquisitione & inuestigatione veri, & quasi scholasticis disputationibus positam fuisse, quas illi passim VISIONES appellant, l. 49. §. in omnib. ff. mandati, l. 8. §. 2. ff. ad Velleian. Ex quibus omnibus clarè patet, Iu-

risconsultis indultum fuisse leges condere, conserere & conscribere, vt earum sententia fieret apertior & aptior, & inde vocatos *legum conditores*.

Hæc autem interpretatio non solùm vera & admittenda, verùm & necessaria videbitur cuique consideranti, † quod dicitur Iurisconsultus esse IVRIS & TESTAMENTORVM *conditores* eodem sensu accipi debere: at *conditores testamentorum* dici aut intelligi non possunt alio sensu & intellectu præter assignatum: in quo *Cicero 2. de Oratore, Scæuolam* irridens ita ait: *Nullum erit testamentum ritè factũ, nisi quod tu scripseris; omnes ad te ciues cum tabulis venient: omnium testamenta tu scribes vnus. Suetonius in Nerone ca.32. Deinde vt ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent, ac ne impunè esset studiosis iuris, qui scripsissent, vel dictassent.* Quo loci *studiosi iuris*, vocantur *Iurisconsulti*, vt in *l.1.ff.de offic.assessor.* & in *l.1.ff.de variis & extraordinar. cognit.* IVRIS ergo vel LEGVM *Conditores* eodem sensu dicentur Iurisconsulti, cùm leges interpretantur, componunt, aut conscribunt.

233

Quo etiam ex capite dicuntur Iuris AVCTORES † in iuribus *Codicis* & *Digestorum* s. allegatis: vt qui suis interpretationibus Ius Ciuile auxerint, vel AVTHORES, Græcè αὐθένται, id est DVCTORES fuerint. Et sanè vno alteróque sensu *A.Gellius lib. 2. noct. Attic.c.10. Seruium Sulpicium Auctorem*, vel *Authorem iuris* appellat: & *Agge. Vrbicus in commentis Frontini*, eodem nomine condecorat *Cassium Longinum*.

234

235 Et ab his prouenit † auctoritatem propriè Iurisprudentibus tribui, ex *Pompon.* in *l.2.§.his legib.* & *§.ita in ciuitate, ff.de orig.iur.* & variè apud *Cicer. in Topic.* cum traditis à *Renard. d.cap.4.*

Et inde etiam interpretandus est idem *Pomponius* in *d.l.verbis legis* † 120. 236 *ff.de verb.signif.* ibi: *Sed interpretatione coangustatum est, vel legum, vel* AVCTORITATE *iura constituentium*: quasi diceret, plenissimam hæredis instituendi & legandi facultatem ex *lege duodecim tabularum* concessam postea *legibus*, vtpote *Falcidia, Fusia*, & similibus restrictam fuisse, quin & interpretationibus Iurisprudentum auctoritate sua iura constituentium: quando scilicet eorum interpretationes & responsa in foro & vulgo recipiebantur (vt suorum & emancipatorum filiorũ, & posthumi sui & alieni differentiæ: inofficiosi testamenti querela: & alia) quod paulò *inferiùs* comprobabimus latiùs, cùm diuersa Iurisconsultorum tempora constituentes *textum* in *§.his legib.l.2.ff.de origine iuris*, enodauerimus. Ni mauis dicere, illa verba *l.verbis legis: Auctoritate iura constituentium* referenda esse ad Senatusconsulta, velut *Trebellianum* & *Pegasianum*. Vel ad leges Imperatorum, quæ propriè *Constitutiones* appellabantur.

Demum nostræ veriori assertioni non obstat † d.*§.responsa Prudentum*, in 237 illis verbis: *Quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à responsis eorum non liceret*: nam verbis istis, ego (vltra omnes quos viderim) noto, addenda esse illa sequentia: *vt est constitutum.* Quæ referuntur ad *l.1.tit.4.lib.1.C.Theodos.* vbi *Theodosius & Valentinianus Papiniani, Pauli, Gai, Vlpiani* atque *Modestini* vniuersa scripta firmarunt: scientiámque *Scæuolæ, Sabini, Iuliani* & *Marcelli* ac omnium, quos isti celebrarunt, ratam esse censuerunt: & quid tenendum eorum diuersis concurrentibus sententiis sigillatim decreuerũt. Vt nostris etiam temporibus dispositum extabat circa opiniones & sententias

tiis *Bartoli, Baldi, Ioannis Andreæ*, & aliorum in *vna* ex *legib. Matritens.* latis à Domina Regina Ioanna anno 1499. cuius & ipsa eadem mentionem facit in *l.1. Tauri*. A responsis ergo Iureconsultorum recedere non licebat, imò eisdem inhærendum erat, prout dicta *lege Theodosij* & *Valentiniani* erat constitutum.

Vt inde facilè liberes *Iustinianum*, vel *Tribonianum* à calumnia *Pratei*, existimantis in suo *Lexico* confusa esse munia Iurisconsultorum, & sine temporum diuersa ratione enumerata in d. §. *responsa*. Et simul vites plures inanes interpretationes *Eguinarij Baronis, Cuiacij, Rauardi, Pyrrhi Alfani, Giffanij, Viglij, Conani, Vultei, Misyngeri, Alciati*, & aliorum ad d. §. *responsa*, quas diligenter recensuit *Ant. Merenda cont. Iuris lib. 2. c. 4.*

Vt autem ista omnia clariùs comprehendantur, ego (vltra *Rauardum* aliter distinguentem in *lib. de auctoritate*
238 *Prudent. c. 14. in princip.*) † quintuplicem Iurisconsultorum differentiam, aut statum iuxta diuersitatem temporum constituendum censeo. Primo namque tempore fuerunt Prudentes, qui *leges xij. tabularum* interpretabantur, de quibus *Pomponius* in d. *l. 2. §. 5.* ita ait: *His legibus latis cœpit, vt naturaliter euenire solet, vt interpretatio desideraret Prudentium auctoritate necessariam disputationem fori. Hæc disputatio, & hoc ius, quod sine scripto venit cōpositum à Prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus cæteris partibus, sed communi nomine appellantur Ius Ciuile*: quasi diceret, cæteræ partes Iuris Ciuilis suum proprium habebant nomen, *Leges, Senatusconsulta, Plebiscita, Edicta, Constitutiones*, hæc nullū aliud habet quàm commune *Iuris Ciuilis*, quod Νομοθεσίαν πολιτικὴν appositè vocat *Theophilus* in *tit. institut. de acquisit. per arrogationem*: hoc nomine designans istud auctoritate & interpretatione Prudentum, in foro vulgóque recepta & introducta, & tacito, inliteratóque consensu omniū approbata, inniti. Quod optimis exemplis, & legum auctoritatibus illustrat *Cuiac.* in d. *l. 2.*

Et ad has priorum Iurisconsultorū interpretationes referenda sunt † quæ 239
pro sua sententia adstruit *Anto. Faber in Iurisprud. tit. 2. d. princ. 9.* Vbi ex hisce malè subinde concludit, Prudentū responsa: Imperatoriam auctoritatem præ se ferre: legis enim aut iuris auctoritatem non habebant, nisi consensu vtentium comprobata legem imitarentur: ad normam iuris non scripti, de quo in *§. sine scripto, institut. de iure naturali gentium & ciuil.* Quod mirè comprobatur ex *Cicerone pro Lucio Murena*, dicente: *Cùm multa præclarè legibus essent constituta, ea Iurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac deprauata sunt.* Quæ verba clarè supponunt, ex inueterato vsu & subsequuta obseruantia interpretationes & respō-sa Prudentum vim habuisse. Vt inde facilè respondeas his quæ ex aduerso opponit, & ex Iurisconsultorum interpretationibus inducta asserit *Anto. Faber*, s. *inlat. 1.*

Secundo tempore fuerunt Iuriscōsulti, qui vt homines priuati † respon- 240
debant cōsulentibus auctoritate quadam probabili, nō verò necessaria, de quibus *Pomponius* in d. *l. 2. §. & vt obiter*, ita ait: *Ante tempora Augusti publicè respondendi ius non à Principib. dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebāt: neque responsa vtique signata dabant, sed plerumque iudicibus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant.* Et hi erant qui de minimis etiam rebus & familiaribus cōsulebantur, vt ex *Cice-*

rone probauimus s̃. Et ab eorum respõsis sæpè & sæpiùs in iudicandis causis iudices recedebant, vt clarè patet ex eodem *Cicerone* in *Orationibus pro A. Cecinna, pro C. Plancio* & *pro L. Murena: deinde*(aiente) *vestra responsa atque decreta & euertuntur sæpè dicendo, & sine offensione Oratoris firma esse non possunt.* Et huius certè temporis fuit *Gallus* noster *Aquilius*.

241 Tertio tempore † *Primus Diuus Augustus*(vt ait *Pompon.* in d. *l.* 2. *ad fi.*) *vt maior iuris auctoritas haberetur, constituit, vt ex auctoritate eius responderēt: & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideò optimus Princeps Hadrianus, cùm ab eo viri Prætorij peterēt, vt sibi liceret respondere, rescripsit eis:* HOC NON PETI, SED PRÆSTARI SOLERE. *Et ideò si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendū se prepararet.* Hoc ideo ab Augusto constitutum forsan fuit, vt multitudinem sine delectu passim de iure respõdentium, & diuersis sectis (de quibus in §. *hi duo.*) inhærentium compesceret, & ad numerum iustum certúmq; redigeret (vt cum Aduocatis multo

242 post fecit Leo † in *l. nemini* 11. *C. de Aduocatis diuersor. iudicior.*) vel saltem aptiores huic muneri admitteret. Et certè ob id *sua responsa signata dabant*, d. *l.* 2. §. *& vt obiter*, id est sigillo obsignata, *l. videamus* 11. §. *qui vnum, ff. locati* (signare enim, quod Græci σφραγίζειν appellant, est impresso aliquo chartā occludere, *l. Diuus Hadrianus* 6. *ff. de custod. & exhibit. reor.* vel annullo sigillari, quo prisci Romani vtebantur, vt notat *Abraham. Gorlæus*, post alios, in *Dactylothecæ prœloquio*) Et ita à iudicibus facilè dignoscebantur responsorum Auctores, & an Cæsari essent probati. Sed & hac norma responsa emissa maioris tantùm erant auctoritatis, seu probabilis, non verò necessariè vt iam diximus) d. §. *primus*, in illis prioribus verbis (ita intelligendus) *vt maior iuris auctoritas haberetur*: quidquid nouè in contrarium adstruere conatus fuerit *Vulteius* in d. §. *responsa*, *n.* 4 & 16.

Quarto tempore, † quo Iurisprudẽtes, causas clientum susceptorúmve publicè defendebant, (vnde *Patroni*, *Causidici* & *Aduocati* dici cœperunt) *Theodosius* & *Valentinianus* summo honore habentes veterum Iuriscõsultorum *responsa* (quo nomine *Quæstiones, Sententias, Digesta, Interpretationes, Edicta*, & alia huiuscemodi veniunt) illa sua Constitutione (relata in d. *l.* 1. *tit.* 4. *li.* 1. *C. Theodosiani*) in iudicandis & decidendis causis seruari voluerunt modum & formam in ea contentam, cuius meminit *Iustinianus* in d. §. *responsa*. Quaqu: nouum ius inductum fuisse, facilè tibi persuadebūt, qui verba illa, *firmamus, censemus, præcipimus*, attenderint *l. censeri, ff. de verb. signif. l. fi. ff. de suis & legitim. hæredib.* cum simílib. Vt inde facilè explodas, *Vulteium* s̃. relatum. Quamuis nõ ignorem, magnam tunc temporis Iurisconsultorum auctoritatē: ita vt nec reddita ratione eorum responsa implurimū fuerint admissa. *Seneca epist.* 94. *Quid quòd etiam sine probationib. ipsa monentis auctoritas prodest? Sic quomodo Iurisconsultorum valent responsa, etiam si ratio non redditur.* Sed ex aduerso eodem illo tempore, i. sub Imperio Claudij, velut exterminatos, & ludibrio Iuriscõsultos habitos clarè colliges ex eodem *Seneca de morte Claudij*, ita dicente: *Iurisconsulti è tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tāquam qui cùm maximè reuiuiscerent. Ex his vnus cùm vidisset capita conferentes, & fortunas suas deplorantes causidicos, accedit, & ait: Dicebam vobis: Non semper Saturnalia erunt.* Is. n. Imperator assiduè iuri dicūdo solus vacauit, Iuriscõsultis insuper 243

perhabitis, vt patet ex *Suetonio in eius vita, cap.15.* & ante eum C. Cæsar Caligula (teste eodem *Suetonio in eius vita cap.34.*) *Quasi scientiæ* Iurisconsultorum, *omnem vsum aboliturus, sæpè iactauit, se, mehercle, effecturum, ne quid respondere possent præter eum:* ita enim legendum est cum *Beroaldo*, & *Causabono* à *Iosepho Scaligero:* non verò *præter æquum*, vt voluit *Sabellicus*, quem notat *Horman. lib.3. obseruation. cap.*10. Et ipse notandus, qui *eccum* legit, ineptè quidem præpositioni *præter* antecedenti.

144 Quinto demum tempore † *Iustinianus* iudicandi formam datam ex dicta constitutione *Theodosij & Valentiniani* (in illis verbis: *Vbi autem sententiæ diuersæ proferuntur, potiùs numerus vincat Auctorum, vel si numerus æqualis sit, eius partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenij vir Papinianus emineat,* &c.) reuocauit in *l.1.§.6.C.de iur.enucl.* illis verbis (prædicta Theodosij attendentibus) *Sed nec ex multitudine Auctorum, quod melius & æquius est, iudicatote: cum possit fortè & deterioris sententia, & multas & maiores in aliqua parte superare.* Addit autem & nouè *Iustinianus* ibidem in vers. *& hoc ponere*, vt omnes in suo *Codice* relatæ *Æmilij Papiniani*, & aliorum Iurisprudentum sententiæ vim legis haberent, ac si Principis constitutione profecta fuissent ex ratione ibi designata: *Omnia enim merito nostra facimus,* &c. Plura autem sunt Iurisconsultorum responsa, præmaximè *Papiniani* (quem præ omnibus ibi commendat *Iustinianus*) quorum ipse & alij Imperatores, legum in suo *Codice* contentarum Auctores, mentionem faciunt, vt in *l. in quæstione 13. in principio*, ibi: *Remotis Vlpiani atque Pauli notis, Papiniani placet, valere sententiam, C. de sententia passis, l.14.* ibi: *Vtere viri prudentissimi Papiniani responso, C. de præd. & alijs rebus minorum, l. donaturum 3. C. de acquirend. & retinen. possess. l. generaliter. §. cùm autem, l. si testamentum 8. C. de institutionibus & substitution. l. si quis seruum, vers. Papinianus autem, C. de condict. indeb. l. cùm acutissimi 30. C. de fideicommiss. l. cùm Papinianus 14. C. de sentent. & interlocut. omnium iudicum, l. cùm responso 12. C. de legatis*, cum aliis pluribus responsis *Masurij Sabini, Neratij, Marcelli, Iuuentij, Longini Iuliani, Vlpiani* & *Pauli* in *Codice* illo *Iustinianæo* relatis, quibus non immoror.

Primus ergo omnium *Iustinianus* in d. §. *Sed nec ex multitudine*, responsis *Papiniani* & aliorum Iurisprudentum conlatis in suo *Codice*, auctoritatem legis concessit; nam *Theodosius & Valentinianus* in d. *l.1. tit.4. libr.1. C. Theodosiani*, id tantùm responsis *Papiniani*, cæterorúmque Iurisconsultorum indulserunt, vt in iudicandis decidendisque causis attenderentur & seruarentur, qua norma ibi statuitur (ac in *lege* quadam relata in d. *l.* 1. *Tauri*, apud nos constitutum exstabat circa decisionem causarum peragendam, iuxta opiniones & sententias *Ioann. Andreæ, Bartoli* & aliorum.)

Posthæc idem *Iustinianus* in *l.2. C. illo titul. de vetere iure enucleando*, Digestorum libris (à *Triboniano, Constantino, Theophilo, Dorotheo, Anatolio, Cratino*, & aliis compactis *l.2. §. quæ omnia, C illo titulo*) vim legum & constitutionum Imperialium responsis Prudentum (malo omine additis & diminutis ad istorum placitum) concessit. d. *l.2. § tanta*, in illis verbis: *Hoc tantummodo à Nobis effecto, vt si quid in legibus eorum vel. supernacuum, vel imperfectum, vel minus idoneum visum est, vel adiectionem, vel diminutionem necessariam accipiat, & rectissimis tradatur regulis, & in multis similibus vel cõtrarijs, quod rectius habe-

re apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est: VNAQVE OMNIBVS AVCTORITATE INDVLTA, VT QVIDQVID IBI SCRIPTVM EST, HOC NOSTRVM APPAREAT, ET EX NOSTRA VOLVNTATE COMPOSITVM, *nemine audente comparare ea, quæ antiquitas habebat, & quæ nostra auctoritas introduxit.* Idem repetit in §.*mirabile.* §.*sed quia,* §.*hæc igitur,* & §.*leges.*

Vocat autem *Iustinianus* responsa Prudentum *leges* in §.*tanta,* & alibi, ex quo per eum ad normam legum redacta sunt, quo nomine nunquam ante *Iustinianum* ea condecorata videbis. Vt inde & ex omnibus prædictis facilè elicias, Iurisconsultos quibus temporibus responsa dederunt, nec ius, nec leges vnquam facere potuisse. Quinimò *Iustiniani* tempestate eorum auctoritas omnino cessauit, vt notat *Vulteius* in d. §.*responsa.*

Ab his (quæ ob ignorationem historiæ Romanæ plures ex nostris erroneè & infeliciter tractarunt, ac nouissimè *D. Anguianus de legib. li. 2. controuers. 25. à numer. 6.*) quam euidenter refellitur noua sententia *Anton. Fabri*
245 † *d. lib. 9. coniecturar. c. 1. & in Iurisprudent. Papin. scient. tit. 2. in prin. 9.* vbi antiquorum suscitans opinionem asserit, Iurisconsultos ius facere potuisse, & eorum responsa Iuris Ciuilis partem constituere.

Cùm autem disertissimum istum virum, post alios prioris notæ, hisce deceptum viderimus, non abs re erit obiter, tyronibus præsertim, demon-
246 strare † apud quos iuris condendi facultas fuerit in Romano Imperio, & vt simul euincamus, nec vnquam Iurisconsultis similem potestatem concessam.

Et sanè in initio apud Romulum, Numam, cæteròsque Reges fuisse, post *Liuium decade 1. lib. 1. Dionys. Halicar. Antiquitatum Roman. lib. 2. Plutarchũ in Romulo,* enarrat *Pomponius* in *l. 2. §. postea, ff. de origine iuris:* idque planè indicant eorum leges, quas *Prateius, Rosin.s, Lipsius, Andreas Schottus,* aliique concinnatunt. Eas autem Romulus & successores non ad libitum tulerunt (vt priores Reges, qui principio rerum, gentium, nationúmque imperium penes se habuerunt: *Quorum arbitria* (vt ait *Iustinus lib. 1. in princ.*) *pro legibus erant:* sed calatis Comitiis, Populóque consulto, vt notat *Pomponius* in d. §.*postea.* A quo interpretanda sunt illa *Liuij* s. *Rebusque diuinis ritè perpetratis, vocatáque ad concilium multitudine, quæ coalescere in populi vnius corpus nulla re, præterquàm legibus poterat, iura dedit.*

Nec his obstat *Halicarnas.* d. *lib. 2.* dicens: ὁ δὲ Ῥωμύλος, ἔπειτα διέκρινε τοὺς κρείττους ἀπὸ τῶν ἡττόνων, ἐνομοθέτει μετὰ τοῦτο, καὶ διέταττεν ἃ χρὴ πράττειν ἑκατέρους. Quę, omissa *Sylburgij* versione, ita aptius latinitati condonãda puto. *Romulus autem cùm Patres siue Patricios à Plebeis secreuisset* (vt iste paulò antè enarrauerat, & penes Patricios, exẽplo ab Atheniensib. sumpto, ciuitatis regimen fuisse) *illico vtrisque præscripsit, & ordinauit quæ facere voluisset.* Etenim verba, Νέμω, νέμομαι, νεμέθω, (quę idem important) *pascere, regere & administrare,* in priore, & potiore significato (à quo translatitiè νόμος *lex*) denotant, *Nicet. Ther.* τοῖα μὲν ἰὸς ὀξὺς ἀεὶ νεμέθων ἐπιβόσκεται, vbi νεμέθων interpretari debet *depascens.* Vt inde error *Sylburgij* patefiat, qui ἐνομοθέτει in *Halicarnasseo* verborum multiloquio inepto vertit *legibus latis præscripsit,* supponens à solo Romulo, Populo inconsulto, leges principio sui Imperij latas fuisse, contra *Pomponium* & *Liuium* s. relatos: & contra eundẽ *Halicarnasseum* in subsequẽtibus illis, & immediatis, *Vt Patricij* (omitto Græca, vbi Latina constant)

constant) *sacra curarent, Magistratus gererent, ius redderent, secum Remp. administrarent, res vrbanas obirent: Plebei verò ab his negotiis immunes (quippe qui talium emperiti essent, nec vacare per inopiam eis possent) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia.* Quæ planè demonstrant, Romulum sibi soli legum ferendarum potestatem non fecisse. Et clariùs demonstratur à dictis paulò *inferiùs* ab eodem *Halicarnaseo*, qui cùm Regis eximia munia referret, inter alia longè inferiora legumlationis non meminit, cùm ipsarum, consuetudinúmque custodiam penes ipsum constituta disertis verbis asseruisset. Quæ ergo *Halicarnaseus* postea *eodem libro*, & *Plutarchus supra* in proposito prædicant, intelligi debent (vt prædiximus de legibus à Romulo latis per sententias Curiarum, vt ait *Pomponius* in dicto §. *postea*, id est, conuocatis tribubus Ramnensium, Tatiensium & Celerum: quarum *Halicarnaseus* & *Plutarchus* antea meminerant. Et ita Græcos hosce Romanatum rerum scriptores cum *Liuio* Romanæ Historiæ Principe, & nostro *Pomponio* compones. Et legem *Solonis* 49. (apud *Prateium* & *Plutarchum in Solone* ita conceptam: *Decretum nullum sine concilio, sinéque populo rarissimum esto)* mirè dictis aptaberis.

A quibus facilè elicies, errasse omnes (maximè *Alexandrum ab Alexãdro lib.6. Dierum genial.capital.*23.cum eius Scoliaste *Tiraquello*) qui prioribus septem Regibus (quorum leges omnes compilauit *Sextus Papyrius* Iurisconsultus dict. *l.2. §. tulerunt. Ræuard.* optimè *de auctoritate Prudentum capit.*1. *Hotman. lib.*10. *obseruatio. cap.*1.) absolutam & arbitrariam earum ferendarum, & à populo independentem concesserunt facultatem. Quinimo Romulus (vt memorat *Dionys. libro secundo Antiquitatum*) *Plebi hac tria concessit, vt Magistratus crearet: Leges sanciret : De bello referente Rege decerneret.*

Exactis verò Regibus anno ab Vrbe condita 244. hanc legis condendæ potestatem Populus non multò pòst (vt constat ex d. *l.2.§.exactis*) sibi soli conseruauit, & omnium rerum vnicus arbiter & moderator esse cœpit, *Polybius* (præ cæteris) *lib.6. Solus enim in ciuitate Populus* PRÆMII *&* PŒNÆ *est arbiter: quibus solis, & Principatus, & Reipublicæ, & vniuersa hominum vita continetur*: & mox: *Iudicia igitur irroganda: præsertim verò, vbi res eorum agitur, qui Magistratus maiores gesserunt:* PVBLICA *verò* CAPITIS *solus:* & postea: *Legum quoque sanciendarũ, abdicandarúmve ius penes Populum est. Et quod longè maximũ de bello & pace hic deliberat; ac siue de societate agatur, siue de terminando bello, siue de pactis, Populus est qui singula hæc firmat, & vel rata facit, vel irrita.*

Populus ergo (qui euersa Regia tyrannide, rerum summa potitus ita fuerat) cùm Ciuitatem optimis regimentis stabilire destinauit, ob idque amplioris prouisionis legalis causa, vel odio forsan legum sub Regibus latarũ, nec omnino *lege Terentia* abrogatarum, tres illos Legatos Sp. Posthumiũ, M. Manlium & P. Sulpitium in Græciam misit, anno V.C. 300. Qui cum alijs de numero Decemuirorum cẽturiatis comitiis postea procreatis (vt ex *Liuio* & *Dionys. Halicarn.* notat optimè *Antonius Garro Pomponij Læti* insignis discipulus, in dict. §. *exactis*) leges duodecim Tabularũ, ex allatis, & Regiis, aliisq; superadditis, primo & insequenti anno condiderunt, d. §. *postea* Hasque ad tempora *A. Gellij* & *D. Cypriani* perdurasse ex eorum scriptis disertè elicit *Franciscus Broeus* illicò referendus.

Posthæc Consules cęterique annui Magistratus, quotiens ex vsu erat, leges ad Populum ferebant, quæ si ab eo non approbarentur, nullius exempli, nullarúmque virium censebantur, vt optimè notat *Alexander ab Alexandro* videndus dict. *capite vigesimo tertio*. Vt inde apertè explodas quæ de Consulum summa potestate malè supponit *D. Amaia*, eam simul Regali immediatam faciens *lib. 1. obseruat. cap. 1 n. 18.* Etenim nec ad Senatum pertinentia Consules proprio ductu gerebant, sed sola potestate ipsis à Senatu concessa: quæ, verborum temperamento, velut cæteris Magistratibus, indulgeri solebat, vt ex pluribus *Liuij* & *Ciceronis* strenuè probat *Brissonius de formulis libro secundo fol.* 244. & 248. Et hoc sanè sensu accipienda sunt quæ nouissimè *Franciscus Broëus in Chronologica Historia Iuris* (post ista visa, positáque in principio suorum commentariorum *super institutionibus*) adnotauit de Consulari potestate, ne aliàs corruant.

PROSTERNATO verò Populari Imperio ab Imperatorio, simul legum latio à Populo abdicata fuit, & in Principes *lege Regia*, vel *Imperij* (cuius mox mentionem faciemus) translata qui CONSTITVTIONES deinceps edere cœperunt solo nomine à *legibus* differentes, cùm Lex Populi Constitutio esset, & vicissim Constitutio Lex Imperatoris, vt ait *Vulteius* in dict. §. *responsa, numero tertio.* Et hoc nomine leges cohonestasse Imperatores par est credere (vti & REGIS in IMPERATOREM commutarunt), ne Regij nominis, & actorum ab his memoriam (quæ Populo Romano erat odio, ex *Dione*, *Cicerone* & *Suetonio*, *infrà* referendis) suscitarent.

Hæc summa est potestatis legis ferendæ, ad quam reducenda sunt SENATVSCONSVLTA, PLEBISCITA & MAGISTRATVVM EDICTA (relata in §. *constat*, *institut. de iure naturali gentium & ciuili*) iuxta sententiam *Pomponij* in *lege secunda*, §. *deinde*, & §. *eodem tempore*, *ff. de orig. iur.* Etenim *Senatusconsulta* ad Populum referri debent: *Nam cùm auctus esset populus Romanus in eum modum, vt difficilis esset in vnum eum conuocari, legis sanciendæ causa æquum visum est Senatum vice populi consuli* (teste *Iustiniano* in §. *Senatusconsulta*, *institution. de iure natur. gentium & ciuili*) quod à *Pomponio* sumpsit in dict. *lege secunda*, §. *deinde*, *ff. de origine iuris*, ita aiente: *Deinde, quia difficilè plebs conuenire cœpit, Populus certè multò difficiliùs, in tanta turba hominum necessitas ipsa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit: ita cœpit Senatus se interponere, & quidquid constituisset, obseruabatur, ídq; ius appellabatur* SENATVSCONSVLTVM, & probat *Appianus* in *lib. 1. de bello ciuili.*

Sed vt ista penitiùs percipiantur, noto (quo tempore populus Romanus *belli ac pacis dominus erat*, *Polyb. d. libr. sexto. Liuius libro quarto.* Et *Triumphum decernebat*, *Liuius libro decimo octauo. Legatos audiebat*, *Cicero in Vatin.* Et *Ærarij curam habebat*, *Cicero supr.* Diuersisque rogationibus consulebatur, vt ex aliis pluribus locis *Liuij* & *Ciceronis* notat *Brisson. lib. 1. de formulis, fol.* 145.) Senatusconsulta minoris fuisse auctoritatis, vt quæ annalia, sicut Edicta Prætorum: & inde passim fuêre suppressa vnà cum Consule, qui Senatum habuerat, *Dionys. Halicarnas. lib. 6. Antiquitat. Romana.* Sed & Tribunis Plebis (ideò sic dictis quòd in tres partes populo diuiso, singuli à singulis creabantur; vel, vt alij volunt, tribuum suffragio) concedebatur Senatusconsulta reiicere: nec anteà rata erant, quàm litteram *T.* con-

T, consensus indicem præscripsissent. A quo & aliis similibus potestatem Tribunitiam magis in impediendo, quàm in agendo positam fuisse disertè dixit *Beroald*. super *Sueton. in C. Cæsar. c.* 11.

Sub hæc Senatus potestas tam in legibus ferendis, quàm aliis publicam concernentibus curam maior, & simul Senatusconsultorum auctoritas perpetua esse cœpit, d. *l.* 2. *§. deinde*, in verbis *suprà* expensis. A quibus interpretationem recipiunt illa *Vlpiani* in *l.* 9. *ff. de legibus, non ambigitur Senatum ius facere posse*: vbi verbum, *posse*, præteritum dubio procul respicit tempus, quo nondum Imperatores summam Imperij nacti fuerant.

Sed nec ista Senatus potestas tunc absoluta fuit: vt enim Senatusconsulta legis vim haberent, necessum erat ea ad Populum referri, ab eóque approbari vt colligitur ex *Cicer. ad Atticum libro quarto. Factum est* (inquit) *S.C. in meam sententiam, vt cum Pompeio ageretur, vt eam susciperet, léxque ferretur: Quo S.C recitato, cùm concio, more hoc insulso & nouo, plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem*: & clariùs patet ex Senatusconsulti cuiusdam exemplo relato à *Ioanne Sario li.* 2. *de Senatu Romano*, in illis verbis: *Si quid de ea re ad Populum, Plebémve lato opus esset, vt Ser. Sulpicius, M. Marcellus Cons. Præ. Trib. Pl. quibus eorum videretur ad Populum, Plebémve ferrent*. A quibus infero illa *Iustiniani institutionum* sub *titul. de iure naturali gentium & ciuili*: *Lex est quod Populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat*, & ad ista Senatusconsulta referri posse, quæ verè leges erant.

Sed dum hæc adstruo, simul concedo, illo æuo, puta ante Imperatores, & leges à Populo, nullo super hisdem præuio Senatusconsulto, latas: ídque sæpius temporibus *Ciceronis* accidisse videmus, vt ab *eodem* notat *Franciscus Broëus in §. constat, numero septimo institution. de iure natur. gent. & ciuili.*

Dein Populo Romano, eiúsq; ditione ab Imperatoribus occupata: iis sanè præ omnibus curæ fuit Popularis potestatis euersio, maximè in rogandis legibus. Ob ídque Populo comitia adimere valdè curarūt; & quidem primus Iulius Cæsar hoc partim saltem patrauit, qui, vt ait, *Suetonius ca.* 41. *Comitia cum Populo partitus est.* Cúmque ea Trium-viratus pòst omnino aboleuisset, Augustus (teste *Suetonio c.* 40.) *reuocauit & comitiorum pristinum ius reduxit, Populóque reddidit* (quo sensu ex *Dione lib.* 53. & 54. adnotarūt *Lipsius ad Tacitum lib.* 1. *Annal. in excursibus littera E. Torrent. in notis ad Sueton. in Caligula cap.* 16. *Bulenger. de Imperatore Romano lib.* 2. *cap.* 10.) Tiberius verò ea à Populo in Senatum ambitiosa versutia *inferiùs* retegenda) transtulit, *Tacit.* d. *libro primo. Tum primùm* (ait) *è Campo comitia ad Patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamē studiis tribuum fiebant.* Subinde Caligula *tentauit* (ait) *Sueton.* dict. *c. decimosexto*) *comitiorum more reuocato, suffragia Populo reddere*: id quòd re vera perfecisse testatur *Dio libr.* 59. dicens: *Comitia Populo, Plebíque reddidit, abrogatis ea de re Tiberij constitutionibus.* Sed & *ipse* rursum *Caius Caligula comitia Populo sustulit, Dio* d. *lib.* 59. Istum verò comitiorum vsum subsequentes Imperatores non solùm Populo, verùm & Senatui omnino ademerunt, vt *inferiùs* probabimus. Et ab hisce nunc obiter venit intelligendus *Modestinus* in prioribus illis verbis *l. vnicæ, D. ad l. Iuliam de ambitu*: *Hæc lex in Vrbe hodie cessat, quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet non ad Populi*

fauorem. Et idem disertissimè dixit *Tertullian.in Apologet. aduersus Gentes,c.6.* Vt inde superuacanea sit decidendi ratio ad illum *textum à Torrentio* conficta *in notis ad Sueton. in Cæsare,cap.*41.

Neque prædictis obstat comitiorum suffragiorúmque in his ferendorum norma appositè & exactè descripta à *Dionys. Halicarnas. Antiquitat. Roman.libr.*4 qui (& dum simul sæpè comitiis sese interfuisse ratus est, dicens: ὡς ἔγνων ταῖς ἀρχαιρεσίαις αὐτῆς πολλάκις παρών) intelligendus non est de suffragiis in Magistratuum creatione, & legibus ferendis anteà à Populo adhiberi solitis, sed referendus est ad Annonam tantùm,& Ludos hiscéque similia, quæ & subsequentibus temporibus illæsa Populo perdurarunt,vt colligitur ex *l. plenum* 12.*equitij, ff.de vsu & habitat. l. ciuitatibus* 112.*ff. de legat.* 1. Et clariùs comprobatur ab illis *Iuuenalis Satyra* 10.

----Ex quo suffragia nulli
Vendimus effugit curas; nam qui dabat olim
Imperium, faces, legiones,omnia nunc se
Continet, atque duas tantùm res anxius optat
Panem & Circenses.

Sed & ista in multis ab Imperatoribus dependebant, vt constat ex *Dione lib.*60.*Bulengero de Circo c.*42.& alibi.

Et sanè ab his omnibus euenit, vt sublatis primoribus, præstantioribúsque comitiis) Senatus in locum Populi successerit omnino ex *Tacito, Suetonio* & *Dione, supr.*ansam primùm istis attribuente prætextu illo, seu ratione quam *Pomponius* & *Iustinianus* reddiderunt.

Quæ mihi vera est in suo (vt aiunt) genere: quidquid in eam adstruat *Broëus* post alios *supr.*d.*num.*7.dicens, temporibus Ciceronis leges adhuc à Populo ferri, cùm tamen eius ætate Romæ censitæ fuerint. XCI. Myriades ciuium, quæ multitudo legi à Populo rogandæ (ait *iste*) impedimento non fuit. Confundit námque tempora, & Senatus auctoritatem ante & post Imperatores eandem malè facit. Etenim Tiberium omnium primum, qua præditus erat versutia & calliditate, aliquem par est credere quæsiisse colorem, vt à Populo in Senatum comitia transferret, quo facto faciliore modo summam Imperij ipse & successores tenerent, vt colligitur ex *Tacito, Suetonio,*& *Dione* iam relatis. Nullus autẽ melior esse potuit prætextus, quàm difficultatis tantum Populum in vnum conueniendi: quod in gratiam Imperatorum (à nota tyrannidis hoc medio vindicandorum) communiter dictum puto, & mihi velut apertè suadent secura verba *Pomponij* & *Iustiniani, suprà* expensa: maximè si eis adiungas rationem Imperatoriæ potestatis stabiliendæ ab eodem *Pomponio* traditam in *l.* 2. §.*nouissimè,ff. de orig.iur.* de qua *infrà.* Qui verò plura alia de Senatus & Senatusconsulti auctoritate videre cupit perlegat *Ioan.Sarium libr.* 2.*de Senatu Romano* exactè ista prosequutum.

Sed & à dictis,circa maiorem Populi antiquitùs potestatem, percipies,cur Plebiscita,in secessu Plebis à Senatu lata legis vim non habuerint ante *legem Publiciam* (cuius meminit *Ioan.Sarius suprà*) siue notiorem *legem Horatiam Hortensiamve,* cuius meminit *Pomponius* in d. *lege secunda*, §. *Deinde cum esset in ciuitate,* & *Iustinianus* in §. *plebiscita,institution. de iure naturali gent. & ciuili,* Plinius *libr.*16.*cap. decimo. A. Gellius libr.*16. *Noctium Attic. cap.* 27. *Aimarus lib.*2.*historiæ Iul.Ciuil.Goueanus lib.*1.*variorum,cap.*22. & post istos cæteri *Neoterici* politioris litteraturæ.Et cur Tribunitiæ leges postea latæ (quarum meminit *Cicero contra Rullum,*

lum,& 1.in *Verrem*,& 3.*de legib.* Populum teneren:; nimirum quia ab eo admissæ: bonam inde partem iuris constituentes sub nomine PLEBISCITI (passim obuij.) Quod leges istæ,postquam re. eptę erant,adhuc retinebant, *Sueton.in C.Cæsare capite vigesimo octauo*,& ibi *Læuinus Torrent.* & probatur in §.*plebiscitum,institut.de iure naturali gent.& ciuili*: alioquin enim Tribuni nec ius veniendi in Curiam habeb nt, sed tantùm conuo andi Senatum, & ante valuas subsellijs positis decreta Patrum attentissima cura examinandi: vt si qua ex eis improbassent, rata esse non sinerent, vt optimè not :t *Beroald. ad Suetonium in Claudio capite decimo.*

ET CVR Sp. Posthumius & Socij *suprà* relati (qui leges à Græcis ciuitatibus petierant) priore anno summum ius cum cæteris Decem-viris hab :erint:& facultatem & potestatem leges corrigendi, si opus esset : & interpretandi, ita vt ab eis prouocatio, sicut à cæteris Magistratibus, non daretur. Nimirum, quia hæc summa potestas illis à Populo Romano eo anno concessa fuerit, dict,*l.secunda*,§.*posteà*,& §.*cùm placuisset* (vbi *Pomponius* itidem initium secessionis à Magistratuum aspera dominatione Decem-virorum primam illam potestatem perpetuò retinere volentium, ornatam ait.)

Et CVR apud Collegium Pontificum centum propè annis legum resederit interpretatio,quæ ipsa rata & indubitata pro iure,siue lege habebatur, *l.fin.Cod. de legib.* longeque differebat ab interpretatione Iurisconsultorum, iuxta tradita à *Vulteio* in dict.§.*responsa,numero quarto & decimo sexto.* Hoc enim Pontificibus à Populo concessum est,vt cla.è innuunt illa *Pomponij* in dict.*lege secunda*,§.*omnium* : *Et ferè populus annis propè centum hac consuetudine vsus est.* Et posteà indultum fuit Prætoribus quod attinet ad actiones (de quibus in dict. *l. secunda* §. *deinde ex his legibus*) vt colligitur ex *l. si fin ita* 15. §.*eleganter*, *ff. de damno infecto.*

ET EX contrario cur Prætorum, Ædilium, aliorú.. que Magistratuum Edicta vim legis non habuerint perpetuàm: quia temporaria scilicet Populi assensu innit bantur, vt elicitur ex *l.secunda §.eodem tempore*, *ff. de origine iuris*: & facilè comprobare poteris ex *Brissonio libro secundo de formulis*,*supra* relato, & ex pluribus traditis à *Vulteio in* §. *responsa prudentium institut. de iure natur. gentium & ciuili.* Dum tamen ea quæ de Collegio Pontificum is *Auctor* intermiscet, respuas,ex iam dictis.

Et ab hac verissima consideratione planè elicies veram interpretationem illorum verborum *Iustiniani in* §. *septimo institution. de iure natur. gent. & ciuili*: *Prætorum quoque Edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem*: quam clarè supponat, Edicta ista ab initio non habuisse veram iuris auctoritatem, ac Senatusconsulta & Plebiscita, sed post *legem Hortensiam* latam. Et ab iisdem dignosces, quid fuerit in causa, vt Prætor *hæredem* non faceret §.*quos autem,institution. de bonor. possess.* Nec *dominum*,*l.qui vsumfructum* 3. *ff. si vsusfruct. pet. l.si finita*, §. *Iulianus*, cum ibi notatis, *ff. de damno infecto.* Is námque solus dominus potest conferre, qui & legem condere, vel ius statuere, *leg. eleganter*,*ff.de pignoratitia actione*,*l.debitor sub pignore*, *ff. ad Senatusconsult. Trebellian.*

DEMVM à sæpiùs illa repetita populi potestate dignosces, quare ad solos Imperatores legum ferendarum

potestas fuerit deuoluta; in eos enim Populus, siue Senatus, qui vices Populi sustinebat (lege quæ REGIA nuncupatur *in l.1.ff.de constitution. Principum, l.1.§.sed & hoc, vers. cùm enim, Cod. de vetere iure enucleando, §.sed & quod Principi, institution. de iure naturali gēt. & ciuili.* Et IMPERII in *l. ex imperfecto 3. Cod. de testamētis*) omnem suam potestatem transtulit. Cùm enim visum fuisset: *Eam esse conditionem imperandi* (vt ait *Tacitus libro secundo Annalium*) *vt non aliter ratio constet, quàm si vni credatur*: ideò placuit, vt Princeps legibus solutus, dein Populum à se latis, deuinceret, & in sua & publica deuotione contineret. Indéque factum fuit, vt legis condendę potestas Principi soli à Populo, & ad libitum fuerit concessa, & quod ei placuisset legis vigorem habuisset, teste *Pomponio* in *l. 2. §. 11. ff. de origine iuris*, vbi: *Nouissimè* (ait) *sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse ipsis rebus dictantibus videbatur: per partes euenit, vt necesse esset per vnum Reipublicæ consuli: nam Senatus non perinde omnes Prouincias probè gerere poterat. Igitur constituto Principe datum est ei, vt ius quod constituisset, ratū esset*: & mox: *Aut est principalis constitutio, id est, vt quod ipse Princeps constituit, pro lege seruetur*, d.*l.1.ff.de constit. Princip.* d.*§.sed & quod Principi.* Quò tendere videntur illa Caligulæ ad Antoniam auiam in *Suetonio cap.29. Memento omnia mihi, & in omnes licere.* Et illa Iuliani in Encomio Constantij: *Imperatorem* καὶ νόμων κύριον, καὶ πολιτείαν καλιστῶσα, καὶ τὰς ὑπὲρ τῶν κοινῶν εὐχὰς ποιούμενον; *& legibus solutum, & Rempublicam cōstituentem, & vota pro Republica facientem*, cùm aliis consimilibus quæ ad *legem Regiam* retulit *Bulengerus, inferiùs* referendus.

Cùm autem legis Regiæ seu Imperij sermo nobis Romani iuris construendi progressum describentibus aptè inciderit: eiúsque insignia exstent responsa Iurisconsultorum & Imperatorum. Cúmque Iuris Interpretes Classici, & subinde Neoterici plura de *lege Regia* suis commentis intermiscuerint, non abs re erit hîc aliquantisper immorari, & exactiùs fortè an cæteris perquirere & demonstrare, quo tempore *lex ista Regia* edita fuerit? quid insuper eadem contineretur? Qua in re valdè præ cæteris insudarūt priores Iuris Interpretes, Historiæ Romanæ non ignari, *Ludouicus Charondas, Franciscus Duarenus*, & alij quos refert Dominus præses *Couarruuias in practicis c.1.nu.3. Franciscus Broeus de Chronologica Historia Iuris*, ante comment. institutionum posita, *Conanus, Corasius, Goueanus, Contius, Hotmanus, Petrus Gregorius, Antonius Faber* cum suo *Schifordeghero*, & aliis quos nouissimè commemorat *D. Amaia libr.1. obseruationum, cap.1. num.19.* (vbi malè *Augustum priuilegium* de quo in *l. vnica, ad fin. Cod. de caducis tollendis*, cum *lege Regia confundit*) Et sanè sententia *Corasij libr.7. Miscellan. cap.8.* (approbati ab aliis, quos refert *D. Amaia suprà numer.20.* & à *Caluino in suo Lexico Iuridico*, & à *Bulengero libro primo de Imperatore Romano, capite trigesimo primo*, nec improbati à *Couarruu. suprà*, dum *legem Regiam* ad Romulum refert, & temporibus Imperatorum renonatam asserit) sustineri non potest, longè enim differt *lex* ista *Regia* re, origine & causa, quin & nomine, ex discendis illicò, à *legibus Regiis*, quas *Sextus Papyrius* compilauit, *lege secunda, §. tulerunt, ff. de origine iuris.* Vnde crebrior est sententia *legem* istam latam fuisse sub Imperio Augusti, vt notarunt ferè omnes *suprà* relati: qui hoc euenisse decimo Augusti Consulatu affirmant ex illis *Dionis Caßij libro 51. Augusto, X. C. Norbano* Coss. *Kalend. Ianu.*

Ianuariis Senatus iuramento confirmauit, se eius acta approbare, quúmque iam Vrbi appropinquare diceretur (nam propter morbum diutiùs abfuerat) ac pollicitus Populo viritim centenos esset denarios, negasset que se priùs id proscripturum, quàm Senatus assensisset: omni eum legum necessitate Senatus liberauit, vt, veluti demonstratum est à me, verè cum plena potestate, perfectéque sui iuris, legibúsque solutus, agere aut non agere omnia, suo posset pro arbitrio. Sed cùm hîc nulla sit mentio *legis Imperij* in Augustum, & successores perpetuos translati (cuius meminere *Vlpianus* in dicta *l. 1. ff. de constitutionibus Princip.* & *Iustinianus* in dicto §. *sed & quod Principi. Aurelius Archadius* in l. *unica, ff. de officio Præfecti Prætorio*, ibi: *Regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuos translatis*) huic ferè omnium communi assensui nunquam acquiescere potui.

Nunc autem altiùs re considerata à prædictis *Dionis* verbis *legis Regiæ* tẽpora non esse dimetienda clarè video ex eodem *Dione* sæpè & sæpiùs illo *li.* 53. asseuerante Μοναρχίαν, id est, *summã Imperij* penes Augustum ex voto Senatus fuisse, maximè quo tempore de deponendo Imperio splendida oratione egit, & Senatus, teste *Dione* acclamauit: *Vt* SOLVS IMPERII SVMMAM *gereret*; & mox ibidem: *Vt* PRINCIPATVM SOLVS *obtineret*: *& hac arte* (subdit *Dion*) *cùm se velle Imperium deponere simulasset, effecit vt ei à Senatu, Populóque confirmaretur.* Et paulò inferiùs, cũ de regimine Imperij & Prouinciarũ per aliqs egisset, concludit, dicens: *Hæc eo ferè tempore ita sunt instituta, at re ipsa Cæsar* VNVS IN OMNIBVS REBVS PLENVM *erat* IMPERIVM *habiturus*: & paulò pòst: *Hoc pacto* OMNE *Populi, Senatusq;* IMPERIVM *ad Augustum redit.* Sed & pleraq; alia hisce similia *Auctor* iste eodem *lib. 53.* superaddidit, quæ tamen pro lege Imperij, Regiaq; vel eodem concludunt modo, quo & superiora verba à nouiorib. Interpretibus Iuris, & aliis expensa, vel multò magis: quandoquidẽ latiùs pateat *Imperatorem* SOLVM PRINCIPATVM *obtinere*. Vel *vnũ in omnibus rebus* PLENVM IMPERIVM *habere*, quàm pro *suo arbitrio* omnia agere, vel LEGIBVS SOLVTVM à Senatu enuntiari, vt ait *Dio*, & *Vlpianus* ei cócinens in *l. Princeps 31. ff. de legibus.* Maximè attenta *Cuiacij* singulari & notanda ad vtrumque interpretatione *lib. 5. obseru. cap. 30. & lib. 26. cap. 35.*

VNDE ego vltra omnes noto, legẽ istam post vndecimum & vltimũ Cõsulatum (quo sese Augustus sponte abdicauerat, cùm in Albanũ exiisset) velut latam, cùm enim in locum suum L. Sestium subrogasset, *Qui vir* (vt ait *Dio* d. *lib. 53. ad fin.*) *semper Bruti rebus fauerat, omnibusq; in bellis ei adfuerat, ac adhuc eius memoriam celebat, imagines eius habebat, eúmq; laudare solebat: amicitiæ verò obseruantiam, fidémq; Sestij, non modò non odio, sed etiam honore habebat Augustus*: Διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅπου ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε, τήν τε ἀρχὴν τὴν ἀνθύπατον ἐσαεὶ καθάπαξ ἔχειν· ὥστε μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ εἴσω τοῦ πωμηρίου καταθέσθαι αὐτὴν, μήτ' αὖθις ἀνανεοῦσθαι. καὶ ἐν τῷ ὑπηκόῳ τὸ πλεῖον τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν ἐπέτρεψε. ΑΦ' ΟΥ ΔΕ ΚΑΙ ΕΚΕΙΝΟΣ ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΤ' ΑΥΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΕΝ ΝΟΜΩ ΔΗ ΤΙΝΙ ΤΟΙΣ ΤΕ ΑΛΛΟΙΣ ΚΑΙ ΤΗ ΕΞΟΥΣΙΑ ΤΗ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗ ΕΧΡΗΣΑΝΤΟ. τὸ γὰρ τοι ὄνομα αὐτὸ τὸ τῶν δημάρχων οὔθ' ὁ Αὔγουστος, οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς αὐτοκράτωρ ἔσχεν. καί μοι δοκεῖ ταῦθ' οὕτω τότε οὐκ ἐκ κολακείας ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τιμηθεὶς λαβεῖν· τά τε γὰρ ἄλλα ὡς ἐλευθέροις σφίσι προσε-

φερ῀ϐ.*Ob hæc Senatus Tribunum Plebis toto vitæ suæ tempore decreuit Augustũ, ipsique de rebus ad libitum statuere concessit, & Proconsulari simul imperio sẽper & in omnibus frui (ita vt intra pomerium veniens, nec illud deponeret, nec renouatione vnquam indigeret) vtq; præcipua, maiórque ipsi in Prouinciis quàm eorum Præsidibus esset potestas.* ET AB HIS SANE EXORTVM EST, VT ILLE, QVIQVE IPSVM INSEQVVTI SVNT IMPERATORES, VELVT QVADAM LEGE HISCE ET ALIIS, TRIBVNITIAQVE PRÆSERTIM POTESTATE VSI FVERINT, *cùm antea Tribuni Plebis nomen nec Augustus, nec alius vnquã Imperator habuerit. Atque hæc quidem omnia Augusto, non assentatione, sed ex animo concessa existimo, vt qui cum Senatoribus, tanquam liberis hominibus, cætera peragcret.* Ex quibus (quæ Græcis longè aptiora sunt, quàm *Leunclauij* & aliorum inuersio) omnes planè deprehendent qualis, quoque tempore velut lata fuerit lex ista Regia: & subinde ab Historia Romana alienam esse communem suppositionem existimãtium fuisse perpetuam, & in Augusti, eiusque successorum fauorem simul latã, cùm ex verbis relatis *Dionis* (quæ manifestam præbent intelligentiam præcitatis dictæ *l. vnica, D. de officio Præfect. Prat.* & aliis similibus *Suetonij in Augusto cap.* 27.) clarè patet, amplũ hoc à Senatu Augusto delatum Imperium, vitalitium fuisse, nec deinceps renouatione indiguisse, vt quod velut lege quadam habebat, qua & sucessores simul frui voluerunt.

Et ob id sanè defuncto Augusto simile Imperium à Senatu Tiberio concessum videmus in eodem *Dione libro quinquagesimo septimo*, post principiũ: idque magna eius sagacitate factum enarrat *Tacitus lib.* 1. *Annalium*: & itidé qua norma in illius seruitium primùm Consules, dein Patres, Equites, cæterique ruissent, & in eius verba iurassent. Et de Caligula Tiberij successore ita ait *Suetonius in eius vita, ca.* 14. *Ingressoque Vrbem, statim consensu Senatus, & irrumpentis in Curiam turbæ, irrita Tiberij voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat,* IVS ARBITRIVMQVE OMNIVM RERVM ILLI PERMISSVM EST. Idémque accidit Claudio post mortem Caligulæ, vt Auctor est idem *Suetonius in vita Claudij, capite decimo.* Et Domitio Neroni post mortem Claudij, *Suetonius in Nerone, capite octauo.* Et Galbæ post mortem Neronis, *Suetonius in Galba, capite decimo & vndecimo.* Et Saluio Othoni post mortem Galbæ, *Suetonius in Othone, capite septimo.* Et A. Vitellio post mortem Othonis, *Suetonius in Vitellio capite octauo.* Et Tito Flauio Vespasiano post mortem Vitellij, *Suetonius capite septimo. Cùm vix* (ait) *fides esset rem vllo modo successuram, ideoque nec experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis, palàm pro concione* VTRVMQVE *tentauit, nec euentus defuit.* Tacitus *lib.* 4. *Historiarum*: *At Romæ Senatus* CVNCTA PRINCIPIBVS SOLITA, *Vespasiano decernit, lætus, & spei certus.*

Et sanè huius Imperij Vespasiano delati à Senatu insigne Romæ visitur testimonium in Diui Ioannis Lateranensis sacra Æde, cuius capita (teste doctissimo nostro *Antonio Augustino in libro de legibus*, à quo cæteri *Neoterici* desumpserunt, vsque ad nouissimum *Cæsarem Bulengerum de Imperatore Romano lib.* 1. d. *cap.* 32.) hæc sunt à me (omnium forsan primo) suo loco aptata.

FOEDVS. CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT. *ita vti licuit Diuo Augu. Ti. Iulio. Cæsari Aug. Tibr.*

Tiberióque Claudio Cæsari. Aug. Germanico, vtique ei. Senatum habere, Relationem facere, Remittere. Senatusſconſulta per relationem, diſceſſionémque facere Liceat, ita vt licuit Diuo Aug. Tit. Iulio Cæsari. Augu. Ti. Claudio. Cæsari. Augusto. Germanico.

VTIQVE, *cùm ex voluntate, auctoritatéve, iuſſu, mandatúve eius, præſentéve eo, Senatus habebitur omnium rerum ius perinde habeatur, ſeruetur, ac ſi e Lege, Senatus Edictus eſſet, habereturque.*

VTIQVE. *Quos Magiſtratum poteſtatem, Imperium, curationémve cuius rei, petentes Senatui, Populóque Romano commendauerit, quibusve ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit, eorum comitiis, quibuſque, extra ordinem ratio habeatur.*

VTIQVE. *ei fines pomœrij proferre, promouere, cùm ex Republica cenſebit eſſe Liceat, ita vti licuit Ti. Claudio. Cæſari, Aug. Germanico.*

VTIQVE. *quæcunque ex vſu Reipublicæ maieſtate Diuinarum, Humanarum, Publicarum, priuatarúmque rerum eſſe, e. cenſebit ei agere, facere ius, poteſtaſque ſit, ita vti Diuo, Aug. Tiberióque. Iulio Cæſari. Aug. Tiberióque. Claudio. Cæſari. Aug. Germanico fuit.*

VTIQVE. *quibus legibus, Plebeiveſcitis ſcriptum fuit, ne Diuus Aug. Tiberiuſve. Iulius, Cæſar. Aug. Tiberiuſque. Claudius, Cæſar. Aug. Germanicus tenerentur, iis Legibus, plebeiſque-ſcitis. Imp. Cæſar Veſpaſianus ſolutus ſit. Quæque ex quaque Lege, Rogatione, Diuum Auguſt. Tiberiúmve, Iulium Cæſarem, Auguſt. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæſari, Veſpaſiano, Auguſt. facere liceat vtique, quæ ante hanc legem, Rogatam, Acta, Geſta, Decreta Imperata, ab Imperatore, Cæſare, Veſpaſiano, Auguſto, iuſſu, mandatúve eius, à Quoque ſunt ea perinde iuſta, Rataque ſint, ac ſi populi, plebiſve iuſſu acta eſſent.*

Si QVIS *huiuſce legis ergò aduerſus Leges, Rogationes, plebiſcita, Senatuſve conſulta fecit, fecerit, ſiue quod cùm ex Lege, Rogatione, plebiſve-ſcito, Senatuſve-conſulto facere oportebit, non fecit, huius legis ergò, id ei, ne fraudi Eſto, neve quid eam rem populo dare debeto, néve cui de ea re actio, néve iudicatio, Eſto, néve quid ob eam rem apud ſe ius dici, Sinito.*

Et certè à prædictis velut euidens fit tam verè quàm aptè *Dionem ſuprà* dixiſſe, Auguſtum inſequutos Imperatores eadem illa lege Imperij, illi ſoli conceſſa, vſos.

Dixi demum *ſuprà, legem* iſtam (vulgò REGIAM) à Senatu *velùt latam*, vt demonſtrarem hac de re nullam verè vnquam latam legem perpetuam à Senatu vel Populo, Senatorio Magiſtratu (ac opus erat, *§. lex eſt, inſtitutionum de iure naturali gentium & ciuili)* interrogante. Neque enim *Dio ſuprà* relatus eam appellauit abſolutè LEGEM, ait enim: ἐν νόμῳ δή τινὶ: quæ verba velut ſimilitudinem, & improprietatem certè denotant, ex his quæ de adiectiuo τὶς, *aliquis*, poſt *Budæum* noſtrum (inſignia *Ciceronis* loca huius propoſiti expendentem) adnotarunt cæteri Lexicographi. Vt inde ex *Dione* facilè elicias, legem ſolemniter de iure Imperij latam non fuiſſe, ſed decretum Senatus: quod cùm ad ſucceſſores *ex ſolitis Senatuſconſultis*, teſte *Tacito ſuprà*, fuiſſet extenſum, ideò rectè *Arcadius* in dicta *l. 1. ff. de officio præfecti prætorio*, hæc nuncupauit REGIMENTA PERPETVA. Et à diuturno vſu legem imitante (*§. ſine ſcripto, inſtitutionum de iure naturali gentium & ciuili*) LEGEM IMPERII appellauit Imperator *Alexander in l. 3. C. de teſtamentis.* Et *Vlpianus* eius Præfectus Prætorio LEGEM REGIAM in dicta *l.*

1.ff.de constitution.principum. Et subinde *Iustinianus* in d.§. *sed & quod principi*, & in dict.l.1.§.*sed & hoc. C.de vetere iure enucleando.* Nisi mauis istos nomine LEGIS Senatus decreta condecorasse, vt sæpè accidit (quæ mirum est, nullum adhuc adnotasse.)

Et sanè ab his eludes anxiam. *Couarru.in practicis* dict.*cap.3.* & aliorum disquisitionem, cur lex ista fuerit appellata REGIA? supponentes hoc nomine à tempore promulgationis cohonestatam, cùm nec fuerit lex aliqua super Imperio solemniter lata, vt vidimus, nec par sit credere hoc nomine à Senatu, Populóque insignitam, quo tempore REGIS nomen adhuc magno erat ipsis odio, vt pluries testatur *Dion.Cassius* d.*libr.53.Cicero philippica* 11. *Suetonius in Iulio Cæsare capit.* 74. & alij alibi sæpe. Ergo cùm Senatusconsulta continua serie super Imperio vni deferendo lata (post primum illud in fauorem Augusti iam expensum) vim legis obtinuerint, inde credere est ab effectu eisdem, ab *Vlpiano* omnium primo nomen (alioquin Populo antea inuisum) fuisse inditum. Id quod mirè comprobatur ex dictis iam per nos simul cum aliis in proposito latè notatis à *Bulengero de Imperat. Romano lib.2.cap.2.*

Sed & *Lex* prædicta priuilegiaria. Augusti personam tantùm afficiens, certè & à sui initio in causa fuit, & in posterum, vt Octauianus Augustus Cæsar verus Rex Populi Romani (nomine tantùm immutato) fuisset, vt ait *Dio.dict.lib.53.* Imò maiorem quàm Reges exacti potestatem (omitto dilatiores Imperij fines) re vera habuit. Is enim ab vndecimo suo illo Consulatu (vt prædiximus ex *Dione*) absolutum & independens habuit Imperium, & potestatem leges concedendi Populo aut Senatu inconsulto; quod prioribus septem Regibus non fuit concessum, vt probauimus *suprà*.

Cùm autem ista sese ita haberent, nullibi tamen inuenimus, Augustum Cæsarem simili potestate vsum: licèt enim plures eum tulisse leges testentur, *Dion Cassius* dicto *libr.53.* & *Suetonius in eius vita, capite* 34. & ab eo, vel patre (ni veriùs mauis patruo) nomen acceperint: hoc ideò factum certè fuit, quia eo Consule fuerunt latæ (id quod alias vidémus in *lege Falcidia*, & aliis pluribus *legibus, Senatusueconsultis*, & ante prædictam velut *legem Regiam* latis.) Et mihi apertissimè probatur ex *Suetonio suprà*, qui inter alias leges ab Augusto latas refert *legem Iuliam de ambitu*, quam *Modestinus* in dict.*l.vnica.ff.ad legem Iuliam de ambitu*: *Iam hodie cessasse*, ait, *quia ad curam Principis Magistratuum creatio pertinet, non ad Populi fauorem.* Quod clarè præ se fert, hanc legem, & alias in Digestis relatas, & commentis Iurisconsultorum illustratas, latas fuisse ante vndecimum significatum Augusti Consulatum, quo tempore nondum obtinuerat Imperij summam, id est, pacis, bellíque vniuersale regimen.

Et ab his antiquæ Historiæ Romanæ amatoribus velut notandum elicio, in quibusuis Inscriptionibus *Ianni Grutteri*, & Nummis *Huberti Golizij*, & aliorum (quorum nobis sedula cura insignem præstitit copiam) titulum Tribunitiæ potestatis, post vndecimum Consulatum, & non anteà inditum Augusto, & subinde successoribus in Imperio. Qui & inde in aliis variis inscriptionibus & nummis appellati sunt.

ÆTERNI

ÆTERNI. IMPERATORES
PERPETVI. CÆSARES
RECTORES. ORBIS
TOTIVS. ORBIS. DOMINI

Quod nec *Goltzius*, cæteríque nummorum descriptores & scalptores annotarunt, nec nouissimus *Ludouicus Nonnius* plures adducens à *tabula* 13. & sequentibus, nummos Augusti cum inscriptione Tribunitiæ potestatis, siue ἐξουσίας δημαρχικῆς, cuius meminit *Dion Cassius* in verbis originalibus *suprà* expensis, de lege Imperij post vndecimum Consulatum Augusti lata.

Demum super hisce noto, hac summa potestate in condendis legibus, nec Octauium Augustum post *legem Regiam*, vt prædiximus, nec subsequentes Imperij successores liberè vsos, abusósve vnquam fuisse. Quinimò Populum, Senatúmque captantes, leges tulisse de eius consilio, & consensu, vt clarè colliges ex *Tacito libr.*13. & 14. *Appiano de bello ciuili, di-&lo lib.*1. Eóque tandem res rediit, vt non aliter leges à Principibus promulgarentur, quàm consulto Senatu, *l.leges* 3. *l.humanum* 8. *C.de legibus*, *Nouell.*62. *Symachus lib.*10.*epist.*21. Quod ad tempora Leonis perdurauit: is enim Senatus auctoritatem funditùs euertit in *Nouella* 78. Sed & ante Leonem alij Imperatores leges sanciebant de consilio Iurisconsultorum & aliorum Sapientum in Senatusconsulti locum suffectorum, *Lampridius in Alexandro: Leges de iure Populi & Fisci moderatas, & infinitas sanxit: nec vllam constitutionem sanciuit sine viginti Iurisperitis, & doctissimis, ac sapientibus viris, iisdémque disertissimis non minus quinquaginta, vt non minus in consilio essent sententiæ, quàm Senatusconsultum conficerent.*

Nec solùm Senatusconsulta Imperatores permittebant, vt Populus ipsis esset addictior, verùm & Edictorum Prætorum obseruationem commendabant, adeò vt *D.Hadriani* iussu, & auctoritate *Saluius Iulianus* ea in ordinem redegerit, & nonaginta nouem libris compilauerit, *l.*2.*§.sed quia diuinæ, C.de vetere iure enucleando, l.penultima, C.de condictione indebiti, Eutropius lib.*8.. *Nicolaus Bellon.lib.*1.*supputation.iur.c.*9. *Hotmanus lib.*10.*obseruation.d.cap.*1. Et ab eo tempore Edicti Perpetui (de quo in *l.*1.*ff.de iure fisci, l.*1.*ff.commodati, l.*2.*§.sed quia, C.de vetere iure enucleando, l.*2.*ff.de statu hominum, l. Edicta, C.de edendo*) nomen meruere, *Bulengerus*, post alios, *de Imperatore Romano, libr.*3.*capitul.*12. cui adde nouissimum *Ioannem Bertrandum libr.*1.*de Iurisperitis, capitul.*1. Qui hisce alia notatu digna, & valdè concinentia subiungit: & ab eis lucem dat *Iustiniano Oratione* 2.*ad Senatum*: vbi Perpetui Edicti Auctorem facit Hadrianum. Et *Nicephorum* simul illustrat, qui *lib.*3.*Ecclesiasticæ Historiæ, capit.*24. Hadrianum leges ad Draconis, & Solonis Athenienslum Legislatorum imitationem promulgasse ait.

Vt inde nota sit dignus *Hotman. lib.*10.*obseruation.capitul.*1. vbi, à suo *Qu. Ascon.Pediano in argumento Orationis pro C.Cornelio*, ductus, *lege Cornelia* cautum asseuerauit, vt Prætores ex Edicto Perpetuo ius dicerent. Nec enim *Dio Cassius* (quem istius assertionis testem facit) *libr.* 36. tale quid dixit, sed id tantùm, Prætores sine præscripto decernere antea consueuisse: variéque prout gratia, odiúmve in quemquam; & in id C. Cornelium Tribunis Plebis rogationem tulisse, id est, Plebiscitum, siue legem Corneliam Tribunitiam:

ἐστηγήσατο ἂν (inquit) κατ᾽ ἀρχὰς τὲ εὐθὺς αὐτοῖς τὰ δίκαια, οἷς χρήσονται, καὶ προλέγειν, καὶ μηδὲν ἀπ᾽ αὐτὸν παρατρέπειν· quæ ita ego aptiùs Latinitati condono: *Rogationem* Cornelius *tulit, vt Prætores simul ac Magistratum inirent, ius quo vsuri essent* (subaudi suo anno) *prædicerent, nec ab eo deinceps deflecterent.* Sed hæc res longè alia est ab Edicto Perpetuo, quod Hadrianum Imperatorem habuit Auctorem, vt proximè demonstrauimus.

Video non defaturos, qui *Asconium* & *Hotmanum* defendant, subaddentes, quod, isti de Edicto Perpetuo, Corneliano Plebiscito inducto asseuerarunt, intelligendum de Edicto toto anno Magistratus perduraturo, ita vt dictionem illam, PERPETVVM, subiectæ materiæ aptemur, iuxta doctrinam *Bartoli* in *l.annua, §.Titia, D. de annuis legatis*, *Corn.consf.59. libr.2.* post *Glossam verbo perpetua* in *cap. ea enim* 10.*quæstion.2. Cicero de Oratore: Cato Pompeium oratione* PERPETVA *tanquam reum accusauit.* Ast certè ista vim inferunt *Asconio* & *Hotmano* absolutè loquentibus; & aliorum Neotericorum eos approbantium (maximè *Caluin.in Lexico verbo, Perpetui*) fidei derogant. Nec nos insuper ab *Asconio* & *Hotmano* dissentimus, prædicta subauditione admissa.

Ab his ergo omnibus quàm euidentissimè iam deinceps quibusuis innotescet, quid LEGIS REGIÆ nomine *Vlpianus* & *Iustinianus* denotare voluerint: quid illa continuerit: quo demum tempore velut fuerit lata; explosis pluribus disertiorum Iuris Interpretum hallucinationibus. Et omnium præcipua *Vultei*, qui in d.*§.sed quod Principi, num.6. legem* REGIAM cum *iure* REGIO Samuelis intermiscet, qua facilitate Sectarij assolent sacrorum Bibliorum auctoritatibus vti, & rebus prophanis confundere.

Et demum ab iisdem singulari fortè an modò in re peruia per nos annotatis, & à pluribus Iurisprudentibus insignis notæ, aliisque humaniorum litterarum professoribus aliter tractatis quilibet quàm apertissimè deducet (quando nec in toto contextu d.*l.2.D. de orig.iur.* & d.*l.2. C.de vet.iure enucleando*, nec alibi in iure, aut apud bonos, quos vocant, Auctores scriptum inueniamus, Iurisconsultis concessam potestatem legis ferendæ à Populo, qui solus vel ea vsus est, vel delegare consueuit) eos valdè aberrasse, qui talem illis tribuunt facultatem, & simul asserunt Gallum Aquilium ius nouum circa posthumi institutionem constituisse.

NEQVE his omnibus quidquam obstat verbum *induxit*, † quo vtitur *Scæuola* in illis verbis, *l.Gallus: Sic posse institui posthumos nepotes induxit*: nam reiecta interpretatione eorum Iuris Interpretum (quibus accedunt *Fortun.* & *Alciat.*) qui iuris noui inductionem ex formula *Galli* admittebant. Et alia *Vigly* in *§.posthumorum, num.4. institution.de exhæredat.liberor.* qui decisionem illam Plebiscitum fuisse existimat *legi Aquiliæ* simile. Et alia *Mary Salomony* in illa *lege*, quem refert & sequitur *Gothofredus in eius scholiis*, qui putant *Gallum Aquilium* hoc ex *legibus xij.Tabularum* induxisse, sicvt nepotes & posthumi Aquiliani Prætorem adire deinceps non cogerentur pro bonorum possessione impetranda, facilè respondetur cum *Boetio Masinio*, & *Antonio Fabro*, quos refert & sequitur *D.Pichar.* d.*c.4.n.19*; & *Donello* in *lectura Posthuma* d.*l.Gallus in fin.princ.* vbi ita ait: *Ideò induxit Gallus nepotes posthumos hæredes institui*

ini, qui antè non poterant, non quia lege non poterant, sed quia hæc sententia inualuerat, vt non viderentur posse institui tanquam alieni posthumi: quos videlicet pater præcedebat. Non autem ius nouum fecit, sed hoc modo ex lege fieri interpretans, vt ipse præscribit. Rationem autem nouam induxit: nam veteres putabant, tempus testamenti faciendi exspectandum, quo tempore verum est posthumum alienum hæredem futurum: Gallus docuit exspectandum tempus quo nascatur: dum ergo eo tempore suus nascatur, legi satisfactum est, §. nunc de lege Velleia. Cur id tempus exspectandum? Quia non instituitur is qui nunc sit, sed qui postea futurus est: ergo qualis sit tunc demum exspectandum est, cùm in rerum natura esse cœperit. Gallus ergo Aquilius non induxit, nec inducere potuit alieni posthumi institutionem, sed tantùm sua noua formula quandam posthumi futuri sui à nullo excogitatam institutionem legitimam adinuenit cauendo, non legem condendo, & subtilitate quidem potiùs quàm auctoritate: eam enim in lege roganda vel condenda non habebat.

Nec sustineri possunt nouissimi Salmanticenses, qui (agnoscentes *Gallo Aquilio* Iurisconsulto concessum non fuisse nouam ius aut legem facere) contendunt, in eius formula, quam prosequimur, nouum ius (quam *rem nouam* appellant) inductum: asserentes, prædicta formula ius antiquum parum fuisse offensum (licèt fuerit violatum) conlata nepotis institutione in vltimum instans, quo filius moritur, post quod, alio subsequenti instanti nepos iste suus est, & institutionis capax. His, in comprobationem minutulæ oblæsionis iuris antiqui addunt, institutionem nepotis in prædictum tempus conceptam non trahi retrò ad præteritum ex vi dictionis TVNC, retrotractionem impediens, argumento *l. si ego, 9. §. 1. ff. de iure dotium*, & eorum quæ in illius *textus* illustratione tradit *Antonius Faber lib. 8. coniecturarum, cap. 9.* & *tomo 2. de erroribus pragmaticorum, decade 47. errore 4.* Vt inde posthumi institutio semel (vt isti loquuntur) purificata referri non possit ad tempus præteritum, quo posthumus ille erat alienus, ex dictis ab eodem *Fabro lib. 9. coniecturarum, cap. 1.* Et ab istis demum concludunt, *Galli* consilium (quo ius antiquum parum offendebatur, & valori testamentorum maximè consulebatur) ab aliis Iurisconsultis admissum, & à Populo receptum, iuris potestatem habere cœpisse: atque ita non *ius nouum*, sed *rem nouam* (quæ postea ius esse cœpit) induxisse. Hæc enim (quæ isti minus apto quodam verborum multiloquio, eodem tamen laborante fuco, iuris initiatis suadere forsan potuêre) mihi nullo modo probantur, qui video Salmanticenses re vera ratos fuisse, Galli formulam vtentium indiguisse consensu, vt iure ab eodem consensu elicito subsisteret, & antea è iure non fuisse, quod valdè miror hos asseuerare ausos.

Nec alicuius sunt momenti, quæ pro sua adstruenda sententia adducunt; & sanè quod primo loco componunt dilema (dicentes, nepotem post mortem filij, aut eius vita institutum: & primo casu tempus dari, quo testamentum esset sine hærede: secundo verò institutionem non valere cùm nepos, quem pater viuens & simul moriens, *l. qui duos 18. §. 1. ff. de manumiss. testam.* præcedit, alienus sit) facilè diluitur, si consideres, nepotem in formula Galli nec post mortem, nec in vita filij fuisse institutũ, sed quo casu filius in vita

patris moreretur, id est, eo instāti quo filius esse desiisset, & in quo nec inter viuos, nec inter mortuos æstimari posset. Vt enim moriens nec velle nec nolle rectè dicitur, iuxta disertè notata per *Georg. Acaccium*, post alios, *de priuil. iur. lib. 3. c. 3. ex nu. 12.* ad interpretationem *l. 4. ff. locati*, & similium: ita & de moriente dici potest, nec in viuis, nec in mortuis computandum: vt sic inter vitam & mortem velut medict illud instans, in quo moriens nec viuus, nec mortuus sit: vt inde ex quo filius moriens viuus non est, nepos subintret eius locum, & vti suus hęres possit institui. Neque enim in Iurisprudentia (quæ iusta distributione consistit) admitti debent subtilitates illæ superuacuæ, quæ in moriente vitam considerant, eas enim in *Anton. Fabrum* dextrè euertit *Pichard.* referendus ĵ. *n.* 274.

Adhæc text. in d. §. 1. *l. qui duos, ff. de manumiss. testam.* loquitur de manumissione testamento competenti (ad differentiam eius quam *censu, vindicta, aut per epistolam* domini impartiebantur) quæ nisi vera morte testantis competere non poterat, vtpote quæ à testamento (quod nullius est effectus in iure ante mortem testatoris) vires accipiebat. Quò fiet, vt libertatis datio his verbis, CVM MORIAR, concepta, ex testamento quod post mortem esse incipit, competere mero iure non possit, sed tantùm benigna interpretatione, vt subtiliter considerauit *Iulianus* in d. §. 1. Secùs verò fiet in institutione nepotis posthumi vires assumptura in vita aui, cùm filius moritur, & nepos subintrat eius locum, & hæres necessarius fit auo eodem simultaneóque illo tempore, quo se inuenit institutū. Hæc Iurisconsulti & eorum acutissimus Gallus ita perceperunt, & Iurisprudentiæ regulis adaptati sunt. Non est ergo cur perfunctorias subtilitates exquiramus, vt formula Galli labefiat: rei per se valdè obscuræ & reconditę, spissiores tenebras iniicientes.

Quid quod dicitur, testamentum sine hærede esse, quo casu nepos post mortem filij fuisset institutus, verum non est: nam cùm testamentū, vt prædiximus, morte testantis esse incipiat, tunc mortuo filio, & nepote subinde suo hærede intra decem menses nasciturо hærede instituto, testator auus reuera decedit cum hærede in testamento, ex nunc (vt nostri dicunt) nominato & instituto. Quod in testamento, quo suus hęres instituitur, longè magis admittendum est, ex dicendis ĵ. *sect. 6. n. 277. & seqq.* Vt ab his omnibus confictum dilema omnino corruat.

Minus obstat quod secundo loco expendunt, à decisione *l. in tempus 62. ff. de hæred. instit.* inferentes, posthumum nepotem mero iure in tempus hæredé institui non potuisse à Gallo: nam quę de capacitate tribus temporib. requisita à Doctoribus circumferri solent in institutione sui hæredis (qua sumus) cessare, quàm euidentissimè probauimus dicta *sect. 6.* ex *nu.* 277.

Demum Salmaticenses formulam Galli ex iure antiquo non esse probare contendunt, ducto argumento ab absurdo, quod ipsi supponunt, dicentes, alioquin *legem Velleam* in primo capite ratione dubitandi & decidendi carere. Nam qua norma institutio (aiunt) nepotis filij locum subintrantis sustinetur post mortem aui ex cautione Galli, ita & in eius vita (qui casus est *legis Vellæa*) locum habere debuit. Sed, ô bone Deus! quàm latum diuagandi spatium in codicum manuscriptorum doctrinas ista suppeditabant: sed nobis sat sit velut per indicem nunc annotare, *legis Vellææ* prouisio-

nisionem longè differre à *Consilio Galli*, itáque opus fuisse, vt nepos, à patre præcessus, institutus vt extraneus succederet vt suus, & testamentum rupturæ periculo non subiaceret, ex latè traditis ab *Anton. Fabro* & *D. Pichard.* relatis per nos ~~s~~. *n.* 253.

SI ERGO omnium prædictorum summa, posthumi sui institutionẽ mero iure à Iurisprudentibus accepto vel conficto non tenuisse (vt qui non esset in rerum natura) admissam tamẽ fuisse quodam speciali fauore, tam eorum quàm testamentorum, ne scilicet agnatione posthumorum primum locum in successione occupantiũ in paterna vel auita successione rumperentur, vt diximus ~~s~~. Huic autem incom-
248 modo † cùm non plenè occursum vidisset Gallus, quandoquidem viuo testatore potuerit filius præmori, & nasci nepos subintrans eius locum, & auitum inde testamentum rumpere; ideò subtilem illam excogitauit formulam, qua posthumum nepotẽ à patre præcessum ex quo tempore suus hæres auo esset, sese institutum inueniret: quod clarè demonstrat dictio illa TVNC formulæ, quæ præscindit & taxat temporis extremitatem, *l. 4. §. fin. ff. de cond. & demonstr. l. 1. §. rectissimè, ff. de vi & vi armat. l. si ita stipulatus 126. in princ. ff. de verb. oblig. Bart. in l. in illa, ff. eod. tit.* & in *l. tutorib. ff. de testam. tutela*, & in *l. lecta, ff. si cert. pet.* ita vt excludat tempus anterius, quo nepos hic vt alienus institui non poterat, & posterius in quo serò & inutiliter institueretur, rupto testamento per natiuitatem, & preteritionem eodem tempore aliàs contingentem.

Ex quibus obiter inferri videtur, necessariam fuisse in formula Galli
249 particulam illam, TVNC, † adcò, vt ea omissa, institutio non teneret, vt notat *Anton. Faber, lib. 9. coniecturarum, d. c. 1.*

Sed verius puto in verborum conceptione omitti posse, & sufficere si testator ita dicat: *Si filius meus, me viuo, morietur, nepos, vel neptis nati post mortem meam in decem mensibus proximis à morte filij, hæredes sunto* (non tamen inde concedo omitti in sensu & intellectu, qui ex prædictis verbis concipitur) quemadmodum omitti potest verbum, *morietur*; vel simile (si dicas: *Si filius mihi hæres non sit, tunc si quis mihi ex eo nepos*, &c.) vt disertis verbis dixit *Scæuola* in *§. quidam rectè*: quia ex propositis verbis, vel similibus, mens testantis & præcauentis sui testamenti rupturam, mortuo filio eo viuo, & nato nepote vel nepte intra prædictos decem menses, facilè percipitur. Et huc sanè reducenda sunt quæ latiore sermone prosequutus fuit *D. Pichard.* d. *cap.* 4. *à numer.* 123. & *cap.* 5. *num.* 12.

His autem, in proposito principali disertè subdit idem *Faber* † d. *capit.* 1. 250
quòd si de posthumo nepote Aquiliano quæratur, an suus hæres sit, vel alienus, neutrum responderi posse, quia duplex in eo causa & ratio est: vna posthumi alieni, vt qui à patre præceditur tempore testamenti: alia posthumi sui eueniente casu suæ institutionis. Quæ si deficeret, testamentum agnoscendo romperet, cùm nemo eum mortis aui tempore præcederet, *l. si quis filio exhæredato, ff. de iniusto rupto, l. scripto ff. vnde liberi.* Ex quibus & aliis iam per nos annotatis quàm apertissime comprobatur tertium genus posthumorum, de quo in *inlatione præcedenti.*

Qua igitur ratione posthumus iste suus erat, vel esse poterat, illa noua formula Galli instituebatur, diuersa quidem, non contraria iuri antiquo, posthumi alieni institutionem prohibenti, & eadem illa innitante causa, quæ posthumi sui institutionẽ ad nit-

251 tebat: nec scilicet † agnascendo testamentum rumperet, vt apertè comprobatur in d. *l. Gallus*, §. *num si & filius*, ibi: *Ne successione testamentum rumperetur*, & in §. *quod si qui filium*, ibi: *Rũperétque præteritus* : & in §. *si eius*, ibi: *Sed cùm testamentum ab eo non rumpitur*. Sed & eandem rationem attendit Consul *Iunius Velleus* in suæ *legis* rogatione, vt probatur ex verbis *Scæuolæ* in §. *nunc de lege*, ibi: *Dicendum est, non rumpi testamentum*: & in §. *sequenti parte*, ibi: *Pronepos institutus succedens in sui hæredis locum, non rumpat* : & in §. *videndum*, ibi: *Succedendo non rumpet*. Et demum *Iulianus* eandem respexit causam, teste *Scæuola* in § *ille casus*, ibi: *Videtur rumpere*: & ibi: *Sed vetat rumpi*: & ibi: *Iuliano tamen videtur duobus quasi capitibus legis commixtis in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur testamenta.*

Vt inde meritò veniat refellendus
252 *Marius Salomonius*, † qui in d. *l. Gallus*, §. *in omnibus*, putauit, cautionem *Galli* & *legem Velleam* simul cum inductione *Iuliani*, de qua in d. §. *ille casus*, eò tantùm respicere, vt omnes sibi persuaderent Iure Ciuili, & quidem antiquissimo xij. Tabularum, posthumos succedere posse, nec opus esse in eorum institutionibus ad Prætoriæ possessionis beneficium recurrere, quod nec *D. Pichardo* (qui posthumi alieni vel extranei institutionem adstruit) video placuisse in dict. *l. Gallus*, *capitul. 4. numer. 12.* vbi pro communi stat sententia: & prædicta *Galli, legis Velleæ* & *Iuliani* remedia eò respexisse ratus est, ne testamenta rumperentur.

Fateor, posthumum *legis Velleæ* tam in primo, quàm in secundo capite suum non esse tempore institutionis, sicut Aquilianus, vt patet ex dict. §. *nunc de lege*, cum sequentibus: sed in comprobationem aliàs vetitæ posthumi alieni institutionis, inde infero & considero: *lege* illa opus fuisse † 253
(iuri communi derogante directo) quæ ideò formulis vsa non fuit, vt disertè annotauit *Antonius Faber lib. 9. coniecturar. cap. 17.* Vbi varias vtilitates ab illa *lege* prouenientes, & incommoda, quibus prouidit, recenset. Et dictis ab eo adde notata in proposito à *D. Pichardo ad l. Gallus*, §. 8. *à n. 9. ad n. 12.*

Cætera quæ Interpretes Iuris in elucidatione d. *l. Gallus*, & suorum §§. latè prosequuntur, negotij nostri non sunt, nec otij sat fuerit ea disputasse, quæ posthumi sui vel alieni institutionem concernunt.

SECTIO III.

SYNOPSIS.

254 *Referuntur plures Auctores, qui* l. penultim. ff. de legat. 1. *interpretantur.*
255 *Interpretationes* Bart. *&* Costæ *reiiciuntur cum alia* Alciati.
256 *Lectionem* Taurel. Boër. Duareni, Cuiacij *& aliorum probat* Auctor, *& simul eorum interpretationem ad* d. l. penult.
257 *Id quod de sententia* Galli *dicitur in* l. penult. *referri non debet ad formulam in* l. Gallus *contentam.*
258 *Interpretatio* Duar. Cuiac. *& aliorum ab impugnatione* Gilkenij *vindicatur. Et n. 260.*
259 *Consideratio* Duareni *perpenditur.*
261 *Nouam interpretationem & considerationem ad* l. penult. ff. de legat. 1. *adducit* Auctor.
262 *Alia interpretatio, retenta communi lectione, ab* Auctore *perpenditur.*
263 L. posthumo 6. ff. de inofficioso testam.

testam. l. Titius 6.ff.de suis, & legitim.hæred. *declar.*

264 Anton. Fabri *ratio cur posthumus in causa intestati pro nato habeatur, in causa verò testati non ita, impugnatur, & alia insuper traditur.*

265 Lex xij. Tabul. *æquè prouidit posthumis in causa testati ac intestati, ex sententia* Auctoris.

266 *Quatuor tempora considerauit* Auctor *circa posthumorum suorum & extraneorum institutiones, attento Iure Ciuili.*

254. VNDECIMVS verò obex, ex d.*l. penult.ff.de lega.*1.†nodum prima facie indissolubilem continere videtur in illis verbis: *Et obtinuit Galli sententia alienos quoque posthumos legitimos nobis hæredes fieri.* Inque eorum vero sensu eruendo valdè fluctuāt Iuris interpretes, & omniū maximè post antiquos *Alciat.lib.*3.*paradox.capit.*2. *Fortunius, Taurel. Duaren. Cuiac. Goueanus,* & *Gilkenius num.*10.in d.*l. Gallus,* idem *Duaren.lib.*2.*disput.anniuers. cap.*35. idemque *Cuiac.in commentar. ad l.*2.*ff.de excusation.tutor. Conan.libro* 10.*commentar.cap.*3.*num.*10. *Vigilius in §.seruus etiam,num.*6.*institution. de hæredib.instituend. Costa in repetitione §. posthumus,num.*17.*vers.ex superioribus, institution.de legatis, Forcatulus in Necyomantia iuris, dialogo* 8.*num.fin. Gallin.de verbor.signific.lib.*1.*cap.*10.*num.*5. *Forner.in l.lege obuenire.ff.de verbor.significat. Bellon.libr.*3.*supputation.capite* 3. *Cæsar Costa libr.*1.*variar. ambiguitat. cap.*5. *Robertus libro* 1.*receptæ lectionis, cap.*3. *Boetius in Protheorijs ad d.l. Gallus num.*30. *Doncl.in lectura posthuma, pag.*133.134. & 135. nouissimè *D. Pichard.*ibidem d.*cap.*4.ex *num.*137. *Eduard. Caldeira libro* 1.*variar.lectionum cap.*1.

Et sanè omnium olim receptior
255. fuit *Bartoli,*† & aliorum, quos sequitur *Fortun.* ad dict.*l.Gallus,num.*4.& 6. qui putāt eo *textu* id tantùm actum & decisum, quod fideicommissum relinqui possit vtiliter post Galli formulam posthumo alieno, quemadmodum & legatum. Sed eā meritò impugnauit *Costa* in d.*§.posthumus, num.*17. Vbi iste existimauit, *textum* illum intelligendum de posthumo alieno, non de suo; & non de quocunq; posthumo alieno, sed de posthumo hærede, hoc est, ab intestato iure legitimo succedente (vt in *l.posthumus* 6.*in principio, ff. de inoffic.testam.l.*1.*§. sed si matris execto,ff.ad Senatusconsul.Tertull.* cum aliis *inferius* adducendis in responsione ad vltimum huiusce rei obicem.) Huic autem posthumo alieno hæredi legitimo fideicommissum ab intestato codicillis dari posse, id est, à cohærede, cui æquè intestati hæreditas defertur, firmat idem *Costa.* Et inde aptè subiici in contextu illa verba: *Sola enim voluntas seruatur in fideicommissis*, vt ostenderet *Paul.* ab eo dicta ad legata non pertinere, vt quæ extra testamentum vel codicillos testamento confirmatos relinqui nequirent, *l.illud* 13. *§. tractari,*cum aliis, *ff.de iure codicill.* Atque ita alieno posthumo (qui testamento hæres institui non potest, nec legata percipere) possint tamen fideicommissa ab intestato relinqui, quem ad modum & hęreditas. Et in hoc sensu *Paulum Galli* sententiam (ait) induxisse, vt quemadmodum posthumus alienus tempore testamenti potest institui conlata institutione in id tempus, in quo futurus est suus, ita posthumo omnino alieno relinqui possit fideicommissum conlatū in id tempus, quo futurus est hæres legitimus ab intestato. Verùm hæc interpretatio nec ipsi *Costæ* fecit satis, nec mihi probari potest, cùm videam eam diuinatoriam & casui singulari adaptari tātùm posse in prioribus verbis (quibus sequen-

hæred. Iulianus in *l. Titius 6.* & *Celsus* in *l. vel si viuo 7. eiusdem tituli.* Argumentatur ergo *Paulus* in d. *l. penult.* ex sententia *Galli* (quæ obtinuit) ita: *Alieni posthumi legitimi nobis hæredes fiunt* (id est, cùm nati fuerint) d. *l. qui in vtero 7. & 26.* & concepti viuo eo de cuius legitima hæreditate agitur, *d. l. vel si viuo 7.) ergo à posthumo isto hærede legitimo, velut à fratris posthumo fideicommissum relinqui poterit*, necessaria consequentia orta ex dispositione *d. l. conficiuntur 8. §. 1. ff. de iure codicill.* & d. §. *præterea, institution. de fideicommiss. liber.* Maximè cùm in fideicommissis sola fideicommittentis, vt aptè aduertit *Paulus*, attendatur voluntas, quam nemo est qui non videat in testatore à legitimo suo hærede (quem hæreditate priuare potuit) fideicommissum in codicillis relinquente.

Quod autem is loquatur de fideicommisso ab hærede posthumo legitimo relicto, indicat apertè ratio subsequens: *Et obtinuit Galli sententia, alienos quoque posthumos legitimos nobis hæredes fieri*, quę aliter intellecta prorsus esset inepta.

His autem ex sententia acutissimi

259 *Duareni* † *d. lib. 2. disputat. anniuers. c. 38.* addo, locum illum *Pauli* sumptum fuisse ex *libro* singulari eiusdem *de iure codicillorum*, vt inscriptio indicat, ita vt probabile sit & verosimile, *Paulum* ibi tractasse de fideicommisso in codicillis (quibus dari hæreditas non poterat, *l. 2. §. fi. l. quod per manus 10. D. de iure codicill. §. fin. institut. de codic.*) à legitimo hærede relicto, iuxta terminos d. *l. conficiuntur 8. §. 1. ff. de iure codicill.*

260 Demum his non obstat *Gilkenij* † proposita difficultas, ex d. §. *sed nec huiusmodi institut. de legat.* vbi nouè *Iustinianus* statuit, fideicommissa posthumis alienis relinqui posse, quasi hoc antea vetitum fuisset: nam, vt iam diximus, aliud est posthumo alieno fideicommissum relinqui posse, aliud ab eo legitimo hærede alteri relinqui. His addo verbum illud: *Et fideicōmissis*, vel abūdare in eo *textu* (quod forsan nō erat in constitutione) vel dato quòd in ea esset, appositum fuisse à *Iustiniano*, vt planiùs & pleniùs prouideret posthumis alienis tā in institutionibus, quàm in legatis & fideicōmissis, quorum simul mentio fieri ab eo semper consueuit vno verborū ductu. Quod ipsum in prouisione Prætoris inuenies, qui posthumorum causam curans tam suis (qui Iure Ciuili institui possunt) quàm extraneis bonorum possessionem secundùm Tabulas concedit, iuxta *inferiùs* dicenda. Vt inde saluemus, quæ ad interpretationem *tex.* in *l. vel ex parte, ff. de rebus dub.* aduertimus s. in responsione ad tertiam obiectionem. Arridentes verò secundæ solutioni ad illum *textum* per nos ibidem adductæ faciliùs sese ab hac difficultate expedient, dicentes, *Iustinianum* in d. §. *sed nec huiusmodi*, loqui de legatis aut fideicommissis quæ posthumis alienis in testamentis relinquuntur, quod antea vetitum fuerat (in quo necessum est vt tunc *Gilkenio* assentiamur) *Paulum* verò intelligendum non de fideicommisso posthumo alieno conferendo, sed de fideicommisso ab eo, vt hærede legitimo alij relinquendo, qui longè dissimilis casus est.

Quod si quis scrupulositati adeò indulget, vt attenta *lege xij. Tabul.* non admittat controuersiam ortam inter Consultos circa legitimas hæreditates posthumis alienis delatas, & inde obtinuisse sententiam *Galli*, aientem legitimos hæredes natiuitate fieri posse, & esse (ac par est credere attentis superiùs traditis: & perpenso verbo illo: *Obtinuit*, quo vsus est *Paulus*: vt in

in alio proposito *Vlpian.*in *l.3.ff.de cōdit.& demonst.*& in victoria causarum controuersarum passim *Cicero*, maximè *in Verrinis*,& *ad Atticum*, quando ait:*Pompeius malas causas semper obti-
261 nuit,in optima concidit.*) Ego † vltra omnes,quos viderim, considero verba illa *l.penult. Et obtinuit Galli sententia alienos posthumos nobis hæredes fieri*, ad Galli notissimam formulam in d.*l.Gallus* referri posse,ita vt verbum: *Legitimos hæredes*,non intelligamus precisè de proximis agnatis, quibus *lex xij. Tabularum* intestatorum hæreditates concedit,d.*l.3.§.vtique,l.Titius 6.cum seqq.ff.de suis & legit.hæredib. l. legitimos 5.ff.de legitim.tutor. l.sed cùm patrono 6.§.1.ff.de bonor.possess.*imò in illo textu referamus ad eos posthumos, quibus iuri communi,quin & legibus nouioribus, & Senatusconsultis ex testamento, vel ab intestato iusta defertur hæreditas, *l.2.§.fi.ff.vnde legitimi,l.1.C.de fideicommiss. libertat. l.vacantia 4.C.de bonis vacant.lib.10. l. lege obuenire hæreditatem 130.ff.de verb. signific.* quasi diceret *Paulus*: *Posthumo hærede ab intestato fideicommissum relinqui posse: quod mirum videri non debet consideranti, solam voluntatem in fideicommissis attendi: & obtinuisse sententiam Galli,qui alienos posthumos iure hæredes institui posse, adinuenit* (suam enim vt probet sententiam *Paulus*, *Galli* summæ auctoritatis viri adducit, vt aptè notat *D.Pichard.* d.c.4.n.140.) Vocat autem *Paulus* Aquilianos posthumos *alienos*,habita consideratione ad tempus institutionis factæ quando non sunt sui,nec primum locum obtinent, quod mirè comprobat tertium genus posthumorum consideratum à *Duareno* in d.*l.Gallus in princ.* & *lib.2.disputation.anniuers.*d.c.38. de quo per nos s.) vt sit sensus: *Mirum videri non debet,si à posthumo hærede legitimo ex lege xij.Tabul.fideicommissum(in quo sola voluntas attenditur) relinquatur,cùm videamus ex noua formula & cautione Galli(quæ obtinuit) alienos posthumos ex testamento hæredes legitimos*,id est,secūdùm *leges xij.Tabular.* vel iuris communis regulas. Quin & par est credere,verba *Pauli* (ex quibus prædicta aptè elicuimus)*Tribonianum* vel concidisse vel mutilasse,vestigia tamen reliquisse prædictæ nostræ assertionis & propositionis.

Qua attenta, cessat obiectio *D.Pichard.* d.c.4.*num.*138. contra lecturam *Pandectarum* Florentinorum: *A fratris posthumo:*imò & eius noua solutio siue interpretatio, qua non immoramur,vt rem ex bona fide cum disertissimo Magistro abiecta conflictatione, quoad fieri possit agamus.

At si aliquis fuerit communis lectionis † d.*l.penult.* adeò rigidus æsti- 262
mator, vt præcisè legendum putet in eius initio: *Hæredi posthumo fideicommissum relinqui potest*, non vt in Florētinis: *A fratris posthumo fideicommissum,*&c. (quæ lectio aptior multo est, & *Paulo* Iurisconsulto dignior,necessum erit, vt verba illa: *Hæredi posthumo*,cum *Costa* in §.*posthumus*,d.n.10.referat ad posthumum hæredem ab intestato prædefuncti, qui cū codicillis forsan (vt indicat inscriptio legis cum adductis per nos ex *Duareno* s.)grauauit fideicommisso in fauorem cohęredis eiusdem gradus & iuris similis: vt subinde verba illa, *Et obtinuit Galli sententia,alienos quoque posthumos legitimos nobis hæredes fieri*,diuersam constituāt propositionem & decisionem, & testentur tantùm formulam *Galli* circa posthum. futuri sui institutionē præualuisse: ita vt duas solutas decisiones,à *Paulo* desumptas,*Tribonianus* verbis illis inuoluerit. Sed ista mihi placere ex integro non possunt, cùm

videam nimis restringi decisionem d. *l.penult.* & ad casum qui vix euenire potest, solùm aptari, iuxta communem istam lectionem ab antiquis Iuris Interpretibus approbatam, vt qui *Florentinam* longè veriorem & aptiorem (vt prædiximus) callere non potuerunt, nec quid sibi vellet *Paulus* in illis verbis: *A fratris posthumo fideicommissum relinqui* (quæ casum occurrentem fideicommissi scilicet à patruo posthumum ab intestato successurum grauante relicti innuunt) eorum enim inscitia causam dedisse mihi persuadeo corruptæ illi lectioni, *Fatris posthumo*, cuius meminit *Boetius* in d.*l.Gallus,nu.*30. & corruptiori illi: *Hæredi posthumo*, quæ in vulgatis codicibus circumfertur.

Vtcunque verò sit, plenè & ex integro, ni fallor, fortissimo isti obici, ex d.*l.penult.* desumpto, fecimus satis, omissis his quæ circa eius interpretationem adduxerunt nouiores, maximè *Schifordegherus* d.*tract.*16.*qu.*7. & 10. *D.Pichard.* d.*c.*4.*à nu.*137.

DEMVM non obstat communi (quem defendimus) Interpretum Iuris assensui impugnanti posthumi alieni institutionem, quod vltimo & duodecimo loco adducebamus de successione legitima posthumis alie-
263 nis concessa in d.*l.posthumus* 6.† *ff. de inofficioso testam.* d.*l.*3.§.*vtique*, d.*l.Titius* 6.*cum seq.ff.de suis & legitim. hæredib.* cum aliis iam adductis: nam ab ista successione legitima (quæ specialem habet causam & fundamentum in *l.xij.Tabularum*, & in d.*l.qui in vtero* 26.*ff.de statu hominum*) non licet arguere ad testamentariam, inter quas rationem differentiæ assignauit perquam optimam *Schifordegherus* ex aliorum sententia d.*tract.*16.*q.*4. dicens posthumum alienum ab homine, hoc est testamento mero iure hæredem fieri non potuisse, vt qui incerta persona est, aut incertæ similis, ex iam dictis. Quæ ratio cessat in successione legitima, cùm legis iudicium (quæ agnato proximo hæreditatem defert) semper certum sit. Vt inde non ideò minus agnatus proximus sit is, qui nondum natus est: & insuper in vtero existens pro nato habeatur. In cuius rei comprobationem ego expendo singulare *Vlpiani* responsum in *l.cùm quidam* 30. §.1.*vers.& in eo ventre, ff.de acq. hæred.* vbi postquam Consultus dixerat, legitimum vel consanguineum nasciturum remorari in sequentes consanguineos, subdit sequentia: *Quoniam mortis tempore, qui in vtero est, quantum ad moram faciendam inferioribus, & sibi locum faciendum, si fuerit editus, pro iam nato habetur:* quasi diceret nasciturum proximiorem posthumum viuo eo conceptum, de cuius legitima hæreditate agitur, remotioribus consanguineis præferendum, vt qui legi (rerum naturalium effectus præuenienti) notus sit, & pro nato habeatur, d.*l.qui in vtero* 26.*ff.de statu homin.* ita intelligenda in prioribus illis verbis: *Qui in vtero sunt in toto penè Iure Ciuili intelliguntur in rerum natura esse: nam & legitimæ hæreditates his restituuntur,* &c.

Vt inde melior sit conditio posthumi alieni, quod attinet ad successiones legitimas, ex ratione prædictorum iurium, quàm in testamentariis, ad quas posthumi isti non admittebantur.

Quòd si instes, cur posthumus in causa intestati pro nato habeatur, in causa verò testati non æquè? Respondet *Antonius Faber* † *in sua Iurisprud. Papinia.tit.*4.*de ingenuis, princ.*3.*illat.* 3.*confutat* 4. (quem refert & sequitur *Schifordegher.* d.*q.* 4.) in causa testati necessum non esse fictionem inducere, vt posthumus habeatur pro nato, cùm

cùm sufficiat nasci posse, & voluntatem legantis posthumo conferre in id tempus, quo posthumus nasci possit, ita vt dies legati cedat, cùm posthumus natus sit, quasi relictum ei fuisset sub conditione. Ad quod expendit *Faber l.si duobus* 16.*§.fin.ff.de legat.*1. *l.vtrum* 17.*ff.de rebus dubiis*, cum *l.vsusfructus* 26.*ff.de stipulat.seruor.l.si in personam* 21.*C.de fideicommiss.*At in causa intestati necesse est(ait)haberi posthumum pro nato,quia potestas legis,nisi aliter in ea exprimatur, statim & primo instanti operatur, nec in suspenso vllo momento remanet, & primo actu, vice vel delatione consumitur, vt accidit in successione suis, vel agnatis delata, *l.*1.*§.sciendum,ff.de suis & legitimis hæredib.* §.*placebat, institut.de legitima agnatorum successione.* Delatio verò successionis,quæ ex voluntate fit testatoris tractum successiuum habere potest,*l.fideicommissa* 11.§.*hoc autem legatum.ff.de legat.*3.cum aliis ab isto adductis, & inde est vt in dispositione hominis, qui eius effectum conferre potest in tempus natiuitatis posthumi non admittatur fictio, quæ aliàs cum habet pro nato. Sed hæc *Anton. Fab.*ratiocinatio institutioni posthumi tantùm sui, vel legato eidem facto adaptari vix potest: alieni verò posthumi institutioni vel legato nec vllo modo, cùm hæc Iure Ciuili tractum non habeat successiuum, imò nec ab initio subsistat, vt quæ inutilis & nulla, ex *Iustinia.in princ.institut.de bon.poss.*& in d.§.*posthumo quoque*,cum aliis *inferiùs* adducendis. *Textus* verò in d.*l.vtrum*,& *l.si duobus*,§.*fin.* in posthumo tantùm suo loquuntur & procedunt,vt s̃.in responsione ad tertium argumentum quam manifestò probauimus. Et certè *Faber* (qui oblitus,& eorum quæ *lib.*9.[illegible] *c.*1.*& seqq.* resoluerat circa posthumi [illegible] institutionem vel legatum [illegible] relictum) nunc præsupponit & adstruit totum contrarium in causæ prædictę testati & intestati differentia constituenda.

Vnde ego rem aliter decidendam puto,& ex *lege xij.Tabul.* (relata in d.*l.*3.§.*vtique*, & in d.*l.Titius* 6.*in fi.ff.de suis & legitim.hæred.*) expressè agnato proximiori in vtero existenti (quo tẽpore is de cuius bonis quæritur, defunctus est) hæreditatem legitimam deferri *Lex* enim *xij.Tabular.*prouidè conceptis fauit, eos pro natis habens, d.*l.qui in vtero* 26.*ff.de statu hom.* Non tamen lex illa prouida præuidere potuit Responsa Prudentum Stoicæ disciplinæ sectatorũ,qui postea posthumos pro nihilo reputarunt,ac si in rerum vel hominum natura non essent, ex rationibus iam per nos expensis in initio huius capitis.Quę in causa fuêre,vt institutionem posthumi, vel legatum eidem factum non admiserint, ex regula *l.quidam referunt* 14.*vers.esse enim debet,ff.de iure codicillor.* adhærentes,nec latum vnguem extendentes verba *legis xij.Tabul.*de legitimis tantùm hereditatibus proximioribus posthumis deferendis loquentis, & disponentis.

Cùm autem istæ Iurisconsultorum subtilitates magno essent pręiudicio non solùm posthumis suis, verùm & eorum parentibus, aut auis, quorum testamenta agnatione rumpebantur, factum est, vt iusta interpretatione iidem Iurisconsulti huic mederentur malo, posthumi sui vel futuri sui admittentes institutionem, vel exheredationem, vt diximus.

Quòd si instes, & rationem adhuc disquiras, † cur *lex xij.Tabular.*non 265
æquè in causa testati aut intestati posthumis prouidit? Respondeo, generali illa alia *lege xij.Tabul.* quæ habet: *Vti legasset quisque de sua re, ita ius esse* (cuius meminit *Iustinian.* in *Auth.de*

*nupt.collat.*4. quæ eſt *Nouella* 22. *verſi. diſponat itaque*,& *Pomponius* in *l.verbis legis* 120.*Vlpianus* in *l.lege obuenire* 130.*ff. de verbor.ſignific.*) teſtantibus, latiſſimam fuiſſe poteſtatem tributam circa hæredum inſtitutiones & legata, dict.*l.verbis legis*: ita vt ampliſſima iſta conceſſione attenta, poſthumos quoque viuo teſtatore conceptos inſtituere liceret, & legata eiſdem relinquere, vt ſentiunt *Balduin.ad leg.Rom. c.*26.*n.*28.*Taurell.in præludijs ad l.Gallus,Fortuni.*ibi.*num.*3. *Angel.Spanoch.* ibidem *part.*18.*Maſin.nume.*126.*Cæſar Coſta lib.*1.*variar.ambiguit.cap.*14. Et certè agnouit *Iuſtinianus* in d.§.*poſthumus,inſtitut.de legatis*. iuncta interpretatione *Charondæ*(illicò referendi) cum traditis per nos *ſupra numero* 168. Iuris verò Prudentes eam reſtrinxerunt ſuis ſubtilitatibus, vt nobis teſtis eſt *Pomponius* in d.*l.verbis legis*, in illis: *Sed id interpretatione coanguſtatum eſt. vel legum, vel auctoritate iura conſtituentium.* Cicero *pro Muræna*: *Nam cùm permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea Iuriſconſultorum ingenijs, pleraque corrupta aut deprauata ſunt.* Paulus *lib.* 4. *Sententiarum, titulo* 8. §. *fœminæ, Balduin. de lege Voconia fol.*17. *in fine, Charondas* optimè & in propoſito *lib.* 1.*veroſimil.c.*15. Nec enim *legibus xij. Tabular.* quę compendio quodam ius Sacrum, Publicum & Priuatum continebant) neceſſaria fuit alia expreſſior facultas inſtituendi vel legandi poſthumis tempore teſtamenti conceptis, quam quę generalibus illis verbis *ſuprà* relatis continetur. Quæ cùm ad cauſam inteſtati referri non poſſunt, ideo opus fuit illa alia *lege xij. Tabular.* relata in dict.*l.*3.§.*vtique*,& *l. Titius,ff.de ſuis & legitim.hæred.*) poſthumos viuo illo de cuius hæreditate legitima quæritur, ſi proximiores ei ſint, admittente, & moram inferioribus agnatis, vel cognatis faciente.

Neque enim credere par eſt *legem xij.Tabul.* quæ poſthumis proximioribus in ſucceſſionibus legitimis prouidit, eoſdem à teſtamentariis arcuiſſe. Quòd ſi auctoritas *Galeni* in *lib. An animal ſit, id quod in vtero eſt* (expenſi à *D.Pichar.* in *l. Gallus in prin. c.*3.*nu.*27. & adſerentis poſthumos inſtitui potuiſſe ex *lege Draconis* atque *Solonis*) ſubſiſteret, hoc ſanè velut euidentiſſimo eſſet argumento, *legibus xij.Tabul.* idipſum conceſſum, quandoquidem illæ à *legibus* iſtorum, præcipuè *Solonis*(paulò ante Reges exactos latis, & decem Tabulis comprehenſis) fuerint mutuatæ ex iam dictis per nos *ſupr.n.* 245. Cùm tamen libellus ille: *An animal ſit quod in vtero eſt*, falsò adſcribatur *Galeno*, cum aliis, à nouioribus eius Interpretibus enumeratis. Inde eſt, vt ab auctoritate tanti viri hac in re non liceat arguere. Sed quiſve quis Græculus illius libri Auctor fuerit, conferunt tamen ediſerta per eum, & velut clarè ſupponunt apud Græcos (quorum ritus ſcriptori illi Romanis legibus dubio procul erant notiores) in vtero exiſtentibus hæreditates relinqui poſſe, dum ait: *Quis perfectus iam, ac indubitatus homo ius exigens, cauſa eius qui vtero non homo, ac nec animatus quidem eſt, vnquam hæreditatem demittet, ignarus an animal ſit quod in vtero eſt? Quid igitur animal eſſe quod in vtero eſt negare contendis? Quis ſucceſſor vtitur eo, quem nondum eſſe credimus. Quis ſibi dominum dicet eum, de quo dubitatio eſt?*&c.

Sed & his omnibus valdè concinit *lex* illa *Draconis* 11. inter compilatas à *Prateio*, ita concepta: *Cui voluerit quis, bona ſua dandi* (*niſi filios habeat*) *ius eſto.* Et à *Demoſthene*(quem citat) illuſtrata; à qua forſan pleniſſima reſtantibus facultas ex *lege xij.Tabul.ſupra* relata.

Ex dictis perquàm euidens fit quæ-

ruos

266 tuor fuiſſe tempora † quod attinet ad Ius Ciuile (nunc omitto, Prætorium ſuo loco tractandum) in inſtitutionibus & legatis poſthumis ſuis & extraneis factis.

Primum quod ad ius antiquum *legum xij. Tab.* referri oportet, quo inſtitui poterant poſthumi tam ſui, quã alieni, eiuſdemque legata relinqui, ex illa ampliſſima lege aiente: *Vti quiſq; legaſſet ſuæ rei, ita ius eſto.*

Secundo verò tempore (quo Iuriſprudentum ſubtilitates obtinuerunt) poſthumi omnes pro nihilo reputabantur (vt qui in hominum vel rerum nõ eſſent natura) vnde tam ſui, quàm alieni poſthumi hæredes inſtitui non poterant, nec legata percipere.

Tertium tempus (ex ratione à Iuriſprudentibus conſiderata, & à nobis ſ. latè expenſa) poſthumorum ſuorum duntaxat inſtitutiones & legata admiſit.

Quarto demum tempore *Iuſtinianus* Imperator rem iſtam (inſuperhabitis Iuriſconſultorum ſubtilibus interpretationibus) ad terminos iuris antiqui xij. Tabularum reduxit, & ſua noua conſtitutione (relata in *princ. inſtitution. de bonor. poſſeſſ.* & denotata in §. *poſthumus*, *inſtitution. de legat.*) poſthumis quibuſvis hæreditates inſtitutionis titulo, legataque & fideicommiſſa liberè relinqui poſſe ſtatuit, vt *inferiùs* ſuo loco iterum annotabimus.

SECTIO IV.

SYNOPSIS.

267 *Ad ſolutionem argumentorum poſthumi alieni inſtitutionem admittentium deſcendit* Auctor.

268 *Poſthumi alieni inſtitutionem expreſſè vetitam ratione comprobat. Et num.* 209. *à* l. Gallus.

270 *Eum qui in vtero eſt pro nato haberi, quî ſit accipiendum & intelligendum.*

271 *Teſtamentaria ſucceſſio in cauſa poſthumi longè differt à legitima remiſſiuè.*

272 *Capax aut incapax ſucceſſionis quis dicatur.*

273 L. 1. §. fin. & l. antiqui, ff. ſi pars hęred. pet. *cum aliis, ſuis caſibus, theſibúſque intelliguntur.*

274 *Fundamenta nouæ opinionis* D. Anton. Pichardi *diſtinguentis inter poſthumum alienum & extraneum, qua conciſſione fieri potuit, enarrantur.*

275 *Opinio prædicta & diſtinctio* D. Pichardi *impugnatur variis mediis.*

276 *Adductis in contrarium à* D. Pichardo *fit ſatis.*

277 L. in tempus, ff. de hæred. pet. *interpr.*

278 *In ſuo hærede capacitas tantùm requiritur tempore delatæ ſucceſſionis.*

279 L. item veniunt, ait Senatus cum antequam, D. de pet. hæreditat. *declaratur.*

280 L. Gallus *intelligitur. Et numero* 281.

282 *Formula* Galli Aquilij *longè differt à ſubſtitutione vulgari, & à bonorum poſſeſſione ſecundùm tabulas.*

283 *Filium in formula* Galli *per illa verba:* Si filius meus viuo me morietur, *inſtitutum non fuiſſe aſſerit* cõmunis *cum* Gloſſa. *Sed contrariam* Bartoli *ſententiam defendit* Auctor.

284 *Diuerſis verborum notis & conceptionibus hæredes inſtituebantur.*

285 *Inſtitutio fieri poterat per verba obliqua, & quæuis alia. Et num.* 295. & 297.

286 *Quando verba obliqua fideicommiſſum inducant.*

287 *Diſtinctionem inter verba directa,*

obliqua & communia improbat.

288 L.illud,§.1.de iur.codic. *declar.*

289 L. hæredes palàm, §.1.de testam. *interpr.*

290 L.quoniam, C. de testam. *intel.& illustratur.*

291 L. in testamentis,Cod. de testam. *elucid.*

292 *Præcautiones & formulæ in testamento per æs & libram adhiberi solitæ à quo tempore cessarint.*

293 L.verbis ciuilibus,ff.de vulg.& pupil.*declar.latè.*

294 Auctor *differentiam inter verba directa & inflexa non negat.*

296 L.2.C.commun.deleg.*interp.*

298 *Institutio verbis directis subauditis fieri potest.*

299 L. Gallus,§.10.ff.de lib.& posthũ. *&* l.6.§.1.de vulg.*lucem dat.*

300 *Positos in conditione censeri vocatos* Auctor *contra communem à prædictis infert.*

EXPLICITIS iuribus, quæ communi interpretum sententiæ alieni posthumi institutionem deneganti obstare videbantur, superest vt ratio-
267 nes & fundamenta † nouæ & singularis aliorum opinionis euertamus, quæ congessit *D. richard.*d.*capite tertio numero septuagesimo sexto.* Vbi à partium, vt aiunt,enumeratione (quod argumentum frequens,validum,& necessarium appellat *Euerard. in topic.legal.loco* 51.argumento *textus* in *l. patre furioso*, vbi *Bartol.* & alij, *ff.de his qui sunt sui vel alieni iuris*) ita argumentatur. Posthumi alieni institutionis incapaces non sunt ex *lege xij. Tabular.* nec media Iurisprudentia, aut aliqua subinde Imperatoria Constitutione, id expresè denegatum illis vnquam fuit, vt erat necesse, nec censerentur admissi, ex regula *l. cùm prætor.* 12.*ff.de iudiciis*, iunctis aliàs his quæ tradunt *Menoch. libro primo, de arbitrar.quæst.* 37. *numero* 22. *Crauett. consil.* 527. *numero quinto.* Ergo institui possunt. Sed facilè respondebis attenta quattuor temporum serie & diuisione, quam adduximus *suprà in sectione præcedenti ad finem.*

Adhæc negamus † posthumi alieni institutionem expresè non fuisse vetitam; nam cùm expressum id etiam dicatur, quod ex verbis generalibus colligitur *Bartol.* & reliqui in *l.1.ff.de vulg.*& quod ex coniecturis elicitur, *l. quamuis,Cod.de impuber. Bald.in l.item quia,ff.de pact.* Inde fit, vt cùm ex *l.* 4.5.6.& 9.cum suis §§. *& l.*10.13. 22.24. 27.& 28.§. *si quis ex certa, ff.de liberis & posthumis*,& ex *l.*3.12.*&* 13.*ff.de iniusto,rupto*,& alibi suum tantùm posthumum liceat hæredem instituere: ex eisdem apertè & expresè deprehendatur posthumi alieni institutionem non fuisse permissam. Alioquin nec Peregrinos diceres expressim à successione exclusos: nulla enim lex est, siue particularis sanctio Quiritium, quæ Peregrinos institui vetaret, vt asserit verè *Osuald.super Donel.lib.6. cap.* 5. Nullúmve inuenies Iurisprudentum responsum, quo id tantùm principaliter decidatur, cum sint plura hoc ipsum præsupponentia, *l. sed si hac lege* 10.§. *sed si per pœnam,ff. de in ius voc. l. sed si conditioni* 6.§.*solemus, ff. de hæred. instit.l.1.C.eod.* cum aliis. Id ipsum euenit in seruo liberto Latino, qui expresè ex sua persona lege aut Senatusconsulto particulari prohibitus nõ est hæreditatem adire, & tamen eam acquirere non potest, *Vlpian.*in *fragmen. titulo decimoseptimo,in princ.* Non ergo opus est lege aliqua, quæ disertis verbis posthumi alieni institutionem vetet, cùm clarè id præsupponant *suprà* expensæ Iurisconsultorum decisiones cum aliis.

Inter quas eminet decisio d. *l. Gallus* † *ff. de libe. & posthum.* vbi formula

mula insigni posthumis futurus suus (vt qui tempore testamenti alienus erat, suus verò tempore delatæ successionis ex lege instituitur. Porro superuacua foret (vt iam memini me adnotasse *suprà*) celebris illa & acutissimè excogitata cautio si tempore *Galli* permissa esset alieni posthumi institutio. Quæ sola consideratio, ni fallor *D. Pichardum* coëgit, vt ab *Spanochij* sententia & Præceptoris *Gabrie. Enriqu.* (quam amplis vlnis amplexus fuerat in *comment. super Constitut. Iustin.*) deuiaret, & aliam viam & rationem ædstruxerit in lectura ad *leg. Gallus capite quarto* ex *numero centesimo primo*, quam paulò *inferiùs* discutiemus. Quòd si quis adhuc desideret expressiorem prohibitionem institutionis posthumi alieni in media Iurisprudentia, præter leges suprà relatas aduotet *Iustiniani* Constitutionem primæ codicis editioni insertam, & à secunda sublatam, cuius ipse meminit in d. §. *posthumo, institut. de legat.* & in *prin. institut. de bonor. possess.* quæ clarè præ se fert posthumi alieni institutionem anteà fuisse prohibitam. Quandoquidem eorum euasio, qui dicebant prohibitionem non cadere (vt nostri loquuntur) super institutione, sed super hæreditatis aditione inanis sit, ex iam dictis per nos *suprà*. Quibus adde *D. Amaiam* prædictam distinctionem & considerationem optimè euertentem in *lib. 1. obseru. cap. decimo tertio ex numero* 15. Quinimo *Vlpian.* in *l. posthumus* 6. *ff. de inoffic. testamen.* apertissimè docuit & demonstrauit alieni posthumi institutionem Iure Ciuili sui temporis vetitam fuisse, attentis his quæ annotabimus *infr. nu.* 276. *vers. cum autem.*

Secundò *D. Pichard.* d. *cap.* 4. *nu.* 76. sic argumentatur: si posthumus alienus testamenti tempore fuisset natus, hæres institui posset, sed dum in vtero est, pro nato habetur, *l. qui in vtero* 7. *&* 26. *ff. de statu. hom.* ergo dum in vtero est, hæres institui poterit. Sed resp.
† Cùm dicimus eum qui est in vtero 270
haberi pro nato, hoc non debere ita generaliter accipi, vt in omnibus & per omnia (vt aiunt) habeatur pro nato, sed in rebus & casibus consideratis *infr. hoc cap.* in §. 4. quo loci excipiemus institutionem hæredis ex legitima causa ibidem designanda, id quod innuit Consultus in dict. *l. qui in vtero*, 26. vbi quoad legitimas tantùm hæreditates posthumum haberi pro nato ait.

At *textus* in §. *ille casus l. Gallus* in illis verbis: *Quod nullo iure potuit, qui nondum natus erat* (hoc eodem loco expensus à *D. Pichardo*) nec attenta eiusdem interpretatione (iam *suprà* per nos expensa) quidquam prodest contrariæ *Spanochij* & aliorum assertioni, nec nouiori *D. Pichardi infrà* ex *n.* 274. recensendæ.

Tertio loco *D. Pichard. supr. numer. septuagesimo octauo* ait, faciliùs admitti testamentariam successionem, quàm legitimam, cùm vnus aut alter à successione testamentaria excludatur, ab intestato verò gradus certi consanguineorum admittantur. At posthumus alienus ab intestato admittitur, *l.* 3. §. *vtique, l. Titius cum seq. ff. de suis & legitim. hæredibus*, cum aliis *suprà* relatis. Ergo ex testamēto à fortiori (vt aiunt) admitti debet. Sed hæc † parum 271
obstant, & facilè eliduntur attentis his quæ in responsione ad d. *leg.* 3. §. *vtique*, annotauimus *supra sect. praced.* vbi legitimæ successionis *lege xij. Tabularum* admissæ rationem enodauimus.

Quartò, in *numer.* 79. ita ratiocinatur, qui Iure Ciuili successionis incapax est, idem & Iure Prætorio talis est, vel è contrà, *l. hi demum* 6. *ff. de bonor. possess. secun. tab. l. nō est ambigendum*

12.§.*vbicunque, ff.de bonor. possess.* At posthumus alienus successionis Prætoriæ capax erat, etiam ante *Iustinianum*, vt ipse idem testatur *in princip.institution.de bonor.possess.* ergo & ciuilis, ita vt institui rectè posset, & simul succedere Iure Ciuili attento. Sed hæc argumentatio in priore propositione generaliter sumpta laborat; nam quo
272 sensu † in ea incapax successionis desumitur, liberi naturales, adoptiui, vel emancipati præteriti successionis paternę Iure Ciuili sunt incapaces, & tamen media bonorum possessione contra tabulas (de qua in *l. 1. & 3. cum suis §§. ff. de bonor.possess.contra tabulas*) cōmodum hæreditatis paternæ consequuntur. Ergo incapacitas de qua in d.§. *vbicunque* alio sensu accipi debet, ita vt eos respiciat, qui legibus, Senatusconsultis, aut Constitutionibus Principum ab hæreditatibus arcentur, vt cœlibes & orbi, peregrini, serui pœnæ, vel alij quicunque serui ex sua persona, vt iam diximus in solutione ad primum argumentum. Posthumus autem alienus non prohibetur institui ex vitio & defectu personæ, sed quia vel non est in rerum natura, vel incertus est, & testantis iudicium certum esse debet. Hanc rigidam subtilitatem amplexa non fuit æquitas Prætoria (posthumum quoad testamentarias successiones pro nato habens, dicta *l.non est ambigendum, in principio, & toto titulo, ff. de ventre in possessionem mittendo, & ff. si mulier ventris nomine*) quemadmodum & Ius Ciuile eam admisit quoad legitimas, *leg. qui in vtero vigesima sexta, ff. de statu hominum.* His consimilis est institutio sub conditione concepta, ea enim pendente hæres adire non potest, *leg. ei qui ita decima tertia. ff. de condition. instit. l. qui hæredi quadragesima quarta, §. Plautius, ff. de conditionibus & demonstrationib.* & tamen pendente cōditione bonorum possessionem beneficio Prætoris idem adipiscitur, dicta *l. hi demum 6. ff de bonorū possessione secundùm tabulas.* Quod verò *Vlpianus* ibidem ait de bonorum possessione sub conditione inutiliter instituto deneganda, ad hæreditatem (quæ posthumo alieno vtiliter relinquebatur in *principio institutionum de bonorum possessione secundùm tabulas*, iunctis his quæ *suprà* adnotauimus ad interpretationem *textus* in *§. posthumo quoque alieno, institut. de legat.*) trahi non possunt.

Quinto & vltimo loco *D Pichar.* d. *cap. quarto numero* 80. contrariam *Spadnochij* opinionem hoc syllogismo adstruit. Iure Ciuili institutio illius tenet, qui pro hæreditate, eiúsve parte consequenda remedia ciuilia habet, nec ei opus est Prætoriis. Sed ante *Iustinianum* posthumo alieno instituto actio familiæ erciscundæ, & petitionis hæreditatis dabatur, *l. si hæres vnius 7. ff. famil. ercisc. l. 1. §. finali, l. antiqui. 3. ff. si pars hæred. petatur, l. finali, ff. de coniungendis cum emancipato liberis eius*: ergo Iure Ciuili firma erat posthumi alieni institutio. Sed respond. † in 273
secunda propositione, quam Logici *minorem* vocant, vitium inesse; nam d. *l. antiqui*, loquitur apertè in posthumo suo, vt constat ex finalibus eius verbis. Et in eodem intelligenda est d. *l. si hæres*, terminis (vt aiunt) habilibus præsuppositis. *Textus* autem in d. *l. 1. §. fin. ff. si pars hæreditatis petatur,* & in d. *l. finali, ff. de coniungendis cum emancip. liberis eius*, loquuntur in successione Prætoria, & ita argumentum corruit.

SVB HÆC expromissum adimplentes nouam docendi methodum *D. Pichard.* circa posthumorum institutionem sumus disquisituri. Is ergo in lectura *leg. Gallus cap. 4.* à *numer.* 101. ex *Masinio* ibi ex *numer.* 251. existimauit † (subti-

174 † (subtiliter sanè) incertitudinem quæ posthumorum institutioni obest, non in eo consistere, quòd incertum sit vt *suprà* resoluimus cum communi) an vnus vel plures, an nullus, an masculus vel fœmina nascantur, quo ex capite incertitudinis (ait) nec suus posthumus hæres institui posset, aut posthumi tam sui quàm alieni institutio non esset admittenda ex *Iustiniano* in d. §. *incertis, Vers. sub certa, institution. de legat.* (semper enim adiicitur aut denotatur, ex qua matre nasciturus sit posthumus, qui instituitur) sed in eo tantùm hanc incertitudinem impedientem institutionem versari asserit, an posthumus Aquilianus (quem vocat alienum) nascatur viuente patre, vel eo mortuo, cùm primo casu nascatur alienus, secundò suus. Et eandem incertitudinem inueniri firmat in posthumo Velleano, qui etsi viuente patre natus sit, incertum est, an pater prædecessurus sit vel auus. Et suæ isti incertitudini mirè fauere ait *Theophilum*, qui *posthumum alienum similem esse incertis personis*, dixit, *& ideò ei inutiliter legari*: non quia posthumo alieno ac incertis personis legari non posset: *Esset enim* (inquit *D. Pichard.*) *eadem ratio cum dicto, sed quia alia est incertitudo posthumi alieni, alia aliarum personarum, in quibus generalis incertitudo versatur circa plures personas.* Ex quibus infert, posthumos omnino suos (id est, qui tempore testamenti concepti primum gradum occuparunt nati) & extraneos (qui nullo modo sui esse possunt, velut nepotes ex filio emancipato aut consanguineo, vel amico, quorum qualitas vna semper & certa est) liberè ante *Gallum* posse hæredes institui, alienos verò, hoc est, Aquilianos vel Velleanos non ita, cùm testator incertus sit, an sui nasciturі & extituri sint vel non; quæ incertitudo institutioni maximè obstat, *l. sub conditione 18. ff. de bonorum possessione contra tabulas* (cum aliis *supra* per nos adductis, dum communem incertitudinem astruebamus.)

Hanc docendi rationem (quam ipse vocat coniecturam *numero centesimo decimo*) probari contendit in *l. Gallus, §. sequenti parte*, in illis verbis: *Sequenti parte succedentes in locum liberorum non vult lex rumpere testamentum*, & in §. *ille casus*, ibi: *Postremo capite non permittit institui, sed vetat rumpi: néve ob eam rem minus ratum esset, quod succedit.* Ex quibus verbis (& aliis *lege secunda, ff. de vulgari & pupillari substitutione* ab eo summè expensis) colligi ait, ante *legem Velleam* nepotem viuo auo natum à patre præcessum testamentum rumpere, quamuis sese institutum aut exhæredatum inueniat ab auo: quod ea ratione euenire ait, quia nepos institutus, vel exhæredatus patre superstite non potest videri institutus, aut exhæredatus tanquam suus (cùm eo tempore suus verè non esset) sed tanquam extraneus: vnde immutata qualitate essentiali hæredis cùm de extraneo fiebat suus, testamentum tanquam præteritus (hoc est, non institutus cum qualitate sui) nepos iste rumpebat. *Igitur* (ait *D. Pichard.*) *incertitudo qualitatis posthumi nepotis hæredis instituti, an tanquã suus, an extraneus esset exstiturus, certa illius iuris causa fuit, quod ante legem Velleam vigebat: & ab eadem postea testamentorum fauore fuit immutatũ; quemadmodum & ante Galli consilium, incertitudo eiusdem qualitatis in eodem nepote posthumo nondum nato, qui post patris & aui mortẽ nasceretur, eius institutionem vitiabat.* Est ergo omniũ prædictorum summa, posthumos omnes ante *Gallũ* & subsequentẽ *legem Velleam* hæredes Iure Ciuili institui potuisse, exceptis

alienis (quo nomine intelligit Aquilianos & Velleanos tantùm) qui ob causam prædictæ incertitudinis (qua cæteri posthumi non laborabant) institui non poterant, nisi post *Gallum* & eius cautionem huic incertitudini sese opponentem: & post latam *legem Velleam*, eam insuperhabentem, & testamentis plenè prouidere curantem.

Cùm autem *D. Pichard.* graui iurium mole istam suam nouam sententiam obrui preuideret, & his facere satis conaretur, primo loco ad *l. posthumus 6. ff. de inoffic. testam.* respõdet verba illa: *Posthumus inofficiosum testamentum potest dicere eorum, quibus suus hæres vel legitimus potuisset fieri, si in vtero fuerit mortis eorum tempore:* & illa: *Hoc planè ei imputare potest, cur eum hæredem non scripserit, potuit enim scriptus hæres in possessione mitti ex clausula de ventre in possessionem mittendo*, intelligenda esse de posthumo suo & de extraneo, quibus (Iure Ciuili rectè institutis) Prætoria bonorum possessio simul concedebatur.

Ad *tex.* verò in *§. posthumus, inst. de legat.* & ad *§. posthumus eod. titul.* respondet, illum loqui in posthumo alieno, cui ob incertitudinem legari non potest, hunc in posthumo omnino extraneo (nulla incertitudine laborante) qui & hæres institui poterat, *nisi in vtero eius sit* (vt ait *Iustinian.*) *quæ iure nostro vxor esse non potest*: quæ verba clarè indicant (ait *D. Pichard.*) in d. §. *posthumus Iustinianum* loquutum de extraneo, vt exceptio sit de regula, & prioribus verbis quadret.

Sub hæc ad *text. in d. princ. de bonor. possess.* respondet *nu.* 118. vel intelligendum de alieno posthumo, de quo loquitur Imperator in d. § *posthumo*; vel si maluerimus eius decisionem ad extraneum referre, retinendam esse ab eo traditam interpretationem in eod. *princ. n.* 10. vt intelligamus ibi nõ fuisse extraneis posthumis bonorum possessionis beneficium concessum, quia eorum institutio Iure Ciuili non valebat, sed illud potiùs, eisdem bonorum possessionem non competere, quamuis Iure Ciuili hæreditatem adire non poterant, cùm institutio non valebat, id est, quando institutio effectum sortiri non poterat: quasi cùm primùm possent adire hæreditatem, iuxta *l. pupillus si fari. ff. de acquiren. hære.* integra eis esset adeundi facultas ex institutione valida.

Deinde ad *l. Gallus* respondet, intelligẽdam de alieno posthumo, qui propter incertitudinem hæres institui nõ poterat, non de illis (quos de cætero cum *Iustiniano* extraneos appellandos suadet) ita vt cautio *Galli* non eò tendat, vt posthumus alienus posset institui, vt putat communis: nec vt posthumi nepotes hæredes fierent, vt *Donel.* & *Gilken.* ab eo relati existimarunt: *Sed vt nepos posthumus, quo tempore testamenti alienus erat, institueretur ex eo tempore quo suus esse inciperet, ita vt non antea institutus esset, quàm ius sui hæredis nactus fuisset, & ex tunc institutus inueniretur, ne præteritus rumperet testamentum.*

Demum his addit *n.* 131. *Paulum in l. penult. ff. de leg.* 1. intelligendum de posthumo omnino extraneo in illis verbis: *Et obtinuit Galli sententia alienos quoque posthumos legitimos nobis hæredes fieri*, quod ex pluribus comprobare nititur in *numeris subseqq.*

Sed hæc (à nobis concisè relata, & pluribus paginis à *D. Pichardo d. cap.* 4. à *numer.* 101. vsque ad *num* 131. expensa) ex quo perlegimus, valdè displicuerunt: & communis opinionis propugnationi magis addixerunt, cùm nihil ex propositis videamus, quod facillimo negotio labefactari non possit, & demonstratione velut quadam simul ostendi hac noua via iter peragendum

gendum non esse: ea tamen aliquibus mediis penitùs obtrudenda priùs est, ne alius deinceps illam tentet, quod futurum speramus quibusque sequentia præ oculis habentibus.

Et primò, hanc *D. Pichardi* opinionem eneruat omnino decisio *text.* in d. §. *posthumo*, vbi Imperator præcautam istam differentiam posthumi alieni ab extraneo funditùs euertit, & posthumum alienum & extraneum pro eodem clarè vsurpat, dum ait: *Posthumo quoque alieno inutiliter antea legabatur: est autem alienus posthumus,* &c. *Ideóque ex emancipato filio conceptus nepos extraneus erat posthumus avo.* Quibus verbis *Iustinianus* tria denotat & docet. Primum, posthumo alieno legari non posse. Secundum, quid sit posthumus alienus (quem regula generali demonstrat, dicens eum esse, qui cùm natus fuerit, testatori hæredum suorum numero non sit) Tertium inlationem & consequentiam continet immediatæ præcedentis propositionis definitionem posthumi præferentis, à quo Imperator elicit ex emancipato filio conceptum nepotem extraneum, vel alienum posthumum esse auo. Vt inde quàm euidentissimè percipiamus, *Iustiniano* idem fuisse posthumum *alienum* & *extraneum*, & nullam differentiam inter hæc constituisse, omnémque posthumum citra suum *alienum* appellasse, & *extraneum* simul. Ne alias necessum sit dicere, à non propositis & separatis (vt aiunt Logici) ipsum arguere & inferre in d. *vers. & ideo.* Quò fit, vt certo certius mihi persuadeam ibi *Tribonianum* vsum dictione *extraneus*, vt repetitionem effugeret illius, *alienus*, qua bis paucis superioribus verbis vsus fuerat.

Secundò, ista distinctio posthumi alieni ab extraneo, & permissa institutio in primo, & vetita in secundo euidentiùs refellitur à *l. extraneo posthumo 6. D. de ventre in possess. mitt.* vbi extraneo posthumo hærede instituto venter in possessionem non mittitur, nisi in subsidium egestatis maternæ. Ex quo clarè consequimur, *Vlpianum* vt certum & indubitatum in illo *textu* præsupposuisse, posthumum extraneum hæredem institui non posse, ne cogamur fateri casum in quo posthumo extraneo ex lege hærede instituto Prætoria bonorum possessio denegetur, quod nullus vsquedum dixit neq; excogitauit.

Quòd si pro *D. Pichardo* aliquis dicat, mirum non esse si posthumo extraneo missio in possessionem in illo *text.* non detur interim dum nascitur, cùm multo longiore tempore ab hæreditatis aditione ipse idem legitimè institutus arceatur, ex *l. pupillus si fari, D. de acquir. hæredit.* cum aliis adductis *suprà.* Replicamus, consimili caussa attenta, nec posthumum aut ventrẽ suum (qui à matre prioribus tribus annis ali debet, *l. nec filium, C. de patria potestate,* cum aliis ex professo disputãdis in *cap. seqq.*) mittendum in possessionem vsquedum nascatur. Quod quàm falsum sit apertè patet ex *l. 1.* cũ suis §§. & aliis *legibus* illius *tituli D. de ventre in possess. mitten.* vbi venter vel posthumus suus illicò à morte patris in possessionem illam Prætoriam mittitur.

Nihil demum aget, qui pro *D. Pichardo* dixerit, extraneum posthumũ in d. *l. extrãneo*, sumi pro alieno, hoc est pro Aquiliano vel Velleano, qui non possunt hæredes institui: nemo enim simili euasioni arridebit & patietur in d. *l. extraneo*, posthumum extraneum pro alieno sumi, & in *l. penult. ff. de legat. 1.* & in §. *posthumus, institut. de legat.* alienum posthumum pro extraneo vsurpari, vt asserit *Doct. Pichard. suprà.*

Adhæc nullam congruam rationem inuenies, cur posthumus (quem Magister noster vocat *extráneum*, & institutionis capacem facit) institutus ex beneficio Prætoris consequatur possessionem post natiuitatem, & non ante, nisi quòd posthumus siue alienus, siue extraneus Iure Ciuili institui non potuerit, & æquitas Prætoria ei tantùm nato faueat, interim dùm nascitur à matre, cui suppetunt facultates, alendo: ab egena secùs. In quo etiam Prætor æquitatis rationem attendit & ventris conseruationem.

Ex quibus apertissimè consequimur per dictum §. *posthumo*, *versicul. & ideo*, & dict. *l. extraneo* (in quibus solis extranei posthumi mentio fit) istam extranei & alieni posthumi nouam rationem & differentiam omnino excludi.

Quam cum argumentis ab auctoritate ductis refellerimus, superest vt rationibus aliquibus conuincamus. Et primò improbatam posthumi alieni institutionem à præfata incertitudine facilè impugnamus, considerantes, cessante incertitudine, cessare etiam debere prohibitionem; hæc autem cessat cùm filio exhæredato nepos nasciturus hæres instituitur: ergo posthumus iste alienus siue viuo auo, siue eo mortuo natus auita bona ex præuia, certa & generali institutione (facienti aliàs satis dispositioni *l. inter cætera 30. D. de liber. & posthum.*) acquiret. Dices (& video) institutio ista non tenet, quia si mortuo patre viuo auo, nepos intra decem menses à morte patris nascatur, ipse is qui vt extraneus hæres institutus fuit, non potest succedere vt suus, quando se vt talem institutum non inuenit, iuxta tradita *suprà numero 253.* ab *Antonio Fabro li. nono coniecturar. capite decimo septimo.* At non securè effugisti, nam qua parte nepos posthùmus extraneus est, hæres institui potest, ex *D. Pichardo*, & ab eo dicendis paulò *inferiùs*: qua verò parte suus futurus est, potest similiter dict. *l. Gallus*: ergo institutus nepos institutione apta posthumo suo, & non suo (qualis est *suprà* posita) incertitudinem illam qualitatis posthumi excludente, vno & altero casu succedet, siue alienus aut extraneus, siue suus sit tempore delatæ successionis.

Sub hæc demus, institutionem prædictam non procedere, ob ea quæ diximus s. d. *num. 253.* & abducenda *num. seq.* Quis, quæso, negabit attenta hac noua opinione, auo permittendum posthumum nepotem vt extraneum hæredem instituere & succedere mortuo auo, & viuo patre natum? Nec istú nepotem (qui inter suos hæredes aui nec conceptus, nec natus est) peioris conditionis esse debere, quàm quilibet alius extraneus nepos velut ex filio emancipato, aut quouis alio consanguineo, vel non consanguineo susceptus? Cùm autem hanc nepotis posthumi alieni vel extranei institutionem cōcedere cogaris, ineuitabili velut fato posthumi alieni institutioné concedis: *alieni* dico, qui suus & non suus esse potest, & incertæ est qualitatis, cuius prætextu *D. Pichard.* institutionem explodebat.

Caue ne dicas, nepotis istius institutionem non admittendam, quia potuit nasci viuo auo, & mortuo patre intra decem menses próximos ab eius morte, & testamentum ipsum, in quo hæres institutus est rumpere, iuxta *suprà* tradita dicto *numero 253.* nam argues ab omnino diuersis & separatis, alienum à proposito casum immiscens: nec attendens omnem hominis dispositionem intelligendam rebus (vt nostri aiunt) in eodem statu manen-

manentibus, *l.quod Seruius,ff. de condict.cauf.data.l.cùm quis 38. ff. de solution.*iunctis his quę latissimo sermone congerit & prosequitur nouissimus *D.Castillo libr.4. suarum quotidianar. controuers.c.59.& seqq.* Nil ergo impedimento auo esse poterit, quominus posthumum nepotem non suum hæredem instituat,& ipse idem non suus tempore delatæ hæreditatis eam acquirat:non percepturus ex illo testamento,si rerum mutetur status,& suus auo præmortuo patre agnoscatur, siquidem nouum in iure non est ex superuenienti causa, testantis dispositionem infringi vel mutari,*l.in confirmando 8.l.vtilitatem 10. ff. de confirmand.tutel.l.3.§. si parens,cum seqq.ff. de administrat.tutor. Glossa* vulgaris in *l.tale pactum,§.final.ff. de pactis.* Et in causa substitutionis posthumi est insignis decisio *tex.*in *l.fin.C. de hæredib.instit.*

Ista mirè confirmabis: & subinde pręfatam incertitudinem in causa esse non posse,vt posthumus alienus non posset institui,facilè euinces, si adnotaueris,filiosfamilias & seruos(qui eadem incertitudine qualitatis laborát, & tépore delatæ successionis possunt sui iuris esse,& sibi, non patri vel domino,acquirere,*l.si seruus 82.ff. de acquiren.hæredi.*cum aliis) liberè hæredes institui posse, *l.filiusfamilias 16.ff. de testamen. l.seruus alienus 3.l.si seruus communis 7.ff.de hæred.instituend.*cum aliis pluribus huius propositi. Præuideo te distinguentem & aientem,longè diuersam esse rationem in incertitudine nepotis,à qua prouenit periculum rumpendi testamentum auitum, quod non datur in institutione filiifamilias aut serui. At non plenè nobis satisfacis,nec aliis quibusque considerantibus rupturam testamenti diuersum quid esse ab incertitudine quæ datur in institutione posthumi alieni, & ab ea differre tanquã effectus à causa:cùm ergo sola incertitudine qualitatis prædicti posthumi alieni innitatur *D.Richard.*in construenda sua ista noua docendi ratione,clarè consequimur,eandem incertitudinem qualitatis(imò ea maiorem,quę in filiofamilias & seruo inuenitur) illis impedimento esse debere, vt hæredes ab alio institui nõ possent.Aio,hanc *maiorem,* cũ in posthumo alieno incertitudo in eo versetur,an is idem posthumus successurus sit vt suus vel vt extraneus. At in filiofamilias vel seruo incertitudo latiùs vagatur, & in eo etiam versatur,an filiusfamilias vel eius pater, an seruus vel eius dominus, aut alius nouus, (d.*l.si seruus* 82.) hæreditatem sint acquisituri? Igitur planè & plenè videmus, hanc solam nouéque excogitatam incertitudinem impedimento esse non posse institutioni vel legato posthumo alieno relicto, sed illam alteram communem incertitudinem, quæ versatur in eius *natiuitate,*an nascetur? aut mulier fluxum vel abortum patietur? & in πολυτεκνία,id est,an vnus vel plures?& *qualitate,* an masculus vel fœmina nascetur? cui soli adaptari potest decisio *textus* in d.§.*incertis,institution.de legat.cum seqq.* ex latè per nos iam adductis & probatis *supra hoc cap.*ex *nu.* 37.& alibi.

274 Svperest vt ea,† quæ ab eruditissimi Magistri scriptis excerpsimus, & *suprà* retulimus, quibusdam velut notis & scholiis percurramus.

Et primò ea non probo, quæ d.*cap.* 4.*num.*10. à *Theophilo* in §.*posthumo, institution.de legat.* rationatus est in comprobationem suæ incertitudinis posthumi alieni institutionem vetantis,dicens eãdem esse *Theophili* rationem cum dicto(dum ita edisserit: *Alienus posthumus similis est incertæ personæ, & ideò ei inutiliter legatur*)si quemad-

modũ incertis personis legari nõ potest, ita nec posthumo. Nam ego rationem à propositione distinctã planè video. Propositio est: *Posthumus alienus incerta persona similis est*, à qua infert *Theophilus* (attendens vniuersalem propositionem ab eo factam in §. *legari*, cum dixit ἰνκέρτοις προσώποις, οὔτε ληγάτα, οὔτε φιδεικομμίσσα καταλιμπάνειν ἔξεστι. i. *incertis personis nec legata, nec fideicommissa relinquere licet*) *& ideò ei inutiliter legatur.* Quod efficacius exprimit Grecum exemplar, Διὸ ἀχρήστως αὐτοῖς ληγατεύομεν. *Ob id inutiliter ipsis legamus*, id est, ob similitudinem incertitudinis quam posthumus alienus habet cum incertis personis in d. §. *incertis*, quibus nec legari, nec fideicommitti poterat.

Fatemur ante *legem Velleam* nepotem de quo in §. *sequenti parte*, & in §. *ille casus l. Gallus*, testamentum rumpere, quamuis ab auo fuisset hæres institutus, sed hisce *D. Pichard.* nihil facit, nec prohibitam posthumi alieni institutionem à sua asserta incertitudine inde confirmat; cùm nepos iste, qui viuo patre & auo natus est, verè posthumus non sit, ex iam dictis & satis superque à nobis probatis *suprà* à *num.* 51. & 67. iunctis his quæ ipse *D. Pichard.* disertè ediserit in *l. Gallus* §. *nunc de lege*, à *num.* 9. At cùm de institutione posthumorum sermo est, de his tantùm loquimur, qui post mortem testantis nati sunt, quique instituebantur formula illa à *Iulio Paulo* relata in *libro 3. receptar. senten. titulo 4. Si qui post mortem meam posthumi nati fuerint, hæredes mihi estote:* quæ nullo modo referri potest ad posthumos, quos Velleanos appellamus, vt qui vno & altero capite *legis Iuniæ Velleæ* viuo auo testatore præsupponantur nati; arguit ergo à diuersis *D. Pichard.*

Concedamus, posthumum Velleanum verum esse posthumum, & auitum testamentum ante *legem Velleam* rumpere, quamuis fuerit institutus: certè hoc ab incertitudine institutionis à *D. Pichardo* excogitata non prouenit, sed quia institutus vt posthumus iuxta formulam præscriptam & *suprà* relatam si viuo auo testatore nasceretur, inutiliter sese inueniebat institutum, hoc est, in casu diuerso & à testatore omisso: imò nec permisso, si verus posthumus esset, cùm tempore testamenti & institutionis posthumus alienus esset, vt notauimus *suprà num.* 253. & (sui oblitus) ratus fuit *D. Pichard.* in *l. Gallus*, §. *nunc de lege, numer.* 6. Sed & *numer.* 11. (nostra adstruens) asserit, *legem xij. Tabularum* noluisse nascituros in vita patris institui. Cùm ergo ante *legem Velleam* institutio posthumi tunc tantùm teneret cùm natus esset post mortem testantis, inde planè eueniebat, vt posthumus Velleanus natus viuo auo testante succedere non posset, ex regula *l. commodissimè, ff. de liberis & posthum.* & ita hac eadem lege expensa fatetur idem *Doct. Pichard.* in dict. §. *nunc de lege, numer.* 7. & 13. & prosequitur latiùs, & disertè quidem in §. *sequenti parte, num.* 10. Indeque fiebat, vt quamuis sese posthumus iste ab auo inueniret institutum, si agnatione suus ei fieret, hoc est, patris auo viuo præmortui locum subintraret, nihilo-magis institutio illa inualida teneret, quin potiùs agnatione testamentum auitum nepos (factus suus & necessarius heres) rumperet, §. *posthumum, instit. de exhæredat. liberor.* §. *sui, instit. de hæred. qualitate & different.* d. *l. Gallus*, §. *sciendum.* Ex quibus cessat expensio verborum d. §. *sequenti parte*, & d. §. *ille casus*, quæ magni *D. Pichard.* faciebat d. *cap.* 4. *numer.* 110. cùm alterius essent casus & rationis diuersæ ab eodem post alios designatæ in præcita-

præcitatis locis: ad quæ recurrere oportebit exactioris dictorum §§. elucidationis cupido, quæ negotij nostri non est.

Dum tamen non prætermittamus, prædictam rationem designatam ad *legem Velleam* non impugnari (vt *Ant. Faber* existimabat *lib.9.coniectur.c.19.*) à *l.si qui hæres 18. ff. de iniusto, rupto, irritóque testam.* & *l.filio 23. §.si Titius, ff. de liberis & posthum.* Quibus & decisioni *textus* in *l.Gallus, §.fin.* & in *§.seruus autem à domino, instit.de hæredib. instit.* optimè fecit satis ex mente eiusdem *Fabri*, *D.Pichard.* in *d.l.Gallus, §. sequenti parte* ex *num.* 14. eiúsque solutioni & considerationi mirè fauet à *Iustiniano* assignata ratio in *d.§.seruus autem*: vt ita euites infelicem *Fabri* subtilitatem *d.cap.19.* à *D.Pichardo* disertè impugnatam *d.§.sequenti parte, à num.21.*

Cùm autem *D.Pichard.num.11.* dictam *l.posthumus 6. ff.de inoffic.testam.* intelligit in posthumo suo & extraneo omnino, non in eo (quem vocat alienum, & nos Aquilianum appellamus) generalem sanè illius *legis* interpretationem nimis restringit, quæ ad omnes posthumos siue suos, siue successores legitimos, siue cognatos (qui inofficiosum etiam testamentum, quamuis difficulter dicere possunt, *l.1. ff. de inofficioso testament.*) refertur, vt patet ex illis verbis: *Posthumus inofficiosum testamentum potest dicere eorum, quibus suus hæres, vel legitimus potuisset fieri, si in vtero fuerit mortis eorum tempore. Sed & cognatorum, quia & horum ab intestato potuit bonorum possessionem accipere.* Nullus enim audebit dicere, successionem legitimam (posthumo concessam in *l.3 §.vtique*, & in *l.Titius 6. cum sequenti, ff.de suis & legitimis hæredibus*, & in *l.qui in vtero 26.ff. de statu hominum.*) Aquiliano non competere; & aui fratrem (quod exempli gratia dictum velim) præferendum nepoti eo viuo concepto, & post mortem patris, deinde aui ab intestato decedentis intra decem menses nato, vt reuera supponit *D.Pichard.* Quod euidentissimum nobis suppeditat argumentum contra eius interpretationem ad *dict.l.posthumus*, & clarè præ se fert intelligendam de posthumo quocunque agnato vel consanguineo proximiore, qui querela inofficiosi testamenti agere potest. Imò dispositio illius *textus* cuilibet posthumo alieno *D.Pichardi* adaptari potest, extraneo verò cuicunque non ita, sed ei tantùm, qui vt agnatus legitimus proximior succedit defuncto ab intestato ex dictis *legibus*: velut cognatus defuncto propinquior ab intestato potest ex beneficio Prætoris bonorum possessionem petere ex *d.l.posthumus*, in verbis proximè relatis.

Sed & sequentia illa & immediata: *Quid ergo? eis imputatur, cur intestati non decesserant? sed hoc apud iudicem nemo potest impetrare, non enim interdicitur testamenti factione* (quæ ex sententia *D.Pichardi* referri debent ad posthumos extraneos) clarè demonstrãt horum institutionem fuisse prohibitam, idem enim important ac si *Vlpianus* diceret vel obiiceret, posthumo consanguineo proximiori defuncti querelam non esse dandam, quandoquidem cum si voluisset hæredem instituere testator non potuisset, vt qui extraneus erat posthumus: testamento autem infirmato ab intestato decessisset, & per consequens testamenti factione interdiceretur is cui aliàs permissum est facere testamentum: his autem respondet *Vlpianus*: *Hoc planè ei imputare potest, cur eum hæredem non scripserit, potuit enim scriptus hæres in possessionem mitti, ex clausula de ventre in possessionem mittendo. Item natus*

ſecundum tabulas haberet: quibus verbis planè *Vlpianus* ſupponit extranei poſthumi inſtitutionem non tenere Iure Ciuili. Imò id clarè expreſſit, dum ait, teſtatori imputari cur poſthumum agnatum vel conſanguineum proximiorem hæredem non adſcripſerit teſtamento ſuo, quod ſaltem Iure Prætorio ſuſtineretur, *§.poſthumus, inſtit. de legat.* eiúſque virtute venter inſtitutus in poſſeſſionem mitteretur, d.*l.extraneo, ff. de ventre in poſſeſ. mitten.* & natus bonorum poſſeſſionem ſecundùm tabulas haberet, hoc eſt, beneficiis iſtis Prætoriis adiuuaretur, qui Iure Ciuili omnino deſtitutus reperiebatur: alioquin *Vlpianus* ad ſola remedia Prætoria non recurreret. Vt inde quàm manifeſtiſſimè appareat, nullum eſſe in *Digeſtis textum*, qui ita opinionem euertat *Spanochij*, & *D.Pichardi*, & communem confirmet ac d.*l.poſthumus, ff. de inofficioſ. teſtam.*

Quæ verò *D.Pichard.* d.*c.*4.*numer.* 112. adducit circa interpretationem & conciliationem *§.poſthumo quoque* cũ *§.poſthumus, inſtitutien. de legat.* vt primus loquatur in poſthumo alieno, ſecundus in omnino extraneo, impugnatione non egent conſiderantibus *Iuriſconſultos* & *Iuſtinianum* vel has voces in eadem ſignificatione vſurpaſſe, ex iam dictis, vel malè illis vſos, & extraneum pro alieno, alienúmque pro extraneo accepiſſe, vt s̃. annotauimus. Nec enim hac violenta interpretatione opus eſt ad illorum iurium conciliationem attenta communi, cuĩ maior pars Interpretum antiquiorum & nouiorum iuris aſſentit, & nos s̃. ex *num.*169. latè comprobauimus, & ibidem verum ſimul ſenſum d.*§.poſthumus, verſ. & ideò enodauimus.*

Omnia itidem quæ ab iſto *Auctore* notantur *d.c.*4. à *nu.*118. circa interpretationem *tex.in princ.inſtitut.de bonor.poſſeſ.* proſequuti ſumus, & refellimus s̃. veram & communem illius *textus* interpretationem firmis rationibus adſtruentes.

Fatemur cum *D.Pichardo* d.*cap.*4. à *num.*122. *Galli* conſilium intelligendum de alieno poſthumo, dum ſubaudias, *tempore inſtitutionis, & ſuo futuro, tempore delatæ hæreditatis*: negamus tamen incertitudinem (quam omnium primi excogitauerunt *Salomoni. & Gouean.* in d.*l.Gallus in princ.* & fouit *D.Pichard.* poſt *Maſin.* in dict.*l. Gallus*, d.*n.*251.) in cauſa fuiſſe, vt ante cautionem *Galli* inſtitui non poſſet, quin potiùs iſta referimus ad incertitudinem ſępè & ſępiùs iam repetitam, quam communis approbauit, & quia poſthumus Aquilianus, alienus tempore teſtamenti inſtitui non poterat, vt qui non eſſet in rerum natura. Hæc autem precauit *Gallus* ſua formula poſthumum iſtum inſtituens, quo tempore exiſteret, & ſuus ſimul hęres eſſet: *lex* ergo iſta (quę *D.Pichardo* poſt *Maſinium* anſam præbuit nouæ iſti adinuentioni) nil ſanè minus probat, quàm quod ipſe putarat, & ei apertè imponit.

Nec eſt cur inſiſtamus in impugnatione eorum quæ *num.*123. & pluribus ſeqq. adducit circa interpretationem *l.penult. ff. de legat.*1. quæ planè ceſſant ex dictis per nos s̃. à *num.* 254.

MANEAT ergo deinceps firma & irrefragabilis communis Interpretum ſententia, quæ poſthumum alienum iure (à Prudentibus, conditoribúſque eius admiſſo) inſtitui vetat, ſuum verò non ita: & *Gallum* cautionem inueniſſe, qua poſthumus alienus futurus ſuus in teſtamento ſcriberetur hęres, eámque à iure antiquo, id eſt, aptis Iuris Ciuilis regulis depromptam deinſecurè dicamus cum *Scæuola*, ita intelligendo

ligendo, in d. *l. Gallus, in princ.* & §. *si eius*: vt vites quę in proposito non ita aptè dixit *Anton. Fab. lib. 9. coniect. iur. c. 12.*

Ab his in *D. Pichard.* disertissimum Magistrum annotatis vltrò discedam, dum vnum illud notandum subaddā alienum posthumum eum propriè dici in d. *l. penult. ff. de legat. 1.* cum aliis, qui extraneus est omnino: ad similitudinem alieni serui, de quo in *l. 2. §. codicillorum, ff. de iure codicill. l. si alienum 49. ff. de hæred. instit. l. si alienum hominem 35. ff. de legat. 1.* contra positione facta nominum *suus* & *alienus*, quæ tam seruo, quàm posthumo concinnè adaptantur. Vt inde planum & euidens sit nullum esse posthumum non suum, qui non sit alienus, quemadmodum nullus est seruus, qui non sit alienus, si suus non est.

SED pro complemento nostræ huius tractationis de institutione posthumi: & omnino vendicanda cōmuni opinione, quam defendimus ab aliorum impugnationibus: & magis ac magis affirmanda communi & veriori interpretatione ad *l. Gallus* §. adducta. Restat vt aliquibus aliis obiectiunculis, quas congessit *D. Pichard.* d. c. 4. ex *n. 132.* ex integro fiat satis.

277 Et primò decisioni *l. Gallus* † opponitur *textus* in *l. in tempus 62. ff. de hæredib. instit.* ibi: *In tempus capiendæ hæreditatis institui posse hæredem beneuolentiæ est*, id est, ex iure non est, vt bene interpretatur *Anton. Fab.* d. *lib. 9. coniectur. c. 20.* & probatur apertè in *l. ab Anastasio 23. in princ. C. mandati.* & in *l. quidam cùm testamentum 5. §. sed cùm veteres, C. de necessar. seruis hæred. instit.* & in §. *extraneis, verf. sciendum, institution. de hæred. qualit. & different.* vt inde nulla & infirma videatur institutio posthumi sui & Aquiliani, quæ in tempus capiendæ hæreditatis confertur. Sed facilè resp. (ex *Florentino* Iurisconsulto in *l. alienum 49. §. in extraneis, ff. de hæred. instit.* & *Iustiniano* in §. *in extraneis, institut. de hæred. qualit. & diffe.*) regulam d. *l. in tempus*, tantùm procedere in hærede extraneo, in quo capacitas inspicitur tribus illis temporibus designatis in prędictis §§. *in extraneis*: in suo verò † tantùm exspectatur & requiritur tempore delatæ hæreditatis, vt optimè notauit & distinxit bonus *Accursius* communiter receptus in d. *l. si alienum, §. in extraneis, verb. hæreditatem.* & in §. *in extraneis, institut. de hæred. qualit. verb. tria tempora:* & probatur in d. *l. Gallus, §. forsitan*, ibi: *Hic enim suus hæres nascitur, & post mortem nascitur*: & apertiùs in §. *nunc de lege*, ibi: *Quid enim necesse est tempus testamenti faciendi respici, cùm satis sit obseruari id tempus quo nascitur?* & nobis apertiùs in *l. 22. tit. 3. part. 6.* 278

Et hoc planè denotauerunt *Florentinus* & *Iustinianus* in prędictis §§. dum quæstionem habito respectu ad extraneos hæredes decidunt, quasi aliud sit in suis, vt re vera est, ne aliàs testamenta infirmarent agnatione, vt optimè aduertit *D. Pichard.* in d. §. *in extraneis, in fine.* Vel quia (vt notauit *Mi∫ynger.* ibi *numer. 2.*) non potest non esse cum suis & necessariis hæredibus (cùm ipsis suitas, necessitásque cohæreant) testamenti factio, quæ cum extraneis aliquando nobis est, aliquando non est; & ideò in eis illa tria tempora requiruntur, in suis verò hæredibus non ita.

Vt inde veniat improbanda communis aliorum sententia in d. §. *in extraneis, instit. de hæred. qualit. & different.* (cui adhæret ibidem *D. Pichard. num. 15.* & in dict. *cap. 4. num. 151.*) aliter distinguentium; & simul existimantium, in successione ab intestato sui hæredis capacitatem requiri tantùm

tempore delatæ successionis, in testamentaria verò tribus temporibus expressis in dict.§.*in extraneis:* nam iura quibus istam suam adstruunt opinionem & distinctionem (ea sunt, *l.si quis posthumos 9.§.si filium,ff.de liber.& posthum.l.si quis filio exhæredato 6.in princip.ff.de iniusto,rupto, irrito fact.test. l.1. §.sciendum,ff.de suis & legitim.hæred.l. scripto 7.ff.unde liberi,§.cùm autem,instit.de hæred.quæ ab intest.defer.*) apertè probant, in successione legitima capacitatem suorum heredum tantùm attendi tempore delatæ successionis, nō tamen exprimunt vel requirunt aliam in testamentaria. Et ideò in vtraque idem erit tenendum, maximè attento §.*forsitan*, & §.*nunc de lege*, in verbis s̃. relatis.

Quæ verò *D.Pichar.* post *Ant.Fab.* notat & ait (ex *Galli* formula posthumum suum, non alienum, institutum, & in eum casum quo suus esset, non antea, ita vt institutio nunc incipiat, cùm posthumus verè suus est, & primum gradum in successione occupat) beneuolentiam *l. in tempus* non excusat, cùm pariter ista institutio & ad normam contentæ in d.*l.in tempus*, conferatur in tempus habile, à quo initium vtraque sumit. Vt ergo beneuolentiam istam in consilio *Galli* euitemus, necessum est fateri in sui hæredis institutione capacitatem referendam ad tempus delatę successionis, nec vllo alio requiri, ex iuribus s̃.adductis.

Secundo loco *Galli* consilium impugnatur ex *l.item veniunt 22.§.ait Se-*
279 *natus cùm antequam,*† *ff.de petit.hæred. l.vnica in princ.* & in §.*& cùm triplici, C.de caduc.tollend.* cum reliquis, vbi mortuo primo herede instituto viuo testatore hereditas caduca efficitur, & fisco defertur. Sed *D.Pichard.* aptè ex aliorum sententia occurrit huic obiectioni d.*c.4.*ex *nu.157.*aduertens, *legem Papiam Caduciariam* post *Galli* consilium latam fuisse, & ideò ei non potuisse obstare. Idem liberos testatoris vsque ad tertium gradum (quo posthumus Aquilianus includitur) predictā legem excipere, d.*l.vnica,§.& cùm lex Papia, C.de caducis tollend.* His ego addo, *legem Papiam* tunc fisco locum facere, cùm testamentum morte præmutata hæredis in vita testantis infirmabatur, nullo ei dato substituto, *l.si in testamento 5. ff.de vulgari, l.miles ad sororem 75.§ final.ff. de legat.2. l. vnica in princip. C.de caduc.tollend.* vel alio non vocato simul & instituto, ac in consilio *Galli*, facit *l.vnica,C.de his qui ante apert.tabul. hæred. transmit.*

Tertiò, in istud *Galli* consilium adduci solet, mortuo filio in vita patris testantis neminem ex eius testamento hæredem posse existere, vulgari *l.si intimo 9.ff.de testam.tut.* iuncta *l. nam et si 5.versicul.post defectum,ff.de iniusto,rupto,irrito fact.testam.§.1.instit. quibus modis testam.infirmen.* Sed facilè resp. testamentum in quo cautio *Galli* adhibetur, mortuo filio ex institutione † nepotis iam expensa sustineri. Quòd 280
si instet aliquis, liberè posse auum mortuo filio nepotem nouo testamento hæredem scribere, nec opus esse *Galli* cautione. Resp. *D.Pichard.suprà numer.167.* ex *Castren.* & *Anton.Fabro*, adhuc consilium *Galli* vtile fuisse, vt securè homines ab initio testentur, ne postea morte incauta impediti testamentum facere non possint, & ita intestati decederent. At ego puto, † quinimo clarè video, *Gallum* præ- 281
uenisse non tam casum in vita aui contingentem (quo *D.Pichard.* loquitur, *Gallus* verò non ita) quàm post mortem eius euenturum; idque principaliter sua formula & cautione ipsum præcauisse, qua tantùm media nepos post mortem patris, deinde aui na-

ui natus hæres institutus inueniretur.

Quartò, *Galli* consilio obiicitur,
eo opus non fuisse cum substitutio-
ne vulgari plenè consultum esset post-
humo nepoti ex ea ad hæreditatem
auitam admittendo patre instituto
vel mortuo, vel deportato, vel ab
hostibus capto: his enim & simili-
bus causis filius hæres non est, & ne-
282 poti substituto locum planè facit. Sed
resp.†*D.Richardus* d.*c.4.num.*168. sub-
stitutionis vulgaris longè aliam esse
rationem, quia licèt ad omnes casus
impotentiæ in nepote Aquiliano re-
ferri posset, non tamen eum compre-
hendit, quem nostri noluntatis appel-
lant, vt puta si filius institutus mortuo
auo hæres esse nolit, in quo nepos
omni tempore alienus inueniretur, &
institutus contra Iuris Ciuilis prohi-
bitionem. Addit ex *Anton.Fabr.libr.9*
*coniect.cap.*11. in substitutione vulgari
nepotem instituendam fore sub con-
ditione, tunc effectum sortitura, cùm
filius delatam hæreditatem acquirere
nollet, & repudiaret. Hoc autem eue-
nire non potest, nisi auo priùs mortuo
hæreditas filio deferatur, & nepos o-
mni tempore alienus posthumus, &
institutionis, substitutionisve inca-
pax inueniretur: substitutio ergo
vulgaris non plenè prouidet post-
humo nascituro, & longè distat à
consilio & cautione *Galli*, qua ne-
pos posthumus velut institutus vi-
detur antè quàm natus & suus sit,
& verè institutum sese inuenit, cùm
suus esse incipit, ex dictione illa,
TVNC, posita, sine subintelligen-
da in formula *Galli*, ex iam dictis
*suprà num.*249. quæ vt disertè adsc-
rit *Faber suprà*, non idem operabi-
tur in substitutione vulgari, cuius effe-
ctus confertur in tempus, quo filius
hæres nolit esse id quod morte aui &
delata iam hæreditate verificatur, non
antè.

His subadde, posthumum institutum iuxta formulam *Galli* nec vllo modo vulgariter sustitutum esse posse, vt colligitur ex d.*l.Gallus*, & probatur in *l. si mater* 33.*§.1.ff. de vulg.& pupill.substit.* Et ratio in promptu est, quandoquidem in consilio *Galli* fieri non possit, vt hæreditas simul filio & nepoti deferatur, vt optimè notant *Gouean.Cuiac.& Torniell.* in d. *l. Gallus num.*30.*Gilken.numer.*35.*Spanochius p.9.numer.*5.*Petr.Gregor.lib.*42.*titul.*11.*num.*9. idem *Cuiac.tract.*2.*ad African. in commen.ad* d.*l.si mater*, §.1. Obcurrit namque *Gallus* casui, qui in vita filij priùs instituti contingere non potuit, nec per vulgarem substitutionem preuideri, & rupturæ insuper testamenti aliàs euenturæ natiuitate posthumorum: & inde eorum tantùm meminit. Summa ergo sit (vt paucis rem comprehendamus) consilium *Galli* casui longè diuerso à substitutione vulgari prouidere: eoque medio institutionem posthumi nondum nati inuētam, vbi cæteri Iurisprudentes vel non cogitarunt, vel sibi certò persuaserūt eam respuendam, velùt posthumi, quem putabant alienum.

Quartò, *Galli* consilium superuacuum videtur, attento Iure Prætorio, institutionem, legata, & fideicommissa alieno posthumo relicta sustinente. Sed respondent nouissimi *Salmaticenses* (quorum scriptis multò post ista elaborata incidimus) testamentum (ab institutione posthumi alieni nullum, *§.posthumo, institut.de legat.princ.instit.de bonor.possess.*) iure Prætorio sustineri, tamen sine re, id est, effectu, si datus cohæres fuerit alieno posthumo (ex asse hæreditatem consequuturus, *l.si tu ex parte* 76. *ff.de acquirend. hæredit.*). vel si posthumus ipse solus fuerit institutus, qui alias non erat successurus ab intestato: nam legitimi (inquiunt) hæ-

redes tunc admittentur eo omnino excluso, iuxta *princip. institution. de legit. agnat. success.* Vt inde clarè (secundùm istos) inferatur bonorum possessionis secundùm tabulas remedium Prætorium tunc tantùm posthumo alieno hæredi instituto competiisse, cũ ex asse esset institutus, & suus inueniretur auo, vel aliàs successurus ab intestato. Et hoc ipsum in legatis & fideicommissis procedere aiunt, quę nisi posthumo alieno hæredi aliàs legitimo ab intestato non deberi defendũt, ex *l. posthumus* 12. *in princ.* & in *§. idem & circa, l. filio præterito* 17. *ff. de iniusto, rupto, irrito facto testam. l. si duobus* 12. *§. si prius, ff. de bonor. possess. cont. tab. l.* 1. *§. fi. ff. de legat. præst.* Ab hisque differentiam constituunt inter consiliũ *Galli* & Ius Prætorium.

Sed ista sustineri non possunt, vt quæ à iure deuia, & eius principiis; & subinde propositæ difficultati non respondentia. Est enim longè verius bonorum possessionem secundùm tabulas cuique scripto hæredi à Iure Prætorio indultam fuisse, quamuis potior ipse & ab intestato aliàs successurus non esset: nisi quo casu liberi (de quibus in *l.* 1. & in *l. illud* 4. cum aliis, *D. de bonor. possess. cont. tab.*) præteriti essent. Id quod apertè probatur in *l.* 2. *in prin.* & in *§. si primus, l. si ita scriptum* 8. *l. fi. ff. de bonor. possess. secundùm tab.* & clariùs ex *Vlpiniano* in *fragment. tit.* 28. *§.* 3. ita dicente: *Secundùm tabulas bonorum possessio datur scriptis hæredibus, scilicet si eorum, quibus contra tabulas competit, nemo sit, aut petere nolint.* Et in causa posthumorum (de qua noster præcipuus sermo) est *textus* singularis in *l.* 3. *ff. de bonor. possess. secund. tab.* vbi *Paulus* ita ait: *Verum est,* OMNEM *posthumum, qui moriente testatore in vtero fuerit, si natus sit, bonorum possessionem petere posse.* Et apertiùs hoc ipsum edixit *Vlpian.* in *l. extraneo* 6. *ff. de vent. in possess. mitten.* iunctis his quæ tradidimus s. *numer.* 275. & dicemus in *§. sequ. num.* 12. Nec contrarium probat *d. l. posthumus* 12. cum aliis s. adductis: quinimo ex iisdem totum contrarium elicitur. ¶ Excepta vna illa, *l. si duobus* 12. *§. si prius, ff. de bonorum possess. contra tab.* à cuius vitiosa sanè lectione ilud certè deprehenditur filio præterito bonorum possessionem contra tabulas dari in legitimos hęredes aliàs patris testamento scriptos: eo verò non petente iisdem secundùm tabulas competere, imò eius remedio præcisè vti debere attento *Edicto* & *titulo* 4 *lib.* 19. *Digestorum: Si quis omissa causa testam.*

Adhæc prędicta *Salmanti censium* solutione præpositæ difficultati (vt prædiximus) non fit satis, quandoquidem in consilio *Galli* instituatur nepos aliàs ab intestato filio de medio subducto successurus; vt inde mortuo filio in vita aui instituto nepoti bonorum possessionis secundùm tabulas remedium planè & plenè competat.

His ergo reiectis tu dic, *Gallum* cautelam siue formulam inuenisse, qua posthumus alienus tempore testamenti institui potuisset, ac si suus esset, ita vt auxilio Prætoris non indigeret, qui Iure Ciuili & communi institueretur. Quòd si instes, à consilio *Galli* superfluum fieri remedium & auxilium Prætoris, aliàs nepoti posthumo hæredi instituto competens. Respond. idipsum & posthumo suo, & cuique mero iure legitimè instituto opponi posse: datur enim bonorum possessio secundùm tabulas, & hęredi ex lege iuréve instituto, id quod non sine re & effectu fit, iuxta ea quę cum *Mynsingero in Commentar. ad titulum institutionum de bonorum possessione,* annotabimus *inferiùs* pluribus adductis hoc *cap. §.* 4. *nu.* 9.

Quinto

Quintò demum & vltimo loco *Gal-*
li cautioni & formulæ opponi ſolet, fi-
lium in ea rectè inſtitutum non vi-
dêri per illa verba: *Si filius meus viuo*
282 *me morietur*, † quæ enunciatiua ſunt,
non directa & ciuilia, ac in hæredis
inſtitutione requiruntur, vt proba-
ti videtur. Primò in *l. hæredes palàm*
21. *ff. de testamentis*. Secundò in *l. quo-*
niam 15. *C. eodem tit.* vbi verba forma-
lia, ad inſtitutionem neceſſaria, viden-
tur deſignari. Tertiò in *l. in teſtamentis*
26. *C. eodem*. Quartò ex *Vlpiano in fra-*
gmentis ti. 20. *§. in teſtamento.* Quintò in
l. verbis ciuilibus 7. *ff. de vulgari.* Sextò
in *l.* 2. *C. commun. de legat.* ¶ Hanc diffi-
cultatem vt effugeret *Gloſſ.* in d. *l. Gal-*
lus, verbo *poſſe*, præſupponit formulæ
Galli inſtitutionem filij preceſſiſſe, quę
fuit ſententia *Cyni, Baldi, Alberici, An-*
geli, Cumani, Aretini, Imolæ ibidem, &
aliorum plurium, quos referunt & ſe-
quuntur *Bolognet. numer.* 133. *Gilken. nu-*
mer. 19. *Maſin. à num.* 602. quibus adde
Spanoch. particul. vlt. num. 9. *Boëtium* ex
num. 50. *Duaren.* & *Cuiac.* in d. *l. Gallus,*
§. idem credendum, & in *§. in omnibus,*
eundem *Cuiac. conſultat.* 31. & 35. *Fa-*
chin. lib. 4. *controuerſ. cap.* 51. & 76. & *lib.*
12. *cap.* 40. & *libr.* 13. *cap.* 45. *Anton. Fa-*
brum lib. 9. *coniectur. cap.* 10. & *de erro-*
rib. pragm. decade 26. *errore* 1. & *ſeqq.*
D. Richard. (qui hos refert & ſequi-
tur) d. *cap.* 4. *n.* 172. Sed & is *nu.* 174. filij
inſtitutionem ab *Scæuola* omiſſam aſ-
ſerit, quia trita & omnibus nota erat
ſimul cum regula *l. inter cætera* 30. *ff. de*
283 *liber. & poſthum.*

Sed mihi ſemper probabilior † viſa
fuit opinio *Bart.* in d. *l. Gallus num.* 5. &
in §. 1. *num.* 2. & in *l. ſi quis eum*, §. 1. & in
l. cohæredi, §. final. ff. de vulgari & pu-
pillari, aſſerentis ex prædictis illis ver-
bis: *Si filius meus viuo me morietur,*
inſtitutionem eiuſdem filij induci, nec
alia præcedenti & ſeparata à formu-
la *Galli* opus fuiſſe. Eiuſque ſenten-
tia (à *Saliceto, Paulo, Alciato, Fortu-*
nio Garcia, Lancelloto Galliaula, & a-
liis recepta) valdè arridebit cuique
conſideranti, nullibi in iure formulas
inueniri obſeruatas & adhiberi ſoli-
tas in inſtitutione hæredis, ſiue ſui, ſi-
ue extranei: quinimò ex quibuſuis
verbis, animum teſtantis denotanti-
bus, inſtitutionem induci, probat a-
pertè *Vlpianus* in *l.* 1. §. *qui neque lega-*
turus, & in §. *ſi autem ff. de hæredib. in-*
ſtituend. vbi inſtitutio concipitur illis
ſolis verbis: LVCIVS HÆRES, vel
LVCIVS ESTO: imò ex ſolo verbo
LVCIVS, ante tempora *Marcelli* (hâc
vltimam inſtitutionem ab aliqua for-
tè an lege vel cōſtitutione ibidem im-
pugnantis) facit *textus* in *l. errore* 7. *C.*
de teſtamentis.

Inde eueniebat, vt diuerſis verbo-
rūm notis † hæredes inſtituerentur, vt 284
ſi dixerit teſtator: *Hæres eſto*, vel: *Mi-*
hi hæres ſit, *l. ſi ita ſcriptum fuerit* 47.
§. 1. *ff. de hæredib. inſtituend.* *Hæredita-*
tis meæ dominus eſto, *l. his verbis* 48. *eo-*
dem titulo: *Hæredem eſſe iubeo*; *Vlpia-*
nus in fragmentis tit. 21. cum aliis pluri-
bus adductis à *Barnaba Briſſonio lib.* 7.
de formulis fol. 662. & *ſequentibus, ver-*
ſic. rectè quidem. Vt inde per quàm e-
uidens fiat, formulas certas Iure Ci-
uili inſtitutas non fuiſſe in hæredum
inſtitutionibus, cùm verbis quibuſque
animum teſtantis denotantibus in-
ſtitutio fieri poſſet, vt probant præ-
dicta iura, cum aliis *inferiùs* expen-
dendis. Ne aliàs fateri cogaris infi-
nitas propè fuiſſe formulas ſuper in-
ſtitutionibus hæredum, & à ſyllaba
cadentem inutiliter teſtari (quando-
quidem is qui cadebat à ſyllaba; ca-
debat ſimul à cauſa, ex *Glòſſa* com-
muniter recepta in *l.* 1. *C. de formul.*
& *impetrat. ſublat.* verbo *aucupatione*,
quam ſequitur *Briſſon. lib.* 5. *de formul.*
ductus auctoritate illa *Ciceronis* (vt
ipſe ait) *libro* 2. *de inuentione*: *Ita ius*

habemus constitutum, vt cadat is qui non quemadmodum oporteret, egerit. Ni malis saltem errantem in prolatione formularum ab instantia cadere, vt alij mihi veriùs putant, argumento *textus* in *l.1.§.si autem, ff.si mensor fals.mod. dixerit*: & clarè puto probari in *l.libellorum, versic.quòd si libelli, ff.de accusationib.* (vt inde suspicionem eorum confirmem, qui *librum de Inuentione* falso tribui *Ciceroni* putarunt) Vtcunque verò sit, necessum erat, testantem à syllaba cadentem inutiliter testari, si verborum formulæ in institutionibus hæredum essent necessariæ. Vel solénia verba in eis semper essent adhibenda, vt post alios *infra* referendos, existimauit *Cuiacius in commenta. ad titulum C.de testamentis*: nam à verbis solemnibus recedere non licebat, *l.2.§. deinde ex his legibus, ff.de origine iuris, l.2. C. de constituta pecunia, l.1.C. de acceptilation. l.finali.§. omnem, C.de administratione tutorum*, & ex *Cicerone pro Roscio* firmat *Brissonius, suprà*, & mihi apertiùs probat *in Oratione pro Domo*, in illis verbis: *Si Tribunus Plebis verbis priscis, & penè* SOLEMNIBVS *bona ciuis cuiuspiam consecraret*: & hoc sensu sacrificia appellauit SOLEMNIA *libr. 4. de natura Deorum*, & *libris de legibus*.

Prædictis addo, hæredum institu-
485 tiones per verba obliqua † fieri posse & sustineri, vt si quis dicat: TITIVM HÆREDEM ESSE IVBEO, *Vlpianus in fragmentis*, dict. *tit.21.* (verbum enim IVBEO, obliquum & precarium est, *l. Aurelius 28.§. quidam ita, ff.de liberatione legata*, iunctis his quæ contra *Alciatum* notat *Cuiacius ad lib.4.Sententiarum Pauli, titul.1.§.fideicommittere.*) Vel ita: TITIVM HÆREDEM ESSE VOLO, *l.illud 13.§.1.ff. de iure codicillorum.* iunctis his quæ *inferiùs* ad interpretationem illius *textus* contra *Cuiacium* expendemus: nulli autem dubium est verbum, VOLO, inflexum esse & precarium, *§.fin.institution.de singulis rebus per fideicommis.relict.* cum aliis pluribus *inferiùs* adducendis. Vel ita: TITIVS HAERES ERIT, *l.filij etiam 17.ff.de liber.& posthum.* cùm tamen verbum, ERIT, directum non sit, vt colligitur ex dicta *l. quoniam, C.de testamentis*, & firmat ibi *Petrus Gilkenius num.2.*

Quòd si opponas, verba obliqua, inflexa, aut precaria fideicommissis conuenire, vt de verbis PETO, VOLO, MANDO, FIDEI TVAE COMMITTO, testatur *Iustinianus* in *§.fin. institution.de inoffic.testamen.* & *Vlpianus in fragmentis tit.25.§.verba.* Et de verbis ROGO, DEPRECOR, CVPIO, INIVNGO, DESIDERO & IMPERO, *Iulius Paulus libro 4.Sentent.tit.1.§.fideicommittere*: & de aliis atque aliis verbis *Vlpianus* & *Martianus*, ille in *l. etiam 115.* iste in *l.si quid 117.ff.de legatis 1.* Respond. verba prædicta † fideicommissum inducere, cùm diriguntur in fideicommissarium, qui de manu hæredis legitimi, vel ex testamento hæreditatem, vel eius partem percepturus est, vt in *principio institution de fideicommiss.hæredit.* Quando verò hæres fideicommissi onere non prægnatur, verbis etiam obliquis rectè & ciuiliter hæres instituitur: dum tamen talia sint, quæ animum denotent testantis hæreditatem suam alicui relinquentis, vt in exemplis *suprà* propositis. Idemque dicas ita institutione concepta: TITIVM HÆREDEM MEVM ESSE MANDO: vel VOLO: CVPIO: INIVNGO: DESIDERO: IMPERO, &c. Vel si ita fiat hæredis institutio: HÆREDITAS MEA PERVENIAT AD TITIVM: vel TITIVS IN HÆREDITATE MEA SVCCEDAT: aut HABEAT HÆREDITATEM; vel AD TITIVM DEVOLVATVR: aut REVERS

VERTATVR HÆREDITAS MEA, & aliis similibus modis, indirectis quidem & omnino alienis à formulis & conceptis verbis, quæ post alios necessaria putabant *Cuiacius suprà*, & *Donellus*, & *Gilkenius* in dicta *l.quoniam, C.de testament.* ille *num.3.* iste *numer.1.*

Quòd si prædictas institutiones non admittis, cedo *textum* in *Digestis*, vbi improbentur.

287 Nec quidquam facies, si dicas, † verba illa: *perueniat: succedat: pertineat: redeat: habeat: remaneat: deferatur: deuoluatur: reuertatur*: & similia communia esse, vt voluerunt *Bartol.* & alij in *l.Centurio, ff.de vulgari*, & in *l. precibus, C.de impuberum*, Canonistæ in *cap. si pater, de testament. lib.6. Crassus in lib. Sententiarum*, §. *substitutio*, *quæst.4.* *Gothofredus* in *l.2. C.de codicillis.* Vel æquiuoca, vt post *Ioannem Fabrum* dixit *Mynsingerus* in §. *final.* *dum.10.& 11. institution. de pupil. substitutione*: & inde tam directæ quàm obliquæ substitutioni adaptari posse. Hoc enim euidens Interpretum Iuris commentum est, vt ab institutione verbis directis (quæ ciuilia vocant) præcisè facienda non desisterent. Enimverò hac solutione admissa, nullam dare certè poterimus institutionē per verba inflexa factam, cui vaga ista responsio non occurrat, quodcunque verbum institutioni appositum commune vel æquiuocum ad libitum faciens.

Minus obstabit, si opponas, institutionem vel substitutionem directam precariæ opponi in *l. quærebatur 19. vers. quinimmo, ff.de testament. militis*, & in *l.Centurio 15. ff.de vulgari & pupillari substitut.* Id enim nos non negamus: nec diuersam causam & naturam, vel speciem vtriusque substitutionis. Sed alius est noster sermo, de absoluta scilicet institutione hæredis, quam ex verbis quibusque aptè induci asserimus, videntes iura expressa *Digestorum* id comprobantia, nec vllam legem in eis inueniri, qua contrarium possit affirmari.

Fallitur enim *Cuiacius*, quod tanti viri bona venia dictum velim) dum in *commentariis* super dicto *tit. C. de testament.* §. *nunc transeamus*, putat ideò in d. *l. illud 13.* §. *1.* † *ff. de iure codicill.* in- 288
stitutionem illam non sustineri: TITIVM HÆREDEM ESSE VOLO, quia verbum VOLO est precarium, non directum: nam vt prædicta institutio ibi non teneret, illud tantùm in causa fuit, quòd inueniretur facta in codicillis, quibus hæreditas nec dari, nec adimi potest, *l. Scæuola 76. ff. ad Trebellianum*, §. *codicillis, institut. de codicill.* Cùm ergo testator in eis simili verborum conceptione hæredem reliquit, acutè dubitauit *Papinianus* in dicto §. 1. an ex illis data sit fideicommissaria hæreditas in codicillis (in quibus ab hærede legitimo relinqui potest, dicta *l. Scæuola 76. l. 2. C. de codicillis*, §. *non tantùm*, *vers. sed Diui*, & §. *directo*, cum aliis, *institutionum de codicillis*, §. *præterea*, *institutionum de fideicommissar. hæred.*) an directò Titius ille sit hæres institutus (quod in codicillis non permittitur) vt priore casu fideicommissaria institutio clarè procedat, secundo verò, hoc est, cùm hæreditas alicui codicillis directò datur, secùs sit dicendum. Vt inde quàm euidentissimè appareat, institutionem hæredis in tabulis testamenti factam per illa verba: *Titium hæredem esse volo*, non esse respuendam, vt *Cuiacius* putabat. Quin potiùs *textus*, in dicto §. 1. clarum nobis præstet argumentum ad euertendam communem opinionem, & nostram fulciendàm validissima *Papiniani* auctoritate.

Fateor, *Papinianum* (qui de institu-

tione in codicillis per illa verba: *Titium hæredem esse volo*, dubitauit) in d. §. 1. vt clarum præsuppoſuiſſe, nullam vel infirmam eſſe inſtitutionem, ſi verbis illis directis, *Titius hæres ſit*, ibidem côciperetur: hoc tamen non euincit, institutionem hæredis directam, hoc eſt abſolutam, non poſſe fieri in teſtamento per verbum, VOLO, imò ipſe *Papinianus* hoc apertè ſupponit in d. §. 1.

Cùm enim verba iſta, VOLO, MANDO, CVPIO, IVBEO, & ſimilia (aliàs obliqua) in inſtitutione abſoluta inueniuntur hæredis nec grauati alij reſtituere, naturam certè aſſumunt directorum & ciuilium (de quibus j. erit ſermo) ita vt inſtitutiônes illæ *Titium hæredem eſſe volo*, & cæteræ ſimiles legitimæ ſint ciuiles & directæ, ex *Vlpiano in fragm.* dicto *titul.* 21. & *Papiniano* in dicta *l. illud*, §. 1. *ff. de iure codicill.*

289 Neque prædictis obſtat d. *l. hæredes palam* 21. † *ff. de teſtamentis*, ibi enim Conſultus id tantùm decidit, hæredes à teſtatore ſcribendos, vel palàm nuncupandos, ita vt exaudiri poſſint à teſtibus in ſolemni numero adhibitis: hæc autem nuncupatio fieri poterat verbis quibuſlibet, animum teſtantis exprimentibus, ex dictis s. Et hoc ſanè, apud omnes peræquè gentes ſemper fuit obſeruatum, & apud nos tenet, ex latè traditis à Neoterico *D. Caſtillo li.* 4. *quotidianarum controuerſiar. c.* 27. *n.* 51. Vt inde in hoc & hodie inſtitutio hæredis differat à legato, de quo in *l. nutu, ff. de legat.* 3.

290 At *textus* in d. *l. quoniam, C. de teſtamentis*, † verborum formulas certas non ſuſtulit, ſed obſeruantiam non neceſſariam vſu verborum imaginario probatam, vt patet ex illis verbis (quæ ita intelligit ibi *Gilkenius nu.* 2.) *Placuit ademptis his, quorum imaginarius vſus eſt, inſtitutioni hæredis verborum non eſſe neceſſariam obſeruantiam.* Quam temporibus *Conſtantini* illius legis Auctoris fuiſſe introductam, mihi perſuadeo ex illis verbis ſubſequêtibus & immediatis: *Vtrùm imperatiuis & directis verbis fiat, aut inflexis: nec enim intereſt, ſi dicatur: Hæredem facio: vel inſtituo: vel volo: vel mando: vel cupio: vel eſto: vel erit:* quaſi diceret, tempore promulgationis illius legis dubitari de inſtitutionibus hæredum, hiſce vel aliis conſimilibus verbis factis, cùm tamen iure antiquo omnes ferè tenerent: vt de inſtitutione facta & concepta per verbum, IVBEO, teſtis eſt *Vlpianus in fragmentis* d. *tit.* 21. Et per verbum, ESTO, idem *Vlpianus* ibidem, & *Africanus* in d. *l. ita ſcriptū* 47. §. 1. *ff. de hæredibus inſtituend. Martianus* in *l. his verbis* 48. *ff. eodem.* Et per verbum ERIT, *Florentinus* in dicta *l. filij etiam* 17. *ff. de liberis & poſthumis.* Et per verbum, VOLO, *Papinianus* in dicta *l. illud*, §. 1. *ff. de iure codicillorum.* Dubium enim, aut controuerſia antiquitùs tantùm fuit circa illas inſtitutiones: HÆREDEM INSTITVO, HÆREDEM FACIO, ex *Vlpiano* in dicto *titul.* 21. *in fin.* quia, vt ego opinor, poſt *Scholiaſtem* ibi *Vlpian.* lex ſola, vel teſtamentum ex lege conditum hæredê facit: quam ſubtilitatem inſectatur *Saluianus Meſſanienſis lib.* 3. *ad Eccleſiam Catholicam*, cuius notanda verba refert *Briſſonius in lib.* 7. *de formulis fol.* 663. & penitiùs explodit *Conſtantinus* in d. *l. quoniam*: & inſtitutiones his verbis factas admittit: *Et quibuſlibet confectas ſententiis, vel quolibet loquendi genere formatas, ſi modò per eas liquebit voluntatis intentio.*

Vt inde meritò veniat refellenda antiqua verſio *cap.* 26. *lib.* 4. *Euſebij de vita Conſtantini*, vbi hanc *legem Euſebius* extollens ait: Παλαιοὶ μὲν νόμοι

ἐπ' αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπνοῆς ἀκριβολογεῖσθαι ῥημάτων. λέξεσι τὰς συντεταγμένας διαθήκας, τρόπους δὲ τίνας καὶ ποιὰς δεῖ φωνάς. ἐπιλέγεσθαι ὥριζον, καὶ πολλὰ ἐκ τούτων ἐκκακουργεῖτο ἐπὶ περιγραφῇ τῶν καταλιπομένων προαιρέσεως, ait enim (& quidem pessimè) prima versio Latina sic: *Adhæc ex vetere formula cùm factum testamentum erat, ad omnes verborum angustias & litterarum angulos ibatur in verbis & voce modi certi: qua de re circunscriptio sepultorum voluntatis sæpius insequuta est.* Nec magis feliciter secunda inquit: *Præterea cùm è veteribus legibus cautum esset, vt qui è vita excederent ipso extremo ferè spiritu certis & conceptis verbis testamenta cõponerent, atque adeò leges ipsæ quibus ex sententiarum formulis quibusque verbis scriberentur, definirent, eáque res non minimæ esset fraudi testatorum iam morientium voluntati:* non enim in textu Græco mentio aliqua est formularum aut conceptorum verborum in his versionibus, aut euersionibus *Eusebij* contentorum: cum enim veriùs & appositiùs ita Latinum facies: *Antiquæ leges à constitutis in extrema respiratione condita testamenta perscrutabantur, modósque quosdam & quales eligi voces oporteret, definierunt. Hæ autem defunctorum voluntatibus fraudi erant,* &c. quæ certè conueniunt cum dispositione & verbis dictæ *legis quoniam*.

Quòd si per dictionem τρόπους. *Eusebius* formulas denotare voluit, deceptus sanè fuit (vt qui Iuris Ciuilis ignarus) quemadmodum in subsequentibus illis verbis: ἃ δὲ συνιδὼν βασιλεὺς, καὶ τοῦτον μεταποιεῖ τὸν νόμον: nec enim legem vllam specialiter abrogauit *Constantinus*, sed imaginarium tantùm vsum.

Quod autem *Constantinus* subdit in d.l. *quoniam*: *Necessaria non esse momenta verborum*, referendum est ad illa immediata subsequentia: *Quæ fortè seminecis & balbutiens linga profudit*: ita vt seminecis, qui lingua balbutit, & vix articulatè loquitur, possit testamentum condere.

Quibus autem ista non placuerint secundo loco ad *textum* in dict. *l. quoniam*, respondemus, ibi tria decidi. Primum, in institutionibus hæredum vsum libripendis, & emancipationis adimendum cum aliis solemnitatibus in testamento per æs & libram adhiberi solitis, ibi: *Placuit ademptis his quorum imaginarius vsus est*, referendo verba illa: *Imaginarius vsus*, ad testamentum per æs & libram, quod per *mancipationem imaginariam* fieri dixit *Vlpianus in fragmentis, titulo* 20. §. 1. & quibusdam verbis solemnibus adhibitis in *§. in testamento.* Secundum, testamenta fieri deinceps posse per quæcunque verba, siue imperatiua, siue inflexa, vt patet ex verbis iam relatis. Tertium, in quacunque instrumenti materia testamenta licere ordinare, & conscribere, vt probatur in finalibus verbis. Primum à *Constantino* statutum, Ius Ciuile corrigit: nam testamenta per æs & libram (cuius mentionem fecit *Iustinianus in* §. 1. *institutionum de testamentis*, & latiùs *Vlpian. in fragment. tit.* 20. d. *§.* 1. vsque ad 7.) omnino exterminauit. Quod autem secundo loco *Constantinus* decreuit, ius antiquum non corrigit eo sensu quo putant communiter Interpretes ibi, & post cæteros *Cuiacius* & *Donellus n.u.* 3. & *Gilkenius num.* 2. afferentes, solemnibus verbis (vti in stipulationibus adhibebantur) antiquitùs hæredem institui oportere, quod nullibi probatur, sed totum contrarium in iurib. s. adductis, clarè probantibus ex quauis verborum conceptione animum & voluntatem testantis denotante,

induci hæredis institutionem. Quinimò etsi verba sint inflexa, vel obliqua, ex iam dictis & dicendis & probandis *inferiùs*. Ecquis præposita attentè considerans sibi persuadebit antiquitatem formulis & captionibus verborum liberam alioquin testantium voluntatem (*l.1. C. de sacrosanctis Ecclesiis*, & alibi) suppofuisse? Exterminentur ergo formulæ & solemnia verba in hæredum institutionibus ab Interpretibus conficta, à conditoribus verò iuris nec excogitata.

Ego enim à dictis certo certiùs mihi persuadeo, verba illa dictæ *l. quoniam*: *Verborum non esse necessariam obseruantiam, vtrùm imperatiuis, an directis verbis fiat, aut inflexis*: vel formulas quæ in testamentis per æs & libram interuenire solebant ex dictis & dicendis *j. num.* 292. abrogasse: vel posita fuisse velut in consequentiam abrogati testamenti per æs & libram, nec nouam sanctionem continere. Idque vel ex eo manifestiùs fit, quòd institutiones per verba inflexa factæ Iure Ciuili sustinebantur, vt patet ex dicta *l. filij etiam*, *ff. de libertis & posthumis*. d. *l. illud*, §. 1. *ff. de iure codicill.* cum aliis.

Adhæc idem *Constantinus* tertio loco, vt prædiximus, testamenta in quacunque instrumenti materia conscribi liberè concedit, quod multo ante permissum fuisse, patet ex *Vlpiano* in *l. 1. ff. de bonorum possessione secundùm tabulas*, vbi ita ait: *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram, siue igitur tabulæ sint ligneæ, siue cuiuscunque materiæ, siue chartæ siue membraneæ sint, siue corio alicuius animalis, tabulæ rectè dicentur*: & post *Vlpianum* & *Constantinum* idem decisum fuit à *Iustiniano* in §. *nihil autem*, *institutionum de testament.* Et ante omnes istos id ipsum antiquitas vsu receperat, vt patet ex *Plinio lib. 13. cap. 11. Iosepho lib. 12 antiquitatum, cap. 2. Alexand. ab Alex. lib. 2. dier. Genial. ca.* 30. *Pancirolo tom. 2. rerum memorabilium tit.* 13. vbi latè *Henricus Salmuth*, & omnium melius *Hotman. li. 4. obseruat. cap. 1.*

Demum prædicta mirè comprobantur ex *l. 3. titul. 4. de testamentis libr. 4. Codicis Theodosiani*, in illis verbis: *Nec enim nouum promulgamus, sed Diui Constantini sanctionem & inclytæ recordationis sententiam Patris Serenitatis nostræ, nostráque super huiusmodi causa, quæ sunt ex antiquioribus propagata, sicuti decreta statuimus his qui extremas ordinant voluntates hæc esse seruanda*, &c. In quibus *Arcadius* & *Honorius* Imperatores apertè demonstrant ante *Constantinum*, & omni tempore commendatam fuisse liberam testandi, & hæredis instituendi facultatem.

Tertiò non obstat *textus* in *l. in testamentis* 26. † *C. de testamentis*, vbi *Iu-* 298
stinianus omnem formalem obseruationem in testamentis in scriptis faciendis amputauit: nam verba ista referri non debent ad heredis institutionem, sed ad testamenti confectionem, vt sensit *Donellus* ibi, & *Gilkenius num.* 2. & probatur ex subsequentibus illis (quæ declarant præcedentia, iuxta doctrinam *Bart.* per *textum* ibi in *l. alimenta*, *ff. de alimentis & cibariis legatis*, & *Iason* in *l. qui filiabus*, *ff. de legatis 1. Mantic. libro* 8. *capite* 13.) *etiamsi non ante huiusmodi dispositionem prædixerit testator, vel testatrix illa formalia verba*: IDEÒ EOSDEM *testes conuenisse, quod sine scriptis suam voluntatem vel testamentum componere censuit*: quò tendunt verba illa constitutionis d. *l. quoniam*: *In postremis ergo iudiciis ordinandis amota erit solemnium verborum*

rum necessitas: & quæ proximè ex *Arcadio* & *Honorio* expendimus à d. *l.3. tit.4.lib.4. C.Theodosiani.*

292 Ex quibus etiam præcipuè correctio inducitur præcautionum† & formularum, quæ in testamento per æs & libram adhiberi consueuerant, illius præsertim quæ in nuncupatione interueniebat, cuius meminit *Vlpianus in fragmentis*, dicto *tit.20.§.in testamento*, dicens: HÆC ITA VT HIS TABVLIS CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO LEGO, ITA TESTOR, ITA VOS QVIRITES TESTIMONIVM PRÆBITOTE. Ex quibus cessat quartum argumentum, & fundamentum communis opinionis, ex propositis §.

293 Nec obstat quintum ex dicta *l. verbis ciuilibus*, † *ff. de vulgari & pupillari substitutione*, à quo *Interpretes* communiter eliciunt, maximè *Lexicographi Hotmanus* & *Caluinus*, institutiones & substitutiones formulis quibusdam verborum fieri solitas, denotatis per hanc dictionem: *Verba ciuilia*, quæ (vt isti putant) propriè sunt verba quædam legibus introducta, directò & imperatiuè disponentia, vt puta *hæres esto, damnas esto, dato, facito, præcipito, capito, sumito, habeto*, & similia: quæ ad leges & Iurisprudentes referri solent, ex *Cicerone, Porphyrio*, & aliis adductis à *Iacobo Cuiacio libr.11. obseruationum capitul.25.* & repetitis in *commentariis ad titulum C. de testamentis*, ita vt ex sententia *Cuiacij* & aliorum non teneat substitutio pupillaris impuberi filio facta per hæc verba: *Si filius meus intra pubertatem decesserit, volo Titium mihi hæredem esse, vel ei substitui.* Quod certè sustineri non potest, ex iam dictis. Vnde tu dic, VERBA CIVILIA non eo solùm sensu sumenda, quo putarunt *Cuiacius, Hotmanus*, cæterique, vt denotemus, verba directa & imperatiua tantùm, sed etiam quæcunque alia à vulgi sermone separata, quibus Leges, Senatusconsulta, Principum Constitutiones, & Iurisprudentes communiter vti solebant, vt clarè mihi probatur in *l. ex quo 12. C. de ædific. priuat.* ibi: *Non multum autem à* CIVILIBVS VERBIS *recessimus, sed vulgo notioribus vti maluimus, vt ita quæcunque in eam* cõstitutionem *inciderint, alterius interpretis non egeant auxilio:* & hoc eodem sensu ACTIO dicitur CIVILIS in *l. cùm res 22. C. de donation.* & PETITIO in *l. iniquum 17. C. qui accusare non possunt:* & DISCEPTATIO in *l.1 C. si quis aliquem testar. prohib.* & IVS *l. si te 10. Cod. de iure deliberand.* & NEGOTIVM, *l. minimè, C. de appellationibus.* & RATIO, *l. nulli, 3. Cod. quorum appellation. non recipia.* & OFFICIVM, *l.2. C. de his qui latron. vel aliis crimin. reos occultauer.* cum dicta *l.2.* Et AVXILIVM, dicta *l.2.* Et ADMINICVLVM, dict. *l.2.* Quin & latiùs vagatur nomen istud *Ciuilis & le*, ita vt à primitiuo *Ciuitas*, denotet omnia quæ ciuitatis sunt: velut CIVILIS ANNONA, & CIVILES PANES, de quibus in *l.1. §. sin autem, Cod. de rei vxoriæ actione, l. hac edictali, §. his illud, Cod. de secundis nuptiis, l. priuilegia 17. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, l. finali, §. præterea, Cod. de iure dotium:* CIVILIA ONERA, *l. 1. in principio.* & alibi sæpè, *ff. de muneribus & honor.*

Et ab his planum fit, verba ciuilia in dicta *l.7. ff. de vulgari*, ea dici, quæ Iure Ciuili vigorem & effectum habent & obligationem vel præceptum omnino seruandum inducunt. Id quod (vltra prædicta) clarè probatur ex *Vlpiano* in *fragmentis titul.25. in princip. Fideicommissum est quod non*

CIVILIBVS VERBIS, *sed precatiuè relinquitur, nec ex rigore Iuris Ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.* Quæ verba clarè denotant relictum in testamento per verba absolutam voluntatem denotantia iuris rigore deberi, velut legata, quæ *legis modo, & imperatiuè*, hoc est, absolutè relinquuntur, *Vlpianus* in *fragmentis tit. 24. in princ.* At relictum per verba precaria fideicommissi (adducta ab *Vlpiano* in *fragm.* d. *tit.* 25. & iuribus aliis s. adductis) ex voluntate tantùm debetur relinquentis, teste *Vlpiano* ibi: quasi diceret, non deberi ex iuris rigore. Et hoc est quod *Iustinianus* ait in *§. sciendum, institution. de fideicommiss. hæredit. Omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse, quia nemo inuitus cogebatur præstare id de quo rogatus erat*: non quia fideicommissa verbis ciuilibus non relinquebantur, vt putauit *Donel.* in d. *l. quoniam, C. de testament. numer.* 4. sed quia testator hæredem tantùm rogabat, non verò adstringebat fideicommissi onere, cùm verbis inflexis & precariis vtebatur: quasi secus esset si verbis directis & absolutis quibusque vteretur: quamuis solemnia & formalia illa nō essent, quæ Interpretes *ciuilia* malè appellant.

Quod ergo *Papinianus* in d. *l. 7. ff. de vulgari & pupill. substitut.* ait: *Verbis ciuilibus substitutionem post quatuordecimum annum frustra fieri*, interpretari ita debet, vt substitutio pupillaris ciuilis & legitima intra quatuordecim annos (vt quę moribus Populi Romani legitimè introducta ex *Vlpiano* in *l. 2. ff. de vulg. & pupil.*) vltra id tempus frustrà fiat verbis ciuilibus, hoc est, verbis Iure Ciuili substitutionem pupillarem absolutam inducentibus vel denotantibus.

Demus in d. *l. 7. ff. de vulgari & pupill.* verbis ciuilibus, velut *hæres esto, sumito, capito*, & aliis *suprà* relatis, ea tantùm comprehendi & denotari quę dicta sunt, non verò absolutis quibusque, vt *deuoluatur, deueniat, reuertatur*, & similibus (quæ Iuris Interpretes, *cōmunia* appellant, vt *suprà* notauimus) adhuc *textus* ille nostrę asseuerationi non obstat, & ex eo tantùm euincitur, substitutionem pupillarem verbis directis vltra quatuordecim annos frustrà fieri, hoc est, *inutiliter, l. 3. C. familiæ erciscundæ*, quo in sensu *Cicero pro Q. Roscio Comœdo*, dixit: *Frustrà tempus contero.* Et *ad Atticum: Illa quæ habes de Academicis, frustrà scripta sunt.* Ideò autem *Papinianus* substitutionem istam frustrà & inutiliter fieri post id tempus dixit, nam etsi filius post quatuordecimum annum vtiliter substitui possit substitutione compendiosa, & fideicommissaria, *l. Scæuola 76. ff. ad Trebellian. l. precibus, C. de impuber. & aliis substitut.* cum notatis ab omnibus ordinariis per *textum* ibi in *l. Centurio 15. ff. de vulgari.* hoc tamen locum habet cùm de animo & voluntate patris obliquè substituere volentis constat ex dictis iuribus; cùm autem filium directò substituit post quatuordecimum annum *frustrà*, hoc est, nihil omnino egit ex sententia *Papiniani*: nam directa substitutio pupillaris non tenet iure reluctante; nec fideicommissaria quidem, quæ ex verbis tantùm inflexis & obliquis, de quibus in *Vlpiano* d. *titul.* 25. & in *§. final. institut. de singulis rebus per fideicommiss. relictis*, inducitur. Patet ergo in casu *Papiniani*, quod potuit noluit, & quod voluit adimplere nequiuit, vt nostri dicunt, argumento *textus* in *l. multum interest, Cod. si quis alteri vel sibi.*

3 Nôs autem ab his differentiam inter verba directa & inflexa non excludimus, † imò eam suis casibus amplectimur iuxta s. tradita, & dum tamen

verbis mens testantis semper præualeat, ita vt in substitutionibus filio puberi, ita factis: *Si filius intra xxv. annum decesserit, Titius hæres esto*, vel ita: *Si filius intra xxv. annum decesserit, volo, mando*, aut iubeo, *vt in hæreditate mea succedat Titius*, prima frustrà fiat: secunda verò (quæ fideicommissaria dicitur, & ex verbis illis obliquis, *volo, mando*, aut *iubeo*, inducitur) vtiliter. Sin autem pater eidem puberi filio, ita substituisset: *Si filius intra xxv. annum decedat, volo Titium mihi hæredem esse*, vel *ei substitui*, decedente filio intra pupillarem ætatem, quamuis testator vsus fuerit verbo illo inflexo, *volo*, succedet Titius, vt qui substitutus verbis ciuilibus hoc est, verbis Iure Ciuili pupillarem substitutionem inducere aptis. Ex quibus (vt hæc obiter dicam) facilis & plana via est ducens nos ad interpretationem d. *l. Scæuola*, & d. *l. precibus*, cum similibus.

295 Summa † igitur omnium prædictorum sit, institutionem vel substitutionem directam quibusuis verbis animum declarantibus fieri semper potuisse, & verba inflexa ex voluntate testantis directè & absolutè sumenda; vt inde verborum communium cesset ratio ab Interpretibus Iuris frustrà conficta.

Et hac verissima sententia admissa ad concordiam reducetur *Iustinianus* in *l. 2. C. commun. de legat.* (vbi verbum *iubeo*, directũ appellauit) cum *Scæuola*, qui obliquum esse dixit in *l. Aurelius* 28. §. *quidam ita, ff. de liber. legat.* Et itidem *Paulus* (qui *lib. 4. Sentent. tit. 1. §. fideicommittere*, verbum *relinquo*, directum esse asserit) cum eodem *Scæuola* in *l. Lucius* 78. §. *filiam, D. ad Senatusconsf. Trebel.* vbi precarium esse clarè supponit. Et cessabunt contrariæ sententiæ, quas *Gothofredus* in his *iuribus*, & in *l. 2. C. de codicil.* & *Cuiac.* super d. §. *fideicommittere*, & *lib. 11. obseruation.* d. *cap. 25.* malè supponunt.

Sextò demùm non obstat nostræ assertioni *Iustiniani* noua constitutio in dicta *l. 2. C. commun. de legat.* † ibi 296
enim exæquantur legata fideicommissis, & verba directa cum obliquis confunduntur, cùm anteà longè in multis differrent, quod nos non negamus.

Stat ergo firma nostra propositio Iure Ciuili hæredis institutionem ex quibusuis verbis aptis † & animum 297
testantis declarantibus induci, siue directa sint, siue obliqua & inflexa, quæ (cùm hæres de restituenda hæreditate non grauatur) directa & absoluta fiunt, d. *l. filij etiam* 17. *ff. de liber. & posthum.* d. *l. Aurelius* 28. §. *quidam ita, ff. de liberat. legata*; d. *l. illud* 13. §. *primo, D. de iure codicil.* Cùm alioquin fideicõmissariæ hæreditati vel particularium fideicommissorum restitutioni deseruiant, siue dirigantur in hæredem grauatum, siue in ipsum cui fideicommissum relinquitur. Nam vt ait *Paulus* d. *lib. quarto Sententiarum, tit. primo §. 4. Qui fideicommissum relinquit, etiam cum eo cui relinquit loqui potest, velut: Peto Cai Sei contentus sis illa re: aut, Volo tibi illud præstari.*

Quòd si cui nostra non probentur, quod attinet ad hæredis institutionem; & factam per ista verba: *Titium hæredem esse volo*, vel *iubeo*, iure directo sustineri non posse firmet contra *Florentinum* in dicta *l. filij*: contra *Scæuolam* in dicta *l. Aurelius*, §. *quidam ita*: contra *Papinianum* in dicta *l. illud*, §. *primo*, & contra ea omnia quæ s. expendimus, ei tamen, & cuique communis opinionis acerrimo vindici primo loco proposita non displicere confidimus, & hæreditatem quibusque verbis directis, siue expressis, siue subauditis † relinqui posse, dum 298
tamen ex illis animus testantis appa-

reat, vt probat dict. *l.1.§.qui neque, cum seqq. ff. de hæred. instit.* Vt inde quàm euidenter inferatur illa verba *l.Gallus: Si filius meus viuo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos*, &c. institutionem filij continere, & quidem apertè, vt quę à contrario sensu sumpto argumento (quod apertissimum vocat Consultus in *l. si quis locuples 57. ff. de manumis. testam.*) clarè denotant animum testantis, & filium hæredem post mortem suam exstantem instituentis; ita vt his verbis: *si filius meus viuo me morietur*, &c. implicitè illa veniant: *Filium hæredem instituo*, vel *hæres esto*, ne dicas, filij institutionem conditionalem. Imò etsi dicta verba nō subaudias, idem erit dicendum, ex singulari decisione & regula *textus* in *l. aliquando 107. ff. de conditionib. & demonstrat.* Nec mirum erit institutionem à contrario sensu induci, cùm hoc ipsum accidat in legato (quod legis modo, & imperatiuè, id est, verbis directis testamēto relinquebatur ex *Vlpiano* in *fragmentis* dict. *titul. 24. in princip.*) *l. si legatum. 10. l. legata inutiliter 14. ff. de adimend. legat. l. quod purè 6. ff. quando dies legati cedat, l. quibus diebus 40. §. quidam Titio, vers. videamus, ff. de condition. & demonstrat.*

Ex quibus omnibus clarè patet, opinionem *Bartol.* in dict. *l. Gallus numero quinto*, & alibi (dum contra *Glossam* firmat, in illa *lege* aliam institutionem
299 non præcessisse) veriorem esse † & tenendam.

Nec quidem ab ea dimouere nos debent valdè difficiles *textus* in dict. *l. Gallus*, §.10. vbi *Scæuola* ait: *In omnibus his speciebus illud seruandum est, vt filius dumtaxat qui est in potestate, ex aliqua parte sit hæres institutus*, & in *l. si quis eum, §. vnico, ff. de vulg. & pupil. substit.* illis verbis: *Sed si secundum testamentum ita fecerit pater, vt sibi hæredem instituat, si viuo se filius decedat, potest dici nō rumpi superius testamentū, quia secūdum nō valet, in quo præteritus est.* Nam quod attinet ad d. §.10. Respon. loco illorum verborum: *In omnibus his speciebus illud seruandum est*, in *Pandectis Florentinis* legi: *Ergo & si pronepos admittetur qui natus erit* quæ sanè §. præcedentis decisioni conciniora sunt (vt ita vites vim dictionis illius, *in omnibus*, nihil excludentis, *l. si is qui ducenta, §. vtrum, ff. de reb. dub. l. à procuratore, C. mandati*: & inde aliàs aptādæ tam casui mortis, de quo in dict. *l. Gallus in princ.* quàm aquæ & ignis interdictionis, & emancipationis, & cæteris, in §§. subseqq. contentis. Vel meliùs dic (& retenta communi lectione) ibi nó probari necessariam fuisse aliam institutionem filij præter expressam in formula *Galli*, sed tantùm *Scæuolam* annotasse eam concipi, defendiq; non posse filio exhæredato: *Nam frustrà* (ait) *exhæredabitur post mortem suam*: & ideò necessum esse, filium vel ex parte hæredem institui, ne rumpatur eius præteritione testamentum, ex dicendis illico in solutione ad d. §. *vnic.* An verò requiratur alia institutionis concipiendæ formula præter expressam in cautione & consilio *Galli*, *Scæuola* non aperit. Quòd si instes, filium ex parte hæredem institui non posse, retentis illis verbis Aquilianæ cautionis: *Si filius meus me viuo morietur*. Respond. ab his principalem nostram assertionem, quod attinet ad institutionem vniuersalem, non vitiari: ex parte verò filio hęrede instituto oportere partem designari per alia verba extra contenta in consilio *Galli*. Vel meliùs & subtiliùs dic; extraneo ex triēte hęrede instituto posse nepotem posthumū seruata formula *Galli* institui: & natum mortuo patre in vita aui ex besse hæredem futurum, vt in quo, pater per illa verba: *Si filius*

Si filius meus viuo me morietur, fuerat institutus.

Demum nobis non obstat d.*l. si quis eum, §. vnico*, vbi Pomponius *lib. 3. ad Sabinum* (qui priùs in vers. *nam etsi*, ait, patris testamentum, in quo filio pupillariter substituerat infirmari per posterius, in qua nulla filio inerat substitutio, vt clarè demonstrant illa verba: *Nam etsi sibi & filio pater testamentum fecisset, deinde sibi tantùm, vtrúmque superiùs rumpetur*) subdit, verba *suprà* expensa, alium casum præ se ferentia (cùm scilicet testamentum sibi soli pater fecit, & instituto extraneo filius præteritus eo viuo decessit) in quo secundum testamentum non valere ait ex capite præteritionis filij ac accidit in simili casu decisō à Paulo in suis itidem *comment. ad Sabinum* contento in *l. si filius 7. ff. de lib. & posthu. Vlpiano* in *l. 3. §. ex his.* & in *l. posthumus 12. in prin. ff. de iniusto, rupto, irrito fact. testa.* Verba ergo illa: *Sed si secundum testamentum ita fecerit pater, vt sibi hæredem instituat*, vno sunt legenda ductu, vt correspondeant præcedentibus illis: *Sibi & filio testamentum fecisset, deinde sibi tantùm*, ac si diceret Pomponius, patre decedente post mortem filij præteriti in secundo testamento primum non rumpi, illæsúmque permansisse, ita vt verba illa: *Si viuo se filius decedat*, contextui accommodes, nec ad formulam consimilem Aquilianæ referas. In qua sanè filij institutio continetur, vt iam latè vltra omnes Iuris Interpretes pluribus comprobauimus.

A quibus subinde velut per necessariam consequentiam deducimus, in ea satis nota & trita quæstione, An filij positi in conditione censeantur vocatiaentium, † adhærendum sententiæ contra communiorem *Glossæ* in d. *l. Lucius 85. ff. de hæred. instituen.* in qua verba illa: *Aut filium, filiamve ex se natum, natámve non habuerit*, substitutionem inducunt filiorum. Et hoc ipsum dicēdum est de illis similibus: *Si filius meus* (aut quilibet hæres institutus) *sine liberis decedat.*

300 [margin number beside "tiaentium"]

Ex quibus omnibus iam deinceps nulla oboriri dubitatio poterit circa institutiones & legata, siue suo, siue alieno posthumo ex Iure Ciuili facta. In qua re, omnium iuris difficiliore, quid (tumultuaria forensium rerum mole oppressi) præ cæteris præstiterimus, aliorum esto iudicium.

INLATIO XIV.

SYNOPSIS.

301 *Posthumus dum in vtero est nec* suus *est*: *nec* legitima *ei debetur*: *nec* pupillus *dici potest*: *nec* homo: *nec* animal: *nec ei* mora *fit*: *nec ipse* eam *committere potest*: *nec donare* : *nec comprehenditur statuto puniente occisores.*

DEMVM à principali illa nostra propositione in initio huius capitis adducta (quę posthumos Iure Ciuili in hominum vel rerum natura nō esse adstruit) decimoquarto & vltimo loco, & summo simul verborum compēdio inferimus, posthumū dum in vtero est nec suum † esse, vt proba- 301
uimus *supr. hoc ca. §. 1. n. 84.* Nec legitimam ei deberi vt resoluit *Tiraqu.* in *l. si vnquam, verb. susceperit liberos, n. 146. C. de reuocand. donat.* Nec *pupillum* dici posse, *Tiraq supr. n. 147.* Nec *hominē*, *Tiraq. supr. n. 148. Adrianus Negusantius*, post alios, in *sylua responsor. q. 400. n. 36.* Nec *animal*, ex iam dictis per nos in initio *huius capitis*, maximè ex *n. 6.* post *Tiraq. supr. n. 149. & 151. cum duobus seqq.* Et ideò ei *moram* non fieri, *Tiraq. suprà num. 147.* Nec ipsum eam posse committere, ex iam dictis per nos *supr. §. 1. nu. 18.* Nec donari ei posse, ex resoluendis *infrà* in *§. 3.* à *numer. 3.*

(vbi à resolutione ista ius patrium excipimus.) Nec comprehendi sub statuto puniente occisores, *Tiraqu. suprà* d. *num.*148. Quod tamen limitandum & intelligendum est iuxta proximè tradita, & latiùs discutienda in *ca.*16.§. *vnico.*

§. II.

SYNOPSIS.

1 *Prætor nondum natos propter spem nascendi non neglexit.*
2 *Imò eis magis fauet quàm natis.*
3 *Partui nondum edito, & hæredi instituto Prætor bonorum possessionem secundùm tabulas dabat.*
4 *Et non instituto bonorum possessionis contra tabulas beneficium impartiebatur.*
5 *Quod intellige si partus conceptus erat.*
6 *Nec fuisset exhæredatus.*
7 *Hodie verò quamuis exhæredatus sit, bonorum possessionis beneficio iuuabitur.*
8 *Mittitur etiam in possessionem emancipati filius nasciturus.*
9 *Et non tantùm legitimus sed & naturalis.*
10 *Et adoptiui filius futurus.*
11 *Et incertus.*
12 *Et extraneus quiuis institutus.*
13 *Vtero gerens eum qui defuncto proximior est, alenda est ex bonis defuncti. Mater verò alterius extranei non ita, nisi aliunde non habeat.*
14 *Alimenta ventri subministrat eius curator.*
15 *Tria debet prægnans apud iudicem petere.*
16 *Curator solet dari bonis & ventri simul, aliquando verò seiunctim.*
17 *Curator ventris ab aliis differt.*
18 *Curatoris ventris constitutio longè diuersa res est à missione in possessionem ventris nomine.*
19 *Mulier prægnans petere potest vt fiat bonorum descriptio & inuentarium.*
20 *Effectus bonorum possessionis prædicta demonstrantur.*
21 *Missio ista in possessionem ius nullum tribuit in proprietate. Et nu.*24.
22 *Ad missionem istam concedendam sufficit summariè de grauidatione constare.*
23 *Differentia bonorum possessionis vnde liberi, & vnde legitimi traditur.*
25 *Nuda asseueratio prægnantis sufficiens non est ad concedendam eidem ventris nomine bonorum possessionem.*
26 *Calumnia non præsumitur in muliere bonorum possessionem petente.*
27 *At si manifestè calumnia ante missionem appareat, venter non mittitur in possessionem.*
28 *Læsis, per missionem in possessionem dolo aut calumnia factam diuersimodè consulitur à Prætore.*
29 *Grauiùs coërcetur illius calumnia, quæ medio iuramento eidem delato in possessionem missa est, & causam aperit. nu.*30.
31 *Quod dicitur de falsa assertione mulieris, intelligendum est de ea quæ sciens prudénsque dolo decepit.*
32 *Legata & fideicommissa posthumo alieno relicta Iure Prætorio sustinebantur.*

CVM autem ista summo iure, & eius attentis regulis sic se haberent in causa ventris & posthumi subinde, ac vidimus in initio *huius capitis* & in §. *præcedenti* per plures *inlationes*. Prætor (cui ciuium Romanorum liberi magnæ erant curæ) eos etiam qui nondum nati sunt, propter spem nascendi † non neglexit, *l.*1. *in princ. ff. de ventre in possess. mitten.* Imò adeò eis fauit, vt fauorabiliorem Iure Prætoris attento iudicauerit *Vlpianus.* causam

2 sam partus † quàm pueri iam nati, d.*l.* 1.§. *& generaliter*, vbi elegãter ait: *Partui in hoc faueri, vt producatur in lucem, puero, vt in familiam inducatur.* Et ideò partum curandum & alendum subdit, vt qui non tantùm parenti cuius esse dicitur, verùm & Reipublicæ nascitur, quod ex pluribus post *Bald.* in *l.* 4. *C. ad Senatusconf. Velleian.* optimè probant *Ianus Langlæus libr.* 11. *semestrium, cap. fin. vers. rursum, Gratian. disceptat.* 1. *p. capit.* 72. *numero* 3. *Pontan. de aliment. cap.* 2. *numero* 2. *Renat. Choppi. de legibus Andium libr.* 1. *capit.* 44. *numero* 6. *&* 7. *Mieres de maioratu* 3. *p. quæst.* 2. *numero* 20. *Zeuallos commun. contra commun. quæst.* 183. *num.* 7. & comprobatur apertè ex *Gai lib.* 2. *institutionum, titu.* 3. §. *posthumorum.*

Iustis ergo de causis motus Prætor partui nondum edito bonorum possessionem secundùm tabulas dabat,
3 cùm eum inueniebat † institutum. *l. fin. D. de ventre in possess. mitten.* cum a-liis *inferiùs* referendis. Et subinde cùm
4 institutus † non erat, bonorum possessionis contra tabulas remedium eidem impartiebatur, si primum locum successionis occupabat, *leg.* 1. *in princ.* cum suis §§. *l. vbicunque* 7. & ferè *per totum, ff. illo titu. de ventre in possess. mitten.* (vbi præcipuè agitur de bonorum possessione contra tabulas, vt disertè notat *Cuiac. in paratit. l. super illo titu.*) Et demum ab intestato bonorum possessionem ex capite *vnde liberi, vnde legitimi, & vnde cognati* eidem partui concedebat, *l.* 1. §. *& generaliter*, dict. *l. vbicunque* 7. *l. fin. ff. de ventre in possess. mitten. leg.* 7. *vbi gloss.* 7. *titulo vigesimo secundo, p.* 3.

Cùm autem ventrem primum locum in successione obtinentem ex omnibus partibus successorij Edicti in possessionem mittendum dicimus, hoc sanè intelligimus.

Dum tamen partus conceptus fuerit † ante mortem testatoris, *leg.* 1. §. 1. 5
l. fin. ff. de ventre in possess. mitten. Nec ab eo fuerit exhæredatus, † *l.* 1. §. *to-* 6
tiens, & §. *sed & si quis, ff. de ventre in possess. mitten.* (qui tamen alendus erat, vt post *Duennas, D. Molin. Menoch.* & alios resoluit *Petrus Surdus de alimentis titu.* 1. *quæst.* 23. *numero secundo.*) Hodie † verò venter (qui ingratitudinis 7
nullam causam præstare potest) exhæredari non poterit, ex nouiore *Iustiniani* iure, iuxta tradita à *Thoma Cormerio libro* 24. *Iuris Ciuilis Romani & Gallici titul.* 14. *capit.* 2. *vers.* 8. *post Vvesembec. in parati. ad titu. ff. de ventre in possess. mitten.*

Mittitur autem in possessionem non tantùm venter futurus suus, sed & emancipati † filius nasciturus, d. *l.* 8
1. §. *etiam*, & §. *si pater*: vt accidit emancipato nato, *l. si emancipatus* 6. §. *nepote*, cum aliis, *ff. de bon. possess. contra tabulas.*

Nec tantùm legitimus & naturalis, d. *l.* 1. *in princ.* sed & naturalis † tantùm 9
d. *l.* 1. §. *rectissimè.* Quin & aui adoptiui † venter futurus, d. *l.* 1. §. *si filius in ado-* 10
ptionem. Quemadmodum & iam natus ex adoptiuo filio mitteretur, *l. non putauit* 8. §. *in adoptionem, ff. de bonor. possess. contra tab.*

Sed & incertus † quocunque du- 11
bio aut incertitudine mittendus est, d. *l.* 1. §. *totiens*, § *quare*, §. *idem*, §. *sed etsi sub conditione*, §. *si venter*, §. *etiam*, §. *si ea, ff. illo titul. de ventre in possess. mitten. Surdus*, post alios, *de aliment. titulo primo q.* 5. *numer.* 1. Sicut alimenta iure Ciuili debentur exhæredato in dubio, *Colerus de aliment. lib.* 1. *cap.* 2. ex *nume.* 56. & instituto sub conditione, *Coler. suprà* à *num.* 61.

Extraneus † itidem mitti debet, 12
si fuerit institutus, *l. extraneo* 6. *ff. illo titu. de ventre in possess. mittend.* Extraneum verò ventrem dicemus eum qui in successione primum locum non

obtinet, contra nouissimos *Salmanticenses*, quos iam improbauimus in §. *antecedenti n.*281. Siue consanguineus sit, siue non, vt eodem §.*nu.* 275. latè notauimus in *D. Pichardum*. Quemadmodum *suus* in successionibus Prætoriis dicitur qui potiorem locũ in successione tenet, d.*l.*1.§.*totiens* (ita interpretando in illis verbis.) *Totiens mittitur in possessionem venter, si non est exhæredatus, & id quod in vtero erit inter suos hæredes futurum est*, hoc est, inter eos qui primum locum in successione sunt habituri, vt disertè interpretatur ibi *Gothofredus*, ita vt vox illa, SVOS, proximiores in successione denotet, non suos hæredes Iuris Ciuilis, quos Prætor non attendit.

Differt autem extraneus venter à suo, vel proximiore in successione,
13 quòd † illius mater si aliunde habeat, ex bonis defuncti alenda non est, vt diximus *suprà* dicto *num.*275. prægnans verò & vtero gerens eum qui defuncto proximior est, ex bonis eius alenda est, & cibus, potus, vestitus & lectũ ei præstanda sunt, pro dignitate sua & facultatibus defuncti, dict.*l.*1.§.*mulier autem*, *Pontan.de aliment.*d.*cap.*2.*nu.*19. *Coler.in eod.tract.*1.*p.cap.*2.*nu.*33. & habitatio; *l.*4.*ff.de ventre in possess.mitten.* etiamsi diues sit, vel aliunde habeat vnde sustentare se possit, *l.curator.*5.*ff. illo tit.*

14 Alimenta autem ista dantur † à curatore ventri assignando, d.§.*mulier*, *l. si ventri* 9.*ff. de priuileg. creditor.* & à matre petendo, d.*l.*1.§.*quotiens autem*, *Petrus Gregor.libr.* 13. *syntagmat.cap.*7. *numer.*1.& ante eum *Bald. cons.*126. &
15 137.*lib.*1. vbi ait, mulierem tria † petere debere. Primum, se ventris nomine in possessionem mitti. Secundum, dari curatorem ventri. Tertium, quòd fiat inuentarium & descriptio bonorum defuncti. Quòd si curatorem non petat, successione priuabitur posteà nati & defuncti, *Bart.cons.*22.*nu* 5. *lib.* 1. excusabitur autem ex quauis iusta superueniente causa, *Bart. suprà.*

Solet etiam curator & ventri & bonis † dari simul, *d.l.*1.§.*hoc autem*: vel 16
disiunctim, *d.§.quotiens autem*, & d.§. *item si periculum*, §.*ita igitur*, & §.*curatore autem*, *Montan.de iure tutelarum*, *cap.*8.*numer.*34. *Petrus Gregor.* dict. *cap.* 7.*num.*2. Qui *numer. sequenti*, ex *Hermogeniano* in *l.inter bonorum* 48. *ff. administrat.tutor.* optimè distinguit † in- 17
ter curatorem ventris, bonorúmque, & curatorem furiosi, prodigi, pupillive: cùm istis plena rerum concedatur administratio, duobus verò primis, ventris scilicet & bonorum, sola custodia, & rerum, quæ deteriores futuræ sunt, venditio committatur. Sed & curator iste soluendi debiti rationem habere debet, vtique eius quod sub pœna, vel pignoribus pretiosis debetur, *l.curator* 5.§.1.*ff.de ventre in possess. mitten.* Et si periculum sit, ne interim res vsucapiantur, vel debitores tempore liberentur, curator hoc curare debet. d.*l.*1,§.*item si periculum*, *ff. eodem tit.*

Hæc velut obiter tractasse liceat de curatoris ventris vel bonorum constitutione (nec omnibus nota) etsi res alia 18
† sit à missione in possessionem mulieris prægnantis ventris nomine: à qua enascitur alimentorum (de quibus *suprà*) præstatio: sed & mulier ventris nomine in possessioné missa, vel mit- 19
tenda agere poterit, † vt bonorum defuncti fiat descriptio prædicta & inuentarium, d.*l.*1.§ *curatore.*

Ast inter omnes istius in possessionem missionis effectus potissimi sunt, 20
† quod ea mediante interim alterius hęredis instituti aditio impeditur, iuxta tradita *per Bart.* in *l.*1.§.*necessario*, ante *num.*1.*ff.si ventris nomine mulier.* Et prægnans interim de adulterio accusari non possit, *l. si ventris* 8.*ff. illo titu. de ven-*

de ventre in possess. mitten. l. mulier 11. §. quæ propter, ff. ad leg. Iuliam de adult.

Sed & ipsi missionis in possessionẽ effectus planè demonstrant, eam ius
21 nullum in proprietate † tribuere, & quandã velut operari detentationem, in qua venter, & mater eius nomine esse debet, quandiù mulier aut pariat, aut abortum faciat, aut certum sit eam non esse prægnantem, d. *l.* 1. §. *tandiu*, & notat bellè *Pet. Gregor. lib.* 43. *syntagm. iuris, cap.* 4. *n.* 9.

Vnde est, vt in concedenda hac bonorum possessione mulieri prægnanti qualisqualis summaria sufficiat pro-
22 batio, † & citra causæ plenam cognitionem, dict. *l.* 1. §. *si ea, D. de ventre in possess. mitten. l.* 3. §. *acquirere, l. seruus bonorum* 7. *D. de bonor. possess.* Dilata ea probatione, quæ altiorem indaginem requirit, in aliud tempus, dicto §. *si ea*; puta in tempus pubertatis, dict. *l. vbicunque* §. 1.

Vt hinc meritò veniat notandus *Ioann. Baptista Valençuela cons.* 96. *num.* 6. vbi asserit, ventrem mitti non debere in bonorum possessionem, nisi plena præcedente causæ cognitione, ex d. *l. vbicunque*, §. 1. qui potiùs dicit totum contrarium; dum enim causæ cognitionem exigit, intelligendus est de summaria illa causæ cognitione, de qua loquitur *Vlpian.* in dicto §. *si ea*, vbi summatim cognoscendum, & nihil noui decernendum statuit, *ne præiudicium fiat ei quod in vtero est*: & paulò inferiùs, *ne præiudicium partui fiat.* Et hoc ipsum idem *Vlpianus* statuit in d. §. 1. vbi causæ cognitione (scilicet quacunque) præmissa venter mittitur in possessionem, status controuersia in tempus pubertatis dilata, quasi diceret, interim partui præiudicium fieri non debere, vt in dicto §. *si ea.* In quo ita sunt accipienda verba illa *suprà relata*: *ne præiudicium fiat ei quod in vtero est*, & illa subsequentia: *ne præiudicium partui fiat*, id est, priùs iudicãdum esse super missione in possessionem ventris, quàm de causa status: qui verus sensus est illorum verborum, & quorumque similium, argumento *text.* in *l. si quis libertatem* 7. *in principio, D. de petit. hæreditat.* ibi: *Ne præiudicium de testamento cognituro faciat*, & *l. apud, trigesima quinta, D. de iure fisci*, ibi: *Ne publicæ causæ præiudicetur.*

Quæ sanè ratio (Interpretibus Iuris antiquis implurimum incognita) originem trahit à præiudiciorum origine, eorumq́ue etymologia à præpositione *præ*, & verbo *iudico*, quasi *ante iudico*, vel *ante iudicatum*, vt notat optimè *Ioan. Reuard. lib.* 1. *de præiudic. ca.* 1. & 2. *Mynsinger.* & post eum reliqui in §. *præiudiciales, institution. de action.* Exemplum erit, si Titio agenti contra libertum, vt operas præstet, libertus opponat se ingenuum; nam priùs est agendum & iudicandum super exceptione (quod in iure dicitur præiudicium, seu præiudicialis exceptio) *l. fi. D. si liber. ingen. esse dicatur*, ibi: *Redditur præiudicium*: *l. si quis à liberis* 5. §. *solẽt indices*, ibi: *Præiudicio certare possit, D. de liber. agnoscend.* §. *præiudiciales*, cum aliis, *institutio. de action.* Vt inde omnes causæ, quæ ante alias principaliores, vel altiorem requirentes indaginem, iudicantur PRÆIVDICIA, vel PRÆIVDICIALES appellentur, quales sunt contentæ in *l. si post litem* 13. *l. fundum Titianum* 16. *l. fundi* 18. *l. rei maioris* 21. *D. de except. l. per minorem* 54. *D. de iudic. l. adoptiuum* 8. §. *patronum, D. de in ius vocando, l. prima*, §. *primo, D. famil. erciscundæ, l. cùm aliquis* 21. *C. de iure deliberand. leg. quoniam Alexandrum* 26. *C. ad leg. Iuliam de adulter. leg.* 2. *C. de ordine cognit.* & alibi sæpè; *Cicero* 1. *in Verrem*, & pro *Cluentio*, & variis aliis locis. Prætor enim, qui iudicem

dabat, si à reo opposita fuisset exceptio quæ priùs deberet terminari, sub hac nota & formula causam cõmittebat: SI ILLI PRÆIVDICIVM NON FIAT, id est, nisi priùs iudicandum esset de exceptione præuiã causæ cognitionem requirente, vt doctè interpretatur *Rævard.d.lib.1. de præiudiciis*, & optimè *Brisson.lib.5. de formulis.* Ex hoc disertè inferens ad interpretationem *l.sed & eæ 35.§.non solum, D.de procurat. Nõ solùm si actio postuletur à procuratore, sed & præiudicium vel interdictum*, & *l.3.§.illud, D.de liber.agnosc. Si viuo patre redditum sit præiudicium.* Idem ergo est partui præiudicium non fieri in d.*l.1.§.si ea, D.de ventre in poss. mitten.* vel mitti in possessionem dilata causa status in tempus pubertatis, d. *l.vbicunque* §.1.in suo primo casu, scilicet bonorum possessionis capite *vnde liberi.*

23 Quod differt à secundo † *vnde legitimi* eiusdem §. in quo etiam causa status differtur, sed in primo dilatio fit misso ventre in possessioné, in secundo verò non ita, cùm non sit *æquum in tempus pubertatis* (vt ait ibi *Vlpian.*) *vẽtrem vesci de alieno, in tempus pubertatis dilata controuersia*, quasi diceret, vẽtri primum locum in successione occupanti meritò dari possessionem, dilata controuersia status (vt fit in *Carboniano* & in *quæstione adulterij* contra prægnantem mota) Qua suspensa venter qualiquàli præuia causæ cognitione & probatione in possessioné mittitur, ne ei fiat præiudicium, vt ait *Iulius Paulus* in *l.si ventri, ff.de ventre in poss. mitten.* id est, ne ei qui filius prædefuncti existimatur, alimenta deficiant (non concedenda extraneo ventri, in quo non eadem alendi viget ratio.) Et hac verissima interpetatione ad ista iura admissa, cessant plures Interpretum diuinationes & hallucinationes (quibus non immoror) & miror *Gothofredo* placuisse in eorum *scholiis.*

Valençuelam verò d.*cons.96.num.6.* non ita mirarer, nisi expresè eius resolutio contrariaretur decisioni *text.* in *l.7.tit.22.par.3.* vbi Rex noster ALFONSVS SAPIENS post definitioné eorum, quæ ad *Carbonianum Edictum* spectant, ita ait: *E esto pusieron los Sabios antiguos por pro del huerfano, cà si los que lo han en guarda entienden que es mas su pro dèl entrar luego en el pleito, porque ha las prueuas ciertas, è son viejas è se teme que se irã à tierras estrañas, es en su escogencia de poder seguir tal pleito luego. E si por auentura a aquella sazon ouiesse el huerfano enemigos, ò estorbadores, è non ouiesse las prueuas è defensiones tan ciertas come auia menester, entonces bien puede el huerfano callar, è non es tenudo de responder al pleito fasta que sea de la edad sobredicha, criandose en los bienes de que fue entregada: è despues quando fuere desta edad se podra mejor amparar por si, ò por sus parientes, ò por sus amigos.* Et posthæc subdit Legislator sequentia huius propositi: *E esto mismo dezimos que deue ser guardado quando alguna muger finca preñada de su marido que finò, è demanda al jugador en nombre de aquella criatura que tiene en el vientre, que le entreguen de los bienes que fueron de su marido, è los tenedores dellos dizen que no fue su muger legitima, è que non fincara preñada del. Que dando ella prueua, ò presunciones que era su muger legitima, è que fincar preñada del, maguer las prueuas fuessen dudosas, ò no lo dixessen claramente, deue ser apoderada por juizio de aquellos bienes que demanda en nome de aquella criatura de que es preñada, è puede viuir è mantenerse en ellos. Pero saluo finca su derecho à aquellos que erã tenedores dellos si quisiren despues mostrar alguna razõ derecha por que no los deua heredar, an si como dicho es.* Empero *tal pleito como este*

mo esteno le puedan mouer fasta que sea de edad de catorze annos, si el huerfano de su voluntad no quisiesse responder à ello, vt in causa *Carboniani* iam edixerat hiscemet verbis. Ex quibus omnibus perquàm euidentia fiunt quæ obiicimus dictis à *Valençuela*, isto in casu requirente plenam causæ cognitionem. Quæ tunc tantùm adhibetur, cùm illo iudicio res omnino terminatur, nec aliud exspectatur, *l. in bonæ fidei 3. C. de rebus credit. l. 1. & 2. C. de relation. l. 2. C. de adoption.* At missione ista regulariter res non perfinitur, nec iudicium status cum ea agitur, imò differt in commodius tempus. ¶ Et inde iudicio principali
24 quidquam non oberit † decisum in summario missionis in possessionem, etsi facta fuerit virtute iuramenti prægnanti ab hærede delati, *l. 1. in princip. ff. si mulier ventris nomine, l. 3. §. vnde Marcellus. ff. de iureiurand. l. 18. tit. 11. part. 3.*

Cùm autem ventrem summaria causæ cognitione & probatione in possessionem mittendum dicimus, asserentem nudam prægnantis non ad-
25 mittimus, † *l. 1. §. 1. ff. de illo titulo de vẽtre in poss. mitten.* sed causæ simul cognitionem requirimus, adhibito iudicio & indagine indiciorum (de quibus in *cap. præcedenti* latè egimus) vel muliere iurante se prægnantem esse, si ab hærede delatum sit ei iuramentum, d. *l. 1. in princ. ff. si mulier ventris nomine, d. l. 3. §. vnde Marcellus, ff. de iureiur. d. l. 18. tit. 11. p. 3.*

26 Hæc si præcesserint, calumnia aut dolus non præsumitur † in muliere missa in possessionem, quæ postcà apparuit prægnantem non fuisse; quin potiùs falsa existimatione fuisse deceptam, *l. ea quæ 18 ff. de his qui notant. infam.* faciunt tradita à *Mascardo concl. 639. num. 12. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 309. num. 8.* Et huius propositi est aperta decisio *text. in l. 1. §. per calumniam, D. si mulier vent. nom.* vbi ea sola mulier prægnans per calumniam in possessionem missa esse dicitur, aut videtur, quæ sciens, prudensque se prægnantem non esse voluit in possessionem venire. Et conferunt tradita à *Gregorio Lopez gloss. 4. in l. 5. tit. 6. p. 7.*

Quòd si de manifesta calumnia ante missionem † appareat, hoc 27
est, mulierem non esse prægnantem, vel ex alio prægnantem esse, *l. cùm non prægnans 16. ff. de his qui notan. infam.* nihil noui Prætor decernit, *dict. l. 1. §. si ea, ff. de ventre in possess. mitten.* (id est, decretum suum non interponit) *l. 3. §. causæ cognitio, ff. de Carbon. Edicto, Menoch. de retinend. remed. 1. numero 51.*

Detecto verò dolo, aut calumnia post missionem læsis diuersimodè per Prætorem consulitur, & in mulierem † aliosque doli participes agitur in 28
titulo 5. libro 25. Digestorum: Si ventris nomine mulier in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur, & in titulo 6. *eodem libro: Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ nomine esse dicetur.* Nam dicto *titulo* 5. mulier missa in possessionem, quæ alium dolo admisit, tenetur ex nouissimo Prætoris Edicto, cuius fit mentio in *l. 1. illius tituli*, actione scilicet quadam in factum, in id quod interest admissum, in possessione non fuisse, dicta *l. 1. §. 1.* Et *non solum* (vt ait ibidem *Vlpianus*) *mulierem Prætor coercet, verum eum quoque in cuius potestate ea fuerit, scilicet si dolo ipsorum alius in possessionem fuerit admissus, actionémque in tantum pollicetur in eos, quanti interfuerit eius qui experitur.* Quin & in patrem, auúmve paternum doli non participem (in cuius potestate esset filia) actio dabatur, sed pro eo tantùm quod ad eos peruenisset, d. *l. 1.*

§.*fin.*(ita intelligendo) *ff.illo tit.si ventris nom.mul.in possess.mis.* Si enim parens in cuius sacris filia esset constituta doli particeps inueniretur, tunc sanè siue filia, siue alius in possessionem missus fuisset, vterque insolidum tenebatur dict.*l.*1.§.1. iuncta *l.seq.§.si & patris.* Datur itidem hæc actio in quemcunque ad quem bona defuncti peruenerunt, d.*l.*1.§.*necessariò* (ex dolo enim quidquã lucrantibus semper iura a luctantur, *Couarr.lib.2.variar.cap.16.Tiraquell.de retract.proxi.* §.1.*gloss.*10.*num.*25.) & ideò rei persecutoria dicitur. Et post annum competit, dict.*l.*1.§.*hæc actio*. Et admissum de possessione decedere iubet, d. §, *necessariò*.

At in d. *tit.6.ff.si mulier vent.nom.* Prætor (qui facilis est circa bonorum possessionem dandam *l.*1.§ *& hoc edictum.ff.illo titulo si mulier vent.nomine*) mulieris (falso attestantis iuramento, ex delatione hæredis se grauidam à
29 defuncto) calumniam † coërceret; & grauiùs quidem quàm Edicto relato in præcedenti *titulo ff. si vent. nomine mulier.* nam ibi datur actio in id quod interest actoris gratia principaliter, & ideò actio pro pœnali non habetur, nec anno finitur, vt quæ rei persecutionem habet, dict.*l.*1.§.*hæc actio, ff.si ventr.nomine.* In dicto verò *titul.* 6.*ff.si mulier ventr. nom.* actio Prætoris coërcitionem mulieris (falsò asserentis se prægnantem esse) principaliter respicit, & ideò pœnalis est, vel quasi, & vltra annum non datur, *l.* 1.§.*hanc autem eodem tit.* & infamiam ex delicto irrogat, *l.notatur* 15. *cum quattuor seqq.ff.de his qui notan.infam.* est enim conceptio atrocior in calumniam, quàm in dolum & damnum tertij, vt optimis exemplis illustrat *Cuiac.suprà.*

Sed nec insignis iste vir, nec vllus (eorum quos ego viderim) causam apperit, † cur in dicto *titulo* 5.mulier 30
decipiens in id tantùm quod interest obligetur, *l.*2.dict.§.*sed & patris, ff. illo titulo.* In *tit.* verò 6.*simul.vent.num.* mulier non tantùm ad interesse teneatur, *l.*1.§.*simili autem modo*, & §. *competit*, sed & actione pœnali conueniatur, dict.*l.*1.§.1.& dict.§.*hanc autem actionem, ff.illo dicto titulo.* Id quod fortiùs vrgebit attendentibus vtrumque Edictum ab eadem causa proficisci, d.*l.*1.§.*& Edictum, eodem titulo.* Nec proposito dubio satisfacit *Anton. Faber in rationibus super* dict. *l.notatur* 15.*ff.de his qui not.inf.* qui ideò Prætorem non relinquere impunîtam mulieris calumniam ait, quia camissio magnam iniuriam defuncto & hæredibus & legatariis irrogat, cùm interim additio hæreditatis impediatur. Nam ratione ista admissa idem dicendum erat in causa Edicti prædicti *tituli* 5.*ff.si vent.nom. mulier*: cùm missio in possessionem mulieris, de qua ibi, eiusdem sit præiudicij hæredibus & legatariis, ex iam dictis *suprà numero* 20.

Vnde ego puto, mulierem asseuerantem sese ex defuncto grauidam in possessionem mittendam esse, præcedentibus prægnationis indiciis (de quibus in *capite præcedenti egimus*) quin & in dubio, quamuis ab hærede defuncti ei opponatur & d.calumniam possessionem petere, *l.*3.§.*finali, D.ne vis fiat ei.* Dummen ab eodem hærede iuramento delato iurauerit se prægnantem esse (quo casu calumniam, medio iuramento, purgabit) vt vtrumque probat apertè *textus* in dicta *l.*1.*in principio, D. si mulier ventris nomine*, & in dict. *l. ait Prætor* 3.§.*vnde Marcellus* (qui singularis est) *D.de iureiurando*: & conferunt tradita à *Seraphino de priuilegijs iuramen.priuileg.*12.*num.*1.& 4. & *Craueta conf.*376.*numer.* 2. Detecta autem ve-

tem veritate, & mulierem prægnantem non fuisse, aut ex alio grauida apparente, actio pœnalis in eam (falso id antea iuramento asseuerantem) dabitur, d. *l.* 1. §. 1. qui, simul cum sequentibus hoc casu sunt intelligendi ex thesi in principio proposita, & in sequentia influente, ex regula *textus* in *l.* 3. §. *filius inter medias*, & §. *ante hæredes*, cum ibi communiter notatis, *ff. de liberis & posthumis*. Et hoc eodem sensu accipienda est d. *l. notatur* 15. *cũ sequentibus ff. de his qui notantur infamia*, vt innuit *textus* in illis verbis: *Dum se asseuerat prægnantem*, & *textus* in d. *l. debuit* 17. *ff. illo titulo*, ibi: *Debuit enim coerceri, quæ Prætorem decipit.* Quæ verba propriè adaptantur ei, quæ delato iuramento, & auctoritate Prætoris spreta, sciens, prudénsque se prægnantem non esse, voluit medio iuramento in possessionem venire, d. *l.* 1. §. *per calumniam* (ita intelligendo) *ff. si mulier ventris nomine.* Debent ergo omnia illa iura in dict. *l.* 1. *ff. si mulier ventris nomine in possessionem*, cum suis §§. (qui durant vsque ad finem *tituli* iuxta *Pandectas Florentinos*) & in d. *l. notatur*, & *l. Debuit*, *ff. de his qui notantur infamia*, & d. *l.* 3. §. *vnde Marcellus*, *ff. de iureiurando* (quæ eiusdem sunt Auctoris *Vlpiani*, decerpta ex eisdem libris & commentariis ad Edictum Prætoris) intelligi de muliere medio iuramento in possessionem missa, Prętorem decipiente, ob calumniam coërcenda & punienda actione pœnali, d. *l.* 1. §. 1. & §. *hanc autem actionem*: & in factum simul ad interesse. Cùm tamen in *titulo* præcedenti *ff. si ventris nomine*, actio rei persequutoria tantùm detur in mulierem & doli participes.

Prædicta mirè confirmantur ex alio *Vlpiani* responso in dictis libris in Edictum, relato in *l. de ætate* 11. §. *qui tacuit*, *ff. de interrogator. actionib.* vbi is qui à Prætore in iure interrogatus est, & respondere non vult ob contemptam Prætoris auctoritatem, hactenus coërcetur, vt insolidum teneatur, non tamen pœnali actione, aut infamiæ nota, vt ille qui sub iurisiurandi religione contempta alium decipit, d. *l.* 1. §. 1. & §. *hanc actionem*, *ff. si mulier ventris nomine*, facit *textus* in *l. furti* 6. §. *sed etsi iureiurando*, *ff. de his qui notantur infamia*. Vt inde dignoscatur ex falsa & iurata mulieris assertione actionem pœnalem oriri, ex qua mendacij saltem afficietur pœnis, de quibus in *Capitio decis.* 19. *num.* 6. *Seraphino de priuilegiis iuram. priuileg.* 31. *numer.* 41. *vsque ad* 49. *Saraina ad Constitutiones Siciliæ in Indice*, sub verbo, *mendaciis*.

Cùm autem falsam assertionem dico, eam intelligo, † quam mulier sciẽs, 31
prudénsque facit, non illam quę à muliere falsa existimatione decepta emissa est, d. *l.* 1. §. *per calumniam*, *ff. si mulier ventris nomine*, *l. ea quæ* 18. *ff. de his qui notantur infamia.* vbi *Antonius Faber* disertè ait, non videri eam voluisse Prætorem decipere, quæ ipsa decipitur: nec rursus illam, quæ in dubio cõstituta mauult peccare in eam partem, quæ sibi commodior futura est, & ideò velut bona fide in possessionem missa sumptus non restituet, *l.* 1. §. *totiens*, *vers. sed etsi certum*, *l. sumptus* 3 *ff. de vent. in possession. mittendo. Pontanus de alimentis*, c. 2. n. 19. vbi hęc impendia tanquam æs alienum deduci acutè denotat. Quę omnia in causa ventris in possessionem mittendi (ab aliis *summis*, vt aiunt, *labris*, notata) non inutile nobis visum fuit exactiùs prosequi, pręsertim cùm nostri sint θέματος, & propositi.

His denique quæ de Iure Prætorio prosequimur circa posthumi

alieni successionem testamentariam, & legitimam finem damus, annotantes, à prædictis in initio huius §. de ventris scilicet fauore à Prætore valdè
32 considerato, velut elici, legata † & fideicommissa (quorum itidem Prætor curam habuisse videmus in *lib.37. Digestorum tit.5. de legatis præstandis contra tabulas bonorum possessioni petita*) eidem posthumo relicta Iure Prætorio sustineri, id quod mihi probatur apertè à generali dispositione *textus* in *l.1. §. final. ff. illo titulo de legatis præstandis*, vbi *Vlpianus Posthumis* (ait) *liberis legata relicta vtique præstabuntur*: verbum namque illud LIBERIS referri debet ad quosuis siue suos, siue extraneos hæredes, vt apertè deprehenditur ex § *generaliter eiusdem legis* 1. ibi: *Virùm ex virili sexu, an ex fœminino descendant*. Vt inde propositio indefinita dicti §. *finalis* neutiquam restringi debeat cum *Emanuele Costa* (illicò referendo & resilendo) ad liberos ex emancipato filio ante emancipationem conceptos, iuxta *l.2. dicto titulo, ff. de legatis præstandis*. Ideò enim ibi *Iulianus*, in posthumo ante emancipationem concepto, in auíque potestate existente posuit exemplum, quia aliàs legatum in nepotem ex filio emancipato, & illius retentum sacris collatum non teneret in eius persona post natiuitatem, sed in persona tantùm patris, vulgari *l. placet 79 ff. de acquirenda hereditate, l. cùm filio 11. ff. de legatis 1.* Vnde cauendum est à *Costa* in §. *posthumus n.15. institutionum de legatis*: qui (mala innixus inductione *d.l.2. ff. de legatis præst.*) asseuerauit posthumo alieno ex Iure Prætorio legari non posse.

Neque prædicta *Costæ* sententia quidquam iuuatur quorundam consideratione à *l. posthumus 6. ff. de inoffic. testam.* elicita, dicentes ibi testatori id tantùm imputari, cur eum qui inofficiosi querelam instituere tentat hæredem testamento suo non scripserit, quasi sentiat, vel supponat Iurisconsultus, legatum (cuius titulo legitima illis temporibus relinqui poterat, *l. Papinianus 6. §. quoniam autem 4. ff. de inofficioso testamento*) nec Iure Prætorio relinqui potuisse posthumo alieno, nec inofficiosi testamenti querelæ intentandæ impedimento esse debere. Nam respond. querelam prædictam ab obliuione, seu prætermissa institutione filij emancipati, aut nepotis ex eo, aliarú´ve personarum prouenire, hanc verò prætermissionem legatum prædictis personis factum non compurgare, vt quæ ad instar suorum hæredum (de quibus in §. 1. *institutionum de exhæredatione liberorum*, *l. finali, C. de bonor. possess. contra tabulas, l.10. titulo 7. l.1. titulo 8. part.6.*) essent instituendæ, vel exhærèdandæ Iure Ciuili attento. Et ob id sanè legatorum, seu fideicommissorum mentio nulla est in dicta *leg. posthumus*. Diremus querelam inofficiosi testamenti cessare ob legatum, seu fideicommissum emancipato filio, vel nepoti ex eo, aut fratri testatoris relictum, quis non videt *Vlpianum* in *d.l. posthumus*, id quod frequentius est in querela inofficiosi deneganda, vel danda, id est, institutionem & exhæredationem, aut præteritionem attendisse?

Demum *Emanueli Costæ* non adstipulatur §. *posthumo quoque alieno*, ibi: *inutiliter antea legabatur*, iuncto §. *posthumus*, ibi: *antea poterat institutionum de legatis*. Ita vt quemadmodum verbum ANTEA, dicti §. *posthumus*, respicit Ius Prętorium (vt iam annotauimus in §. *præcedenti* ex *num.* 189.) ita & in d. §. *posthumo*. Nam respond. dictionem ANTEA, in prædictis §§. diuersimodè proposita à *Iustiniano* afficere: nam in §. *posthumo* stat negatiuè, & denotat tem-

temporibus mediæ Iuriſprudentiæ poſthumo alieno inutiliter legari, ſubaudi *& hæreditatem relinqui.* At in §.*poſthumus* ſtat affirmatiuè, quaſi diceret *Iuſtinianus*, illo eodem tempore, quo Iure communi (Iuriſconſultorum interpretationibus coanguſtato) alieno poſthumo nec hæreditas, nec legatum relinqui poterat, vtrumque Iure Prætorio attento eum acquiſiiſſe: & nunc, id eſt, Iure Cæſareo, ab ipſo *Iuſtiniano* nouè inducto.

§. III.

SYNOPSIS.

1 *Temporum ſerie attenta hoc §. diſquirit* Auctor *quid Iuſtinianus nouè ſtatuerit in cauſa ventris, ac ſubinde poſthumi.*

2 *Quod attinet ad ventrem nil* ferè per Iuſtinianum *innouatum breuiter demonſtrat.*

3 *In his verò quæ è re poſthumorum* à Iuſtiniano *nouè ſunt inducta, ad dicta* ſuprà inlatione 12. & 13. *ſeſe refert.*

4 *Quid in hiſce apud Hiſpanos praxi inconcuſſa obſeruetur, notat.*

5 *An ei qui in vtero eſt poſt* Iuſtiniani *conſtitutionem donari poſſit, inter viuos diſputat? & negatiuè reſoluit cum* Hotmano.

6 *Sed attenta* l.2.tit.16.lib.5 Recopilationis *donationem inter viuos valere contendit, & eiuſdem legis verum ſenſum aperit.*

7 *Iure Patrio plenius prouiſum eſt ventri & poſthumo, quàm ex noua* Iuſtiniani *conſtitutione.*

1 SVBINDE temporum † ordine, & Iuris Ciuilis attento progreſſu, hoc §.3. diſquirendum & reſoluendum ducimus quid nouè *Iuſtinianus* in cauſa ventris, itidémque poſthumi ſtatuerit?

Et verò ſumma † reſolutione exiſtimo, hunc Imperatorem nil ferè innouaſſe eorum quæ Iure Ciuili antiquo in cauſis ventris antea diſpoſita fuere, & à nobis tractata in *principio huius capitis*, & in §.1. per *vndecim inlationes.* Dixi *ferè* ob ea quæ de libertate ſiue fideicommiſſaria, ſiue directa ventri relicta nouè impoſterum *Iuſtinianus* decreuit in *l. cùm inter veteres 14. C. de fideicommiſſariis libertatibus.* vt iam annotauimus dicto §.*primo, inlatione nona*, ex *numero vigeſimo primo.* 2

Quòd verò ad † cauſam poſthumorum attinet, ſiue de illis inſtituendis agatur, ſiue de legatis, aut fideicommiſſis eiſdem relictis, iam ſatis ſupérque dict.§.1.*inlatione* 12. *&* 13. demonſtrauimus *Iuſtinianum* mediam Iuriſprudentiam (cuius ipſe meminerat in §. *cæterum, inſtitution. de legitima agnatorum ſucceſſione*) abrogaſſe, ſuáque noua conſtitutione (in priore *Codicis* editione poſita, & relata in §.*ſed nec huiuſmodi, inſtitution. de legatis*) correxiſſe: Iúſque *xij. Tabularum* renouaſſe, cùm ſtatuit poſthumum alienum poſſe, ac ſuum hæredem inſtitui, eidémque legatum, aut fideicommiſſum liberè relinqui: ita vt poſthumus iſte, in horum acquiſitione, Prætoris beneficio deinceps non indigeret, iam Iure Ciuili, & communi eorum capax, & legitimus acquiſitor effectus, ex quo natus fuerit. Id quod Patrij † Iuris Interpretes omnes admittunt, & praxis inconcuſſa recepit, licèt legem non habeamus expreſſè approbantem *Iuſtiniani* conſtitutionem. 3 4

His autem omnibus ſic ſuppoſitis, hîc aptè diſquirendum duco, an poſt *Iuſtiniani* † conſtitutionem poſthumo alieno eive qui in vtero eſt 5

vtiliter inter viuos donetur? Quam quæstionem post *Boerium*, & ab eo relatos *decis.*172.ex *num.*4. exactè discussit *Hotmanus in li.quæstionum illustrium,quæst.6.in princip.* vbi pro parte aiente & negante plura expendit, demúmque concludit, donationem non valere, & rectè quidem, cùm donatio sine acceptatione (*l. Seia 42.ff. de mortis causa donat. l.quidam referunt* 13.*ff. de iure codicillorum*) aut sine affectu aut animo accipientis (*l.in omnibus* 53. *ff.de obligationibus & actionibus*) & sine traditione (*l.final.* §.*Lucius*, *ff. de donationibus, l.*1.*C.de iure fisci lib.*10. *l.* 4. *C. de contrahenda emptione* cum aliis) nec perfici, nec impleri possit. Horum autem omnium is qui in vtero est, expers est. Adde ex sententia *Hotmani* s̃.donatore ante partus editionem defuncto dominium rei donatæ ab eo post mortem suam abire incipere, contra regulam *textus* in *l. si ego* 9.§.*si res*, *ff.de de iure dotium*: *Et vereor ne non possint in dominio eius affici cui data sunt, quia post mortem incipiat dominium discedere ab eo qui dedit.*

Nec his obstabit *textus* in dicto §. *sed nec huiusmodi*, & in dicto *principio institutionum de bonorum possession.* nam quod à Prætore primum, & pòst à *Iustiniano* contra iuris regulas inductum est in institutione & legato alieno posthumo relicto, trahi non debet ad donationem diuersum ius acquisitionis constituente: verùm ex contrario à legis odiosa correctione licebit argumentari, & planè inferre, donationem istam non tenere, iuxta regulam *textus* in *l.præcipimus*, *C.de appellation.* cum similibus. Quòd si replices, legatum esse donationem, *l.legatum* 116. *ff.de legat.*1.§.1.*institution.de legat.* cum aliis. Respond. esse quidem donationem à defuncto relictam, quæ longè differt à donatione inter viuos, de qua loquimur. Illa enim à sola testatoris legantis voluntate pendet, & perfectionem accipit, ista verò vtriusque assensu perficitur, ex dicendis *num. sequenti.* Sed & legatum species quædam donationis est, d.§.1. & propriè *delibatio* dicitur hæreditatis, d.*l.legatum*: ab eo ergo arguere non licet ad donationem quamcunque inter viuos, de qua noster est sermo, iuxta tradita ab *Euerardo in Topic. legal. loco* 80.

Quod autem dici solet rerum quæ nondum sunt, sed futuræ sperantur, veluti fructuum pendentium, partus ancillæ, aut alterius fœtus nascituri, & denique cuiusque spei, emolumentíve obuenturi donationem tenere, *l.in ædibus* 9.§.1.*ff.de donationibus*, *l.*3.*Cod. eodem titulo.* *Hotmanus* diluit s̃. dicens, istarum futurarum rerum donationem, dum non existunt, in suspenso esse, ob ídque moris fuisse donatarium sibi in hisce stipulatione cauere, vt illico donator Iure Ciuili adstringeretur, in ídque expendit *l.qui ex donatione* 12. *l.eum qui* 22. *l.id quod* 33.*ff. de donationibus*, *l.si stipulata* 33.*ff.de donation. inter virum & vxorem.* Sed longè in his omnibus *Auctor* iste à vero deuiat; nam donatio isthæc in suspensó non est, quoad sui valorem, cùm potiùs pura sit, dicta *l.in ædibus*, § 1. dicta *l.*3. *C.de donationibus.* Nec *textus* in dicta *l.qui ex donatione*, cum aliis ab *Hotmano* citatis, quidquam ad propositi obicis resolutionem conducunt, vti ex eis clarè patet. Vnde ex iam dictis *suprà hoc capite*, §.*primo*, à *numero trigesimo sexto.* (vbi *numer.*38. differentiam constituimus inter legatum rei incertæ personæ certæ factum, & in incertam personã rei certæ collatum) tu dic, donationem rei incertæ illico tenere, d.*l.in ædibus*, §.1. factam verò incertæ personæ velut nascituro, non ita, ex proximè dictis. Ni

Ni mauis dicere in suspenso esse, hoc est, perseuerante donatore in eadem voluntate editi ventris nomine posse patrem aut tutorem donationem postea acceptare, & rei donatæ assequutione & traditione perficere, quod idem est ac si dicas, donationem in sui principio non tenuisse, eique qui in ventre est fieri non potuisse.

Nec huius propositi sunt *textus* ab *Hotmano* expensi in *l. qui saxum, ff. de donat.* & in *l. si tradita* 5. *C. de his qui à non domino manum.* in quibus nil speciale deciditur, sed tantùm donationem ante traditionem suum integrum effectum non sortiri, quo casu nec perfecta dicetur, d. *l.* 1. iuncta *gloss.* & traditis ibi à *Cuiac. C. de iure fisci libr.* 10. facit *text.* in *l. Titius, ff. de resc. vend. l. contractus, C. de fide instrum.* cum similibus. Ex quibus omnibus planum fit, donationem ventri factam etiam post *Iustiniani* constitutionem non tenere, nec donantem adstrictum esse, nisi in eadem perstiterit voluntate vsque dum tempore congruo fuerit acceptata.

Sed an hoc ipsum locum habeat attenta *l.* 3. *tit. de las excepciones lib.* 5. *Ordinam.* † (quæ est *l.* 2. *titul.* 16. *libr.* 5. *Recop.* in illis verbis: *Pareciendo que vno se quiso obligar à otro por promission, ò por algun contrato, ò en otra manera, sea tenudo de cumplir aquello à que se obligò: i no pueda poner excepcion, que no fue fecha estipulacion, ò que fue hecho el contrato, ò obligacion entre ausentes.* Et sanè ex prædictis verbis planè deprehenditur, Iure isto Patrio donationem hodie perfici sola voluntate donantis, ita vt reuocari non possit ante acceptationem, vt post *Rodc. Xuar. Gregor. Lop. Ant. Gom. Duennas, Didac. Perez, Conar. & Parlad.* resoluit *Zeuallos commun. cont. commun. q.* 54. *in fin. Matien.* in *l.* 7. *tit.* 10. *lib.* 5. *Recop. gloss.* 2. *n.* 21. *Menoch. lib.* 3. *de success. creat.* §. 21. *nu.* 43. *Angulo de melior.* in *l.* 1. *gloss.* 5. *num.* 28. & *gloss.* 8. *numer.* 17. *in fine. Ludouic. Lopez in instruct.* 1. *par. cap.* 170. *secundæ editionis, P. Molina* 2. *tomo de iustit. & iure, disputat.* 263. *vers. iuxta hac, &* 264. *in fine, Christoph. de Paz ad leg. styli in schol. ad l.* 187. *num.* 3. *Villadie. ad l.* 3. *tit.* 5. *lib.* 2. *Fori iuzg. Ios. Sesse decis.* 189. *à n.* 20. 2. *p.*

A quo planum fit donationem ventri factam illicò apud nos effectũ sortituram, quidquid *Molina libro* 4. *de Hisp. primog. c.* 2. ex *n.* 58. *Villalob.* & alij relati à *Parlad. lib.* 4. *c.* 3. *nu.* 36. (quibus accesserunt *Gutier. in repet. c. quamuis pactum n.* 53 *de pact. in* 6. *Azeu. in d. l.* 2. *n.* 2.) adstruere conati fuerint, asseuerãtes, & hodie attenta d. *l.* 2. *Rec.* donationem ante acceptationem non perfici, contendentésque (maximè *Molina*) variis mediis respondere generali d. *l.* 2. dispositioni in verbis s. relatis: sed parum feliciter.

Nam prima *Moli* euasio dicentis d. *l.* 2. loqui in contractibus, & ideò ad donationem, quæ diuersum acquisitionis genus constituit non esse trahendam, facilè refellitur attendenti verba illa: *Pareciendo que vno se quiso obligar à otro por promission, ò por algun contrato, ò en otra manera,* &c. expensis illis verbis: *Por promission,* & illis: *O en otra manera,* aptis quidem comprehẽdere quemcunque actum ad inducendam obligationem idoneum, qui excogitari possit, *l. qui iure militari, ff. de testam. Bald.* in *l. tres fratres,* 4. *notab. ff. de pact.*

Secundò *Molina* ait, generalem d. *l.* 2. dispositionem temperasse vel limitasse illa verba: *Pareciendo que vno se quiso obligar à otro*, quæ animum requirunt in donante abdicandi à se & conferendi in alterum: qui (secundùm istum) cessat in donatione facta absenti vel non acceptanti, *l. qui absenti, ff. de acquir. possess.* Sed debuerat aduertere

consultissimus hic vir legem istam loqui in eo, qui contrahit per nuntium vel epistolam, vt patet ibi: *Qui absenti seruo scribit*, quo casu certum est, voluntatem in suspenso esse vsque dum seruus epistola vel nuntio certior ibi fieret: nam vt disertè *Bald.* ait in *rubr.C.de dotis promiss.* in fin. *Actus qui per literas explicatur, non trahit secum suum effectum, nisi literis receptis*: cùm autem contractus promissio aut donatio non fit per nuntium vel epistolam, voluntas ista conficientis est illicò obligari, vt patet ad oculum, & probat optimè *Aretin.* in d.*l. qui absenti num.3.* Et quamuis iuxta ea quæ disertissimus is *Auctor* ibidem resoluit ex simili voluntate ante acceptationem iure Romanorum non contrahatur obligatio: at ex d. *nostra lege*, quæ solùm attendit animum volentis sese obligari, aliter est dicendum.

Tertiò respondet *Molin.* prædictam *l.2.* solemnitatem stipulationis reiecisse, remque ad æquitatem Canonicam reduxisse, & ad terminos *text.* in *cap.1.& 2.de pactis*: substantialibus verò contractus vel promissionis (qualis est acceptatio in donatione) non derogasse. Sed hæc solutio incidit in dubium, hoc enim est quod quærimus, an illa lex voluerit solam stipulationis solemnitatem exterminare. Ad hæc responsio ista vt plurimum conueniet verbis illis d.*l.2 I no pueda poner excepcion que no fue fecha estipulacion*: at illis inepta est, *ò que fue fecho el contrato, ò obligacion entre ausentes*, quæ referri debent ad substantiam contractus, & clarè præ se ferunt inter absentes valere; nec vllo modo conueniunt prioribus verbis, in quibus Legislator egerat de stipulationis solennitate, imposterum penitùs insuperhabenda. Nisi velis fateri ista superflua esse, contra *text.* in *l. si quando*, cum simil. *ff. de leg.1.*

Quod autem *Molina* ait, Legislatorem respexisse ad dispositionem vel æquitatem Canonicam d.*c.1.& 2. de pact.* qua attenta hodie in donatione requiritur acceptatio (vltra quam quòd principalis propositio difficultate non careat, & contrarium magni nominis viri defenderint, maximè *Antoni Abb. Fortu. Garcia*, & *Andr. ab Egea*, quos refert *Matien.* d.*glo.2.n.17.*) facilè diluitur, si consideres longè ampliorem esse decisionem dict. *l.2.* quàm d. *c.1. & 2. de pact.* iuxta communem intellectum ab his iuribus deducentium ex pacto nudo actionem oriri: à quo nullus rectè inferet, in donationibus, aut promissionibus acceptationem de iure Canonico non requiri. Quinimò cùm pactum sit duorum, pluriumve in idem placitum consensus, *l.1.ff. de pact.* acceptatio Iure etiam Canonico erit necessaria. At cùm in d.*l.2.* illud idem decisum esset in illis verbis (Iuris Canonici dispositionibus concinentibus) *E no pueda poner excepcion, que no fue fecha estipulacion*, subadduntur sequentia, *ò que fue hecho el contrato, ò obligation entre ausentes*: quę verba aliam latiorem dispositionem continent, & re vera acceptationem (aliàs necessariam) excludunt, quod quidem Iure Canonico decisum non fuerat.

Demũ *Moli.* d.*c.2.n.63.* in comprobationem anteà dictorũ allegat *Paul. de Castro cons.171. in casu præsenti lib.2.n.1.* secundum nouiorem editionẽ, vbi credit, dixisse *Paulum*, quod si ex forma statuti alteri per alterum quæratur obligatio, hoc debet intelligi dum tamen is, cui quærenda res est, eam acceptet: sed deceptus fuit grauissimus & doctissimus iste Vir, & *Paulus* apertè stat contra eum & suos fautores, cùm expressè loquatur in statuto acceptationem requirẽte, vt patet ibi: *Nec ex forma statuti, de quo supr. &c. Cùm illud requirat,*

illud,

illum, cui nomine recipitur, consentire, vt patet arte finem ibi: Consentiente, &c. *Alexan.* verò & *Curtius Iun.* à *Molin.* ibidem adducti non dicunt quod eis voluit imponere.

Remanet ergo irrefragabilis decisio d. *l.* 2. quæ iam hodie acceptationem in donatione non requirit, iuxta veriorem & verbis eius aptiorem sensum. Qui non parum coadiuuabitur, si adnotaueris ab ea lege absentem fieri velut præsentem: at data præsentia non est necessaria extrinseca acceptatio, iuxta ea quæ ab *Angell. Couarr. Mench.* & aliis resoluit idem *Molina* dict. *libr.* 4. *c.* 2. *num.* 76. & probatur in d. *l. qui absenti, D. de acquirend. possess.* ibi: *Seruus certior factus fuit*; vt inde per necessariam consequentiam inferamus ad propositam quæstionem donationis ventri factæ, nobis, attenta d. *l.* 2. *Recop.* illicò vires eam sortiri, nec posse ante editum partum reuocari: & ita censeo tenendum in hac re seria & praxi scitu digna, à nemine nostrûm, quos viderim, in terminis discussa.

Sed & à prædictis illud ego præter omnes nouè noto, iure nostro Pa-trio attento, ventri vel posthumo plenius † prouisum, quàm per nouam *Iustiniani* constitutionem: quandoquidem apud nos hisce donari inter viuos possit, quod ex lege *Iustiniani* eisdem non fuit indultum, vt iam resoluimus.

§. IV.

SYNOPSIS.

1 *Ius etiam ciuile partui non edito in pluribus fauit, & nondum editos sæpè pro natis habuit.*

2 *Imò in toto penè Iure Ciuili qui in ventre est pro nato habetur.*

3 *Ab his ad intellectum* l. qui in vtero 7. *&* l. qui in vtero 26. *infert* Auctor.

4 *Regula* l. qui in vtero *difficulter suis proprijs casibus aptatur, ex traditis à Iurisconsultis, & maximè ab Interpretibus Iuris.*

5 *Regula prædicta non procedit in his quæ tempore actus absolutam recipiunt perfectionem.*

6 L. non est pupillus 161. ff. de verb. signif. *intellig.*

7 *Fallit prænotata declaratio in posthumo suo. Et nu.* 8. *in successione legitima.*

9 *Iure Prætorio nascituri habentur pro natis, quod attinet ad bonorum possessionem.*

10 *Qui in vtero est alijs regulariter non prodest antè quàm nascatur.*

11 *Fallit in damno sine culpa tertio contingenti vitando.*

12 *In omnibus dispositionibus siue legis, siue hominis, quarum effectus differri potest in tempus natiuitatis, existens in vtero habetur pro nato.*

13 *Fictio, quæ in vtero existentem pro nato habet, fauore partus & Reip. simul inducta fuit.*

14 *Propter legitimas hæreditates admissa fuit prædicta fictio ex* Anton. Fabro *ab* Auctore *laudato. Et numer.* 15. *in ratione hisce adsignanda circa testamentarias successiones ab eo deuiat.*

16 *Qualiter in prægnante ab hostibus capta verificetur regula* l. qui in vtero.

17 *Et in ancilla prægnante subrepta, & enixa etiam apud bonæ fidei possessorem.*

18 *Et in iure patronatus libertorum.*

19 *Et in ea quæ cùm libera esset, concepit, dein ancilla facta parit.*

20 *Et in casu* l. Paulus, ff. de statu hom. (*quam interpretatur* Auctor.)

21 *Et quo casu prægnans vltimo suppli-*

cio damnata est, pœna vsque ad partum differtur. Quod à lege Ægyptiorum originem ducit, numero 22. & 23.

24 *Claudius Imperator damnatur, qui nec supplicijs prægnantium abstinuit.*

25 *Idem locum habet in quæstione, quæ de prægnanti haberi non debet.*

26 *Sed nec terreri prægnans potest.*

27 *Et confessio à prægnante extorta in tormento vel comminatione nulla est.*

28 *Sed nec torqueri potest dum nutrix filio non inuenitur.*

29 *Nec membri amputationis pœna prægnanti imponi potest.*

30 *Nec relegationis.*

31 *Sed hoc intellige, quando ex exilio immineret partui periculum.*

32 *Improbat eorum opinionem qui putant, mulierem prægnantem non posse compelli ad iurandum.*

33 *An prægnans in iudicio comparere debeat. Et num. 35.*

34 *Quod dicimus de prægnante, & in ea locum habet quæ ab amasio concepit.*

36 *Improbatur* Marcus Mantua, *qui prægnantem bannitam impunè occidi posse putauit.*

37 *Omnia quæ prædicta sunt circa regulam* l. qui in vtero 7. & 26. ff. de statu homin. *procedunt attento Iure nostro patrio* l. 2 tit. 23. p. 4.

38 *Conlatio & hodie cum eo qui in vtero est fieri non potest.*

39 *Nec itidem hodie à muneribus excusantur ex multitudine filiorum qui inter eos ventrem connumerant.*

40 *Retractus ius competit in vtero existenti.*

41 *Et in maioratibus Hispaniæ venter proximior vltimo possessori admittendus. Et num. 51.*

42 Cap. qui in maternis 115. de consecr. distinct. 4. *declar. Et nu. 43. qui nasci cœpit baptizari potest.*

44 *Limitatio* Alberici *ad* l. qui in vtero *in dispositionibus statuarijs improbatur.*

45 *Sententia communis existimantium, statuta esse stricti iuris impugnatur, & legibus, quæ in contrarium adducuntur, respondetur.*

46 *Eadem militat ratio in statuto siue lege municipali, quæ in lege generali.*

47 *Quid fuerit in causa communi errori existimantium statuta esse stricti iuris.*

48 *In quacunque dispositione statutaria, quod attinet ad posthumos, interpretatio sumenda est as in qualibet lege generali.*

49 *Quod dicitur in vtero existentem haberi pro nato, intelligendum est, si postea nascatur.*

50 *In inunda & computanda cuiusfuit ætate tempus natiuitatis inspicitur, non conceptionis, & quare?*

51 *Venter vel fœtus in successione maioratus gradum facit, si postea edatur.*

52 *Et præteritus rumpit, si postea nascatur.*

53 *Et donationem ad terminos* l. si vnquam, C. de reuocand. donationib. *reuocat, si postea edatur.*

54 *Et eodem modo procedit restitutio ventri concessa.*

55 *Et fundationem maioratus factam contra formam* l. 27. Tauri, *infirmabit natiuitate.*

36 *Et legitimatio per subsequens matrimonium, vel rescriptum principis ventri facta effectum sortietur natiuitate.*

57 *Idemque dicendum in quibusuis priuilegijs ventri concessis.*

58 *Excecto ventre editus pro nato habetur.*

59 *Et in ventre collisus aut mortuus, quod attinet ad punitionem, in consideratione est.*

VLTIMO loco prædictis omnibus in causa ventris aut posthumi addi-

addimus. Nec Ius Ciuile causam partus nondum editi (cui plura Prætoriũ & Iustinianæum indulsêre) omnino
1 destituisse, quin potiùs † Rempublicam Romanam prolem nascituram insignibus priuilegiis semper cohonestasse: velut argumento est immunitas Proletariorum, siue Proletaneorum, hominum infimæ plebis (quorum meminit *Pompei. Festus de verbor. significat.* verbo *Proletarium*) qui (vt aptiùs soboli gignendæ superesse possent) nunquam milites scribebantur, nisi in tumultu aliquo maximo, vt post *Nonium Marcel.* & ab eo relatos, *de propriet. sermon. cap. 1. numer. 342.* & *cap. 2. num. 666.* notat *Ioachim. Perionius de Magistr. Populi Roma. num. 35. & seqq.* & conferunt tradita à *Rauardo ad leg. xij. Tab. cap. 9.* & melius *lib. 2. coniectur. cap. 20.* ¶ Nec mirum est Populum Romanum (cuius nerui, virésque multitudine ciuium parabantur) ita vberiori proli consuluisse, quando videmus & in animalium procreatione & multiplicatione hoc præcautum in *Athenæo*, qui *lib. 9.* ait: *Lege prisca sancitum fuit in singulis gregibus, vt proli consuleretur, Androtion ait, ne ouis aut intonsa, aut prius quàm peperisset, occideretur.* Et idem *lib. 1.* Legis Atheniensium meminit, quæ agnorum vsum vetabat. Et inde Imperator Valens (teste *Hieronymo lib. 2. contra Iouianum*) nuper legem per Orientem dederat. *Ne quis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens:* Et ab iisdem caussis nobis plures sunt leges Patriæ, internecionem agnorum & vitulorum prohibentes, vt in *l. 2. titul. 14. libr. 5. l. 12. titul. 8. libr. 7. Recop.* cum aliis.

Et sanè liberorum procreationis fauor (vt ad nostra reuertamur) in caussa fuit, vt conceptos nondum editos Ius Ciuile in fauorabilibus natos reputauerit, vt clarè probant *Iulij Pauli* responsa in *l. quod dicimus 231. ff. de verb. signif.* & in *d. l. qui in vtero 7. ff. de statu homin.* & clariùs asseruit *Iulianus* in *l. qui in vtero 26. eod. tit.* in illis verbis (ita dubio procul intelligendis) *In toto penè Iure Ciuili intelliguntur in rerum natura esse:* † & idem sensit *Vl-* 2
pian. in *l. cùm quidam 30. §. 1. vers. & in eo ventre. ff. de acq. hæred.* & annotauit *Modestin.* in *l. 2. §. qui autem, ff. de excu. tut.* vbi ita disertè ait: *Qui autem in ventre est, etsi in multis partibus legum comparetur iam natis, tamen neque in præsenti quæstione* (excusationis scilicet à tutela ob multitudinem filiorum) *nec in reliquis ciuilibus muneribus prodest patri, & hoc dictum est in constitutione Diui Seueri.*

Quæ verba claram præstant lucem dictis *legibus qui in vtero 7. & 26.* vt earum decisio non ita sit intelligenda absolutè, † vt in Iure Ciuili, qui sunt 3
in vtero omnino pro natis habeantur, sed quo sensu dixit *Paulus* in *d. l. qui in vtero 7.* id est, cùm de commodis ipsius partus quæritur, non aliorum. Vel (vt ait *Iulianus* in *d. l. qui in vtero 26.*) cùm agitur de legitima hæreditate posthumo suo iam nato debita agnascendo, vel cuique alij posthumo hæredi legitimo sui agnati ab intestato prædefuncti, quem solùm sensum recipiunt illa verba: *Nam & legitimæ hæreditates his restituuntur,* vt innuit, quamuis non ita expresserit, *Anton. Fab. libr. 9. coniectur. c. 2.* Vel cùm sumus in causa status, & libertatis nascituri, & aliis similibus, de quibus in eadem *l. qui in vtero 26.* in qua Consultus ideò vsus fuit dictione illa PENE, vt denotaret non semper eum qui in vtero est pro nato haberi debere.

Nec in hoc firmam adinuenies regulam constitutam per Iurisprudétes, † nec per Iuris Ciuilis Interpretes, 4
aut Patrij, de quo in *d. l 3. titul. 23. p. 4.* Horum enim multi (loca inuia aliàs

pluries ingressi) rem istam tritam & passim obuiam certis regulis affirmare, vel omiserunt, vel nõ sunt ausi. Qui verò id tentarunt, minus feliciter sanè sunt prosequuti: vt accidit *Petro Lorioto*, qui *lib.2.de Iuris arte, tract.1.de conceptione, axiomate* 1.2.3 *&* 8. variis modis regulam d. *l. qui in vtero* 7. *&* 26. iuriúmque similium adstruere contendit: & demum ait, id quod dicitur in vtero existentem haberi pro nato, intelligendum in dispositionibus legis, non verò hominis, per *l. Arethusa* 15. *ff. de statu homin.* (cuius verus sensus ab aliis pendet, per nos prosequendis *inferiùs* in *cap.*18.) Nec feliciùs rem istam antea composuerat *Alberic.* post *Oldradum*, referendus & refellendus j. *n.*44.

Quòd si me mea non fallit opinio, ego rem istam valdè dubiam aliquibus conclusionibus sic aptè componendam censeo.

VT PRIMA sit, decisionem d. *l. qui in vtero* 7. *&* 26. cum similibus, in his
5 procedere, † quæ conferri possunt in tempus nascendi, non in his quæ tempore actus absolutam requirunt perfectionem, siue cedant in commodum ventris, seu cuiusuis alterius, velut datio directa libertatis, quæ in vtero existenti dari non poterat (vt quæ fictionem futuræ natiuitatis non admittebat ex *l. generaliter* 24. §. *si quis seruo, ff. de fideicommiss. libert. l. cùm inter veteres, C. eod. tit.*) Idem dicendũ est illis casibus, in quibus cura & existentia filiorum patri prodest ad excusationem *tutelæ*, d. *l.*2. §. *qui autem, ff. de excusat. tutor. princip. instit. eod. tit. l.*1. *C. qui num. liber. se excusant, l.*2. *tit.*17. *p.*6. Vel aliorum *munerum* ciuilium, *l. nepotes* 3. *l. de personalib.* 5. *l. fin. C. de his qui num. lib. vel paup. excusat. meruerunt, li.* 10. *l.*3. §. *quamuis, &* §. *cura, l.*4. *ff. de muner. & honor.* melior *tex.* in d. *l.*2. §. *qui autem, ff. de excusation. tutor. &* in *l.*2. §. *numerus, &* §. *sequenti, ff. de vacat. muner. Gregor. Lopez* in d. *l.*2. *partita*, verbo, *cinco hijos*, *Couar. in* 4.2. *par. cap.*8. *in princ. nu.*1. *ad fi. Auendan. de exequ. mandat.*1. *p. c.*19. *n.* 26. Nam cùm exemptioni à muneribus istis, in causa sit cura rei familiaris, cui vix pater sufficere potest, inde est, vt filij tantum viui, & eorum πολυπαιδία (vno excepto casu fauoris publici, de quo in *l. bello* 18. *ff. de excusat. tutor.*) prosint ad excusationem, non sic nascituri, qui nec sunt, nec scimus an futuri sint: vnde est, vt pro natis non habeantur, nec attento iure nostro Patrio, de quo j. agemus.

Idémque eueniet in iure trium liberorum matri competenti ad successionem filij, *Paul. lib.*4. *Sentent. titul.*9. *in princ. Iustinian.* in §. *postea autem, instituti on. de Senatusconsult. Tertullian. Cuiacius* in d. *l.*2. *ff. de excusation. tutor.* quò casu non proderit nasciturus, aut quemadmodum nec abortus, abactus venter, *Paul.* d. *titul.*9. §. *abortus.*

Ab his, vt hæc obiter dicam, interpretationem recipit *tex.* in *l. non est pupillus* 161. † *ff. de verborum significat.* vbi *Vlpianus* ait, non esse pupilium qui in vtero est, quia nomen hoc PVPILLVS, existenti in vtero adaptari non potest: pupillus enim dicitur, teste Põponio in *l. pupilius* 239. *ff. illo tit. de verb. significat.* qui cùm impubes est, desinit in patris potestate esse, vnde pupilli nomen (vt disertè ait *Cuiac.* in dicta *l.* 2. *ff. de excusat. tutor.*) non solùm ætatem denotat, sed & conditionem eius qui ante pubertatem desiit esse in patris potestate, & cœpit esse in potestate tutoris. Cùm autem non possimus dicere eum qui in vtero est desiisse in patris esse potestate (qui in ea nunquam fuit ante natiuitatem, *l. fin. ff. de collat. bonorum.* cum aliis iam adductis: neque etiam possit esse in potestate tutor.

tutoris antequam nascatur, *l. si nemo 19 §. finali; ff. de testament. tutela*) inde est, vt pupillus dici non possit, qui in vtero est, cùm eo tempore nec animal sit, *l. in lege Falcidia 9. ff. ad leg. Falcid.* cum aliis satis supérque annotatis *hoc capite.*

Demum in causa aditionis hæreditatis, qui in vtero est Iure Ciuili (tot solemnia in ea requirente) pro nato non habetur, ex regula *l. illa institutio 32. l. tempus 62.* (ita intelligenda in illis verbis: *beneuolentia est*) *ff. de hæred. instituen.*

Ab istis excipitur solus posthumus
7 suus, † vel futurus suus, agnascendo paternum aut auitum rumpẽs testamentum, qui pro nato haberi debet, ita vt institui possit hæres à patre, vel auo patre prædefuncto, ex rationibus per nos iam s̃. expensis in §. 1. ex *numer. 136.* Extra casum verò istum & successio-
8 nis legitimæ † (admissæ ex causa speciali, iuxta s̃. tradita in d. §. 1. à *nu. 264.*) posthumus Iure Ciuili, quod attinet ad alias successiones, incognitus erat, nec pro nato habebatur, quod clarè denotant illa verba *Iuliani* in *l. qui in vtero 26. Nam & legitimæ hæreditates,* &c.

Sed ista, vt iam notauimus s̃. in §. 2.
9 Ius Prætorium emendauit: † eo enim attento indistinctè posthumi pro *natis habebantur in omnibus Edicti partib.* d. *l. vbicunque, l. final. ff. de ventre in possess. mitten.* id est, omnibus partibus successorij Edicti (ita rectè interpretante *Cuiacio* in d. *l. 2. ff. de excus. tutor.*) sic vt in omnibus successionibus eis detur bonorum possessio secundum tabulas, & contra tabulas. Et cùm omnes dico, eas etiam comprehendo, quas posthumis Ius Ciuile concessit; has enim Prætor, & sua bonorum possessione confirmat, vt ait *Iustinianus* (ita intelligendus) *in princ. institut. de bonor. possess.* in illis verbis: *Aliquando tamen nec emendandi, nec impugnandi veteris iuris, sed magis confirmandi gratia Prætor pollicetur bonorum possessionem:* non inutilem futuram, vt disertè annotauit *Mynsingerus* ibidem, rationes illas reddens, quod iustior videatur possessor qui ad successionem auctore Prætore peruenit, *l. iustè possidet, ff. de acq. possess. Viglius* in *§. fin. institut. de exhæred. liberor.* & quia commodius est plures habere vias consequendæ hęreditatis, ita vt vna repudiata vel omissa, supersit alia, *l. suum hæredem 13. C. de iure deliber.* facit *tex.* in *l. quoties duplici iure 91. ff. de diuersis regul. iur. l. cùm miles 30. ff. ex quib. causis maior. in integ. restit.* & in *l. nec is 17. ff. de acq. hæred.*

SECVNDA conclusio sit, eum qui in vtero est ante quàm nascatur aliis
† non prodesse, quod pro regula (vt 10
aiunt) tradit *Paulus* in d. *l. qui in vtero 7. in secundo responso, ff. de statu homin.* prosequitur *Cuiac. lib. 19. quæstion. Papinian. ad l. 9. ff. ad leg. Falcid.* Et rationem optimam assignat *Anton. Fab. in rational. super illo tex.* quia priuilegia personalia ad alios non porriguntur, *l. quia tale 13. ff. soluto matrimon. l. ex pluribus 42. ff. de administrat. tutor.*

Fallit tamen in damno sine culpa
tertio contingenti vitando; † quo ca- 11
su qui in vtero est ei prodest, *l. intelligendus 153.* iuncta inscriptione, *ff. de verb. signific.* vbi ad vitandas *legis Iuliæ* & *Papiæ* pœnas orbis inflictas, qui in vtero est, habetur pro nato, ex iam dictis *suprà in initio huius capitis.* Vnde est, vt ad euitandam propriam notam & pœnam is ipse qui in vtero existit fortiore ratione pro nato habeatur, ex singulari decisione *tex.* in *l. non est ambigendum 12. ff. de bonorum possess.* & in d. *l. qui in vtero 7. ff. de statu homin.*

Quam *Cuiac.* in d.*l.2.ff.de excusat.tut.* disertè intelligit, (attenta inscriptione) in bonis damnati, quæ eius liberis ex Constitutione, si tres sunt, quatuor, vel quinque indulgentur. Etenim hoc casu, qui in vtero est, ad replendum numerum pro nato habetur.

Tertia conclusio sit, in omnibus dispositionibus siue legis, siue hominis, quarum effectus differri potest in tempus natiuitatis, is qui in vtero est, pro nato haberi debet, in his quæ
12 sibi vtilia † sunt, d.*l. qui in vtero 7. in primo responso*, d.*l. qui in vtero 26. per totam*, vbi plures casus hanc conclusionem comprobantes dinumerat *Iulianus*, & prosequitur (hæc & alia perquàm optimè exornans) *Cuiac.* in d.*l. 2.ff.de excusat.tutor.* & nobis comprobantur in d.*l.3.tit.23.p.4.*

Dixi, in sibi vtilibus in vtero existentem haberi pro nato, quod intelligas (vti peruidens est) non fieri naturaliter, cùm nondum natus homo dici non possit, *l. in lege Falcidia 9.ff.*
13 *ad leg.Falcid.* Sed ciuiliter, † hoc est, fictione quadam iuris velut necessariò inducta, tam fauore partus propter spem scilicet nascendi, *l.1.in princ.ff. de ventre in possess.mitten.* quàm fauore Reipublicæ, cui partus nascitur, d.*l.1. §.& generaliter.* Vt meritò dicere possimus iusta & necessaria causa hanc fictionem à lege inductam fuisse, vt disertè annotauit *Anton.Fab. in sua Iurisprud.Papin.tit.4. de ingenuis, princ.3.* cùm lex fictionem nunquam inducat, ni eius admittendæ causa aliqua sit iusta simul & necessaria; fictionem enim (quæ falsum & mendax supponit, *l. denique 19.ff.ex quibus causis maiores*) lex regulariter abhorret, *l.vlt.ff.de rei vindicat.*

Fictionem autem istam inductam
14 potissimùm † fuisse propter legitimas hæreditates securè admitto cũ *Fabro* s̃.ex d.*l. qui in vtero 26.ff.de statu homin.* simul cum primo exemplo legitimarum hæreditatum ab eo assignato, eius scilicet qui relictis fratribus & vxore prægnante decessit, in quo posthumus habetur pro nato, & proximiore (cui aliàs *lex xij. Tabularum* hæreditatem defert, *l.Titius, ff.de suis & legitim.hæred.*)

Quæ verò *Faber* subdit de fratre posthumo simul cum aliis ad fratris intestati hæreditatem admittendo, nó video quo casu possint admitti & verificari, cùm supponat fratris intestati parentes extantes, qui & in bonis eius castrensibus potiorem & meliorem cæteris consanguineis habent causam & ius; & ideò in aliis transuersalibus & remotioribus agnatis ab intestato & sine ascendentibus decedentibus hæc tantùm procedunt & veniunt admittenda.

Sed & quæ dicto *princip.3.* is idem *Auctor* dixit de successionibus testamentariis, in quibus existens in vtero non habetur pro nato, ab aliis longè diuersis dependet † causis, omninò petendis ab his quæ s̃.§.1.ex *nu.263.& 271.* tradidimus, cùm rationem differentiæ inter posthumos suos & extraneos ab intestato ex *lege xij.Tabul.* succedentes, & ab homine institutos designauimus. A quibus pendet vera ratio, cur in testamentariis successionibus posthumus alienus non habeatur pro nato. Et simul à dictis in conclusione præcedenti. Vltra quod ratio à *Fabro* in testamentariis successionibus assignata ad causam tantùm posthumi sui referri potest, non ad extranei, qui hæres institui non poterat, & consequenter nec pro nato haberi, ex ratione eiusdem *Fabri.*

Nec minus elegans est secundum exemplum (vt omnia prosequamur) huius conclusionis adductum à *Iuliano* in

16 no in d. *l. qui in vtero* 26. vbi prægnante † ab hostibus capta, & postliminij iure ciuitatem recuperante filius idem ius vindicat, ac si natus fuisset ante captiuitatem, non iure postliminij paterni, sed proprio, vt quod sibi vtile, si forsan pater tempore captiuitatis decessisset, *l. apud hostes* 9. *l. Diui* 25. *ff. de captiuis & postlimin. reuers. l.* 1. *C. de postlimin.* Quibus addenda sunt quæ eleganter in proposito post *Anton. Fabrum* edisserit *D. Pichard.* in *l. Gallus*, §. 5. ex *num.* 8. *ff. de liber. & posthum.*

17 Aliud deinde subiungit exemplum *Iulianus* in dicta *l. qui in vtero* 26. de ancilla prægnante † subrepta, cuius partus etiam si apud bonæ fidei possessorem fuerit editus, furtiuus dicitur, & vsucapi non potest, quo casu (de quo in *capite sequenti* latè erit agendum) lex existenti in ventre fauit, saltem in eo, vt matrem sequatur, eiusque conditionem; quod prioribus præsertim tribus annis à natiuitate maximo illius cedit commodo, iuxta *textum* in *l. nec filium*, cum ibi notatis, *C. de patria potestate*, *l.* 3. *tit.* 19. *part.* 4. id quod latiùs prosequemur in *cap. seq.*

18 Dictis subaddit *Iulianus* in d. *l. qui in vtero* 26. casum liberti, † qui quamdiu eius patrono prædefuncto filio nasci potest, eodem iure censendus est, quo & illi qui veros habent patronos: quod fauore existentis in vtero, & eius commodo factum nemo negabit. Ex quo enim pro nato habetur, libertum habet, aliàs non habiturus. Licèt enim locupletior non fiat, qui libertum acquisierit, vt ait *Vlpian.* in *l. nemo* 126. §. 1. *D. de diuers. regul. iur.* cùm libertus re vera liber sit, & in bonis non sit nostris, *l.* 1. §. *sed quod dari*, *D. de obligat. & action.* iuncta *l. rem in bonis* 52. *ff. de acquiren. rerum domin.* negari tamen non potest multum nostra interesse habere libertum propter operas obsequiales nobis præstandas, de quibus in *titul. ff. de oper. libert.* & propter ius, spemque succedendi, de qua in *tit. de bonis libertorum.* Quæ & alia iura patronatus (de quibus in *titulo* 14. *lib.* 37. *Digestorum de iure patronatus*, & in *titul. ff. de adsignand. libert.* & in *l. si adulterium* 38. §. *liberto*, *l. si is qui* 42. *ff. ad le. Iuliam de adult.* & alibi sæpè) patroni filius post mortem patris natus non consequeretur, nisi viuo patre pro nato haberetur fictione iuris. Neque enim libertus quis esse posset, nisi patronum haberet, ita vt vno sublato, necessum sit & aliud tolli, ex regula *l.* 1. *C. de cupressis, libro* 10. Patroni ergo filius hoc casu habetur pro nato, suo tantùm commodo attento, non liberti, qui aliàs libertinitatem effugeret: cui non ita ac libertati lex fauet.

Ab hoc eodem principio, habendi scilicet pro nato eum qui in vtero existit, pendet decisio *text.* in *l. & seruorum* 5. §. *ingenui*, *ff. illo titulo de statu homin.* vbi si qua mulier libera conceperit, deinde ancilla facta pepererit, natus ex ea liber † est, siue ex iustis nuptiis procreatus est, siue vulgò 19
fuerit quæsitus. Licèt enim in illa *lege Martianus* ea vtatur ratione, quod non debet calamitas matris ei nocere, qui in vtero est, nullius sanè ponderis esset ratio ista, nisi præsupponeret præcedentem, quæ in vtero existentem habet pro nato, vt optimè notat in proposito *Anton. Faber. libro* 20. *coniectur. cap.* 1. vbi & *duobus capitibus seqq.* multa huius propositi comminiscitur intentus elucidationi & interpretationi *l. Arethusa* 15. *cum seqq. D. de statu homin.* cuius verum sensum nos *inferiùs ca.* 18. feliciùs forsan prosequemur.

Sub hæc à dicto principio venit interpretanda *l. Paulus* 11. † *D. eodem tit.* 20

vbi nepos (auo materno ſemper iniuſtus, & eius ſucceſſionis incapax iuxta veriorem illius *textus* interpretationem, quam poſt alios optimè adſtruit *Anton. Faber in ration. ſuper illo textu*) matri ſuæ legitimus erit hæres, ſi non à tempore conceptionis (quo viuus erat auus) à tempore tamen quo in viuis eſſe deſiit, ita vt in vtero exiſtens ceſſante impedimento aui legitimus eſſe cœperit ob maius ſuum commodum ante natiuitatem: quo in ſenſu intelligenda dubio procul ſunt illa verbá: *Iuſtum filium ei ex quo conceptus eſt non videri*, id eſt, ex tempore quo conceptus eſt. Qua phraſi vſi ſunt *Papinianus* in *l. pater* 10. *ff. de captiu. & poſtlim. reuerſ.* ibi: *Ex quo captus eſt*, Triphoninus in *l. in bello* 12. §. 1. ibi: *Ex quo captus eſt, ff. eodem titulo.* Cicero *Philippica* 1. *Ex eo die ex quo in ædem Telluris conuocati ſumus*, Liuius *libr.* 2. *Ab Vrbe condita duodequadrageſimo fermè anno ex quo regnare cœpit.*

Demum ab hac potiſſima ratione pendet deciſio *textus* in *l. Imperator* 18. *ff. illo tit. de ſtat. homin.* vbi mulier vltimo ſupplicio damnata ſeruatur in-
21 demnis, dum † partum edit, quod fauore ventris fit (vt optimè notat ibi *Bart.* qui puniretur, ſi antè quàm lucem videret, matri pœna mortis infligeretur, vt inde meritò dicere poſſimus hoc caſu exiſtentem in ventre haberi pro nato. Et idipſum probat *l. prægnantis* 3. *ff. de pœn.* & ſenſit *Quintilian. declamat.* 277.

Sed liceat hiſce, quæ notabilia valde, & praxi occurrentia ſunt, tantiſper immorari, & annotare, leges iſtas (quæ partui ita fauent, vt non ſinant matris calamitatem nocere ei qui in ventre eſt, vt dixit *Martianus* in *l. & ſeruorum*
22 5. *ff. de ſtatu homin.*) ab Ægyptiis † initium habuiſſe, & ab his Græcos eas deſumpſiſſe, teſte *Plutarcho* in *libr. de ſera Numinis vindicta*, vbi ita ait: *Ægyptiorum legem, quæ grauidam donec pariat, in mortis carcere cuſtodiri iubet, nónne Græcorum quidam inconſultè vobis tranſcripſiſſe videntur? Et ſanè quidem illi aiebant*, &c. Et mox: *Nonne ſatius pœna erit ſuſpenſio, quàm inconſulta, acceleratáque vindicta? Mihi quidem ita videtur.* Vnde *Diodor. Sicul.* de iiſdem Ægyptiis loquutus hæc diſertiſſimè proſequitur, dicens *libro* 2. *rerum antiqu. capitul.* 3. *Mulierum morti deſtinatarum ſi prægnantes eſſent, partus exſpectabitur. Quam legem multi Græcorum acceperunt, exiſtimantes, penitùs iniquum eſſe, eum qui nihil commiſiſſet vna cum facinoroſo pœnā pati, aut duos plecti, cùm vnus delinquiſſet, cùmque eo qui ſponte peccaſſet, criminis vacuum puniri. Inſuper cùm ſola peccaſſet mater, minimè æquum cenſebant filium patri, matríque communem maternam habere pœnam.* Ælianus *libro* 5. *variar. hiſtor. Iudices* (inquit) *Areopagitæ cùm veneficam mulierem deprehendiſſent, & eam morti tradere vellent, non priùs ipſam interemerunt, quàm partu liberaretur. Poſtquam verò peperit, comprehenderunt ipſam, & ſoluentes à damnatione innocentem infantem, eam quæ commeruerat ſupplicium ſolam morte mulctarunt.*

Hæc ſubinde omnia *Ianus Langlæus libr.* 11. *ſemeſtrium, cap.* 2. ad legem Moſaicam referenda exiſtimat, qua vetitum fuerat animalia mactari quæ vterum gererent. Sed ex loco *Philonis*, quem allegat, *libro de charitate Moſis*, contrarium † deprehenditur, dum ita ait: *Certè vetitum eſt iiſdem legibus, ne templum ſubeat animans vlla grauida, néve mactetur, niſi partu leuato: quod latens in vtero fœtus non minoris æſtimetur, quam in lucem editus. Licèt enim iniqua ſit hæc collatio, prodeſt tamen ad compeſcendam temeritatem iſtorum, qui omnia confundunt nullo rerum diſcrimine,*

mine. Si enim cauetur, vt quæ plantarum
more augentur, nunc vnita grauidis, se-
paranda post menses aliquot, ea seruen-
tur in spem futuram, & parcatur matri-
bus, ne quod fiat piaculum, quanto maior
ratio est iam editorum, & proprias ani-
mas habentium, propriáq; corpora? Pro-
inde nefarium videtur eodem tempore,
ac eadem die mactare matrem cum sua
sobole. Et hoc est, opinor, cur quidam le-
gem introduxerunt de damnatis mulie-
ribus, si grauidæ crimen capitale admi-
serint, ne ante partum luant suppliciũ,
videlicet, vt maneat incolume, quod vte-
ro geritur. Verba enim illa proximè re-
lata: *Et hoc est, opinor, cur quidam le-*
gem introduxerũt, ad legem Ægyptio-
rum referenda sunt (vbi natus, educa-
tus, & doctus iste *Auctor* fuit, vt asserit
Iosephus lib.18. antiquita. & in *lib. de vi-*
ta prop. & in *libro contra Apionem*, &
D. Hieronymus in Catalogo Scriptor.) &
clariùs denotant Græca, quæ illis cor-
respondent: Σωιεῖν δ' μοι δοκοῦσιν ὁρμη-
θέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ ταῖς
κατακρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσασθαι νόμον,
ὃς κελεύει τὰς ἐγκύους, &c. Et clarissi-
mè demonstratur in verbis illis (præ-
cedentia Latina à nobis proximè ex-
pensa) *Verùm isti hæc statuerunt de ho-*
minibus, at noster (subaudi Moyses) *æ-*
quitatem hanc & ad bruta extendit, vt
in his præexercitati tanto magis huma-
nitatem colamus mutuam, nec inferendo,
nec referendo iniuriam, & communicā-
do propria bona cum fratribus eiusdem
naturæ participibus. Ecce legis Mosai-
cæ & Ægyptiacæ distinctionem & cō-
trapositionem, à qua Sapiens iste Iu-
dæus ampliorem suæ legis prouisio-
nem fuisse acutè eliciebat. Et eius ve-
lut sequelam facit legem Romano-
rum, *Clemens Alexandr. lib.2. Stro-*
mat. dicens: *Benigna lex* (intellige de
Mosaica) *prohibet eodem die fœtum &*
matrem sacrificare: hinc etiam Romani,
si qua mulier prægnans fuerit damnata
capitis, non priùs permittunt, vt suppli-
cium subeat, quàm pepererit.

Ex his graui immanitatis nota in-
urendus venit Claudius † Imperator, 24
qui nec à suppliciis etiam prægnan-
tium mulierum abstinuit, vti testatur
Dion Cassius in Claudio lib. 60. Et inde
simul damnari debet (cum *Aimonio*
Monacho, & *Paulo Æmilio in vita*
Childerici II. Regis Galliæ) impium
facinus *Bodilli*, qui dictum *Childeri-*
cum (à quo palo alligatus virgis cæ-
sus fuerat) inter venandum adortus
occidit, & Reginam *Blitildem* vterum
ferentem, ne vindex exoriri posset, &
ad tollendam spem animantis, simul
interemit.

Quod autem de vltimo supplicio
diximus prægnanti differendo, meritò
extendit *Vlpian.* ad quæstionem † quā 25
de muliere haberi nō debere ait, quā-
diu prægnans est, & ita obseruari as-
serit in d. *l. prægnantis, D. de pœnis.* Et
vtrumque sanè casum damnationis &
quæstionis æquiparat *Iul. Paul. lib. pri-*
mo Sentent. tit.12. de iudiciis, §. prægnan-
tes: eadem enim in quæstione subest
ratio, ne scilicet in lucem prodituri
hominis spes extinguatur. Et vbique
gentium id obseruari facilè compro-
batur ex his quæ post antiquos notant
Marsil. in *l. edictum num.24.26. & 27.*
ff. de quæstion. Carrer. in pract. crimina-
li, in 2. tractatu de indic. & tortura: Cir-
ca tertium, *quæ personæ torqueri possunt*
numer.33. Clarus in §. finali suæ pract. qu.
64. vers. quæro modo, & ibi *Baiard. nu.*
76. & 77. Anton. Gomez. tom.3. cap.13.
nu.3. Farinac. hos & alios referens, 2.
p. q.41. num.78. Thomas Actius in tract.
legali de infirmit. cap.20. num.3. Ianus
Langlæus lib.11. semest. d. *cap.2.* Quod
procedit in grauida vndecunque, id est
à marito legitimo, siue ab amasio, vt
ex pluribus probat *Farinac.* d. *quæst.41.*
numer.82. Qui *num. seq.* hoc ex aliorum
sententia procedere etiam ait in re-

cèns grauida, & paucorum dierum, puta decem vel viginti.

Et non solùm torqueri non debet
26 prægnans, imò nec terreri, † vt ex *Gometio* d.*nu*.3. firmat *Farinac*. d.*quæst*.41. *nume*.84. & conferunt ab eo tradita ex *num*.104.

Et confessio à prægnante in tormẽto, vel eius infligendi terrore extorta
27 nocere ei non debet, † vt ex *Baldo* & aliis resoluit *Baiard. supra*.

Et non tantùm intra quadraginta dies dum decumbunt parturiẽtes torqueri non possunt, iuxta tradita per *Glossam, Dynum, Bartol. Albericum*, & alios in d.*l. prægnantis, Clarum, Gometium* & *Actium suprà*; sed nec post, dũ
28 † nutrix partui non inuenitur, vt ex *Marsilio, Carrerio* & aliis annotauit *Farinac*. d.*q*.41. *numer*.80. *&* 81. *Actius* d.*cap*.20.*num*.3. *Langleus* (qui ista eleganter prosequitur) d.*cap*.21. Quod fortiore ratione erit admittẽdum hoc casu, qui fauorem partus potissimè respicit, quem prædicta iura tantùm attendunt, præcedens verò mulieris recèns enixæ saluti & vtilitati præcipuè consulat.

Quamobrem nec membri amputa-
29 tionis † pœna (licèt capitalis non sit; *l. licèt capitalis* 103. vbi *Alciatus* & alij, *ff. de verbor. signifi.*) grauida damnari debẽt, quin supplicium istud differendum, donec enixa fuerit, tenet optimè *Alberic*. in d.*l. Imperator, ff. de statu hominum, Langlæus suprà*; qui disertè notat hoc casu imminere fœtui mortis periculum: & addit membri abscissionem, quam proximè ad extremum supplicium accedere in *Authen. de collat. §. adhuc sancimus*, cum aliis per eum adductis.

Demum hoc ipsum eodem ventris fauore procedit in muliere relegata,
30 † quæ in id vsque tempus detineri debet, quo partu leuata fuerit: licèt enim in Hadriani rescripto, relato in dict. *l. Imperator* 18. *ff. de statu homin.* cùm de protrahenda prægnantis pœna agitur, vltimi tantùm supplicij mẽtio fiat: déque eo intelligi debeat quod dixit *Vlpian*. in dict. *l. prægnantis* (vt qui de prægnante loquitur, quæ consumenda damnata est) Et quamuis idem *Vlpianus* (quod plus est) Hadriani rescriptum referens in dict. *l. Imperator*, & eius mulieris mentionem faciens, cui aqua & igni interdictum fuerat, nihil de differenda pœna edixerit, quia tamen hoc casu eadem viget conseruandi partus ratio, víxque fieri possit vt saluo & incolumi fœtu manente, exilium (quod secum multas affert incommoditates) grauida mulier ferre possit, ideò differẽdum putamus cum *Langlæo* dicto *capite secundo libro vndecimo semestr.* vbi in proposito optimè expendit *textum* in *lege prima, §. de inspiciendo, ff. de ventr. inspic. custodiendóque partu.* quo loci *Vlpian*. obstetricibus, quæ decreto Prætoris ad inspiciendum ventrem mittuntur, ventrem inspicere permittit, tangere verò vetat inuita muliere, quæ prægnans dicitur: quod nulla alia fit de causa, nisi quia aborsus ex leuissimis etiam causis sæpissimè accidit, vt diximus in *capite præcedenti*. At *textus* in dict. *l. Imperator, in secundo responso*, quamuis aquæ & ignis interdictionis meminerit, nec dixit, nec negauit pœnam differendam, vt ait *Langlæus*. Sed tu melius dic, in vers. *sed si ei* (vbi secundum responsum dict. *legis*) alium longè diuersum casum proponi, de ea scilicet quæ cùm ex iustis nuptiis concepisset, aqua & igni fuit interdicta, καὶ ἄπολις, *&* *sine ciuitate*, tempore partus inuenitur: eius enim calamitas & ciuitatis amissio impedimento non est, quominus ciuem Romanum, non peregrinum, aut extorrem pariat, ex d.*l. &* *seruorum. §. ingenui, ff. de stat. hom.* quæ res alia est.

Sed

Sed quę diximus de relegatione aut exilio mulieris grauidæ differendo vsque dum pariat, elegantem recipiunt interpretationem ab his quæ docet *Bald.* in d.*l.Imperator,in* 1.*lectu.numer. quinto,ff.de stat.hom.* Vt intelligatur,
31 quãdo ex tali exilio immineret † partui periculum: vt puta quia confinia vltra quæ relegabatur mulier, multum distabant à loco habitationis: vel magnus in itinere aspero, licèt breui, esset subeundus labor: vel propè esset tempus pariendi, tunc enim sententiæ executioni fauore partus supersedebitur, donec damnata pepererit. At fauor iste cessabit, cùm nullum esset periculum, vt puta si ex contrario confinia essent propè, & partus longè distaret (exceptis prioribus mensibus, qui abortioni ex quauis causa paratiores sunt, vt diximus in *cap.præcedenti*) tunc enim statim sententia exilij in prægnantem lata, executioni demandabitur, ex *Baldo suprà*, quem sequitur *Pet. Caballus resol.crim.cent.* 1. *casu* 79. *numer.*5.

Ex his obiter infertur, quàm leui nititur fundamento opinio illa vul-
32 garis † quæ habet, mulierem dum prægnans est non posse cogi iurare, & testimonium ferre, cuius meminit *Aufrer.in addition.ad Capel.Tholos.decis.* 3. *in apostil. Tunc enim vxor, post princ.* vers. *quod facit pro vulgari opinione:* nam cùm hoc casu nullum partus periculum subeat, præsertim si de re ad se non pertinenti deponat mulier, non video cur cogi non possit ad testificandum & iurandum per detentionem personę vel pignorum captionem in casu contumaciæ: nisi in casibus in quibus mulieres testes idoneæ non sunt, nec admittuntur, quos latè connumerat *Farin.de testib.q.*59. Et ita ex sententia *Fulgos.* in *l. ius iurandum,* §.*procurator num.*2.*ff.de iureiur.resoluit Caball.supr.n.*8.

Neque istis obstat *tex.* in *l.*2.§.*si non propter valetudinem, ff. si quis caution.* vbi pręgnans tanquam infirma, vel valetudinaria non tenetur ire ad iudicẽ: ídque ex illo *text.* ita tenet ibidẽ *Gloss.* & *Bart.* & *Bald.* in d. *l. Imperator in* 1. *lect.nume.*5.*vers.sed nunquid mulier,* & & in 1.*addit.nume.*4.*Guidon. Pap.decis.* 256.*in princ.nume.*1.& *decis.*445. *num.*5. *vers.sed an mulier grauida, Tremola ad praxim Bonacurs. titu.quibus modis citatus impunè,* cum aliis, quos refert *Caball.d.casu* 79.*nu.*1. Nam longè differt † iurare & testificari (ad quod cogi 33 grauida potest) à comparitione in iudicis tribunali, à qua ac si esset infirma) ex dicendis *infr.cap.fin.*) eximitur prægnans ab illo *textu* (quod mirum est *Thomam Actium in suo trac.de infirmitate c.* 20. cùm de prægnante sermonem iniuit silentio prætериisse.) Ita vt hoc casu res cum grauida agẽda sit eo modo & stylo, quem Iurisconsultus notat in *l. ad personas egregias* 15.*ff.de iureiuran.* cum ibi notatis, misso per iudicem notario aut tabellione ad eius domum, coram quo iuret & deponat. Quod & cum ea fiet ex sententia *Glossæ Bartoli* in d. §. *si non propter,* quæ ab alio † quàm à iusto marito 34 concepit, quia prægnatio sola est quæ mulieri tali casu debet imputari, vt quæ principaliter peccato fuerit patrata ad malam explẽdam libidinem, non verò animo impedimenti contrahendi ad euitandam comparitionem in iudicio, vt optimè notat *Capella Tholos.suprà,* & *Caball.* d.*casu* 79.*numer.*3.

Sed si rem attentè consideres, hæc (quæ praxi & stylo iudiciorum irrefragabile iam robur sunt consequuta, *l. Labeo* 21.*ff. de stat.lib.l.fin.C.de inur.*) inuenies in iure non subsistere, & prægnantem coram iudice comparere † debere, verius diiudicabis, nec ei ex- 35 cusationis aut exceptionis (de qua

in d.*l.2.cum suis* §§. & in *l.sed & si quis* cum aliis *illo titu.ff. si quis caution.*) remedium ex capite valetudinis vel infirmitatis posse competere, cùm prægnans in iure sana æstimetur, vt probat apertus *text.* in *l.quæritur* 14.§.1.*ff.de ædilitio edicto*, & prosequemur latiùs *infra capit.finali.* Nec contrarium probat d.*l.2.*§.*si non propter:* nam illis verbis: *Exceptionem ei dandam*, addenda est negatio, & legendum: *Exceptionem ei non dandam*, vt post *Cuiacium* notat ibi *Gothofred.* quod mihi (non facilè aliàs admittenti legum similes correctiones) vt verissimum persuadeo, attenta decisione *illius textus*, quæ aliàs sibi non constat: imò apertè contrariatur cum vers. *si tamen*, vbi decumbens post partum dicitur valetudine legitimè impedita, quasi aliud anteà dixerit Consultus in prægnante non parturiente, vel præ doloribus & lassitudine partus lecto decumbente.

Et hac lectione admissa dictus versiculus *si tamen* stat (vti debet) aduersatiuè, aliàs superabundat. Et sanè *Vlpian.* id ipsum in hoc §. resoluit, quod in d.*l.quæritur*, §.1. asseuerat, ita vt vno & altero loco prægnans non reputetur infirma, quin potiùs sana: nisi valuę vitio laboret, dict.*l.quæritur, in prin.* vel ei aliquid intrinsecùs accidat aduersæ valetudinis, ex his quæ post *Felinum* & alios notat *Thomas Actius in tractatu legali de infirmitate, c.20.nume.* 1. Ad hæc si illa verba, *Exceptionem*, &c. legeris negatiuè, euitabis multa absurda & dissona, quæ argumento dicti §.*non propter*, comminiscuntur *Doctores* ibidem, & *Florianus* maximè in *l.inuiti, ff.de testibus*, quem refert & sequitur *Menochius de arbitrariis, casu* 60.*nu.*6.

Demum à dictis facilè deduces, sustineri non posse *Marcum Mantuam*
36 † *sing.*10. vbi cùm multa singularia de prægnantibus concinnasset earum fauorem respicientia, veritus non fuit asserere *nu.*12.& 16. prægnantem bannitam relegari & occidi impunè posse, vt meritò fuerit notatus à *Zacchia* cótrarium asserente in *Medico-legalib. tit.3.qu.*1. & ante eum *Duenn.reg.*68.*limit.* post *Nellum* & alios.

Sed redeuntes ad illas tres conclusiones, quas ad interpretationem *l.qui in vtero 7.& 26.D.de stat.hom.supr.* adduximus (à quibus digressi sumus sequelas aliquas expendentes, vt deinceps insuper habeantur confusi *Doctorum* commentarij καὶ χολία ad illas leges) demum adducimus, resoluta in præcedentibus conclusionibus à iure nostro
Patrio non dissentire: † nam licèt ge- 37
neraliter dispositum sit in d. *l.3.titu.2. p.* 4. eum qui in vtero est pro nato haberi in sibi vtilibus, & ad euitãda damna, illis generalibus verbis: *Demientra que estuuiere la criatura en el vientre de su madre, toda cosa que se faga, ò se diga à pro della aprouechasse ende, bien ansi como fuesse nacida: mas lo que fuesse dicho, ò fecho à daño de su persona, o de sus cosas, no le empece*, debent tamé ista intelligi ciuili modo, & iuxta *tex.* in d. *l.qui in vtero 7.& 26.* (à quibus fuerunt desumpta) ita vt generalia illa verba, *Toda cosa que se faga, ò se diga* (quæ correspondent illis: *Omnis res dicto aut facto comprehensa*, aptis quoscunque alios comprehendere casus ex natura particulæ *omnis*, quæ regulariter nihil excipit, *l. à procuratore*: cum aliis *C. mandati*) intelligantur iuxta terminos tertiæ conclusionis adductæ *supra* in actibus scilicet & dispositionibus quæ conferri possunt in tempus natiuitatis posthumi: nam ex causa dictio hæc *omnis*, limitationem & restrictionem recipit, *l. sed si compromissum* 14. *ff. de recept.qui arbitr.l.*1. §. *si pecunia in sacculo, ad finem, ff.depositi, l. si quid relictum* 117.*ff.de legat.*1.

Nec

Nec interpretationem istam neces-
sariam despiciet, qui considerauerit,
leges nostras Partitarum à Iure Ciuili
desumptas (vt in earum Prologo in-
nuit Dom. Rex noster ALFONSVS co-
gnomento SAPIENS) in paucis eis
aduersari, & in dubio idem concinere
censendas, nec correctionem indu-
cendam ei manifesta ratio appareat, vt
notat *Grego. Lop. in l. 9. per text. ibi titu.*
13. p. 6. gloss. 3. ita vt in earum intellectu
& concordia cum legibus Iuris Ciui-
lis eadem sint obseruanda, quæ in lege
interpretata & interpretante, vel in
renouata & renouante, inter quas
correctio, quoad fieri possit: est eui-
tanda: *Cùm omnibus manifestum sit opor-*
tere ea quæ adiecta sunt per interpreta-
tionem in illis valere, in quibus interpre-
tatis legibus sit locus, vt ait *Iustinian.* in
Authen. de filijs ante dotalia instrumen-
ta natis quæ est *Nouella 19. ad fin. prin.*
Et huius propositi sunt Iura Canoni-
ca singularia in *cap. ex parte, cap. quia*
intentionis de priuil. in cap. dilecta, cum
ibi notatis, *de confirmationib. vtili vel*
inutili.

Ex quibus facilè elicimus, & ho-
die Iure nostro Regio attento prædi-
ctas tres conclusiones (vti iam eas pro-
posuimus & elucidauimus) admit-
tendas.

Vt inde nec hodie inspectis his quæ
dicta sunt in prima conclusione, col-
38 latio † fieri possit cum eo qui in vtero
est, quia nondum est persona, sed futu-
ra speratur, ita vt hoc casu ius anti-
quum, de quo in d. *l. fin. ff. de collat. bon.*
& in *posthumo 11. Cod. eod. titul.* sit ser-
uandum. Nec anteà posthumus ad
collationē admittetur, quàm lucem vi-
derit, vt post alios iuris communis In-
terpretes optimè annotauit *Petr. Lo-*
riot. de iur. arte, tract. 1. axiom. 2 per tot.
& ex nostris *Ferd. Gomez Arias* in *l.*
27. Tauri numer. 22. quem refert & se-
quitur *Valasc. de partit. cap. 12. nume. 51.*
Ita vt iudicio familiæ erciscundæ cæ-
teri filij superstites instituti, aut hære-
des eiusdem veri gradus vel ficti, me-
dia repræsentatione, vbi ex lege vocā-
tur, possint illicò agere, & conueniri,
relicta in suspenso parte nascituro ad-
iudicanda (qua quantitate contra *Pau-*
lum Iurisconsultum in *l. antiqui 3. ff. si*
pars hæred. peta designauerimus ex *Vl-*
piano in *l. vtrùm, ff. de reb. dub. infr. in c.*
18.) Quinimo iure nostro attento in *l.*
13. *Tauri* durior erit hodie causa po-
sthumi, quod attinet ad collationem,
cùm antea & natus illicò decedens
partem faceret, ex regula *l. 2. & 3. Cod.*
de posthum. hæred. institu. cum aliis: no-
bis autem cùm natus fuerit, & viginti-
quattuor horas vixerit, simúlque ba-
ptizatus fuerit, & non aliter, ex *Go-*
mez Arias supra.

Et in excusatione ob multitudinem
filiorum à tutela & aliis muneribus
† ciuilibus (de quibus *supra*) idem ho- 39
die tenendum est attento iure nostro,
in quo eadem viget ratio, quæ antiqui-
tus, & per consequens eadem venit
dispositione terminandus.

A dictis etiam in tertia conclusio-
ne dependet vera resolutio illius quæ-
stionis, an in causa & priuilegio re-
tractus † in vtero existens habeatur 40
pro nato ad retrahendam per eius cu-
ratorem rem à consanguineo vendi-
tam? in qua ancipiti quæstione (quam
contra nasciturum intrepidè resoluit
Phil. Dec. cons. 222. numer. 2. & 3. ea mo-
tus ratione, quia verba statuti præfe-
rentia agnatum proximiorem tempo-
re ve ditionis, vt apud nos dispositum
est *l. 3. titul. 10. libr. 3. fori, & l. 70. Tauri*
cum seqq. verificari non possunt in eo,
qui tunc non erat natus, quia ante na-
tiuitatem quis non dicitur agnatus, vel
consanguineus, d. *l. fin. ff. de collat. bon.*
addens, consanguineum vendentem

requirere non posse eum qui in vtero est, *l.4.§.toties ,ff.de damno infect.* vbi denuntiatio Edicti de damno infecto toties à Prætore exigitur cùm adest persona, cui fiat: quam *Decij* sententiam sequitur *Marianus Socinus Iunior consilio 22.dubio 1.lib.1.*& ex nostris nouissimè *D. Christophorus de Paz 2. tractatu de Tenuta,cap.68.nu.10.ad finem*) pro nascituro ex ratione dictæ tertiæ conclusionis standum est, cum *Tiraquello de retractu lignagier,§.1.glossa.9. num. 79.* qui rectè ait,retractum legibus successionis per omnia subiacere, ex pluribus per eum adductis in illo tractatu, §.11. *&* 13. & ideò nasciturum pro nato haberi in his quæ sui sunt commodi, ita tamen vt retractus impendenti sit, dum nascitur in vtero existens,dicta *l.antiqui,ff. si pars hæreditatis petatur,*cum similibus. Et huius sententiæ fuit *Ioann. Gutierrez libr.2. practicar. quæst.87. Mieres de maiorat. 3.p.quæst.2.nu.3.& 16.cum seqq.*Ea verò quæ *Tiraquellus* adducit,& ex sententia aliorum resoluit, in retractu ex statuto (quod stricti iuris esse ait)à dicendis paulò *inferiùs* lucem accipient.

Addo quæ dicta & resoluta sunt in materia retractus fortiore ratione procedere in successione maioratus
41 †Hispani, cùm de vera successione,nō similitudinaria tractetur, ita vt in proximiorem, qui in ventre est tempore vltimi possessoris, transferatur possessio ciuilis & naturalis ministerio *legis 45. Tau.* & ei tenutæ remedium competat: quo far è experiri possunt & debent pater,vel curator intra tēpora *l.8. tit.7.lib.5.Recop.*vt resoluunt *Greg.* in *l. 3.tit.33.p.4.glo.1.Molina lib.3. de Hispan. prim.c.12. nu. 24.* & *in annotation.nu.15.* vbi ita seruatū ait in ardua quæstione *Auendann.responso 28. D. Christophor. de Paz de Tenuta,2.tract.* d.*c.68.nu.18. & seqq.Mieres de maiorat.3.p.q.2.* quos simul cum *Tiraquel.* relato *à Mieres n. 3.*) rem latè discutientes Lector videre poterit in casu occurrenti. Et quid tenendum, si ad successionem maioratus vocatur tātùm masculus, resoluit optimè *Mieres suprà num.4.* multa latè & vtiliter prosequutus.

Demum vt iuri etiā Canonico prædictas conclusiones aptemus: à dictis & resolutis in prima, dependet itidem vera ratio & causa decisionis *text. in c. qui in maternis* 115. † *de consecr.dist.* 4.sumpto ab *Isidoro libr. 1. Sentent.de summo bono,càp.24.* vbi, *Qui in maternis vteris sunt, ideò cum matre baptizari non possunt,quia qui natus secundùm Adam non est,renasci secundùm Christum non potest: nec regeneratio in eo dici poterit, quem generatio non præcessit.* Cui rationi addi & illa potest ex communi Theologorum assensu, sacramentum Baptismi gratiam conferre ex opere (vt aiunt)operato,*quod non saluat nisi iustificando,& abluendo sordes peccatorum,*vt ait *Bellarm.tom.2.controu.libr.2. de effect.Sacram. cap. 3. vers. secundum testimonium, Reginald. in Sum.to.2.sect. priore num.25.vers.accidit.*

Sed an hoc procedat in eo qui nasci cœpit,† ita vt aliquod tantùm membrum apparens possit aqua saluti aspergi,vide in Auctoribus, quos *Summistas* vocamus maximè in *Angelo* post antiquos,verb.*Baptismus,* & adde *Petr.Gregor.libr.1.partition.Iur.Canon. in Schol.ad c.9.lit. H.*vbi pro parte aiéte expendit *textum* in *capit. nec quemquam* 127.de *consec. dist.*4. & alia quæ apud eum videri poterunt: quibus adde *Tiraq.* in *l.si vnquam* verb.*susceperit liberos,*ex *nu.155.ad* 159.*Giurbam in consuet.Messan.cap.1.gloss.4.nu.13.* vbi plures refert.

Prædictis omnibus duo notanda addo, primum est sustineri † nec vllo modo posse sententiam *Alberici* post

Oldra.

Oldra. qui limitat regulam *l. qui in vtero* ibi *num.*7.& in 1.*p.statutor.q.*134.in his quæ sunt stricti iuris, in quibus eũ qui in vtero est non haberi pro nato existimat. *l.si prægnans* 42.*cum seqq.ff. de euiction.*

Et inde infert (quòd cùm statuta sint stricti iuris, *l.*3.§.*hæc verba*, *D.de negot. gest. l. constitutionibus* 24. *D. ad municip.l.quod constitutum* 21. *D. de testam.milit. l.*1. § *si is qui nauem*, verſ. *in re igitur dubia*, *D. de exercit. actione*, notatur in *l.non dubium*, *C.de legibus*, & in *l.omnes populi*, *D.eod. titulo*) stãnte statuto, quòd in loco Decurionis mortui assumatur proximus, si moriatur Decurio relicto fratre & filia prægnante præferatur frater vtero. Nec dissentit *Tiraquel. de retractu lignag.* d.§.1.*glos.*9.*n.*80.& 81. Mihi enim ista non probantur, qui nullum video casum, in quo stricta iuris ratio aut interpretatio posthumum excludat hodie à successione & commodo obuenturo, ita vt pro non nato, aut non existente in rerum natura haberi possit. Nec quicquam faciunt *textus* in d. *l.si prægnans, cum seqq.* in quibus de commodo posthumi non agitur, sed alterius, ideò nil mirùm, si non habeatur pro nato, ex dictis & resolutis in *secunda conclusione.*

Quod verò *Albericus*, & turba Doctorum circa statuta variis locis comminiscuntur (eorum expendentes restrictionẽ, quia odiosa, & suo solo casu intelligenda, maximè *Ancharran.* post alios, *l.*1.*quæst.famil. Menoch.lib.*2.*de arbitr. casu* 321.*à.num.*11. *Alderan. Mascard.de statut. interpret. concl.*4.) nec iuris communis dispositionibus,
45 nec eius regulis conuenit. † Et *text.* à quibus communiter ista conclusio elicitur, tale quid non probant.

Nam *l.*3.§.*hæc verba*, *D.de nego.gest.* apertè potiùs stat pro contraria sententia, in illis verbis: *Etsi ex his verbis non continentur, pro adiecto tamen debent accipi.* Lex verò 1. §.*si is qui nauẽ*, *ff.de exerc.act.* solùm probat, verbis Edicti stari debere, quod æquè in *lege* procedit, vt optimè *ex Bald.* notat *addit.gl.* super verbo *Edicti.* Adhæc *text.* in dict.*l.constitutionibus*, *ff.ad munic.* in causa pœnali & odiosa vsurarum loquitur reliquorum non exigendorum ab eo qui ex administratione honoris reliquatus est, attenta Constitutione Diuorum *Antonini* & *Veri* ibi relata, cui ferè similis alia est eiusdem *Antonini* in *l.vnica*, *C.de his qui ex offic.quod administ.conueniuntur* (à qua *l.finalis*, *ff. de Magistrat.conueniend.l.cùm quidam* 17 §.*eos*, *ff.de vsuris*, & *l.vltima*, *ff.de administrat. rerum ad ciuitatem pertinent.* veram recipiunt interpretationem & conciliationem cum d. *l. constitutionibus*, & *l.Lucius* 21.§.1.*ff.illo tit. ad municip.*) Hisce addo, in d.*l.constitutionibus* (quod ad nos attinet) id tantùm principaliter probari, à forma scilicet Constitutionis Imperialis, & eius vsu & praxi non esse deuiandum, quod nihil nobis obstat.

Demum *text.* in *l.quod constitutum*, *ff.de testam.militis*, nõ loquitur de statuto, sed de priuilegiis iure singulari contra iuris regulas, & eius rationes introductis, & ideò verbis eorum stãdum est, *l.quod verò contra* 14. *ff.de legib.l.*3.*in fin.C.eod.l.quæ propter* 162. *D. de diuerſ.regul iur.l.*2.*l.*4.*C.de appellat.* Quidquid contra tentauerit *Georg.Acacius de priuil.lib.*2.*c.*4.*à nu.*4.præsertim cùm eius dicta *num.*14. & *seqq.* recidant in communem Doctorum assensum, quem resoluit *Carolus de Tapia in rubr.ff.de constitution.Princip.ca.*6.*in principio*, *Schrader. de feudis part.*10.*sect.vltim num.*180. Ex quibus perquàm euidens fit, nulla lege probari communem Interpretum Iuris assensum tenentium, statuta strictè debere interpretari.

46 Quòd si ratione † hoc casu certemus, regulam aut causam iuris eandẽ inueniemus in *lege municipali*, quæ in generali Regni vel Prouinciæ: imò *Ius Ciuile* aptiùs dicitur, quod cuiusque ciuitatis proprium est, *l. omnes populi*, cum aliis, *D. de iustit. & iur.* Regula verò aut ratio Iuris Ciuilis eadẽ est in *lege municipali* quæ in generali Regni vel prouinciæ. Ergo nil impedimento esse potest statuti ampliationi & extensioni, quando in causa fauorabili disponit (id quod legibus cõcedimus) quemadmodum & restrictioni, in causa odiosa, vti fateri videnter plures Doctores, quos longa serie enarrat *Alderan. Mascard. supr. concl.* 2. à *n.* 118.

Huius tamen Interpretum Iuris cõ-
47 munis placiti † causa ex eo mihi nata videtur, quòd cùm statuta in plurimum sint Iuris communis correctoria, & correctio iurium, quoad fieri possit, sit vitanda, ideò statutorum similium strictam rationem, & interpretationem (iuxta tradita à *Mascardo* d. *conclus.* 2. *n.* 226.) ad omnia statuta sine vllo delectu applicuerunt, non aduertentes id ipsum in legibus euenire, in quibus nouissimæ iuris correctoriæ interpretatio (vt quæ odiosa) restringitur. Stat ergo firma iuris ratio pro statutis municipalibus non abrogantibus vel derogantibus iuri communi, sed iuxta, vel præter illud disponentibus, vt earum interpretatio fieri debeat, velut alterius cuiusuis legis iuris communis, vel generalis. Et inde fiet, vt in casu statuti ciuitatis Paduæ de subrogando proximiore in locum Decurionis demortui (de quo loquitur *Albericus suprà*) præferatur proximior existens in ventre, & pro nato in re ista sibi fauorabili habeatur, velut in qualibet alia simili, *dict. l. qui in vtero* 7. *ff. de statu homin.* Et ita in terminis contra *Albericum* resoluit *Alderan. Mascard.* cum relatis dicta *concl.* 2. 218. 220. & 221.

Sed & in alia quauis † dispositione 48
statuaria idipsum dubio procul obseruauimus, quod attinet ad posthumorum, & eorum qui in vtero sunt, admissionem & exclusionem: nulla cõstituta differentia, vbi non est, nec inueniri vllo modo potest inter ius cõmune & municipale, seu statutarium, vt iam aduertimus s. *hoc cap.* §. 1. *nu.* 71. contra *Bart.* & alios, existimantes, posthumi mentionem in statuto factam, ad eum tantùm, qui post mortem natus est, referendam.

Secundo & vltimo loco prædictis addendũ superest. Cùm dicimus in vtero existẽtem haberi pro nato, intelligendum esse † si postea nascatur, *l. is* 49
cui 18. *D. quando dies leg. ced. l. vlt. C. de posth. hæred. instit. l.* 1. § *si quis proximior D. vnde cogn. Glo.* in d. *l. qui in vtero* 7. & in *l. si quis prægnantem* 147. *D. de diuers. reg. iur.* notat disertè *Pinel. in rub. C. de bon. mater.* 2. *p. n.* 37. *Balduin. in notis ad tit. D. de statu homin. Pet. Franc. Linglois decis.* 29. *q.* 5 *nu.* 1. & 2. *Ricard. Vitus ad leges Decem-viror. n.* 92. *ad fin.*

Ita vt omnia omnino cessent, si partus postea editus non fuerit, quo casu nihil est, *l. qui mortui* 128. *ff. de verbor. signific.* notat *Valent. Forst. de success. li.* 2. *c.* 18. *n.* 29. *D. Pichard.* in §. *posthumi n.* 9. *institut. de exhæred. liber.* & in §. *ita demũ, instit. de hæred. quæ ad intest. defer.* & inde si mater abortum fecerit, vel ostẽtum ediderit, non solùm non retrofingamus natũ antea fuisse, sed nec conceptum, licèt vera fuerit cõceptio, *quia fictionis inducẽdæ causa cessat hoc casu* (vt disertè ait *Anto. Fab. in sua Iurispr. Papin. tit.* 4. *de ingen. princ.* 3.) *cùm non aliam ob causam partui fauendum esset, quàm propter spem nascendi, l.* 1. *ff. de ventre in posses. mitt. id est, quòd homo nasci speraretur, quo postea nũquam nato, nec ratio vlla superest propter quã habe-*

beri debeat pro aliquando concepto, l. is cui ita 18. ff. quando dies legati cedat. Omne namque ius hominum dumtaxat gratia comparatum fuit, l. 2. ff. de statu hominum, hic autem nunquam homo fuit. Hactenus Iureconsultissimus *Faber.*

Qui in eodem *titul. princip. 3.* rectè deducit *inlat. 7.* in computanda ætate
50 †non haberi rationem temporis quo quis conceptus vel animatus in vtero fuit, sed attendendum diem & horam natiuitatis, *l. 3. §. minorum, D. de minoribus, l. qui filium 74. in fine, ff. ad Senatusconsultum Trebellianum, l. 1. D. de manumissionibus*: quamuis vtilius ei fuisset computari à tempore conceptionis vel animationis (vt ita loquar) Vt cùm agitur de conficiendo testamento, *l. qua ætate 5. D. qui testamentum facere possunt*: vel de excusatione à tutela & aliis muneribus publicis propter ætatem, dicta *l. qui filium, in fine, l. 1. C. qui ætate se excusant*: cuius rei rationem innuit, non tamen ex integro assignat *Faber*, dum ait: *Ratio est, quia commodum illud posthumi propter quod haberi debeat pro nato, æstimandum est & metiendum ex eo tempore quo adhuc in vtero est. Ex quo enim iam natus & editus est, cùm verè sit homo, & citra fictionem vllam capax eorum omnium quæ ad ipsius fauorem & commodum exspectare possūt, quid necesse est retrofingi, cùm priùs natum fuisse, quam de hoc, vel illo ipsius cōmodo, de quo nunc agitur, quidquā quæri oporteret. Denique nisi quis habeatur pro nato priùs quam nascatur, nonnisi serò, frustráque possis inducere fictionem, quæ in præteritum tempus recurrat, postquam re vera & naturaliter natus est, quamuis è contrario non nato posthumo appareat, quid retrò fuerit, non per fictionem, sed re vera, l. Neratius 7. ff. de manum. testament.*

Hæc enim Fabri (quæ referre libuit, vt quæ disertissima) adhuc egent alia ratione in proposito dubio, cur nati ætas computetur non à tempore conceptionis vel animationis, sed à die natali? Et ea mihi esse videtur, quòd multiplex, varia & confusa aliàs esset computatio, siue conceptionem attendas (quæ diuersis temporibus contingere solet, vt latè probauimus in *capite præcedenti*) siue animationem, quæ non solùm varia, & incerti temporis est, ex dictis ibidem, sed & longè diuersa inter marem & fœminam. Nihil ergo mirum si Philosophi, Politici & Iurisconsulti ætatem à natalitio seu natiuitate, quæ sola certa est, computarint, ambiguitates & incertitudines vitantes, quæ ex computatione à cōceptionis & animationis tempore oriri poterāt. Præsertim cùm ex hoc nullum natis obueniat incommodum. Leges namque tépora, quod attinet ad maiorem & minorem ætatem, vel excusationem munerum publicorum, statuentes, aliter atque aliter eam præfinirent, si instans conceptionis, aut animationis considerarent, non natiuitatis. Nam ex qua causa maior quatuordecim annis pupillarem egressus ætatem pubes dicitur, *Varroni* (computatione facta à tempore natalitij) *libro 1. de lingua Latina, Galeno in 3. Aphorismorum, capite 27. Francisco Vallesio lib. 1. Medicarum & Philosophicarum controuersiarum, capite 8.* (quia pubescere eo tempore masculi in plurimum solent, *Plato lib. 11. de legibus, Vlpianus in fragmentis tit. 11. in fine*, & colligitur ex *principio tituli institutionum, quibus modis tutela finitur*) & quo ex capite iusta, matura & perfecta dicitur ætas vigintiquinque annorum, *l. 2. in princip. ff. de vacatione munerum*, cum adductis à *Gothofredo in scholijs ad l. 1. C. quando tutor vel curator esse desin. Bisciola libr. 1. horarum subsecivarum, capite 1.* eadem

etiam ratione si conceptionem aut animationem in computation ætatis cōsideraremus, in pubertatis tempore constituendo annum decimumquintum vel circa, in iustæ verò ętatis pręfinitione vigesimumsextum vel circa annum adsignaremus. Hæc ergo ætatis compu atio alia dissimili innititur causa in iure ab ea quam Iurisprudentes considerarunt, cùm in vtero existentem finxerunt natum in *l. qui in vtero 7. & 26. ff. de statu hominum.*

Regula igitur horum iurium ita accepta & intellecta; vt vtero existēs habeatur pro nato, si posteà re vera natus fuerit, ab ea primo loco infero, quod diximus *suprà nu.* 41. cum *Gregorio Lopez* & aliis, in ventrem Iure Patrio transferri ciuilem & realem bonorum maioratus possessionem ministerio d. *l. 45. Tauri* (velùt transit in quemuis proximiorem in viuis agentem) intelligēdum esse de posthumo qui posteà natus & editus est. Quandiu enim in
51 ventre quis est, gradum † facere non potest: nec verus esse possessor, cùm in rerum, hominúmque natura non sit, *l. fin. 1. ff. de conlat. bonor. l. cùm inter veteres, C. de fideicom. liber.* cum pluribus aliis sub initium *huius cap.* adductis. At cùm primùm natus fuerit, gradum re & effectu faciet, & vltimi, verique possessoris nomē consequetur, quamuis illico moriatur, *l. 3. C. de posthumis hæredibus instituendis* (nobísve viginti quatuor horas tantum vixerit baptizatus, iuxta *l. 13. Tauri*) vt ex *Gregorio Lopez & Mieres* adnotauit *D. Christophorus de Paz de Tenuta* d. *cap. 68. nu. 30. 31. 47. 48. & 52.*

Et ego dictis ab eo & cæteris addo, proximitatem (iam tempore conceptionis consideratam) solo natalitio, vel (vt nostri dicunt natiuitate verificari & demonstrari: id quod aptissimo exemplo ego ita comprobo. Demus aliquem maioratus dominum, possessorémque sine liberis, parentibus, aut fratribus decessisse relicta vidua fratris germani pręgnante, & itidem alia fratris patruelis, & priorem abortum fecisse, monstrúmve successionis expers (iuxta dicenda *infr. cap. 17.*) edidisse: ac subinde viduam ex fratre patruele enixam filium, is certè (alio proximiore tempore delatæ successionis non existente) ad maioratum admittetur: inque cum ex *l. 45. Tauri* possessionem à morte prædecessoris verè translatam dicemus, nec tempore vllo apud ventrem grauidæ ex fratre consanguineo remansisse. Quod summè notandum duco velut singulare, scitúque dignum, & à nemine eorum ista pertractantium, quos ego viderim, animaduersum.

Secundò à prædictis infertur, quod dicimus ventrem præteritum † testamentum rumpere, *l. ventre præterito 84.* cum ibi notatis, *ff. de acquir. hæred.* cum aliis *suprà* adductis, intelligēdum postquam natus est is, qui testamenti paterni tempore in vtero erat. d. *l. antiqui, ff. si pars hæredit. petatur, l. vtrùm 7. D. de reb. dubijs, l. si duobus 16. §. si Titio, ff. de legatis 1.* Alioquin non rumpit, vt iam adnotauimus *suprà hoc cap. §. 1. inlat. 2.* Quamuis, æquitate Prætoria attenta, etiam natus illicò decedens non rumpat, *l. posthumus 12. in princip. iuncto versic. idemque, ff. de iniusto, rupto, Petrus Loriotus de iuris arte, titul. 2. de natiuit. axiom. 3. & 4.*

Tertiò ab hisdem fit, ventrem reuocare donationem † à patre extraneis antea factam, cùm scilicet productus est, & in rerum inuenitur natura, vt iam diximus ex *Tiraquello* in *l. si vnquam* verbo *susceperit liberos, à nu. 144. C. de reuocand. donation.* Alioquin non reuocat, vt probauimus iam *hoc cap. d. §. 1. inlat. 3.*

Quartò idem dicas de restitutione ventri competente, † *l. etiam ei, ff. de minorib.*

minorib. Bald.in rubr C.de in integr.restitut. D.Christophor. de Paz in tract.2. de Tenuta,c.68.n.20. ita vt natus omnia restitutionis commoda cõsequatur,non ita si in lucem non edatur, ex dictis s.d.§.1.*in lat.*8.

55 Quintò, venter & fœtus impugnabit fundationem † maioratus ad quem vocatus non est loco designato in *l.27.Tauri*) quæ est *l.11.tit.6.lib.5.Recopil.*) si postea scilicet editus fuerit, alioquin illius nulla habebitur ratio: quemadmodum nec qui nascuntur post mortem fundatoris impugnare possunt maioratus aui, vel proaui sui institutionem, ad quam non fuerunt inuitati,& præcisè essent vocandi, si tempore fundationis nati fuissent, *l.si quis filio exhæredato 6.ff. de iniusto rupto,*& notat in terminis *Parlador.q.6. ante Sesquicenturiam*.

Sextò, legitimatio per subsequens matrimonium,quæ in ventre datur, imò & quæ fit per rescriptum Principis, *Bald.in fine tituli, si de feudo fuerit controuer.inter dom.& agnat.Tiraq.de nobilit.c.6.nu.45.* & *in tract.de retract.li-*
56 *gnag.§.1.gl.9.n.77.*effectum sortietur,† cùm natus fuerit filius,tunc enim sese legitimum inueniet à tempore contracti matrimonij inter parentes, vel indulti à Principe beneficij. Et id ipsũ dicas in quibusuis fauorabilibus causis,in quibus existens in vtero pro nato habetur.

57 Demum omnia contenta † in *inlationibus huius capitis*,& quæcunque in eo annotauimus & resoluimus circa existentem in vtero habendũ pro nato prædictam recipiunt interpretationem & limitationem.

Sed à prædicta regula, & certissima propositione,quam prosequimur, & habet in vtero existẽtes pro natis habendos, duos ego singulares excipio casus, in quibus is qui natus non est, pro nato tamen habetur. Primus erit, cùm execto † matris vtero partus edi- 58
tus est,qui(vt ait *Anton.Fab.in sua Iurisprud. Papin.* d.*tit.4.princip.3.confut.4.vers.illud*) non solùm admittitur ad bonorum possessionem ex omni parte Edicti, tanquam qui in vtero erat mortis tempore, *l.1.§.si qua prægnans, ff.vnde cognati*,sed etiam ad legitimam matris hæreditatem, ex Senatuscõsulto *Orficiano, l.1.§.sed si matris,ff.ad Senatusconsult.Tertull.* siquidem etiam ea mulier cùm moreretur,creditur filium habere, quæ scisso vtero edere possit, *l.etiam ea mulier 141.ff. de verb.signific.* Et inde sic editus omnia iura nati, & à natura producti consequitur, adeò vt abortiuus dici nequeat iuxta ea quæ latiore sermone prosequemur in *capite 6*.

Secundus casus erit, si in vtero existens fœtus animatus, quin & tantùm conceptus,ictibus, † medicamentis, 59
aut aliis violentis mediis seu instrumentis colliditur: nam quod attinet ad punitionem fœtus istius collisi,aut occisi ratio in iure habita semper fuit, non quia nobis animal esset, ac *Galeno*,vel *Auctori libri, An animal sit quod in vtero est*, (vbi magnificis verbis, j. expendendis in *c.16.*suæ sententiæ velut assertorem facit *Solonem*) sed quia ex alia *lege Solonis* adducenda in *eod. c.16.*iste ventris percussor grauiter delinquit,& ideò seuerè damnatur,vt latius annotabimus in d *cap.16.§.vnico*: quò loci Lectorem admandamus. ibi enim de abortione variis mediis & modis procurata, eiúsque punitione exactam tractationem inimus. Et aptam simul interpretationem subministramus *Paulo* Iurisconsulto in *l.si quis aliquid 38.§.qui abortionis, ff.de pœnis*, qui in hoc proposito singularis est, & ab istis insignem recipit illustrationem.

CAPVT TERTIVM.

DE PARTV IN GENERE.

SYNOPSIS.

1 *Partitudo, partio, & partus pro eodem vsurpantur.*
2 *Partus dicitur ipsa proles, & actus pariendi.*
3 *Proles itidem quorumlibet animalium partus nuncupatur.*
4 Partus *nomen Iurisconsulti ad partiones humanas referunt:* fœtus *verò ad proles cæterorum animalium.*
5 *Pariendi actionem homini à voluptate* natura *in desiderio posuit.*
6 *Magnæ res à* natura*, nec ab* arte *sine magno labore aut dolore non patrantur.*
7 Natura *pulcherrimam pariendi actionem doloribus supposuit.*
8 *Græcis nomen ὠδὶν actionem pariẽdi doloribus plenam propriè denotat.*
9 *Translatitiè* partum *dicitur quidquid labore quæritur.*
10 *Segetes, & fruges, & quilibet fructus sub nomine* partus *communi loquendi vsu veniunt.*
11 Partus maturus *dicitur fructus congruo tempore editus.*
12 *Et* fœtus *insuper appellatur terræ fructus.*
13 *Immaturos fructus ad instar imperfectorum fœtuum* tenues *vocat* Virgil.
14 *Agri dicuntur* effœti *ad modum mulieris grauidæ.*
15 *Et* falsus partus *dicitur ad similitudinem suppositi partus.*
16 *Terra itidem* integra *dicitur, quæ nunquam fuit arata vel depasta.*
17 *Generationem hominum & fructuum perquàm bellè comparat* Anton. Siluius Clarus.
18 Fructus *dicuntur quæcunque iterato rerum successu terra gignit & producit.*
19 *An partus sit in fructu? vetus fuit quæstio inter antiquos Principes Iurisprudentiæ.*
20 *Mos antiquus fuit apponendi recens natos in terra.*
21 *Mythologica & fabulosa veritatem adumbrare non possunt.*
22 *Præposteram* Anton. Fabri *rationem cur partus non sit in fructu, impugnat* Auctor.
23 Ceruidius Scæuola *sententiæ* Publij Scæuolæ *(qui partum in fructu constituebat) non adhæsit, vt communiter existimatur.*
24 L. vxorem 41. §. sorori, ff. de legat. 3. *interpret.*

SVCCEDIT ex ordine constituto partus in rerum, hominúmque natura producti generalis tractatio.

PARTVS † (qui apud Latinos partitudo, & *partio* etiam appellatur, vt ex variis locis *Plauti* in *Aulularia* & *Truculento*, & aliis Auctoribus probat *Nonius Marcellus de propriet. sermon. c.3.*) interdum apud Iurisconsultos & Imperatores dicitur actus ipse † pariendi (vt in *Virg. lib. 1. Æneid.*

——*Donec Regina Sacerdos* *Mars*

Marte grauis geminam partu dabat Ilia prolem.

Et *lib.3.Georg.*

Post partum in vitulos cura traducitur omnis.

Ouid.in epist.Canac.

Et rudis ad partus, & noua miles eram.)

Interdum & sæpius ipsa proles ita nuncupatur: vtrumque constat ex *Vlpiano in l.1.§. & generaliter, ff. de vent. in possess.mitten.* Iustiniano in *l.nuper 11.post princip.* & ibi: *Partus tempus:* & mox: *Editionis tempus.C.de natural.liber.* & in *l.si maior 12. C.de legitim.hæredib.* Vnde est, vt proles quorumque
3 animalium propriè dicatur † PARTVS, *Plinius lib.7.cap.5. Cæteris animantibus statum & pariendi, & partus ferendi tẽpus est*, & notant Lexicographi, maximè *Barnaba Brisson.* & ab eo *Ioann. Kaluinus* (quibus addo edisserenda *c.*
4 *6.*) Tametsi apud Iurisprudentes † *partus* nomen ad partionem humanam ferè semper referatur, & *fœtus* verbum ad prolem cæterorum animalium, *l. qui vas 48.§.ancilla, ff.de furtis*, cum aliis: sed & ipsi idem nomen *partus* (ad prolem relatum) pro iam edita & simul producenda, lucémque visura vsurparunt infinitis propè locis, quorum bonam partem j. *hoc cap.* expendemus.

Præfatam autem pariendi actionem omnium naturalium primam (vt qua media humani generis perpetuitas comparatur, *caduca mortalitate partus, substitutionésque desiderante*, vt disertè dixit *Chalcidius in Timæi Platonis comment.*) homini in desiderio à
5 voluptate † in actu generationis NATVRA posuit, vt post *Aristot.4.sect. problem.16.* & alios antiquos, nouiorésque Philosophos & Medicos annotauit perquàm optimè *Andreas Laurent.de Histor.Anatomica lib.4.c. 1.quæst.19.* alibíque, & nouissimè *Ioan. Schenckius* (qui sedem oblectationis in congressu venereo designauit) *lib.4. obseruat.tit. de muliebrium gener. partionib.obseruat.6.*

Sed cùm magnas res † vix NATVRA vnquam producat, aut ARS inducat, sine magno labore aut dolore (vt enim scriptũm est in *Diuersorum γνώμαις*: 6

ἐν μορέιος τὰ καλὰ γίνεται πόνοις.

Multis laboribus quæ pulchra sunt, quæ-runtur.

Vnde abiit in prouerbium à *Platone in Hippia Maiore*, & aliis locis χαλεπὰ τὰ καλὰ, *difficilia quæ pulchra*) hinc † 7
ipsa eadem NATVRA istam pariendi actionem insignem, & pulcherrimam simul (Parca enim & Lucina, teste *Platone* in conuiuio, *generationi pulchritudo ipsa est*) magnis laboribus, doloribus, anxietatibus & periculis immiscuit atque supposuit *Plautus in Amphyt.actu 5.scena 1.vers.40.*

Vbi ex vtero exorti dolores (vt solent puerperæ)

Inuocat Deos immortales, vt sibi auxilium ferant.

Et Catullus *in carmine secul.ad Dianã:*

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Quinimò ab his prouenit, vt apud Græcos nomen ὀδύνη † (quo dolores 8
corporis & animi denotantur, vt in *Homeri Odyss.α:*

ἐμοὶ δ' ὀδύνας τε γόους τε κάλλιπεν.

Idem *Odyss.β.* & *τ.*) ἰδιοτικῶς, & velut propriùs actionem pariendi denotet & demonstret: & inde iterum ad magnos animi, corporísque dolores & cruciatus transferatur, vt videmus in eodem *Homero Iliad.υ.* Agamemnonis vulnerati dolorem cum parturientium ὠδῖσι *doloribus* conferente. Id quod (præ cæteris) Sacræ Paginæ insignioribus exemplis illustratur, maximè *Geneseos c.3.& 5.* & *lib.1.Reg.c.4.* & *Ioan.c.16.*

Hinc itidem factum, vt translatitiè
9 PARTVM † dicatur quidquid labore quæritur: *quia nullus partus sine dolore est ac labore*, vt iisdem verbis dixit *Donatus in Phormione act.1.sce.1.* Quò tēdit & illud *Horatij lib.1.Satyr.1.ad fin.*

——— Et finire laborem
Incipias, parto, quod auebas.—

Et inde demum prouenit, vt segetes,
10 † frugesque, & quilibet fructus sub nomine PARTVS communi loquendi vsu venerint, *Vitruu.lib.2.Archit.c.9. Verè enim omnes arbores sunt prægnantes, & omnes suæ proprietatis virtutem efferunt in frondes anniuersariosque fructus.* Aristophanes in Νεφέλαις, *actu 3.scena 4.*

Εἶτα τὸν καρπὸν τεκούσας ἀμπέλους φυλάξομεν.
Sic frugiparas custodiemus vites.

Et sanè frugiferas seu parientes arbores hîc appellat *Comicus*, quas *generosas*, & ad reponendum idoneas nuncupauit *Theophrast.lib.2.de caus.plant.* & *pulchrarum* nomine insigniuit *Homerus* ab earum fructibus, cæteras infructiferas *proceres* vocitans, vt disertè notauit *Athenæus Dipnosoph. libr. 25. Marsilius Cagnatus* (alia prosequutus) *lib.2.var resol.c.21.*

Sed omnium maximè Poëtæ hanc metaphoram prosequuntur: nā PARTVS MATVRVS † apud eos dicitur
11 fructus, qui tempore congruo editur, velut satus Autumno vel Vere, & adultus sequenti æstate, vt in *Tibullo li.4. ad Messalam:*

Tondeturque seges maturos annua partus.

Eadem insuper translatione aucta, arbores quæ situ commodo collocantur (iuxta illud *Propertij lib.2.Eleg.32.*

Et creber pariter platanus surgentibus ordo.)

BENE MARITATAS dixit *M. Cato in libris de re rustica*, i. ad legem agriculturæ, vel naturæ cōiugatas. Quin & iuxta *legem Solonis*, cuius meminit *Plutarch.in eius vita*, & *Gaius* Iurisconsultus in *l.fi.ff.finium regundorum.*

A quo obiter lucem accipit illud *Horatij lib.2.Carmin.Ode 15.*

—Platanusque cœlebs.

Quod ad sterilitatem malè referebant *Gualtherius* & alij ibidem.

Sub hæc fruges vel fructus ab eadem causa appellantur FOETVS † Solin.c. 12
4. *Amittent arbores fœtus*, Virg.*libr.6. Æneid.*

Sed non ante datur telluris operta subire
Auricomos, quam quis decerpserit arbore fœtus.

Et 1.Georgic.

Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur.

Et alibi passim *eodem libro* nuces, aliique terræ fructus hoc nomine cohonestantur.

Sed & immaturos fructus ad instar fœtuū (qui ante perfectionem tenelli sunt, & ad prolapsum καὶ ἔκρυσιν faciles) TENVES † appellat idem *Virgil.* 13
lib.1.Georg.

Aut TENVES fœtus viciæ, tristisque lupini
Sustuleris, fragilesque calamos.—

Et eodē libro *fœtus arboreos* vocat fructus nondum perceptos, quos *Ouid.4. Fastor.fœtus Autumni* nuncupauit.

Sed & ad modum mulieris † graui- 14
dæ *agri* dicuntur EFFOETI, *Virg.eod. lib.1.*

Effœtos cinerem immundos iactare per agros.

Et in *Propertio lib.4.* terra *effœta* vocatur:

Terraque nonnullas fœta ministrat aquas.

Egregiè *Claudius Marius in comment. in Genes.lib.2.*

Tunc se decoctis terra pinguissima glebis,
In fœtus motit varios, quos imbre marito
Parturiens putri dissoluit rura meatu.

Ele-

Eleganter *Tertullian. de pœnit. cap.12. Dissiliunt* (inquit) *superbissimi montes ignis intrinsecus fœta.*

Velut ex contrario agri parum fructiferi *steriles* appellantur in *rubric.* & in *l.si quis auctoritate, C.de omni agro deserto lib.11.* & *infœcundi* in *l.qui per potentiam,C.eod.tit.* qui Græcè ἀνήμεροι,& ἄφοροι dicuntur in *Luciano* & aliis.

Quin & ad similitudinem partus
15 suppositi, FALSVS dicitur partus † *terræ*, cùm ex semine nil, parúmve præter spem percipitur, vt in *Catulo*, & aliis referendis in *initio quinti capitis.*

Et ab eadem μεταφορὰ appellatur TERRA INTEGRA † apud *Gaiū* in *l. Sylua cædua 30.§.3.ff.de verb.signif.* quę nunquam arata, vel depasta est, quam nostro idiomate TIERRA VIRGEN appellamus.

Demum his metaphoricis & translatitiis addo, generationem humanā,
16 & fructuum † perquàm bellè coaptasse vel comparasse *Antonium Siluium Clarum in leges Regias xij.Tabularum, ca. 13.* dum generatione hominis priùs tractata, ita prosequitur fructuum: *At natura ex semine fructus per tempora format cum siliquis, corticibus, aristis, calamis: priùs enim radices agit: tum occultè crescit sub terra: deinde paulatim ad Solem exsurgit. Et sic Plutonis furtū releuatur, & redit ad cœlum Proserpina. Nam sufficit Plutoni semestre tēpus, quo semina terræ viscerib. obruta latēt; & corrumpuntur, videlicet per Autumnum & Hyemem: sed vere terra germinat, & Soli patri fœtum imperfectum ostendit per totidem menses, vt quodquā ad id principium redeat, vnde fluxit. Hinc patet, vnde dicta sint Græcis ἀνακαλυπτήρια, quasi dicas reuelamenta, quæ conueniunt fabulæ matronæ illius hospitis Deæ, quæ detectis vestib. pudenda Deæ reuelauit: quod ad vim seminū pertinet, cùm post corruptionem enascun*tur è terra. Et his addo earum rerum quas terra gignit, educationem quandam & perfectionem esse ad normam partionum humanarum, & cæterorū animalium, vt perbellè notauit *Cicero li.5.de finib.* Et ante omnes *Plato in Timæi Dialog.* fructus arborum & partus mulierum coæquans, ita ait: *Viri & mulieris cupido, amórque quasi ex arborib. fœtum, fructumve producunt.* Et iterum in *Theage.* vel *de Sapientia*, ita edisserit in proposito: *Omnes quidem plantæ eodem se modo habere videntur, & quæ è terra nascuntur, animaliáque omnia, & homines denique ipsi. Vt enim in plantis facillimum hoc nobis est, qui terram colimus, præparare quidē omnia antequàm plantemus, & ipsa etiam plātatio: postquam verò quod plantatū est, viuit, tunc cultus ipsius varius est & difficilis: sic in hominibus videtur,* &c.

Cùm autem fructus terræ *partus* appellari dicimus, non tantùm eos intelligimus, quibus homines vescuntur cæteráque animalia, sed omnia † quæ 18
iterato rerum successu terra gignit & producit. Nam cùm fructus à *ferendo*, vel *fruendo* dicantur (teste *Marco Varrone li.4.de lingua Latina*) dubium nō est quin eos propriè fructus esse dicamus, qui ex corpore rei ad vtilitatem, fruitionémq; hominum feruntur. Vnde est, vt quęcunque metalla (quo nomine veniunt non tantùm aurum, argentum commune & viuum, margaritæ, & alij lapides pretiosi, vniones, & quilibet conchi, ferrum, stagnū, plumbum, & similia, sed & alumen, quod *Vlpianus* cum Græcis *stipteriam* appellat in *l.3. §.final.ff.de rebus eorum*, gypsum, creta, tegula, later, & quæuis lapidicinæ, *l.diuortio 8.§.si vir.ff.soluto matrimonio*, ibi: *Cretifodinæ verò, vel auri, vel cuiusuis materiæ, vel arenæ in fructu habentur: l.vsufructū legato 7.* ibi: *Quæque obuentiones, ex ædificiis, ex arcis,* &c. *ff.de vsufructu, l.æquissimum*,

§ inde quæsitum, ibi: *Et huiusmodi metallorum*, l. item fundi 10. §. *sed si lapidicina*, vers. *sed si hæc metalla*, ff. *illo titulo de vsufructu*, l. 3. d. §. *si. ff. de rebus eorum*, ibi: *si lapidicinas, vel alia quæcunque metalla pupillus habuerit)* sub nomine fructus comprehendantur ex dictis iuribus id expressè comprobantibus. Dicitur namque metallum ἀπὸ τοῦ μεταλλεῖν, hoc est fodere, & terræ viscera perscrutari, quæ verior & aptior denominatio est ea, quam tradit *Plinius lib. 33. de histor. animal. cap. 6.* qui nostra comprobat in *cap. sequenti*, vbi *metallum minarium* appellat, quod nos *bermellon*, vt & ille alter, qui in statuam Piscenij Nigri Imperatoris ludens Thebaidum lapidem, ex quo constructa est *metallum* appellat, dum ait apud *Ælium Spartianum in eius vita ad finem*:

Nigrum nomen habet, nigrúmque formauimus ipsi,
Vt consentirent forma metalla sibi.

Ita enim legendum puto cum *Isaaco Casaubono*, spreta noua, nec apta lectione *Claudij Salmasij in schol. ad Spartianum, fol. 156.* Ambo tamen ea quæ de metallis diximus, concordes velut delibarunt.

Et verè à dictis ego (vt hæc obiter dicam) in Hispalensi Senatu adolescés sæpius obtinui immunitatem concessam venditoribus quibusque, & distractoribus fructuum perceptorum, & acquisitorum sua cultura & cura, quod nos dicimus: *labrança i criança*, comprehendere ex lapidicinis, & cretifodinis, propriis sumptibus eruta, & tegulas, lateresque ex terræ venis informatos, & mox concoctos: in idque expendebam *Bartolum, Paulum, Angelum, Iason. Decium, Duaren. & Barbosam* in *l. diuortio, §. si vir, ff. solut. matrim. Francisc. Conan. lib. 4. comment. iuris, c. 1. nu. 3. Ioan. Garciam, Molinam*, & alios quos referunt & sequuntur *Gutier. in tract. de tutel. 3. p. c. 25.* & *D. Castillo in tract. de vsufructu, c. 37.* Et ad ista sanè reducenda sunt quæ nutans tradit *Cuiac. lib. 15. obseruat. c. 21.*

Sit ergo constans & certa resolutio, *fructum* dici omnem obuentionem omnémque redditum, qui ex re aliqua percipitur, ex iuribus s. adductis: siue ea sponte natura producat, velut ligna cædua, fœnum (quæ vulgò naturales fructus appellantur) siue hominis facto, & diligentia media producantur, velut sata, fœtus, lac, lana: qui fructus industriales dicuntur, licèt à natura proueniant: quia in his & aliis quibuscunque fructibus similibus, primus est hominis labor in terris colendis, & curandis animalibus. Imò & apud Græcos hoc nomine significatur partus, siue fructus (quos nostri ciuiles nominant) cùm *vsuras* τόκους appellant.

Ab his etiam fit, quòd cùm *fructus* propriè sit emolumentum ex *fundo* perceptum *l. item 9. ff. de vsufructu*, vel quouis alio corpore, *l. vsura 121. ff. de verbor. signif.* etiam exanimi *d. l. item, §. sed si lapidicinas, cum sequ. d. l. diuortio, § si vir, ff. solut. matr.* quidlibet naturaliter renascens PARTVS & FRVCTVS promiscuè sit, atque dicatur, ex adductis s. Et de fœtibus quidem pecorum plura sunt iura hoc expressè approbantia, præmaximè *l. equis 8. & 39. l. in pecudum 28. ff. de vsuris, d. l. item 9. §. 1. l. vetus 68. §. 1. ff. de vsufructu*, & alia, quibus consonat *l. 25. tit. 28. p. 3.* cum traditis à *Coppo* & *Lorioto* in suis *tractatib. de fructibus*, ille *lib. 1. cap. 1.* iste *axiom. 3. & 4.*

Sed an partus humanus propriè dicatur *fructus*, vel in *fructu* esse? vetus fuit † quæstio, vt asserit *Vlpian.* in *d. l. vetus 68. in princ.* & inter *Publium Mutium Scæuolam*, & *Marcum Manlium* Principes ciuitatis (id est, Iuris Ciuilis fundatores, vt ait *Pomponius* in *l. 2. §. post*

post hos fuerunt, *ff. de origine iuris*) & *Marcum Brutum* ex aduerso (ibidem à *Pomponio* eodem nomine condecoratum) agitata, teste *Cicerone* in loco per quam trito & noto *libr. 1. de finibus malorum & bonorum.* Et quidem sententiam *Scæuolæ* & *Manilij* existimātium partum ancillatum in fructu esse comprobare videtur mos ille an-
20 tiquus, † quo partum recèns editum, & *vitam vagitu salutantem* (vt ait *Tertullia. lib. de anima, Soranus Ephes. cap. 17.*) obstetrices terræ apponebant, vt matris communis opem implorantes (quod *infr. cap. 4.* ex pluribus comprobabimus.) Et hac sanè de causa recèns itidem mortui terræ apponebantur in *Artemidoro li. 1. cap. 14.* ἐπεὶ καὶ οἱ ἀποθνήσκοντες ἐχισμβύσις ἐνειλοῦνται ῥάκεσιν, ὡς καὶ τὰ βρέφη, καὶ χαμαὶ τίθενται: *Quādoquidem mortui laceris inuoluuntur panniculis & linteolis, & velùt recēs nati, terræ apponuntur.* Quæ ratio melior sanè & aptior ea est, quam protulit *Olympiodorus in Platonis Phædonem.* Maximè considerantibus, terram non solùm hominum, sed & Deorum matrem vocari, vt in *Natali Comite libro 5. Mythologiæ cap. 20.* testatur *Orphaus.*

Γαῖα θεὰ μῆτηρ μακάρων θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Alma Deum mater Tellus, matérque virorum.

Sed hæc Mythologica & fabulosa
21 veritatem † adumbrare non debuerunt, nec rationem superiorem (qua innititur contraria sententia adsentium cum *Marco Bruto* partum humanum non esse in fructu) adsignatam ab *Vlpiano* in *lege ancillarum 27. ff. de petit. hæred.* & alteram insigniorem traditam à *Gaio* Iurisconſ. in *dict. l. in pecudum 28. ff. de vsur. Absurdum enim* (inquit iste) *videbatur hominem in fructu esse, cùm omnes fructus rerum, natura hominum causa compa*rauerit, id est, fructus mundum, & omnia quæ in eo sunt, hominum causa fecit, vt interpretatur *Cuiac. ad libr. 9. responſ. Papiniani, super l. deducta. §. hæreditatem, D. ad Trebellian.* Quod diuinæ litteræ multo excellentiùs prædicant *Geneseos c. 1. vers. 28.* & *Paul. 2. ad Hebræos, vers. 8.* alibique sæpè. Et agnouit, vidítque cæca antiquitas: vnde *Cicero lib. 3. de finibus: Præclarè enim Chrysippus* (ait) *cætera nata esse hominum causa & Deorum,* & *Seneca lib. 2. de beneficijs, cap. 29. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorúmque bonorum reuerti, & agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quòd terrenis præfecerunt.* Lactantius *de ira Dei cap. 13. Intelligit profectò, quàm vera sit sententia Stoicorum, qui aiunt, nostra causa mundum esse constructum, omnia enim, quibus constat, quæque generat ex se mundus, ad vtilitatem hominis accommodata sunt.* Addit *Plinius in proœmio lib. 7. naturalis historiæ: Principium iure tribuetur homini, cuius causa videtur cuncta alia genuisse natura.* Et inde est (vt disertè notat *Cuiacius suprà*) *hominis causa factum hominem non fuisse*: alioquin omnes homines sub eodem genere non continerentur, vel omnes non essent homines, quia ex sententia *Philosophi*, id cuius causa quid comparatur, alterius est generis, quàm sit id quod comparatur eius causa, ἀεὶ enim inquit, τὸ ἕνεκα τοῦ ἕτερον ἐστὶν, οὗ ἕνεκα ἐστὶν.

Prædicta ergo mirabili & concludentissima *Gai* ratione admissa, opus non est ea præpostera, & minus apta, quam adduxit *Antonius* † *Faber in Ra-* 22
tion. 2. tomo super l. si ego §. partus, ff. de Public. in rem act. (& à *Cuiacij commentar. supra lib. 54. Pauli ad Edictum in l. 4. §. hæres, ff. de vsucaption.* desumpsit) dicens, partum ideò in fructu non esse, quia pars est matris, & ne eadem

res sui ipsius fructus esset, necessum fuisse partum asserere in fructu non esse, mutat enim *Faber*, & confundit terminos tractationis istius: cùm enim dicimus partum in fructu non esse, partum editum consideramus, nam qui editus non est, ex alio capite in fructu non est, hoc est, quia in rerum vel hominum natura non est, ex dictis satis superque per nos probatis *superiore capite*. Partus ergo ancillæ, qui iam lucem videt, & à matre seorsum viuit, & verè animal est, in fructu non est, quamuis sæpè renasci soleat (indéque fructuum appellatione deberet comprehendi, d. *l. diuortio, §. si vir ff. soluto matrimon.*) ex ratione dictæ *legis in pecudum*: quæ adeò præualuit, vt passim videas omnes mediæ Iurisprudentiæ Iurisconsultos vnanimes asseuerasse partum non esse in fructu.

23 Et cùm omnes dico, *Ceruidium* † *Scæuolam* Gentilem (vt voluit *Cuiacius*, & ab eo *Antonius Faber*, & alij) alterius *P. Scæuolæ* (cuius meminit *Cicero suprà*) non excipio: neque enim is vnquam dixit (quidquid ex communi aliorum assensu asserant *Cuiacius* & *Antonius Faber suprà* relati) partum in fructu esse, ita, vt ancillæ vsufructuariæ partus ad dominum proprietatis nó pertineret, quod nullibi *Scæuola* asseruit, aut sensit. Nec credere par est rem ita deuiam à prædicto receptissimo assensu, tanto Iureconsulto (quem Iuris Corypheum appellat *Modestinus* in *l. scire 13. §. aliud etiam, ff. de excusa. tutor. vel curat.* & *Prudentissimum omnium* Iurisconsultorum *Arcadius* in *l. 3. tit. 4. libr. 4. Codicis Theodosiani*) placuisse post absol. tam ab inde multis annis opinionem *M. Manilij*, & *P. Scæuolæ*. Nec Gentilitatis affectio in causa *Cerbidio* esse debuit ad suscitandum similem errorem. Quid quod nullibi constat, *Cerbidium* istum à gente *P. Scæuolæ* prouenire? Et sanè *Cuiacij* coniectura à cognomine *Scæuolæ* sumpta debilis est, vt optimè notat *Ioan. Bertrand. libr. 1. de Iurisperitis, tit. de Cerbidio Scæuola*. Gentilis enim is dicitur, vel præsumitur, qui simili nomine appellatur. At *Cerbidius* iste *Mutij* nomen (quo propriè familiæ distinguebantur ex dicendis in *fine quinti capitis*) non habuit.

Quod verò *Cerbidius Scæuola libro 11. quæstionum* (relatus ab *Vlpiano* in d. *l. si aliena, §. Scæuola, ff. de vsucapion.* & in *l. partum 26. ff. de verborum significa.*) scripsit, partum partem non esse matris, alia res est, & adeò longè diuersa, vt contrarium supponat, si cum de partu nondum edito intelligas: ex quo enim asserebat partum matris non esse partem, consequenter asseuerasse videtur in fructu non esse, sed quid distinctum, & à matre diuersum; quod enim pars rei non est, eiusdem nó potest esse fructus, vti pars arboris sunt fructus tantùm in ea pendentes, *l. fructus 44. D. de rei vindicat. l. si pendentes 27. D. de vsufructu, l. quæsitum 12. §. ea verò, D. de instructo, vel instrument. legato, l. si seruus 61. §. locauit D. de furtis*, & clariùs omnibus *Venuleius* in *l. fin. §. fructus. D. quæ in fraudem credit.*

Quò si instes, *Scæuolam* etiam locutum (vt annotauimus in *capite præcedenti*) de partu ancillæ iam edito, deque isto dixisse matris partem non esse, quemadmodum & fructus à solo separati pars fundi nó sunt, quasi à contrario sentiat, partũ nondum editũ, & intum partem matris existimandũ, & in fructu esse. Respondetur, ista nec *Scæuolam* dixisse, nec præsupposuisse, sed tantùm asseuerasse, partum (vt volunt) iam editum partem matris non esse quod nec nos (qui eum in fructu non esse rati sumus) negauimus vnquam, maximè.

maximè attentis his quæ illicò, ab his expediti, resoluemus.

Denique nec ex æquiparatione, quam *Scæuola* facit in causa vsucapionis fœtus humani, & pecorei, rectè colliges, partum ei in fructu fuisse, quandoquidem diuersæ res sunt vsusfructus & vsucapio, nec vna aliam inducat, vel supponat: quinimò ex quo ancillæ partus in fructu non est, is idem vsucapione acquiritur, vt diceemus †j. Alioquin & *Marcellus* (qui eandem admisit æquiparationem in dict. §. *Scæuola*, illis verbis: *Sic inquit, quemadmodum nec ancillæ partus*) esset etiam ex eodem capite notandus cum *Scæuola*, quod nullus vnquam dixit.

Nec prædictis quidquam obstat decisio eiusdem *Cerbidij Scæuolæ* in *l. v-*
24 *xorem* 41. † §. *sorori*, *ff. de legatis* 3. Nam vt disertè annotauit *Cuiacius super* d. *l. deducta* 8. §. *hæreditatem*, *ff. ad Trebellian.* *Cerbidius* ibi nec dixit, nec sensit partum in fructu esse, sed ius fructuum sequi, quod longè distat; & aliis Iurisprudentibus placuit, qui aliàs constãter asseuerarunt partum in fructu non esse, maximè *Paulus l.* 14. §. 1. *ff. de vsuris*, cum aliis *inferiùs hoc capite* apto loco enucleandis. Quinimò vt optimè adstruit idem *Cuiacius* (qui priùs *Cerbidium* Publij Scæuolæ assertorem faciebat, vt prædiximus) ex d. §. *sorori*, clarè deprehenditur temporibus illius *Cerbidij Scæuolæ* (qui vixit sub Antonini) non tantùm præualuisse, verùm & inconcussam fuisse sententiam *Marci Bruti* negantis partum ancillæ in fructu esse: quod apertè quidem supponit *Gaius* Iurisconsultus in *l. potest* 36. §. *fin. ff. de vsucap.* vbi errare ait vsumfructuarium, qui partum ancillæ ad se pertinere existimat. Quod sanè ille non dixisset, vt strennè sensit *D. Amaia lib.* 3. *obseruat. c.* 1. §. 1. *n.* 9. nisi iam velut constitutissimi esset iuris partum non esse in fructu. Quæ omnia apertissimè demonstrant nullum dissidij inter *Brutum* & *Scæuolam* in *Pandectis* inueniri vestigium, id quod optimè video annotasse *Lud. Charond. lib.* 2. *verosimil. c.* 3.

§. I.

DE VSVCAPIONE partus ancillæ.

SYNOPSIS.

1 *Partus non aliter bonæ fidei possessori acquiritur, quàm media vsucapione.*

2 *Fœtus bonæ fidei possessori statim quæritur. Et nu.* 5. *&* 7. *Et ratio vtriusque traditur n.* 3. *&* 4.

6 *Emendatio* Cuiac. *ad* l. 4. §. lana, ff. de vsucap. *superuacua est.*

7 *Latè tractatur de bonæ fidei possessore fructus acquirente tam naturales quã industriales ad plurium iurium interpretationem.*

8 L. 4. §. fructus, ff. de vsucap. *intelligitur cum* Bened. Pinel.

9 L. 2. ff. pro suo, *reiectis aliis interpretationibus, nouè illustratur & declaratur ab* Auctore.

10 L. si aliena, §. Scæuola, ff. de vsucap. *intellig.*

11 L. qui vas 48. §. ancilla *negationem nõ admittit, & affirmatiuè legitur in* Basilicôn libris.

12 Cuiacius *negationem dicto* §. *superaddens iustè notatur à* Ioanne Roberto.

13 Cuiac. *à lectione negatiua d.* §. *ancilla destitit.*

14 Hotmani *interpretatio ad d.* §. ancilla *notatur. Et num.* 15. *alia* Hilligeri.

16 Cuiacij *interpretatio probatur.*

17 *Aliam* Auctor *nouè insinuat.*

18 Dictus §.ancilla vtcunque accipiatur clarè demonstrat partum in fructu non esse.

19 Interpretes Iuris valdè torquentur in enodanda illa quæstione, an, & quando partus ancillæ vsucapi possit?

20 Partus ancillæ furtiuæ vsu non capitur. Et num.21.& 22.assignatur ratio.

23 Et tradita ab Anto.Fabro impugnatur. Et n.24.alia Donelli.

25 Refelluntur plura, quæ in proposito commuscuntur D.Amaia.

26 Partus apud bonæ fidei possessorē conceptus & editus vsucapi potest.

27 Hoc fallit in herede furis. Et num.28. traditur ratio.

29 Secundò fallit in casu l.4.§.de illo, ff.de vsucap.

39 L.9.& 10. ff. de vsucap.pro empt. valdè contrariantur dicto §. de illo.

31 Solutiones Accursij ad §. de illo impugnantur.

32 L.4.§.si antè quàm contra Ant. Fab. intelligitur.

33 Alia solutio Cuiac.ad §.de illo reiicitur.

34 Alia Donelli impugnatur.

35 Et alia Hilligeri, quem sequitur D. Amaia. Et nu.36.alia eiusdem Hilligeri.

38 Antinomiam quidam constituunt inter §. de illo & l.9.& 10. ff. pro emptore. Et alij sententiæ Pauli, alij Iuliani adhærent, n.38.

39 Nouam interpretationem ad d.l.4.§. de illo excogitauit Auctor.

40 Obiectionibus, quæ opponi possunt, satisfacit. Et n.41.

42 Concludit decisionem dict. §. de illo fallentiam similem continere adductæ à Paulo in ead.l.4.§.hæres, ff.de vsucap.

43 Ant.Faber impugnans Paulum Iurisconsultum notatur.

44 Propositio Fabri: Seruus domino nocet, quando ei acquirit, in vniuersum vera non est.

45 Ant.Fabri interpretatio ad l.seruus, ff.pro emptore impugnatur.

46 Partus apud bonæ fidei possessorē conceptus, & postquam agnouit ancillam furtiuam editus vsucapi non potest. Et nu.47.ratio Donelli traditur. Et num.48.& 49.impugnatur. Et simul ab Antonio Fabro vera ratio elicitur.

50 Varij errores Donelli referuntur, & impugnantur.

51 Interpretatio Cuiac.ad l.iusto, §.etsi possessionis, ff.de vsucap.reiicitur. Et num.52. tradita à Donello probatur.

53 L.si ego, §.idem Iulianus, ff.de Publiciana in rem actione, declaratur.

54 Partus ancillæ furtiuæ & alienæ differentia ex variis iuribus comprobatur.

55 L.non solùm 33.ff.de vsucap.declaratur.

56 Ius Canonicum (omni tempore bonam exigens fidem) quæ à Iure Ciuili disposita sunt in partu ancillæ alienæ corrigit.

57 Partus conceptus & editus apud bonæ fidei possessorem, qui, intra tempora à legibus vsucapioni præstituta, agnouit ancillam furtiuam, vsu non capitur.

58 Causa partus in vsucapione à cæteris (quæ in initio bonam tantùm fidem exigunt) differre videtur. Et num. 65.

59 Rationem Donelli expendit. Et nu. 60. aliam similem Ant.Fabri.

61 Auctor in his regulam generalē constituit, & appositione casuum applicatis comprobat. Et n.64.

62 L.qui scit, §.fi.ff.de vsur.interpretatur remissiuè. Et nu.66.mala expensi illius textus à Fabro excogitata refellitur.

63 L.4.ff.pro suo declar.

67 Dif-

67 *Differentia inter fructuum acquisitionem & vsucapionem designatur.* Et l.bonæ fidei emptor, §.in contrarium, *cum aliis, intellig.*
68 *Suppositio* Ant.Fabri ad l.4.§.si antè quàm partus, ff.de vsucap. *impugnatur. Et n.69.declar.*
70 L.5.tit.29.p.3. *prædictis contraria est.*
71 *Sed eis fauet* l.23. tit.31. eadem par. *cui standum est explosa* D. Amaiæ *sententia.*
72 *In omnibus casibus in quibus vsucapio partus admittitur, in eisdem* Publiciana *locum habet.*
73 *Casus assignatur in quo* Publicianæ *locus est, vsucapioni verò non ita.*
74 *Cur in* Publiciana, *ancilla vendita, partus nondum editus censeatur venditus, ostendit ex Fabro.*
75 *Quæ dicta sunt de* Publiciana, *procedunt attenta* l.13.tit.1.p.3.
76 *Sed attento Iure Canonico, & aliis legibus partit. explodenda sunt simul cum dictis circa vsucapionem impletam post malam fidem superuenientem.*

VIDIMVS vt partus in fructu non sit ex variis iuribus & rationibus §.adductis (quæ propria tractatio nostrûm est, nostríque propositi proprior.) Nunc, iuris præsertim professoribus, subaddimus, à prænotatis fieri, vt ancillæ partus (quia in fructu † non est) non aliter bonæ fidei 1 possessori acquiratur, quàm media vsucapione (de qua Iurisconsulti exactissimè tractarunt in iuribus J. referendis) Quod secùs euenit in fœtibus, † quos statim iste acquirit, *l.qui vas* 2 48.§.*ancilla*, iuncto §.*ex furtiuis* (secundùm communem lectionem) *ff.de furtis*, vbi *Vlpianus* differentiam istam constituens inter fœtum pecorum, & partum ancillarum, priorem, statim ac editus est, ad bonæ fidei emptorem pertinere ait, vt qui sub nomine fructus † venit: partum verò ancillæ apud bonæ fidei possessorem editum non ita, imò vsucapione indigere, quia † non numeratur in fructibus. 3 4 Idque diuersæ sectæ seu scholæ Auctoribus ita placuisse præclarè testatur *Vlpian.* in *l.vetus* 68.§.1.*ff. de vsufr.* cùm ait: *Fœtus pecudum Sabinus & Cassius opinati sunt ad fructuarium pertinere.*

Ab his prouenit, vt fœtus pecorum apud furem conceptus, si apud bonæ fidei possessorem edatur, ipsius sit indistinctè, † quidquid adstruat *Ben.Pinel.lib.3.selectar.c.1.nu.*79. (vbi obuiam ire conatur generali decisioni *textus* in *l.bonæ fidei* 48.§.*fin. ff. de acquir. rer. domin.l.*4.§.*lana, ff.de vsucapion.* post *Cuiacium*, qui in notis ad d.*l.*4.§.*lana*, & in *lib.*15.*obseruationum, cap.*20. superuacuè † *textum* in d.§.*final.* emendare curauit) non attendens, potissimam differentiæ rationem inter partus ancillarum (qui vsucapione quæruntur) & fœtus pecorum (qui nullo † in casu vsucapi possint) Nam cùm bonæ fidei possessori quærantur, d.*l.*4. §.*lana, ff.de vsucap.* d.*l.qui vas*, §.*final.ff. de furtis*, d.*l.bonæ fidei* 48.§.*final. ff. de acquir.rerum domin.* & quod nostrum est, amplius nostrum fieri non possit (vt est in dicterio) inde planè fit, vt superuacaneæ vsucapioni hoc casu locus non detur, *Donel.li.*5.*comment.iur. c.*26. 5 6 7

Cùm enim fœtus in fructu sint, consequens est, vt quamuis eos inter fructus naturales connumeres (ex *Tryphonino* in *l. si filius* 57.*in fin. ff.de pecul.* cum traditis disertè à nostro *Pinel.* in *l.*2.*p.*2.*c.*4.*num.*52.*in fi.C.de resc.vend.*) illicò tamẽ bonæ fidei possessori quærantur, ex generali decisione *text.* in d. *l.bonæ fidei.* Quidquid *Glos.* communiter recepta ibi, & in *l.fructus* 45.*ff.de vsur.* & in *l.*2.*ff.pro suo.* & in §.*si quis*

à non domino, instit. de rer. diuis. distinxerit inter fructus naturales & industriales. Id quod placuisse video *Couar. lib.* 1. *variar. c.* 3. & *Ioan. Garc. in tractat. de expens. c.* 23. *num.* 20. nec malè quidem apud nos, attenta *l.* 39. *titul.* 28. *part.* 3.

Nam mero iure verius est bonæ fidei possessorem, non tantū industriales (ac isti, aliíque plures putant) verum & naturales fructus acquirere, d. *l. bonæ fidei*, ibi: *Sed & omnes, l. qui scit, vers. porro, ff. de vsur. l.* 4. *vers. post litem, ff. finium regundor.* d. §. *si quis à non domino*, ibi: *Pro cultura & cura.* Cultura namque ad industriales, cura verò ad naturales fructus refertur, ex Interpretum Neotericorum plurium assensu *Glossam* impugnantium, post *Pinel.* & antiquos ab eo relatos *suprà numer.* 54.

Nec obstat *tex.* in d. *l. fructus, ff. de vsur.* nam omissis pluribus, quæ Doctores in eius interpretatione comminiscuntur, mihi aptissimam solutionem subministrat thesis illius textus loquentis in fructibus marito quærendis ex re sibi ab vxore donata contra prohibitionem *l.* 1. cum aliis, *ff. de donat. int. vir. & vxor.* Is enim fructus naturales ex re ab vxore donata prouenientes non lucrabitur, vt qui eorū malæ fidei possessor est, *l. si vxor* 19. *ff. de don. int. vir.* ¶ Obiicienti verò potuisse maritum ignorare iuris prohibitionem, & consequenter bonæ fidei possessorem effici, saltem quoad fructuum acquisitionem, *l. sed etsi lege* 16. §. *scire, ff. de petit. hæred.* Respon. cum *Glo.* in *l. si fur*, §. 1. *ff. de vsucap.* & *Couar. lib.* 1. *variar.* d. *c.* 3. *n.* 8. longè verius esse errantem in iure non facere fructus suos, *l. iuris ignorantia, ff. de iur. & facti igno.* facit *tex.* in d. §. *si fur*, & in *l. nunquam, ff. illo tit. de vsucap. l. quemadmodum, C. de agricol. & cens. lib.* 11. *cap.* 2. §. *contractus de reb. Eccles. non alien. in* 6. *cap. qui contra. de reg. iur. eod. lib.* cū traditis à *Pinel.* s. *n.* 59. §. Quibus omnibus non obest dictus §. *scire*, in quo errans in iure excipitur à multa, & condemnatione contenta in §. *quod ait, & seqq.* vsque ad d. §. *scire.* Ibi enim *Vlpia.* loquutus fuerat de prædone, qui non tantùm fructus verùm & fructuum fructus restituere tenetur ex singulari *l. illud* 40. §. *prædo, ff. illo tit. de petit. hæred.* Prædonis autem nomen ignorantem seu errantem in iure non comprehendit.

Quod verò ad fructus industriales ex cultura & sumptibus mariti prouenientes attinet, eidem verè ex bona fide quæruntur, d. *l. fructus*, & *l. de fructibus* 17. (in istis dubio procul intelligenda ex adductis perquàm disertè à *Pinel.* s. *n.* 49. & 50.) *ff. de don. inter vir. & vxor.* Et tali quippe donatione mulier nil diminuit de facultatibus suis (quo casu donatio inter virum & vxorem tenet, *l. si sponsus* 5. §. *fi. vers. cùm igitur, ff. illo tit. de don. int.*) Neque enim donatrix in casu *l. fructus* ex re donata perceptura erat fructus, nisi media cultura, quam vel nolebat vel non poterat terræ aliàs incultæ, aut agro forsan deserto adhibere.

Sed adhuc fortiter quosdam vrgent verba illa d. *l. fructus: Sicuti nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris.* A quibus ego me facilè expedio, nec enim ibi *Pomponius* affirmat, fructus naturales nullius esse bonæ fidei possessoris, sed nō cuiuslibet, sunt enim partitiuè (vt nostri dicunt) intelligenda, nam negatio vniuersali propositioni adiecta orationem reddit particularem, vt ait *Philosophus* in *libr.* 2. *Peri-hermenias, c.* 4. & inde quemadmodum hoc sermone: *Non cuiuis licet adire Corinthum*, & illo: *Non quauis exhæredatio remouet filium* (*l. non putauit*, §. *non quauis, ff. de bonorum possessione contra tabulas*) clarè intelligimus non omnibus, sed ali-

aliquibus tantùm datum esse adire Corinthum: & non omnem, sed aliquam exhæredationem remouere filium: ita dicendum est de bonæ fidei possessoribus, vt non omnes fructus naturales acquirant, quasi velit *Pomponius* demonstrare non iniquè agi cum marito fructus naturales ex re sibi ab vxore donata non lucrante, quandoquidem nec omnis bona fides possessorum prosit ad naturalium fructuum acquisitionem.

Qui sint autem isti bonæ fidei possessores, qui fructus naturales suos non faciunt, *Consultus* non aperit: at tu dic, eos qui in iure errant, vt maritus (qui putabat eorum donationem valere) item emens à minore sine decreto, & similes, de quibus in dicta *leg. nunquam*, cum aliis s. relatis (qui largo modo bonæ fidei possessores dici possunt, cùm re vera malam fidem non habeant) naturales tamen fructus non acquirent ex dicta *l. fructus*.

Quo autem tempore fœtus pecorum aliíque fructus bonæ fidei possessori quærantur: & an hoc intelligatur in perceptis necdum consumptis? valdè dubitant nostri, sed primum prosequentes (quod proprius est nobis) breuiter dico, bonam fidem ad fructuum acquisitionem per singula (vt aiunt) momenta necessariam esse, d. *l. bonæ fidei* 48. *§. in contrarium, ff. de acquir. rer. dom.* Nec obstat *tex.* in *l. qui scit* 25. *§. fi. ff. de vsur.* Nam omissis pluribus solutionibus *Accursij*, quas meritò nouiores explodunt, & reiecta interpretatione *D. Pickard.* in d. *§. si quis à non domino*, ducta à *l. emptorem* 12. (quæ ante rem euictam euictionem emptori non concedit, vt ipse putabat.) Et insuperhabita solutione *D. Pareja in scholiis*, quæ me audiente Salmanticæ dictabat ad d. *§. si quis à non domino*, vbi verba illa: *quandiu fundus euictus non fuit*, interpretatur. i. quandiu petitus non fuerit (in id expensa *l. euictus* 35. *ff. de euiction.* quæ totum contrariū probat, iuncto *§. fi. legis praced.*) Et neglecta solutione *Cuiac. in schol. ad §. si quis à non domino* (quæ nouiorib. meritò displicuit, vno excepto *Fachin. li. 1. controuers. iur. c. 59.*) Et abiecta opinione *Couar. Menoch.* & *Æguin. Baron.* relatorum à *Fachin. s.* (qui ista cōtraria esse dixerunt) Et explosa supervacanea & parum apta detractione dictionis *nec*, quā infeliciter & debilibus innixis rationibus adstruere conatus fuit *Ant. Fabr. lib. 4. coniect. c. 17.* Ego valdè probo solutionem quā innuit *Donel. lib. 4. commen. c. 24.* & video placuisse *Osualdo in eundem Donel. lib. 19. cap. 14. lit. O.* quem refert & sequitur *D. Amaia li. 3. obseru. c. 2. ex n. 40.*) cum tamen aliis non contemnendis insuperadditis (quæ isti prætermiserunt) rē componas. Præsupponendo, *Paulum* in d. *l. qui scit, §. fin.* & *Iulianum* in d. *l. bonæ fidei, §. in contrarium*, concordes existimasse bonam fidem per singula momenta in fructuum acquisitione requiri, ex quo enim *Iulian.* dixit fructus possessoris esse, quandiu fundus euictus non est, consequenter supponit, & interpretatur bonam fidem id temporis vsque perdurasse, vt clarè probatur ibi: *Bonæ fidei emptor ad percipiendos fructus intelligi debet, &c.* Si qua ergo discordia est inter *Paulum* & *Iulianum*, in eo tantùm versatur, quòd *Paulus* in d. *§. in contrarium.* malę fidei possessorem quemque constituisse videtur, à quo tempore sciuit, fundum alienum esse: *Iulianus* verò, etsi cognouit, fundum alienum esse, & super eo iudicium acceptum fuerit, adhuc bonam fidem durare asserit in d. *§. fin.* quandiu fundus euictus non fuerit. Cuius diuersitatis mihi facilis est concordia, desumenda certè ab *Vlpiano* in *leg. item veniunt, §. petitam*

D. de petitione hæreditat. duplicem viam adſtruentis agnoſcendi rem alienam. Prima, quæ fit nulla aduerſarij nunciatione, aut interpellatione præcedente, cùm quis certo iudicio ſcit, id eſt, videt (illi enim ſciunt, vt ait *Plautus*, qui planè vident) rem ad ſe non pertinere, & de hac ſanè ſcientia loquitur dictus §. *in contrarium*, in quo nullum verbum de ſcientia aut agnitione rei alienæ ex enunciatione aut interpellatione iudiciali proueniente. Alia ſcientia inducitur per petitionem iudicialem, litiſve conteſtationem, deque iſta loquitur *Iulianus* in d. §. *finali*, vt patet ibi: *euictus*, quod nemo non ignorat iudiciorum proprium eſſe verbum, vti patet apertè ex eo titulo *D.* & *C. de euictionibus*. Ex hac autem rei alienæ cognitione, à partis petitione, aut litis conteſtatione proueniente, malam fidem non induci ſentit *Iulian.* in d. §. *fi*. & meritò quidem; non enim tenetur conuentus poſſeſſor credere denunciationi aduerſarij, *l. ſi quis inficiatus, ff. depoſiti.* Quinimò ſimiles credulitates improbat *Vlpian.* in *l.* 1. §. *dolum, D. de eo per quem factum erit.* Quid quod ex litis conteſtatione regulariter mala fides non inducitur, velùt ſupponunt *l. ſi poſt acceptum* 18. *ff. de rei vin. l. Iulianus* 9. §. *quantum, ff. ad exhib. l.* 2. §. *fi. l. penul. ff. pro empt. Bart.* & *Bald.* in *l. Celſus, ff. de vſucap.* ille *num.* 8. iſte *n.* 6. *Vinel.* poſt plures, in *Authent. niſi tricennale, num.* 14. & 15. *C. de bonis maternis.* Senſus ergo *Iuliani* eſt, bonæ fidei poſſeſſor (qui à denunciatione actoris tantùm cognouit rem alienam) fructus ſuos facit, quandiu fundus euictus non eſt, quia interim bonæ fidei poſſeſſor præſumitur, cùm aduerſario fidem adhibere non teneatur: idque clarè denotant illa verba *Iuliani: Bonæ fidei emptor, quoad percipiendos fructus intelligi debet, quandiu euictus fundus non fuerit.*

Nec obſtat d. *l. ſed etſi lege* 26. §. *ſi antè, ff. de petit. hæred.* vbi ex litis conteſtatione mala fides inducitur ſimul cum obligatione fructus reſtituendi, id enim ſpeciali ratione accidit in actione petitionis hæreditatis, de qua ibi agitur: ea namque conuenti malæ fidei poſſeſſores ipſa conteſtatione fiunt, quia petitio hæreditatis ſemper datur contra poſſeſſorem ſine titulo, *l. regulariter, ff. de petit. hæred. l. hæreditatis, C. eod.* & ideò denunciatione facta nullus ſupereſt titulus, cauſa, vel prætextus poſſidendi.

Denique non obſtat vulgaris deciſio *l. certum, C. de rei vindic. l.* 1. *verſ. poſt litem, C. de petitione hæredit. l.* 4. *ver. poſt litem, ff. finium regundor.* vbi poſt litem conteſtatam omnes fructus reſtituuntur à poſſeſſore: quia fatemur veram, & tenendam illorum iurium regulam: non tamen reſtitutionem, de qua in eis agitur, faciendam ob malam fidem ab atteſtatione litis orta, ſed quia ab eo tempore omne id actori reſtitui æquum eſt, quod ipſe habiturus foret, ſi rem petitam ſibi poſſidere liceret, *l. præterea* 20. cum ſimilibus, *ff. de rei vindicat.* iunctis his quæ nos latè diſcutiemus *inferiùs hoc cap.* in §. 2. Reddet ergo bonæ fidei poſſeſſor (in terminis d. *l. fructus.*) eos fructus, quos ante fundum euictum, & poſt litem conteſtatam percepit, vt accidit bonæ fidei poſſeſſori, qui fructus exſtantes (iure optimo quæſitos, & re vera ſuos, *l. bonæ fidei, verſ. denique. ff. de acquiren. rer. dom.*) reſtituit, iuxta tradita à Doctorib. per *textum* ibi in *l. certum, C. de rei vind.* & à *Bart.* & aliis in *l. ex diuerſo, ff. illo tit. de rei vindica. Vinel.* d. *cap.* 4. *nu.* 48. *Anton. Fab. lib.* 4. *coniecturarum, cap.* 17. quidquid ſomniarit *Donel. libr.* 4. *Comment. iuris cap.* 24. & 25. quem optimè refellit *Oſuald.* poſt *Andream Fachinæum lib.* 1. *controuerſiarum iuris, cap.* 57.

Sit eſ

Sit ergo prædictorum omnium firma certaq; conclusio in fœtibus pecorum,& quibusuis fructibus bonę fidei possessori vsucapione opus non esse ac in ancillæ partu requiritur.

Sed adhuc resolutioni prædictæ plura obstant, & primò *textus* in *l.4. §.fructus, D. de vsucap.* vbi fructuum
8 vsucapio datur. Sed respond. † cum *Bened.Pinel.*d.c.1.*nu.*75.quæ *Paulus* ait in illo §.intelligenda esse suo casu,denotato per illa verba: *Si defuncti non fuerint*,hic est, de fructibus, non à bonæ fidei possessore perceptis,sed ab eo in hæreditate inuentis, cùm defunctus ex re commodata, vel deposita eos percepisset,quos hæres (iuxta terminos *text.* in *l.potest.36.§.fin. D. de vsucap.*bonæ fidei possessori vendidit,& emptor vsucapit, non hæres, vt malè putauit *Osuald.Hilliger.* ad *Donel.* dicto *cap.6.*

Sed adhuc secundo loco obstat *tex.*
9 in *l.2.* † *D.pro suo*, vbi *Paulus* partum hæreditariæ ancillę,& fructus rei emptæ aut donatæ, quod attinet ad vsucapionem adæquasse videtur in illis verbis: *Veluti partum hæreditariæ aut emptæ ancillæ pro nostro possidemus,similiter fructus rei emptæ aut donatæ,* &c. quæ manifestè explodunt *Bened. Pineli* interpretationem intelligentis *supra* eum *textum* eodem modo & casu quo loquitur *Paulus* in dicta *l.quarta, §.fructus*,& *Gaius* in d.*l.potest.*36.§.1. *D. de vsucap.* Nec admitti potest *Accursij* interpretatio (à pluribus *Gilkenium* vsque comprobata in *tit. de præscript.* 2.*p.memb.*1. *cap.*22. *num.* 5.) qui verba illa: *Fructus rei venditæ*, ad naturales refert, quos ex eius sententia (*Bartolo* accepta in *l. ex diuerso,num.5. D. de rei vindic.* & *Couar.* aliisque admissa, teste *Ioanne Garcia de expensis,c.23. nu.* 14.) bonæ fidei possessor sibi non acquirit, d.*l.fructus* 15.*D. de vsuris.*Nam etsi daremus *Accursij* sententiæ standum in bonæ fidei possessore sine titulo, vt ab eo & aliis voluit *D.Pichardus* in §.*si quis à non domino*,ex *num.*11. *institution. de rerum diuisione*, adhuc prædicta *Accursij* interpretatio ad d.*l.* 1.non subsistit, cùm in ea *Paulus* agat de possessione bonę fidei ex titulo emptionis, aut donationis, vt patet ex verbis s̃.expensis.

Vnde his & alijs omissis,ego existimo *Vlpianum* & *Paulum* in *l.*1. & 2.*ff. pro suo*, de vsucapione pro suo non egisse,sed tantùm de generali possessione pro suo, qua possidemus quæcunque ad nos pertinent, ex singulari *l. si fur.32.ff.de vsucap.*deque ista possessione *Vlpian.*in d.*l.*ita ait: *Pro suo possessio talis est, cùm dominium nobis acquiri putamus, & ex ea causa possidemus, ex qua acquiritur,*&c. Et subinde in §. 1.infert possessionem pro suo & ante vsucapionem dari. His autem *Tribonian.* aptè supposuit dictam *l.* 2. nam cùm in d.*l.*1.*Vlp.* egisset de possessione ex generali titulo pro suo (puta ex causa emptionis,legati,aut donati,aut simili in isto possidendi titulo consistente) subdit *Paulus* esse etiam alium titulum particularem, & nudum possessionis pro suo: eoque possideri ait, quæ nullius sunt in bonis, & occupantis fiunt, & quæ per alluuionem fundo nostro accrescunt, & fructus, prouentúsque rerum quarumque,quas titulo emptionis, legati, aut simili possidemus (sic enim disertè interpretatur ibi *Cuiacius* illa, *alieno nomine*) & clarè præ se fert versicul. *veluti* illius *textus.* cuius verba ex præhabitis luce meridiana clariora apparent: & simul longè diuersam esse eius dispositionem à causa acquisitionis, vel vsucapionis fructuum, de qua noster est sermo.

Et sanè hac nostra verissima interpretatione attenta (quam innuit *Cuiac.* in d. *l.* 2. malè tamen confundens

causam possessionis & vsucapionis pro suo) cessant insignes allucinationes *Franc. Duareni in commentarijs ad illum titu.* & *Gilkenij supr.* qui existimarunt, verba illa dictæ *lege secunda. Quæ mari, terra, cœlo capimus*, intelligenda de gemmis alienis in littore maris deperditis, quas cœpit aliquis putans à fluctibus expulsas, vel de ceruo mansueto, qui ire & redire solebat à sylua, ab aliquo detento, quando iam velut error esse cœpit; quo nihil violentius & insulsius excogitari potuit, quandoquidem his inanibus figmentis fieri non potest satis illis verbis dictæ *l.2. Aut quæ alluuione fluminis nostra fiunt*, quibus simile subterfugium aptari non potest. Demum nihil obstabit, si dicas, prædicta interpretatione admissa dictas *leges 1. & 2.* non conuenire *titu. vsucapionis pro suo*, sub quo sitæ sunt, nam (præterquam quòd ista in *Tribonianum* tantùm tendunt, & nihil euincunt ex dicendis per nos *infrà §. secundo numero quinquagesimo sexto.*) Respondetur, quòd cùm vsucapio media possessione vbique procedat, non abs re dici potest actum fuisse in illis legibus de possessione *pro suo*: vt inde clarum *Tribonianus*, & aptiorem descensum pararet ad vsucapionem *pro suo*, de qua *legibus sequentibus illius tituli.* Quinimò adeò connexæ sunt possessionis & vsucapionis istius causæ, vt eas simul prosequutus fuerit *Vlpian.* in dict. *l.1.§.1.* ac in *l.1. ff. pro legato*, & *Paul.* in *l.2. ff. eodem*, & alibi alij passim.

Tertiò *suprà* dictis, de fructibus sine ope vsucapionis à possessore bonæ fidei quærẽdis obstat, *l. si aliena, §. Scæ-*
10 *uola* † *ff. de vsucap.* vbi bonæ fidei possessor ex *Marcelli* sententia nec vsu iuuencum capit, ac in d. *§. fructus.* Sed respondemus *Marcellum* loquutum de iuuenco subrepto, quem nullus possessor vsucapere potest, *l. vbi lex 24. in fin. ff. de vsucapion. §. furtiuæ, institut. eodem titulo, l.24. in fine*, cum *l. sequenti, tit.29. part.3.*

Demum his omnibus grauiter obstat *text.* in dict. *l. qui vas 48.* † *§. an-* 11
cilla (in illis verbis: *Idem & in pecudibus seruandum est*, *& in fœtu eorum, quod in partu*) *ff. de furtis.* Etenim dictio *idem* in hoc §. æquo lance pensitat & determinat partus ancillarum, & fœtus pecorum, vt inde velut euidenter collabi videantur, quæ circa partum ancillæ à fœtu pecoris discernendum *suprà* adstruebamus. Et sanè difficultas ista doctissimi *Cuiacij* ingenium mirandum adeò compressit, vt cùm animo concepisset, dictioni illi *idem* deesse præcedentem negationem, libros adierit *Basilικῶν*, eam quæritans: quam quidem non inuenit, imò textum & interpretationem κατὰ πόδας præcitatis verbis Latinis omnino consimiles: ait enim textus τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ θρεμμάτων καὶ τῆς γονῆς αὐτῶν, quibus in scholio adduntur sequentia, τὸ αὐτὸ, &c. λέγομεν, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τοκετοῦ τῆς θεραπαίνης εἰρήκαμεν, quasi diceret textus: *Id ipsum in pecudibus & fœtibus eorum*, & superadderet glossema, seu interpretatio: *Dicimus, sicuti in partu ancillæ dixeramus.* Sed ista *Cuiacium* continere non potuerunt, quominus intrepidè non asseuerauerit in *l.4. §. lana, ff. de vsucapionibus & vsurpationibus*; & in *lib.15. obseruationum & emendationum iuris, cap.* 20. legendum esse in verbis præcitatis dict. §. *ancilla: Non idem & in pecudibus seruandum, & in fœtu earum.* In quo meritò fuit notatus † à *Ioan. Robert. Aurelian. libr.1. recept. lectio. c.6.* & *libr.1. animaduer. c.22. Hotman. lib.6. obseruat. c.24. Gœdd. in l. & partum. 26. nume. 12. ff. de verb. signif.* & friuolè defensus à supposito *Anton. Mercatore libr.1. notat. ad animaduers. Roberti, ca.21.* nec iustè probatus à *Gothefredo supr.*

Quin-

Quinimò & ipse *Cuiac.* ab hac opi-
nione destitit *lib.15.obseru.d.ca.* 20. vbi
13 vulgatam confirmans † lectionem,
verba illa, *idem in pecudibus*, referenda
esse ait ad casum immediatum vers. *sed
si concepit*, in quo proponitur partus
conceptus & editus apud bonæ fidei
emptorem, & in eo idem seruandum
esse asserit in pecudibus & fœtu eo-
rum, quòd in partu ancillæ: *ac proinde*,
ait (nec quidem ineptè, vt putabat *Ro-
bert.d.cap.22.*) verùm *erit esse idem, &
non esse idem: non esse omnino, esse ali-
quatenus: non esse priore casu d.§.ancilla,
esse in posteriore.*

Sed nec ista placuerunt *Hotmano* d.
c.24. vbi prædicta verba, *idem in pecu-
dibus*, ita intelligit, vt pariformiter de-
terminent partum & fœtum non fur-
tiuum qualis est editus & conceptus
apud bonæ fidei possessorem. At in-
14 terpretatio ista reiicienda † est, ea e-
nim attenta, prædicta verba nulli (vt
nostri aiunt) dubio deseruirent. Sanè
distertiùs *Hotmanus* dixisset, & in pro-
posita thesi dicti §. *ancilla*, vers. *sed si
concepit*, fœtum pecorum adhuc à par-
tu differre, quandoquidem fœtus apud
furem conceptus, & apud bonæ fidei
possessorem editus furtiuus non sit, é-
que illico acquiratur; partus verò an-
cillæ nec media vsucapione, ex dicen-
dis *infr. hoc §.*

Ad hæc *Hilligerus* ad *Donellum lib.
quinto capite vigesimo sexto in notis*, di-
cta à *Cuiacio* sustineri posse ait, ita vt
fœtus quoque vsucapiatur, non qui-
dem à possessore, cui statim acquiritur,
sed ab alio, si ad eum peruenit. Sed ista
15 inania † sunt, & tanto nouatore pro-
fectò digna, qui suo singulari casui de-
cisionem generalem aptari non fuit
veritus.

Vnde omissis his & aliis (quæ
ad interpretationem dicti §. *ancilla* an-
notauit *Ioan. Gœddæus*, quæ impugnat
idem *Hilligerus*) ego puto, si verbis
textus standum est, nullam aptiorem
†dari ei interpretationem posse, quàm 16
quæ fuit assignata à *Cuiacio* in dict. *c.*
20. (& nouè fuit admissa à *Benedicto
Pinel. lib.1. selectar. c. 2.* & à *D. Amaia*
strenuè ab impugnationibus *Ioan. Ro-
berti* vindicata *lib.3. obseruation. c. 1. §. 1.*
ex *num. 36.*) vt quo casu partus conce-
ptus & editus sit apud bonæ fidei pos-
sessorem, idem in eo seruandum sit,
quod in fœtu, ita vt bonæ fidei posses-
sori partus quæratur (non statim vt fœ-
tus, qui in fructu est) sed media vsuca-
pione, quasi dicas, partum istum ad
bonæ fidei possessorē pertinere, velut
fœtus, sed non statim, & eodem mo-
do, quod clarè denotant verba imme-
diatè sequentia: *Ex furtiuis equis nati
statim ad bonæ fidei emptorem pertine-
bunt, meritò, quia in fructu numeratur:
at partus ancillæ non numerantur in fru-
ctu.* Imò interpretatio ista (his verbis
immediatis eiusdem §. attētis) fit velut
necessaria, ex regula *textus* in *l. qui fi-
liabus 17. ff. de legatis 1. l. vxori 33. §. fin.*
vbi *Bartol. ff. de legat. 3.* & in *l. alimenta
16. ff. de alimentis & cibar. leg.* iunctis
his quæ post alios denotauit *Mantica
lib.6.c.12.n.3. Surd. cons.215. numer.14 &
344. nu.15. lib 3. Peregrin. de fideicommiss.
art.16. à nu.108.*

Quòd si mihi veterem & receptam
lectionem aliquantulum interuertere
liceret, ego † eam à vers. *idem* vsque 17
ad finem §. vel versiculum *ex furtiuis*
vno verborum ductu (addita dictione
nisi quod, vel simili fortè an tempore
deperdita) ita continuarem: *Idem &
in pecudibus seruandum est, & in fœtu
eorum, quod in partu,* NISI QVOD *ex
furtiuis equis nati statim ad bonæ fidei
emptorem pertinebunt, meritò: quia in fru-
ctu numerātur: at partus ancillæ non nu-
merantur in fructu.* Quæ ita prolata di-
gna essent Iurisconsulto *Vlpiano*, &
orationis aliàs solutæ & disectæ vi-
tium effugeremus.

Vtcunque verò ſit dictus §. *ancilla*, cum verſ. *ex furtiuis* ſubſequenti cla-
18 rum nobis alium † præſtat caſum (vſucapionis ſcilicet) in quo partus nõ habetur in fructu, quandoquidem in cõcepto & nato apud bonæ fidei poſſeſſorẽ vſucapio ibi requiritur, & in *l. in pecudum* 28. *ff. de vſuris*, *l.* 4. §. *de illo* cum aliis, *ff. de vſucapion.* quæ ſuperuacua foret, ſi partus ac fœtus pecorum in fructu eſſet.

His, quæ in materia acquiſitionis fructuum tam ſtricta quàm difficillima, & circa vſucapionem partus conciſſo, nec inutiliter, vt ſpero, ſermone ſumus proſequuti, adnectanda eſt anceps illa quæſtio quę Iuriſprudentum, & Interpretum omniũ Iuris eam tractantium ingenia torſit: & ab exteris, quibus vſui eſſe non poteſt, vt nobis Hiſpanis, enodandi iuris antiqui cauſa
19 anxiè videmus pertractatam) AN † PARTVS ancillæ furtiuę vſucapi poſſit? Et ſanè plures ſunt iuris deciſiones huius quæſtionis reſolutionem reſpicientia, præ maximè, *l.* 4. §. *fructus*, §. *hæres*, §. *de illo quæritur*, §. *ſed etſi*, & §. *ſi antè quàm*, *l. ſi aliena* 10. §. *Scæuola*, *l. iuſto* 44. §. *etſi poſſeſſionis*, *ff. de vſucapion.* *l. ſeruus domino* 10. *ff. de vſucap. pro emptore*, *lege ſecunda & quarta*, *ff. pro ſuo*, *l. ſi ego* 11. §. *partus*, §. *interdum*, & §. *idem Iulianus*, *ff. de Publiciana in rem actione*, d. *l. qui vas* §. *ancilla*, *l. ancilla* 60. *ff. de furtis*, *l. ancillæ* 12. *Cod. eodem titulo*, *l.* 3. *Cod. de vſucapion. pro emptore*: & nobis eſt huius propoſiti inſignis *lex* Patria 5. *titulo vigeſimo nono par.* 3. Ego verò rem hanc quibuſdam concluſionibus ad faciliorem rei expeditionem & intelligentiam aptis, quo præciſſiore ſtylo aſſequi potui, ſic reſoluo.

PRIMA ſit, partus ancillæ furtiuæ, vel ſubreptæ apud furem conceptus
20 † vſucapi non poteſt, ſiue apud eum edatur, *d. l. ſi aliena*, §. *Scæuola*, *in primo reſponſo*, *ff. de vſucapion.* dict. *l. qui vas* §. *ancilla*, *ff. de furtis*, dict. *l. ancilla*, *Cod. eodem*: ſiue apud bonæ fidei poſſeſſorèm, dict. §. *ancilla*, *l. qui in vtero vigeſimo ſexto*, *ff. de ſtatu hominum*: idque probãt omnes Iuris Interpretes, quamuis in aſſignanda ratione ſibi parum conſtent.

At nos iſta pendere annotauimus in *capite præcedenti*, à bono initio in vſucapione requiſito, ídque ex pluribus ibi comprobabimus in *principio à numero* 20.

Quibus nunc addimus, conceptum apud furem, & apud bonæ fidei poſſeſſorem editum vſucapi non poſſe, 21
ex ratione † *textus* in *l. qui in vtero* 7. iuncta dict. *l. qui in vtero* 26. *ff. de ſtatu hom.* Ait prima, eum qui in vtero eſt perinde haberi, ac ſi in rebus humanis eſſet, cùm de commodo ipſius partus quæritur. Ait ſecunda, illos qui in vtero ſunt in toto penè Iure Ciuili intelligi in rerum natura eſſe: & inter alia exempla huius regulæ ſubdit *Iulianus*: *Præterea, ſi ancilla prægnans ſubrepta fuerit, quamuis apud bonæ fidei poſſeſſorẽ pepererit, id quod natum erit, tanquam furtiuum vſu non capitur*: quaſi diceret, hunc conceptum apud furem in ſui commodum pro nato habendum, & ideò poſteà apud bonæ fidei poſſeſſorem editum vſucapi non poſſe. Commodum † autem, & qui- 22
dem maximum, partus verſatur in vitanda dura eius ſeparatione à matre, de qua in *l. quæſitum* 12. §. *vxores*, *ff. de inſtruct. vel inſtr. legat.* *l. quòd ſi nolit* 31. §. *idem ait*, ibi: *Niſi fortè tale ſit, quod diuiſionem non recipiat, velut ancilla partus*: *l. plerumque*, *ff. de ædilitio edicto*, *l. ſi domus* 71. §. *qui confitetur*, *ff. de legatis* 1. *l. poſſeſſionum* 11. *Cod. commun. vtriuſque iudic.* *l. definimus* 13. §. *primo*, *Cod. de agricolis & cenſitib. libro vndecimo.* Ad hæc media fictione dict. *l. qui in vtero* 26. filij, (vt iam diximus in *capite præcedentis*.

ti §.4.numer.17). educantur à matribus his fideliter præ cæteris intendentibus, *l.1. vbi pupillus educari debeat, Nouella de nuptiis 22. cap. 36. Menoch. de arbitrarijs libro 2.casu 168.à num.2.*) idque accidit prioribus annis, quibus natura, iúsque matri educationem concedunt, *l.nec filium, Cod. de patria potestate*, cum his, quæ suo loco latiùs *infra* tractabimus *hoc cap.§.4.*

Demum ei qui in vtero est sæpè & sæpiùs interest dominum non mutare, vt in proposito disertè annotauit *Salicetus* in d.*l.ancillæ, nume.* 11.*C.de furtis*, facit *textus* in *l.Titius* 41. *circa mediũ*, & in *l.idque* 45.§.*superest tertia deliberatio, ff.de action. empti, l. generaliter* 24.§.*vltimo, ff.de fideicommissar.libert.* & ita sensit *Accursius* in dict. §. *ancilla*, & alij relati à *D. Amaia* dict. *capit.* 1.§.3.*num.*8.

Et his sanè verissimis rationibus admissis, cessant complures à nouioribus Iuris Interpretibus confictæ, ma-
23 ximè adducta ab *Antonio* † *Fabro in Rationalibus ad l. si ego, §.interdum, ff.de Publiciana in rem actione:* ait enim (vti iam annotauimus in *cap.præcedenti in princip.*) conceptum partem, aut portionem matris esse, *lege prima, §.ex hoc rescripto, ff.de ventre inspiciendo*, cum aliis pluribus per nos annotatis in d. *capite secundo*, indéque fieri, vt ad eundem dominum pertineat ad quem & mater, quæ si furtiua sit, conceptus itidem furtiuus erit, quod attinet ad vsucapionem. Quæ licèt incipiat à die quo partus editus est, bonam tamen fidem & tempore conceptionis requirit, ne partus vitio rei furtiuæ affecti vsucapio impediatur à contrectatione, vires & initium assumente à conceptionis prædicto tempore. Sed ista (quæ ad bonum initium in vsucapione partus summè necessarium expendimus in dict. *capite secundo in princ. numero vigesimo*, & in eo sensu aliqua ex parte consistunt) veram tamen rationem bonæ fidei (quæ & tempore conceptionis partus interuenire debet) non exprimunt. Quinimò *Anton.Fab.* dum conceptum verè furtiuum putat, quia est portio viscerum matris, supponit partum nondum editum partem matris substantialem esse, quod nos in d. *cap. 2. in princ.* ex pluribus in *eum*, & *Gœddæum* ibidem adductis, quàm euidentissimè refellimus.

Nec ferendus est *Hugo Donellus* † *libr.5. comment.iuris, capit.* 25. argu- 24
mento à simili ducto, dicens, quòd quemadmodum qui saccum nummorum contrectat lucrifaciendi causa, videtur & saccum contrectare, *l.qui saccum 77.ff.de furtis*, ita qui ancillam prægnantem subripuit, partum (qui pars est eius viscerum, dict.*l.1.§.ex hoc rescripto.ff.de ventre inspiciendo*) subripuisse videatur. Hæc enim ratio inanis est, & inepta, vt quę tantum conuenit partui ancillæ furtiuæ nondum edito, qui nec vllo modo vsucapioni subiacet, nos loquimur de eo, qui postea lucem vidit. Quòd si velis illam adaptari partui iam edito, ineptior sanè erit, cùm res distincta sit à matre, & duo corpora diuersa, & per se existentia, ambo ista constituant, id quod de nummis & sacculo, quo continentur, Iurisprudentes neutiquam dicemus.

Demum audiendus non est nouissimus *D. Amaia.* † Salmaticensis, 25
qui in d. §. 3. debilibus rationibus innixus commodum partui obueniens, in habendo eo pro edito simul ac fuit conceptus, eludere conatur ab inani educationis externæ causa: eam enim priùs in matre considerare debuit (maximè prioribus tribus illis annis, dict. *l.nec filium, C.de patr.potest.*) quàm in extero ancillæ detentore. Et vtcunque fiet noui domini educa-

tionis ratio præponderare non debet aliis fortioribus iam per nos *ſuprà* deſignatis, & ipſi *Amaiæ* maiore ex parte non ignotis.

Ad hæc noua ratio ab iſto excogitata in dict.§.3.*num*.18.*& ſeqq.* in pluribus à vero deuiat, & demum in noſtram, imò veriùs *Accurſij*, *Bart.* & aliorum ſententiam recidit. Ait enim, ab ancilla furtiua conceptum rebus furtiuis adſcribendum, quia pro nato habetur, quamuis nullum partui edendo inde commodum proueniat; nam & eo caſu, poſtquam natus eſt, fingitur retrò natus, à tempore ſcilicet conceptionis, *l.qui in vtero* 7. *ff.de ſtatu hom.* At iſta (quæ diffusè proſequitur & comprobare nititur à *l.fin.§.non ſolùm, ff. quæ in fraudem creditor.*& *l.iuſto* 44. *§.etſi poſſeſſionis, ff.de vſucapion.*) ſuſtineri non poſſunt, vt quæ planè deficiunt in vero ſenſu dict.*l.qui in vtero* 7. cui *Amaia* ſuo tantùm ductus Marte inauditam diſtinctionem, aut ſubauditionem adhibuit, dicens, conceptum haberi pro nato, ſimul ac conceptus eſt in his quæ ſui cõmodi ſunt, quoad alios verò haberi pro nato, & à tempore conceptus media retrotractionis fictione ſi poſteà natus fuerit. Errat enim toto (vt aiunt) cœlo tam in prima, quàm in ſecunda huius propoſitionis parte. In prima clarum & per ſe patens eſt, cùm nullus conceptus, quantumuis de rebus ſui commodi agatur, pro nato habeatur, niſi poſtea editus fuerit, vt ex pluribus quàm euidentiſſimè comprobauimus *ſuprà* in *cap*.2. §. 4. At cùm nullum ipſi commodum reſultat, nec poſtquam editus eſt pro nato regulariter habetur, à quo tempore conceptus eſt ex generali deciſione *textus* in dict.*l.qui in vtero* 7.*in ſecundo reſponſo, ff.de ſtatu homin.* iunctis his quæ in propoſito annotauimus in dict.*c*.2.§.4. Neque enim illa verba: *Quamquam alij, antequam naſcatur, nequaquam proſit*, retrotractionem admittunt ad tempus conceptus, quam *D. Amaia* ſiniſtrè ſuppoſuit: alioquin inter primum & ſecundum reſponſum illius textus nulla prorſus eſſet differentia. Concedit ergo Auctor iſte concepto, cùm de eius commodo non tractatur, id ipſum quod iuris fictione *Accurſius* ibidem, & ſanior Interpretum pars vbique concepto tribuunt, quando de eius commodo agitur. Quæ verò *D. Amaia* deducit à d. *l.fin.§.non ſolùm, ff. quæ in fraudem creditor.*& d.*l.iuſto, §.etſi poſſeſſionis, ff.de vſucapion.* aliò reſpiciunt, vt *inferius* ſuis aptis locis demonſtrabimus. Explodendi ergo ſunt *Anton. Faber, Donellus,* & *D. Amaia*, & quique alij confingentes alias rationes & cauſas noſtræ concluſionis, præter deſignatam: & quidem diſertis verbis à *Iuliano* in dict. *l.qui in vtero* 26.*ff.de ſtatu homin.* ſimul cum tradita per nos in *capite præcedenti, in principio*, ex *nu*.20. vbi & alia huius concluſionis propria diſcuſſimus.

Sed propoſitæ concluſionis ita ſtabilitæ opponit *D. Amaia lib.3.obſeruation.*d.*cap*.1§.3.*ex numer*.30.d.*l.ſi aliena* 10.*§.Scæuola, ff. de vſucapionib.* & demum poſt multa *numer*. 43. reſpondet *Scæuolam* in verſ.*cæterum*, intelligendum de partu concepto & edito apud bonæ fidei poſſeſſorem. Sed certè his Auctor iſte non ſaluat *Scæuolam* diſertis verbis paulò antè in *Marcellum* peſſimè aſſerentem, diſtractum ab hærede furis iuuencum, vel partum vſucapi poſſe, contra regulam *l*. 4.*§.quod autem, l.non ſolùm*.33. *ff.de vſcapion.* §. *furtiuæ, inſtitution. de vſucapion.* cum pluribus aliis optimè expenſis ab eodem *D. Amaia lib*.2. *obſeruation. cap*.7. Vt meritò ex hoc capite & aliis nos *Scæuolæ* ſententiam latè improbauerimus *ſuprà* in *cap*.2.*in princ.numer*.22. Et ſanè dicta per nos ibi iſtam *D. Amaia*

maiæ euasionem non admittunt, quæ nec ipsi fecit satis, cùm ad normam legis commissoriæ eam proposuerit, & probauerit, dum alius scilicet aliam meliorem solutionem non attulerit.

Nec silentio inuoluere possumus, quæ in *Vlpium Marcellum* relatum in d.§ *Scæuola* malè adstruit, vel supponit idem *D. Amaia suprà num.*33.34.*&* 45. dicens, *Marcellum* (qui iuuenci, & ancillæ partus causam coæquauit) motum illa potissima ratione fuisse, quòd partus sit pars matris: id enim (vt iam annotauimus d. *cap.*2.) nec dixit nec supposuit, aut sensit *Marcellus*, qui vsucapionem ab eo tantùm capite denegauit, quòd iuuencus aut ancillæ partus (quorum in hoc eadem conditio & causa) apud furem, vel furis hæredem conceptus fuerit & editus; quo casu (rei sc licet furtiuæ) optimè vsucapionem non admisit, ex regula *d.§. furtiuæ*, cum aliis s̃. adductis. Quæ ergo *Marcellus* docuit nostræ conclusioni mirè conueniunt: quæ autē *Scæuola* (cum notans) asseruit, ei contrariantur, sed insuperhabenda sunt cum reliquis in dict. *vers.cæterum*, vel expressis, vel denotatis: in quibus tot ferè sunt errores *Scæuolæ*, quot dictiones, ex iam dictis per nos in *cap.2.in princ.* d.*num.*22.

SECVNDA conclusio sit, partus apud bonæ fidei possessorem cōceptus
26 & editus † vsucapi potest, d.*l.qui vas, §.ancilla, ff.de furtis*, d.*l.si ego,§.partus, §.interdum*, & *§.idem Iulianus,ff.de Publiciana in rem actio.l.3.C.de vsucap.pro emptore.*

Hoc tamen fallit in hærede furis,
27 † qui etsi bona fide subreptam ancillā possideat, partum tamen apud eum conceptum & editum vsucapere non poterit, d.§.*partus*, d.*l.*4.§.*hæres ff.de vsucapion.* non quia partus sit furtiuus, cùm talis dici non possit, qui bona fide simul cum matre detinetur (bona enim, vel mala fides in facto, non in iure consistit, *l.bona fides* 48.§.*in contrarium,ff.de acquir.rer.domin.* In his autem quæ facti sunt, fictionibus iuris non est locus, *l.denique* 19.*ff.ex quibus causis maiores,l.in bello,§.facti,ff.de captiu.& postlimin.reuers.*) sed quia talis possessor est simul hæres, qui in ius defuncti subintrat, d.§.*hæres,l.cùm hæres, ff.de diuers. & temp.præscript. l. litigator, C.de fruct.& lit. expens.*& inde vitiorum eius successor † est, d.*l.si ego,§.* 28
partus, ff. de Publiciana in rem actione. Cùm enim dicimus hæredem in omne ius defuncti succedere, per consequentiam enuntiamus in vitia, virtutesque defuncti commoda, & incommoda succedere, *l.penult. Cod.de acquir.possess. Cuiac.* disertè ad *librum* 54. *Pauli super* d.*l.*4.§.*hæres.* Nec enim (vt ait *Faber in Rationalib. ad* d.*l.si ego* §. *partus*) titulus pro hærede iuuat hæredem furis, tanquam cui mala fides defuncti nocere debeat, potiùs quàm propria prodesse, cùm titulus pro hærede, tunc prosit cùm defunctus ideò vsucapere non poterat, quia titulum nullum habebat, nō ob id etiā ꝙ esset in mala fide.

Secundò fallit ex sententia *Pauli* in casu per eum discusso in d.*l.*4. §.*de illo*
† *quæritur, ff.de vsucapion.* vbi ait, par- 29
tum apud me conceptum ancillæ à seruo subreptæ, & pro libertate sua mihi datæ vsucapere me non posse: *Quia possessio, quā seruus vitiosè nactus est, domino nocet.* Qua ratione innititur alia similis eiusdem *Pauli* decisio in *l.* 2.*§.si seruus, ff. pro emptore.* Est enim eadem possessio domini, quæ fuit serui, *Gœddæus* in d. *l.partum* à *num.*9.neque ex noua causa dominus incipit possidere, *Hilligerus suprà.*

Sed contrarium placuisse videtur
Iuliano in *l. qui ob pactionem* 9. † & in 30
l.seruus domino 10. *ff.de vsucap. pro em-*

ptore, vbi vſucapionem hoc caſu admittit, quia velut quoddam genus emptionis & venditionis inter dominum & ſeruum in eo dari ait, vt clarè denotat ratio verbis illis finalibus d.*l.* 10. expreſſa, *Namque res ei abeſt pro hac muliere, & genere quodammodo venditio inter ſeruum & dominum contracta eſt*, ni mauis legere cum *Cuiacio lib.*4. *obſeruation.c.*8. *& genere quodam*, vt in aliis pluribus legibus & auctoritatibus ibi per eum adductis. Vtcunque verò ſit, prædicta ratio planè aduerſatur deciſioni dictæ *l.* 2. §. *ſeruus, D. pro emptore*, de ſeruo rem alienam peculio, quod domini voluntate adminiſtrat, emente, quam dominus vſu non capiet, ex rationibus *Gœddæi* & *Oſualdi* proximè adductis. Quinimò prædictam *Iuliani* rationem reieciſſe videtur *Paulus* in *l.*4.d.§.*de illo, ff. de vſucapion.* (quæ ſimul cum dict. *l.* 2. *D. pro emptore*, ſumptæ fuerunt iuxta *Pandectas Florentinos* à *lib.* 54. *ad Edictum*) vbi id ipſum ex ſententia *Sabini* & *Caßij* decidit in partu ancillæ à ſeruo ſubreptæ, & pro capite vel libertate domino (apud quem conceptus fuit) datæ: illa motus cauſa, *quia poſſeſſio, quam vitioſè ſeruus nactus ſit, domino nocere debet*: ita vt in hoc *Paulus* omnino diſſentire videatur à *Iuliano* in d. *l. qui ob pactionem* 9. d. *l. ſeruus* ſequenti, *ff. de vſucapio pro emptore*. Quidquid ad concordiam illorum iurium cum
31 d.§. *de illo*, excogitauerit *Accurſius* † in d. *l. ſeruus*, quem ibi ſequitur *Bart.* & communis *Schola*. Et quidem prima omnibus receptio, ſolutio *Accurſij* exiſtimantis dicta in d.§.*de illo*, corrigi in ſequentibus (quam in effectu ſequitur *Anton. Faber.*2.*tom. Rational. ad* d.*l. ſi ego* 11.§.*interdum, D. de Publiciana in rem actione*, dum exiſtimat *Paulum* in d.§.*de illo* propoſuiſſe quæſtionem, & reſolutionem tantùm adduxiſſe *Sabini* & *Caßij*, ſuam verò expreſſiſſe in §. *ſi antè quàm*, vbi id ipſum decidit quod *Iulianus* in d. *l.* 9. & 10. *D. de vſucapion. pro emptore*) ſuſtineri nec vllo modo poteſt, & facilè conuincitur ex verbis illius §. vbi *Paulus* ſuam ſententiam diſertis verbis declarat, & auctoritate *Sabini* & *Caßij* confirmat, & ſubinde ratione comprobat, & demum addit, veram & tenendam eſſe, vt denotant verba illa: *& hoc verum eſt*: quæ infeliciter delenda edicit *Anton. Faber*, ac ſi rei de qua agebatur apta non eſſent, quàm quæ aptiora: nec animaduertens eadem vel ſimili phraſi *Paulum* vſum fuiſſe in eadem *l.* 4. §. *item Labeo*, ibi: *Quæ & vera eſt*, & in §. *lana*, ibi: *Quod verum eſt*, & in §. *ſi rem*, ibi: *Quod puto rectius dici.*

Nec quidquam iuuat *Fabrum* dict. §. *ſi antè quàm*, † qui referri debet ad ſuproximum §. *ſed etſi* (qui mediat inter eum & dictum §. *de illo*) in quo *Paulus* aliam diuerſam proponit quæſtioné, Ea quam decidit in d. §. *ſi antequam.* eſt de ancilla à ſubripiente alicui data, vt ſeruum manumitteret, vel permutante eam cum ſeruo, cuius partus cóceptus & editus apud dominum ab eo vſu non capitur, ſi antè quàm pariat, alienam eſſe reſcierit emptor. Quæ longè differunt à quæſtione propoſita in §. *de illo*, de ſeruo ſcilicet qui pro libertate ancillam ſubreptam domino tradidit. Nec enim vlla mentio ſit ſerui in d.§ *ſed etſi cum ſequenti*, quinimò dictio *alius*, qua vtitur *Paulus* ad quemuís cum domino ſerui cótrahentem referri debet: niſi manifeſtam vim, maximamque reſtrictionem ei velimus inferre. Ex quibus omnibus planum fit, prædictam *Accurſij* ſolutionem aptari non poſſe d.§. *de illo*. Cæteræ verò ab eo traditæ in eadem *l.* 10. *ff. de vſucap. pro emptore*, adeò ſunt futiles & diuinatoriæ, vt impugnatione non egeant.

Neque

Neque magis fœliciter his occurrit
33 *Iacobus Cuiacius* † in d. §. *de illo*, quem post *Accursium* intelligendum esse ait, quo casu ante partum ancillæ dominus resciuit furtiuam esse: *textus* verò in d. *l*. 9 & 10. *ff. pro emptore*, quando ignorauit, ita vt tempore conceptionis & editionis in bona fide esset: nam ista interpretatio, vel potius allucinatio (quæ etiam placuit *Roberto li. 1. receptar. lection. cap*. 6. & *Iulio Paccio Enantio φάνων iuris, centur*. 6. §. 96. *Benedicto Vinel. lib*. 2 *selectar. cap*. 1. *nu*. 24.) facilè destruitur ex ratione adducta à *Paulo* in d §. *de illo*, in illis verbis: *Quia possessio, quam seruus vitiosè nactus sit, domino noceret*, quæ clarè supponunt bonam fidem, vel ignorantiam domini ad vsucapionem ibi non prodesse, vt in d. l. 2. §. *si seruus*. Quòd si dominus, de quo ibi ante partum ancillæ agnouit eam furtiuam, ad quid, quæso, *Paulus* vsus fuit ratione illa alterius casus & propositi, & omisit certã & innatam decidendi causam à mala fide superueniente propriè, verè & potissimè procedentem?

Quod verò subaudit *Cuiac*. ex d. §. *si antè quàm pariat*, existimans in eo eundem proponi & decidi quæstionem iam satis superque manet impugnatum.

Nec sustineri potest alia concordia
34 *Donelli* † nimis restrigens generalem decisionem d. *l*. 9. & 10 *ff. pro empt*. vt agnouit eius illustrator *Hiliger. lib*. 5. *c*. 25. *in notis ad fin*.

Vbi nouissimè aliam excogitauit asserens in d. §. *de illo*, partum conceptum fuisse antè quàm à domino ancilla acciperetur: & ne obstent verba illa: *partum apud me conceptum*, interpretatur id est, *domi meæ*, dum adhuc seruus ancillam teneret: & hæc sub traditione ad missa conuenire ait rationem *Pauli* propositæ ab eo quæstioni: cui alias aptari non posset, iuxta *supr*. tradita. Sed hæc (quæ placuisse video *D. Amaia lib*. 3. *obseruat. cap*. 1. § 4. ex n. 13. & præsensisse *Accursium*, aliosque ab eodem *Amaia* relatos approbasse)
†inania sunt, quis enim non videt vim maximam illatam verbis illis: *apud* 35
me conceptum? aut quis sibi persuadebit, *Paulum* simili loquendi genere vsum ad denotandum partũ conceptũ, dum seruus domi domini ancillam retineret? Ad hæc vel seruus ancillam surreptam apud se habuit: vel alienam peculiari nomine, & mala simul fide retinuit. Primo casu, si apud eum concepit, partus editus apud eius dominũ & bonę fidei possessorem vsucapi nõ potuit, *l. qui in vtero* 26. *ff. de statu hom*. cum aliis pluribus per nos *superiore capite* adductis *princip*. circa interpretationem *l. si aliena*, §. *fin. ff. de vsucapion*. Secũdus verò casus omni prorsus dubitandi caret ratione; nam si in partu apud dominum & bonæ fidei possessorem concepto & edito non datur vsucapio ob malam fidem serui, ex sententia eiusdem *Pauli* in d. *l*. 2. §. *si seruus ff. pro emptore*, quis sibi poterit persuadere, *Paulum* quæstionis indubiæ resolutionem tam seriò auctoritate & ratione confirmasse: & quod plus est, ratione deuia, omissa potiore d. *l. qui in vtero*: & mali initij in vsucapione iam per nos in aliis expensa *suprà hoc capite*, & antea sub *initium præcedentis*.

Demum non est cur stemus † alte- 36
ri illi *Hiligeri* concordiæ (quam desumpsit ab *Accursio* in dict. *l*. 10. *ff. pro emptore*) dum ait, *textum* illum & præcedentem intelligendũ de ancilla pro capite à seruo post eius manumissionem domino tradita, expressè enim reluctantur verba d. *l*. 9. *Ob pactionem libertatis ancillam furtiuam a seruo accepit*, & expressiùs verba illa *legis sequentis*: *Seruus domino ancillam, quam subripuerat, pro capite suo dedit*, quæ

clarè præ se ferunt libertatis donationem contemporaneam ancillæ traditioni.

Ex quibus non abs re indissolubili *ἀντινομίας* nodo *Iulianum* in d.*l*.9.*&* 10.*ff.pro emptore*, pugnare cum *Paulo*
37 in d.*l*.4.§.*de illo* † contendunt *Gothofred.in scholijs* horum *iurium*, & *Ioannes Gœddæus* in d.*l.partum* 26. *numero* 1.*ff.de verb.sign.Cisner*. in d.*l*.4.§.*de illo*, *Nicolaus Genua in Antinom. ad* d.§. *de illo num*.3.

Sed isti inter se sanè contrarij sunt,
38 †nam *Cisnerus Iuliani* adhæret decisioni, *Gœddæus Pauli* sequitur sententiam, eamque à Digestorum compilatoribus probari putat illis verbis dict.§.*de illo*: *Et hoc verum est*: eosdem verò contrariam *Iuliani* Iurisconsulti antiquioris apposuisse, seu retulisse opinionem in Digestis, vt exstaret aliquod indicium veteris dissensionis.

His addit idem *Gœddæus* leuibus & sophisticis rationibus, *Iulianum* vsum fuisse. Et primam illam: *Quia res ei pro muliere abest*, de qua in dicta *l*. 10. impugnat ducto argumento ab absurdo: nam ea attenta quiuis emptor (ait) rei furtiuæ, quiuis malę fidei possessor, cùm pro re ipsi pretium, vel alia res absit, vsucapere posset. Secundam verò illam rationem *Iuliani*: *Et genere quodammodo venditio inter seruum & dominum contracta est*, refellit intrepidè, asserens *falsam esse*, quia nec iure naturali inter dominum & seruum extra causam peculiarem obligatio consistat: *& à proposito alienam*, quia omnino ab obligatione separata est vsucapiendi conditio: quæ non tantùm requirit causam subesse, & negotium ex quo subsistat, sed & vitium à re abesse, quod alioquin magno futuræ vsucapioni impedimento foret.

Sed ista mihi non probantur, qui post *Hilligerum* dicto *capite* 25. *in notis*, video vnam & eandem *Iuliani* rationem à *Gœddæo* detortam, & in duas discissam: vel, vt ait *Hilligerus suprà*, prima est probatio posterioris, vel ratio rationis; nam ratio illis verbis expressa: *& genere quodam venditionis*, &c. confirmatur verbis illis antecedentibus: *res ei abest pro hac muliere*. Et sanè hæc omnia à *Iuliano* expensa eò tendunt, vt euinceret vsucapionem illam titulo non carere, non quòd solum titulum sufficere in vsucapione, alio vitio laborante, existimauerit, sed vt probaret vsucapionem istam (quæ prima facie à solo defectu tituli videbatur posse impugnari) eo non carere. At titulo dato, vsucapio dubio procul procedet: nam vt ait *Hilligerus suprà*, nullum rei furtiuæ vitium hic inuenitur, cùm supponatur partus conceptus post serui furis traditionem, iuxta terminos *textus* in dict. *l.qui vas* §.*ancilla ff.de furtis*; & ob id serui possessio vitiosa domino huic nocere non potest. Hoc enim speciale est in casu *l*.2.§.*si seruus ff.pro emptore*, vbi seruus peculiari nomine adeptus fuit possessionem. At in dict.*l*.10.*ff. de vsucapion.pro empt.* seruus nunquam possedit, & ideò dominus vitiosæ eius possessionis successor non fuit: *Quare (vt ait Hilligerus supra) cùm hic res à vitio pura sit; fidesque bona non desit, nihil officere posse videtur vsucapioni, si titulus adesse probaretur, de quo non leuis erat dubitatio, quam Iulianus expedit in d.l*.10.

Vt inde concludendum videatur cum *Cisnero* veriorem esse *Iuliani* sententiam in d.*l*.9.*&* 10. contraria *Pauli*: quam ille auctoritate *Sabinianorum* & ratione obfirmare conatus fuit in d.§.*de illo* contra *Iulianum*, qui proc- *lianus*

lianus erat, *l.*2. in vltimis verbis, *ff. de origine iuris.*

Sed quoniam hæc ſcripta (vt ait *Donellus* d. *lib.* 5. *cap.* 25.) *non iam ex ſententiis Auctorum, ſed ex voluntate Iuſtiniani accipimus, qui ea ita ſua fecit, vt velit omnem occaſionem capi, quæ faciat ad horum locorum & ſimilium conciliationem, l.*2.*§. tanta, & §. contrarium, C. de vetere iure enucleando.* Ego
39 vltra omnes † quos viderim, noto, iure iſta ad concordiam reduci fortè an poſſe, ſi *Paulus* in d. *§. de illo* intelligamus de ancilla peculiari nomine à ſeruo acquiſita, & domino pro ſuo capite data, cuius partus conceptus & editus apud dominum bonæ fidei poſſeſſorem vſucapi non poteſt, ex ratione ab eo aſſignata in illis verbis: *Quia poſſeſſio, quam ſeruus vitioſè nactus ſit, domino noceret*, quæ clarè ſupponunt, *Paulum* loquutum de ancilla à ſeruo, peculium domini voluntate adminiſtrante, acquiſita, vt in d. *l.*2. *§. ſi ſeruus, ff. pro empt. l. ſi ſeruus* 34. *ff. de vſucapion.* & alibi. Alioquin ſeruus extra hunc caſum poſſeſſionem nanciſci non poterat, cùm non poſſit vti ἀκεφάλως & Iure Ciuili incognitus ſine cauſa poſſidere, *l. ſi me* 34. *§. ſeruum, ff. de acquirenda poſſeſſione, l. ſi ſeruo* 28. *ff. de vſucapion.* cum traditis à *Iuſtiniano in princip. inſtitut. de vſucapion.* At *Iulianus* in d. *l. qui ob pactionem* 9. & in *l. ſeruus* ſequenti, *ff. illo titulo*, loquitur in vſucapione ancillæ furtiuæ & ſubreptæ, vt clarè præſupponit titulus ſub quo dictæ leges ſitæ ſunt: & ſubinde indicant expreſſè priora verba *l.* 9. *Qui ob pactionem libertatis ancillam furtiuam, &c.* & *l.*10. *Seruus domino ancillam, quam ſubr. puerat:* quæ non conueniunt adquiſitioni ancillæ ex cauſa peculiari, ita vt ancilla à ſeruo ibi pro ſuo capite data, nunquam ab eo fuerit poſſeſſa, & per conſequens dici non poſſit dominum continuaſſe eius poſſeſſionem vitioſam, ſed à ſe ipſo bonum ſumpſiſſe initium independens à ſerui traditone. Vnde eſt, vt poſſeſſio iſta, quæ nullo laborat vitio, & titulo non caret, ex d. *l. ſeruus* 10. iunctis his quæ proximè cum *Hilligero* annotauimus, proſit ad vſucapionem partus concepti & editi apud dominum, eundémque bonæ fidei poſſeſſorem in dict. *l.*9. & 10. non profutura in caſu d. *§. de illo*, vt quæ vitioſa in perſona ſerui, à quo dominus cauſam habet, d. *l. ſeruus* 34. cum aliis. Id quod patri etiam accidit in poſſeſſione quauis iniuſta filij, *l. hæres* 43. *§. fin. ff. de vſucap.*

Quòd ſi ſubtiliter diſquiras † & 40
dubites de bona fide in domino, cui ancilla à ſeruo extra cauſam peculiarem tradita fuit, quaſi bona fides in domino accipiente dari non poſſit, vt qui videat nullam ſeruo ſubeſſe cauſam ad ſimilem traditionem: poterit reſponderi, dominum forſan ſibi facilè perſuaſiſſe ex ſerui aſſertione, ancillam hoc prætextu ſibi traditam, vt caput redimeret, & hac ductus perſuaſione, & veri ignoratione durante (quæ ſufficiens eſt, quamuis aliàs iniuſta, ad producendam bonam fidem, iuxta ea quæ diſertè annotauit *D. Pichard.* poſt alios, in *§. ſi quis à non domino, inſtitution. de rerum diuiſion.*) partum ancillæ conceptum & editum, fuiſſe à domino captum vſu.

Si verò obiicias, d. *l.*4. *§. ſed etſi vt*
ſeruum, † vbi partus ancillæ furtiuę ab 41
extero (vt nos iam diximus) pro libertate datæ vſucapio non admittitur (quo caſu ceſſat ratio mali initij & vitioſę poſſeſſionis, qua noſtra interpretatio innititur) ego ab his facilè me expedio, qui planè video dominum in caſu propoſito, & aliis contentis in

d.§.*sed etsi*, partum vsucapturum, nisi resciierit ancillam alienam antequam pariat, vt clarè demonstrat istorum exceptio à *Paulo* posita immediatis illis verbis vers. aut §. sequentis: *Si antequam pariat, alienam esse resciierit emptor, diximus non posse eum vsucapere, quod si nescierit, posse.* Quæ referenda sunt ad immediata & tractata in d.§. *sed etsi*: nec refluunt in d.§.*de illo*, decisionem: quæ diuersæ causæ est, in qua ignorantia domini, nihil operatur, ex iam dictis. Et hunc puto verissimum esse sensum dicti versic. aut §.*si antea quàm*, quidquid in confirmationem sententiæ *Accursij*, *Cuiacij*, *Roberti*, & aliorum s. relatorum Præceptores nostri Salmanticenses olim adstruxerint, oleum, operámque (vt aiunt) deperdentes. Præsertim dum ad interpretationem *d.§.de illo* distinguunt vitiosam possessionem ancillæ à partus possessione iusta, quam supponunt in §.*sed etsi*, & in d.§.*si antea quam*, ita vt prima impedimento non sit vsucapioni prouenienti à secunda. Negari enim non potest partus possessionem (quam iustam malè supponunt) malo illo initio constare, de quo egimus in *cap. præcedenti sub finem principij*. Nec ratio vlla assignari potest, cur in specie dict. §. *sed etsi* conceptus non habeatur pro nato, iuxta tradita s. in *prima conclusione*, argumento *textus* in *l. qui in vtero 26. ff. de statu hominum*.

Omissis tamen his & similibus næniis, & hac nostra vera (ni fallor) interpretatione & concordia istorum iurium admissa, remanet firma & cer-
42 ta proposita secunda fallentia † ad regulam & conclusionem quam prosequimur de partu concepto & edito apud bonæ fidei possessorem regulariter vsucapionis regulis subiecto, d.*l. qui vas*, §.*ancilla*, *ff. de furtis*, *l.3. C. de vsucapion. pro emptore*: vt quemadmodum fallit in casu *l.4. § hæres, ff. de vsucapion.* ex iam dictis s. ita etiam limitetur in casu d.§.*de illo* immediatè sequenti, ex ratione *Pauli*: *Quia possessio, quam seruus vitiosè nactus sit, domino noceret*: quæ valdè assimilatur veræ rationi decidendi d.§.*si hæres*: traditæ ab *Vlpiano* in d.*l. si ego 11. §. partus*: *Quia vitiorum defuncti successor est*, *ff. de Publiciana in rem actione*.

Sed hæc omnia nouissimè interuertere conatus fuit † *Anto. Faber lib. 4. 2. Rational. in comment. ad l. si ego, §. interdum, in fin.* vbi audenter nimis improbat decisionem *Pauli* (desumptam ex *Sabino* & *Cassio*) in d.§.*de illo*, & rationem simul ibi traditam. Nec parcit *Iuliano*, quem itidem errasse ait, & incongrua simul vsum ratione in dict. *l. seruus 10. ff. pro emptore*. Et demum concludit, in hac quæstione vsucapionis partus ancillæ Iurisconsultos contraria profudisse, & dissentiendi causas probabilissimas habuisse; & demiratur id *Cuiacium*, aliósque Iuris interpretes doctissimos latuisse. At re bene perpensa, is solus fallitur, & toto (vt aiunt) aberrat cælo, dum (rationem *Pauli* in d.§.*de illo*: *Quod possessio, quam seruus vitiosè nactus est, nocere domino debeat*) impugnans, expendit alteram illam *Iuliani* in dict. *l. seruus*: *Et genere quodam venditio inter seruum & dominum contracta est*: non aduertens Consultos diuersis casibus, & iam s. per nos expensis loquutos, & ideò diuersis rationibus vsos. In eo verò quod *Faber* subdit (*Tunc enim dolus serui nocet domino, cùm seruus acquirit domino, l. in huiusmodi 12. ff. de cont. emp. non autem quando seruus cum domino ipso ex iusta causa contrahit, puta pro libertate*) sibi ipsi non constat: nam ex quo ait, dolum serui domino nocere cùm ei acquiritur per seruum.

seruum, confirmat decisionem *Pauli:* cùm verò asserit, eius dolum domino non nocere quando cum ipso ex iusta causa contrahit, comprobat decisionem traditam à *Iulia.* in d. *l. seruus*, & eius rationem.

44 Quid quòd indefinita illa *Fabri* propositio: † *Dolus serui domino nocet, cùm ei acquirit*, vera in vniuersum non est, nec tale quid probat d. *l. in huiusmodi*, & facilè refellitur ex iam annotatis §.

45 Nec magis fëliciter iste versatus fuit in impugnatione † prædictæ rationis à *Iuliano* traditæ, dum existimat ab illa alia pendere, quod partus sit pars ancillæ venditæ, hoc enim illi imponit, vt iam aduertimus in *capite preced.* Sed & hac suppositione admissa, tractatio illa, an partus sit ancillæ pars (quæ partui nondum edito tantùm adaptatur, ex dictis per nos in dict. *cap. præcedent. in princip.*) aliena est ab hac thesi de partu iam edito, & vsucapionis regulis subiecto: & hac consideratione attenta facilè eludes, quæ *Faber* lato calamo dictis subaddit vsque in fin. dict. §. *interdum.*

46 Sub hæc sit tertia conclusio, † partus apud bonæ fidei possessorem conceptus, & postquam cognouit ancillam à fure homine libero distractam editus vsu non capitur, d. *l. 4. §. sed et si ut seruum, versic si antè quàm, l. non solum 33. ff. de vsucap.* Hoc ideò (vt existimat *Donell.* † & eius enucleator *Hilig.* d. *lib. 5. comment. capit. 25.*) quia etsi initium possidendi iustum & bonum fuerit, & à bona fide prouenienti, ex rescientia tamen iniustæ possessionis ancillæ cessat eius causa, & iustus titulus, ex pluribus per *Donellum* adductis, & in *sequenti conclusione* expendendis.
47

48 Sed ratio ista mihi non † probatur & alienam diiudico à proposita conclusione, cuius veram causam ab his tantùm pendere duco quæ *superiori c.* diximus de concepto nondum edito, qui nec in rerum, nec in hominum natura esse existimatur, à quo per necessariam consequentiam fit, vt partus apud bonæ fidei possessorem conceptus, & post malam fidem superuenientem editus vsucapi non possit, cũ tempore editionis (à quo incipit vsucapio) iam mala fides possessori superuenerit, quæ vsucapionem omnino impedit. † Licèt enim tempore con- 49 cepti partus bona fides requiratur in possessore, & ea deficiente partus ancillæ furtiuæ sit furtiuus, & ventrem sequatur, vt diximus in *cap. 2. in princ.* & prosequuti §. *hoc cap.* fuimus à *num.* 10. vsucapio tamen (vt eodem loci annotauimus) non incipit à die conceptionis, quando non datur traditio; sed à die editionis partus, cùm iam possit possidere; & inde deficiente eo tempore bona fide vsucapio cessat in proposito casu, insuperhabita illa quæ tempore conceptionis interuenerat, in quo *eam* (vt disertè, licèt parum aptè, dixit *Fab.* §. *exigimus, non tam propter ipsum tempus conceptionis, à quo scilicet inchoari vsucapio nunquam potest, quàm in ordine, vt ita dicam, ad tempus à quo partus edatur: & vt intelligamus non sufficere tempus conceptionis, si non etiam partus tempore adsit bona fides, quæ à tempore etiam conceptionis facilè posset defecisse, vi & more veritatis seipsam paulatim, & solo temporis lapsu tandem exerentis:* Quæ omnia apertè comprobantur ex *l. 4.* dict. *vers. si antè quam pariat, ff. de vsucap. l. si ego, §. partus ff. de Publ. l. qui vas 48. §. ancilla, ff. de furt. l. 2. ff. pro suo, l. ancillæ 12. Cod. de furtis.*

Hac ergo verissima, clara, & sese prodeunte ratione admissa, ad nostram conclusionem vsucapionis partus apud bonæ fidei possessorem con-

cepti, & post malam superuenientem fidem editi, facilè deteguntur varij er-
50 rores † *Donel.* s. & *Hillig.* eum commentantis & approbantis. Primò errant dum putant, initium istum, bonúmque possidendi à tempore concepti partus dari, quando possessio nulla est, nec esse potest. Secundò errat *Donellus*, dum supponit partum iam cóceptum tempore emptionis ancillæ furtiuæ vsucapi posse, etsi emptor tempore editionis rescierit alienam, quia vnà cum matre emptus est, in quo expressè contrariatur decisioni *l. si prægnans 42. cum seq. ff. de euict.* Tertiò fallitur *Donel.* dum specialitatem (sic liceat doctrinæ gratia loqui) adstruit cũ *Fabro* (j. referendo & improbando) in partus vsucapione à defectu tituli, ex dicendis in *sequenti conclusione*, ad quam velut ad propriam sedem ista referre licet, quæ *Donellus* hîc ex tempore comminiscitur.

Nec prędictis obstat decisio *text.* in *l. iusto, §. etsi possessionis, ff. de vsucap.* vbi partus editi, quo tempore matris possessor eam sciebat alienam, datur vsucapio ex sententia *Papiniani* : nam o-
51 missis † his quæ *Cuiac. ad lib. 23. quæst.* eiusdem *Papin.* super d. *§. etsi possessionis* commentatur & supponit de possessione recuperata, quæ verbis illius *tex.* adaptari nequeunt. Quin & his quæ tradit argum. *tex.* in *l. qui in vtero 26. ff. de stat. hom.* quæ vsucapioni bonam fidem requirenti tépore traditionis, vel editionis, ex iam dictis *hoc c. & præcedenti*, non conueniunt. Et explosa cótinuata possessione, quam iste *Auctor* adstruit, & fingit tépore inepto, quando partus editus non est. Et reiectis his quæ de aliorum sententia adducit *D. Amaia* (quorũ impugnatione immorari superuacuum duco) *lib. 3. obseruat. §. 3. n. 20. & seqq.* quin & alibi. Ego
52 † veriorem existimo interpretationem *Donelli* d. *lib. 5. comment. cap. 25.* distinguentis ancillam furtiuam ab aliena, de qua loquitur *Papinia.* in d. *§. etsi possessionis* (potest enim ancilla aliena esse, vt non sit furtiua, *§. sed tamen, instit. de vsucap.*) *Qui enim cognouit ancillam furtiuam esse, partum* (vt verbis *Donelli* vtar) *non vsucapit, quia non tribuitur hoc ei in ancilla furtiua, vt videatur hũc partum emisse. Non tribuitur ei, vt bona fides, qua cœpit possidere matrem, prosit ei, ad hoc vt videatur partum quoque eadem fide cœpisse possidere, nisi verè & ipsam bona fide apprehenderet, & hoc odio rei furtiuæ. At qui cognouit ancillam tantùm postea fuisse alienam, quæ furtiua non erat, ideò partum postea editum vsucapit, quia videtur partum eodé iure possidere quo & matrem: quo fit, vt sicut matrem vsucapere potuit, quamuis cognouisset esse alienam, sic possit & partum: non enim vsucapio rectè cœpta idèo interpellatur, quia possessor rem alienam esse postea cognouerit, l. penult. ff. pro emptore, l. vnica in fi. C. de vsucap. transfor.* Hactenus *Donellus*. Cuius demum dicta comprobat doctissimus *Cuiacius* *vbi suprà*, qui hac eadem distinctione adhibita inter ancillam alienam & furtiuam, in priore casu intelligit dict. *text. §. etsi possessionis*, in secundo verò *text.* in *l. 4. vers. si antè quàm*, & d. *l. non solùm in princ. ff. de vsucap.* vbi bona fides requiritur tempore etiam editionis, vt procedat vsucapio partus ancillæ furtiuæ, & sanè ab hoc *textu* venit supplendus contextus d. *l. si ego, §. idem Iulianus* † *ff. de public. in rem act.* in illis verbis: *Ex qua causa matrem vsucapere possem, si furtiua non esset, ex ea causa me partum vsucapere, si furtiuam esse matrem ignorabam*, vt quæ desumpta fuerunt per *Vlpianum* (Auctorem d. *l. si ego*) à *Iuliano* Auctore d. *l. non solùm* vt iam aduertimus in *c. præced.* in *princ. nu. 21.* cùm ista incidenter tractaremus.

Et hanc differentiam inter partum

ancillæ

ancillæ furtiuæ & alienæ agnouisse,
54 vel innuisse videntur *Vlpianus* † in d. *l. si ego, §. partus*, & in *l. qui vas* 48. *§. ancilla, ff. de furtis*, & *Imperatores* in *l.* 12. *C. de furtis*, & expressius *Iulianus* in dicta *l. non solùm*, vbi comparatione facta ancillæ furtiuæ vsucapiendæ (ni *lex xij. Tabularum*, & *Attinia* obstarent) cum partu ab ea edito: & cùm preuidisset in vsucapione bonum tantùm initium desiderari, istúdque solum attendendum, si ancillæ furtiuæ vsucapio admitteretur, & ne quis hisce deciperetur, & putaret bonam fidem possessoris ancillæ furtiuæ sufficere tempore conceptionis (in quo maximè attenditur, ex dictis *supra* in *c.* 2. *in princ.*) ideò disertis verbis edixit
55 *Iulian.* hoc ita intelligendum, † *Si apud eum conceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtiuam esse matrem eius ignorabat*: ita vt odio rei furtiuæ (id est ancillæ subtractæ, à qua partus prouenit) bona fides possessoris requiratur vtroque illo tempore, conceptionis scilicet & editionis, vt dixit *Donel* iam relatus, & probant *Cuiac. suprà Anto. Fab. ad l. si ego, §. interdum, ff. de publi. in rem. act. Bened. Pinel. lib.* 2. *select. c.* 1. qui ista variis rationibus illustrant: & conferunt quæ nouissimè lato sermone sequitur *D. Amaia libr.* 3. *obseruat. cap.* 1. §. 4. ex *num.* 46.

56 Sed hæc omnia interuertit Ius Canonicum, † quod in vsucapionibus, seu præscriptionibus omni tempore bonam fidem exigit, *c. fin. de præscript.* nec vllam admittit distinctionem inter rem furtiuam & alienam. *Bened. Pinel. sup. d. c.* 1. *nu.* 22. *&* 23. post alios.

57 Quarta demum conclusio † erit quã constituit *Pomponij* singularis decisio in *l.* 4. *ff. pro suo*, vbi partus conceptus & editus apud bonæ fidei possessorem, agnoscentem posteà intra tempus vsucapioni constitutum ancillam ab eo emptam furtiuam esse, vsu non capitur, nisi qu o casu nescierit cuius esset: aut si scierit, non potuit certiorem dominum facere: aut cùm potuit, certiorem fecit. Quo sensu accipienda sunt verba illa d. *l.* 5. *tit.* 29. *p.* 3. *E si por auentura despues que la cosa ouiesse parido supiesse que era forçada, ò robada, ò furtada, è non lo supiesse ante que pariesse, si lo fiziesse entonce saber à aquel cuya era, diziendole, que si algun derecho auia en ella, que lo demandasse, si el otro non lo quisiesse fazer, dende adelante biẽ podria ganar el fruto de la cosa por tiempo. Essomismo deZimos que seria, si ge lo quisiesse faZer saber, è non lo fallasse, porque fuesse tan alongado del logar que ge lo non pudiesse embiar à deZir.*

In quo sanè diuersa causa † esse videtur vsucapionis partus à cæteris rebus, in quibus vsucapio rectè inchoata continuatur & impletur, non obstante mala fide superueniente, *l. si aliena.* 10. *D. de vsucapion. l. alienam areã* 13. *ff. de vsucap. pro empt. l. vnica ad fin. C. de vsucap. transform.* cùm in partus vsucapione *Pomponius* bonam fidem perseuerantem requirat, vel saltem legitimam causam siue excusationem iam *supra propositam.* 58

At in assignanda ratione variant Interpretes; omissis verò pluribus quæ inaniter paginas implerent, veritati propiùs accedere videtur *Donel.* † d. *li.* 5. *comment. cap.* 25. *vers. postremo*, vbi existimauit, ideo vsucapionem ritè cœptam regulariter ex superuenienti scientia rei alienæ non interrumpi, quia etsi bona fides deficiat, adest tamen tribus *pro emptore*, vel similis, quid sufficiens est ad cõtinuandam & supplendam vsucapionẽ: cùm autem intra tempora partus vsucapioni præstituta possessori innotuerit ancillam furtiuam esse, nulla superest causa, nullus titulus, quo vsucapionis continuatio possit inniti: non enim possidere potest *pro empto-* 59

re (vt iste ait) qui partum nondum editum non emit, *l. si prægnans* 42 *ff. de euict.* nec *pro suo*, cùm is tantùm huius tituli prætextu vsucapiat, quasi causam habet, cur intelligat, ancillam illam suam esse, ex qua partus editus est, vt expressè dixit *Paul.* in *l.* 2. *ff. pro suo:* possessor verò, qui sciuit ancillam alienam esse, simul agnouit nullam sibi causam, aut titulum in eius partu superesse. Cùm autem iustus titulus, vel causa possidendi deficit, vsucapio non procedit, *l. nullo, C. de rei vendicatione, principio institution. de vsucapionibus:* sublata ergo hoc casu vsucapionis iusta causa, vsucapio cessat ex sententia *Donelli*.

Cum istis omnino (ni fallor) conueniunt quæ alio docendi stylo, & *Donelli* nomine suppresso dixit *Anto.*
60 *Fab.* † *in Ration. ad l. si ego, §. interdum, ff. de Publiciana in rem actione*, vbi asserit, in hoc differre partus vsucapionem à cæteris, quod in illis mala fides superueniens vsucapioni impedimento non sit, d. *l. si aliena*, cum aliis iuribus s. adductis, in hac secùs. Eámque ex *Accursio* (vt ipse ait) assignat huius specialis dispositionis rationem, quod cæteræ vsucapiones habent titulum & bonam fidem, ista verò præter bonam fidem nullum habet titulum, nisi generalem *pro suo:* qui, deficiente bona fide continua, sufficiens non est, vt cæteri ad vsucapionem: & inde fieri, vt quod huic titulo deest, suppleri debeat longiore bonæ fidei continuatione. Et ab his itidem intelligendum esse *Pomponium* (asserit *Faber*) in d. *l.* 4. *ff. pro suo*, vbi ait, non posse quem pro suo & clàm possidere, quasi diceret titulum *pro suo* cum clandestina possessione non posse concurrere, & cessare ex mala, vel vitiosa superueniente possessione, qualis est clandestina; cùm ergo titulus ad vsucapionem perpetuus esse debeat, & titulus *pro suo* dependeat à bona fide, necessum est (ait *Faber*) vt ista sit continua & perpetua, vt titulus sit perpetuus & validus, qualis semper est titulus pro emptore: quo attento, bonæ fidei possessor esse non desinit, qui ante vsucapionem cómpletam cognouerit rem alienam esse, quandiu res euicta non est, vt dixit *Julianus* in *l. qui scit* 25. *§. si ff. de vsur.* His demum addit *Faber* contrariam *Trebatij* à *Pomponio* relati sententiam (quam sequitur *Paulus* in *l.* 4. *§. si antequam pariat, ff. de vsucap.*) non esse admittendam, & errasse *Paulum*, dum putat & hoc casu initium vsucapionis intueri nos debere, sicut in emptis rebus placuit.

Sed hæc quæ *Donellus* & *Faber* diffusè tractarunt in casu partus ancillæ & vsucapionis *pro suo* (quem tantum prosequuti fuerunt) in se latiùs multo † patent, quàm ipsi opinati sunt, quod 61
vt clariùs innotescat, & omnia vsucapionis initium & progressum respicientia circa propositam conclusioné prosequamur & absoluamus, ego duos casus constituo: aut enim agitur de vsucapione rei inducta ex titulo pro emptore, pro soluto, pro æstimato, pro dote, pro iudicato, pro cesso, pro transacto, aut *noxæ deditionis causa*, vel alia simili onerosa: aut de vsucapione eiusdem rei titulo pro *hærede*, pro *legato*, pro *donato* pro *derelicto*, aut quouis alio lucratiuo, aut incompatibili cum scientia rei alienæ.

Primo casu bonum tantùm initium vsucapionis attenditur, nec superueniens mala fides eam impedit, d. *l. si aliena, in princ.* cum aliis iuribus s. adductis. Dum tamen aduertamus, titulum *pro emptore* in hoc ab aliis differre, quòd maiorem cæteris requirit causam, i. bonam fidem, non solùm tempore traditionis, sed & contractus gesti, *l. penult. ff. de vsucap. l.* 2. *ff. pro empt.*

l. 3

l.3.ff.pro solut. cuius rei rationem assignauit *P.Gilkenius* post alios, *in tractat. de præscr.2.p.memb.1.c.14.à nu.2.*

Secundo casu, quando scilicet cum bona fide solus lucratiuus concurrit titulus, velut pro *herede*, pro *donato*, &c. toto sanè tempore vsucapionis requiritur bona fides ex ratione adducta à *Donello* & *Fab.* in casu particulari vsucapionis ancillæ titulo *pro suo*; in quo & aliis lucratiuis similib. mala fides superueniens titulum omnino destruit, & ad nihilum redigit: at deficiente titulo, vsucapio non procedit, *d.l.nullo, C.de rei vend.* cum relatis. Nec enim titulo *pro legato* possidere dicetur is qui resciuit rem sibi legatam non fuisse: nec *pro derelicto*, qui rei verum dominum agnouit. Vnde est, vt in his causis persistens, continuaque requiratur bona fides, vti clarè denotat *Paulus* in *l.1.ff.pro donato*, & in *l.pro legato 4.ff.pro legato*, *Pomponius* in *l. plerique ff.pro herede*, *Iulianus* in *l.si quis merces 7.ff.pro derelicto*: in his enim eadem militat ratio & causa, quæ in titulo *pro suo*, qui, vt prędiximus, se non compatitur cum mala fide, vel rei alienæ rescientia, *d.l.4.ff.pro suo.* Nil est ergo cur non idem dicamus & resoluamus in titulo *pro legato, pro derelicto*, & aliis similib. lucratiuis, quod in titulo *pro suo Donellus* & *Antonius Faber* considerarunt.

Et ne istis obstet *textus* in d. *l. qui scit 26 §.fi.ff.de vsur.* vide quæ in eius
62 interpretatione, † & circa acquisitionem fructuum tam naturalium, quàm industrialium, & ad concordiam *l.bonæ fidei emptor 48.ff.de acquir.rer.dom.* & *l.fructus 45.ff.de vsuris*, annotauimus *supr.num.7.*

His sic in re ista à Doctoribus latè disputata constitutis, quàm manifestò
63 apparet vera ratio *tex.* in *d.l.4.† ff.pro suo*, in finalibus illis verbis: *Nec enim pro suo, & clàm possidere potest.* Quod idem est ac si *Pomponius* dixisset, titulo *pro suo* malam, vel clandestinam possessionem adeò contrariari, vt simul, nec vllo modo concurrere possint, quin potius mala fides illum excludat, & inde possessione titulo destituta, vsucapio cesset.

Quod non tantùm admittas cum *Donel.* & *Antonio Fabro suprà* in vsucapione partus ancillæ furtiuę, sed & in quauis alia † re, quæ titulo *pro suo* pos- 64
sidetur & ab eo vsu capitur, adeò vt si ancillæ furtiuæ bona fide emptæ vsucapionem *lex Attinia* non prohiberet, vsucapio pro suo nihilo magis admitteretur superueniente mala fide, quę admittenda foret, si titulo *pro emptore* possideretur ancilla, ita vt ex diuersitate tituli (potest enim & *pro suo* possidere is qui bona fide emit ancillam, *l.1.ff.pro suo*) diuersa sit vsucapiendi causa & ratio, vt inde cùm res titulo *pro emptore* possidetur, sufficiat bona fides in initio, quandò vero titulo *pro suo* eam omni tempore requiramus.

Quinimò re benè perpensa, hoc velùt speciali iure † ancillę partui con- 65
ceditur, qui si in fructu esset, vt alij fœtus, illicò bonæ fidei possessori acquireretur. Ex quo autem partus ancillæ in fructu non est, cœpit vsucapionis regulis subiici. Et hinc factum est, vt in eius vsucapione ex titulo *pro suo* (iuxta *textum* in *l.2.ff.pro suo*) eadem obseruemus, quæ in vsucapione alterius cuiusuis rei.

Quæ verò *Faber* † relatus *supra nu.* 66
60. in possessore titulo *pro emptore* edisserit, (dicens, non desinere bonæ fidei possessorem esse, qui ante impletam vsucapionem agnouerit rem alienam esse, quandiù ea euicta non fuerit, ex dicta *l.qui scit, §.finali, D. de vsuris*) à iure deuia omnino sunt, & euidenti æquiuocatione tractata, cùm confundat rei emptæ vsucapionem cum acquisitione fructuum ex ea percep-

torum (de quibus loquitur dictus §.
67 *finalis)* In qua certè omni tempore†
requiritur bona fides, *l.sed si lege* 25. §.
de eo autem, D.de petition. hæreditatis,
l.qui bona fide 23. *versic.tandem, l.quæsitum* 40. *l.bonæ fidei* 48. §. *in contrarium, ff.de acquirendo rerum domin.* vbi
Paulus, differentiæ rationem inter hunc & superiorem casum vsucapionis ex titulo oneroso cõstituens, illum ad ius, hunc ad factum pertinere ait, quasi diceret priore illo casu vsucapionem bono initio, & titulo consistere (quæ ad vsucapionem sufficiunt) in hoc autem adeò per singula momenta bonam fidem requiri, quia *vsusfructus* (qui in rei fructu consistit quotidie, vt ait *Vlpian.* in *l.1.§.interdũ. D.de vsufruct.accresc.*) *constituitur & legatur, non vt proprietas eo solo tempore quo vendicatur:* & in quotidiana fructuum perceptione consistit, *l.vnica, ff.quando dies vsufruct.legat.ced.* Et ideò superueniens mala fides fructuum acquisitioni contrariatur, vt quę malo laborat initio. Hæc nobis annotasse liceat, ne Lectores terminos, casusque confundant, vt accidit disertissimo *Antonio Fabro suprà.*

Vero autem longius distat, quod vl-
68 timo loco asseruit idem *Faber* †citatus
*suprà d.num.*60. pro certo supponens, *Paulum* in *d.l.4.§.si antè quam pariat, ff.de vsucap.* eiusdem fuisse sententiæ cum *Trebatio* (quem improbat *Pompon.* in *d.l.4.ff.pro suo)* etenim *Paulus* non agit de temporibus intermediis ante impletam vsucapionẽ, quo casu loquutus fuit *Pomponius*, sed de vsucapione iam perfecta & absoluta, vt patet ex illis verbis: *Quod si cùm iam vsucaperet, agnouerit rem alienã esse:* & tunc *Paulus* initium vsucapionis attẽdi de-
69 bere ait, sicut *in emptis rebus placuit:*†
ac si diceret, vsucapione partus completa malam fidem superuenientem non obesse, & initium bonum attendi debere, sicut in vsucapione pro emptore: non tamen ideò *Paulus* excludit bonam fidem toto tempore vsucapionis partus requisitam in *d.l.4.ff. pro suo.* Ideò autem de initio vsucapionis, & non de progressu mentionem fecit, vt comparatio partus, & rerum bona fide emptarum, qua vtitur *Paulus* procederet: alioquin non admittenda, si ad vtriusque vsucapionis tractum successiuum referretur. His adde imo plurimum vsucapionem bono initio, & fide bona inchoatam eadem compleri, & perfici: vt inde *Paulus* initij vsucapionis ad decisionem quæstionis propositæ meritò meminerit.

Hæc quæ de vsucapione partus ancillæ furtiuæ, vel alienæ diximus, & duximus à Iurisprudentiæ fontibus & responsis Iurisconsultorum fortè an verè elucidatis) admisit† *lex dicta Partita 5.ti.29.p.3.* Nisi quòd eius auctores partum ancillæ & pecorum confundentes vtriusq; vnam & eandem constituunt rationem : non aptam iuris principiis, & præcipuè decisioni textus in *l.in pecudum, ff.de vsuris*, cum aliis *supra* adductis: quibus concinit alia *lex partitæ* (iam *suprà* citata) *23.tit.31 p.3.* Cui standum † est, & eius rationi contra *d.l.5.* (quidquid *D.Amaia* in contrarium securè asseruerit *lib.3. obseruation.cap.1.§.1.num.45.*)

Demum in causa vsucapionis partus illud vnum superest adnotandum: in omnibus casibus, in quibus vsucapio ista cõceditur in eisdem Publicianam† in rem actionem competere, *l.si ego 11.§.idem Iulianus in fine, D.de Publiciana in rem actione.* Vnde cùm partus apud bonæ fidei possessorem conceptri & editi vsucapio datur, ex iam dictis consequenter & pro eodem partu Publiciana competit, *d.l.si ego.§.partus, cum sequentibus:* et si post partus editionem mala fides, vel scient.a. rei alienæ superueniat, ex generali decisione

ſione textus in *l.eum qui*, *§.Publiciana,ff.illo tit.de publician.* cui conſonat dictus.*§.interdum*, ſi ſubtiliter & feliciter cum *Cuiacio* ad d.*l.4.ff. de vſucapionibus*, vulgarem, & à iure deuiam lectionem emendes, & ibi: *Tempore quo experiar*, legas: *Tempore quo & pariat*. Et ſanè in ſententiam iſtam deductam à dicto *§.Publiciana*, omnes Iuriſprudentes conueniunt, vt rectè ait *Antonius Faber in Rationalibus ſuper* dicto *§.interdum*: quamuis in vſucapione diſſentire *Pomponium* à *Trebatio* & *Paulo* malè exiſtimet, id quod nos iam *ſuprà* impugnauimus.

73 Sed & Publicianæ aliquando locus eſt, & quo † caſu vſucapio non admittitur, id quod facilè colliges ex dict.*§.partus*, vbi pro partu etiam non poſſeſſo datur Publiciana, quemadmodum & aliis cauſis ſine poſſeſſione conceditur, dict.*l.ſi ego*, *§.idem ait ædilibus*, & in *l.ſequent.* *§.is cui ex Trebelliano.*

74 Nec Publicianę pro partu admiſſæ per nos, imò veriùs per Iuris Prudentes, eiúſque Conditores obſtabit, † ancilla vendita partum venditum non cenſeri, vt qui in rerum natura non eſt, *l.ſi prægnans* 42. *& ſequ. ff. de euiction.* cum aliis adductis latè in *capite antecedenti in principio*, nam vt diſertè ait *Antonius Faber in Rationalibus ſuper* d. *§.partus*, quamuis partus cum ancilla venditus non fuerit, non tamen eò minus dominium partus ad emptorem peruenturum erit, ſi à vero domino emiſſet, cùm id quod ex re mea eſt, meum eſt, *l.de eo* 12. *§.ſi quis*, *ff.ad exhibendum*, *l.præterea* 20. *ff.de rei vendicatione.* Cùm ergo quod attinet ad Publicianam, idem ius in ea habeat, qui bona fide emit à non domino, quod habet in vera & directa vindicatione, qui à domino emit, inde meritò fit, vt pro partu concepto & edito apud bonæ fidei poſſeſſorem Publiciana detur.

Quod ipſum † apud nos locum habet ex *l.13.tit.11 p.3.l.47.tit.28.ead.part.* & *l.50. & 54.tit.5.p.5.* 75

Sed & in his, quæ attento Iure Communi & Patrio à nobis deciſa ſunt circa Publicianam partus, eiúſque vſucapionem bono initio & fide inchoatam, & rei alienæ ſcientia ſuperueniente completam Ius † Canonicū, 76 omnibus notiſſimum ſequi debemus, de quo in d.*c.fin.de præſcript.* & alibi, quod aliàs apertè comprobauit *l.3.tit.2.part.1.l.2.tit.23.part.3.* & d.*l.54.tit.5.part.5.*

§. II.

AD QVEM PARTUS ancillæ pertineat.

SYNOPSIS.

1 *Partus iam fructus ſequitur, ex* Modeſtino, *quem interpretatur* Auctor.
2 *Varias acceſſionis acceptiones refert.*
3 *De acceſſione quæ ex re principali ortum habet, ſermonem inſtituit.*
4 *Quæ ex animalibus dominio noſtro ſubiectis nata ſunt, noſtra ſunt.*
5 *Ancillæ partus ad eius dominum pertinent. Et numero 6. ampliat in habente dominium, quod noſtri vocant, vtile. Et iterum de his agit numer.15. & 16.*
7 L.præterea 20.ff.de rei vend. *declaratur.*
8 *Maritus dotis æſtimatæ partus ſuos facit. Et n.9. aliud in dote non æſtimata tenendum ait.*
10 L.1.C.ſolut.matrim. *interpr.*
11 *In* l.20.tit.11. par.4. *æſtimatio dotis ad partus acquiſitionem attenditur,*

ac in l.1.C.*soluto matrimon.*

12 *Hodie nobis correcta est decisio* d.l. 20.part.*per alias* Fori,*&* Nouæ Recop.*Et num.*13.*rationes* Gregor.*adducit,& primam impugnat. Et n.*14. Auctor *aliam subiungit.Et nu.*15.*declarat.*

17 L.2.ff.de in diem adiectione *declaratur.*

18 L.quod si nolit, §.si ancilla,ff.de ædilit.edicto *interpr.*

19 *Ancilla redhibita partus non redhibetur in præiudicium tertij.*

20 *Retrouenditio à redhibitione differt, quod attinet ad fructuum restitutionem.*

21 *Multum interest,an resolutio emptionis & venditionis fiat ex causa pacti concepti sub conditione casuali, vel voluntaria,seu potestatiua.*

22 *In hæreditatis petitione veniunt partus.*

23 L.Falcidiæ legis 24.§.1. ff.ad legem Falcid.*declar.*

24 *Ancillæ ob pignoratæ partus eodem sunt pignore,velut tacitè affecti.*

25 *An partus editus apud emptorem, vel alium pignori cedat, quæritur hîc,ad interpretationem* l.Paulus, §.1.ff.de pignorib. *&* l.si conuenerit, §.si fundus,ff.de pignor.act. *Et nu.*26.*&* 27 *improbatur* Ant.Faber, *veráque concordia traditur. Et nu.*34. *eius rei ratio adducitur.*

28 *&* 30 L.1.ff.de Saluiano interd. *interpr. Et nu.*29.*impugnatur emendatio* Fabri.

42 L.1.C.de precario *intellig. Et à* Donello *circa hunc textum excogitata impugnantur.*

33 *Plures errores* Donelli *ad* d.l.1.C. de precario *referuntur, & refelluntur.*

35 *Fundi & ancillæ hypothecas comparat. Et n.*36.*rationem reddit.*

37 L.inciuile 12.C.de rei vindicat. *de qua opponebat* Anton.Faber *interpr. Et num.*38.39.*&* 40.*respondet aliis à* Fabro adductis.

41 *Fructus percipiendi pignori dari possunt,& communiter partus.*

42 *Quod intellige quoad exstantes, in quibus pignoris persecutio datur.*

43 L.1.§.& quæ nondum,ff.de pignor. *declar.*

44 *Plura* Antonij Fab. *remissiuè reiiciuntur.*

45 L.16.tit.13.p.5. *Iuris Ciuilis dispositionibus, quod attinet ad partus pignus,conformis est.*

46 *Hæres in diem grauatus interim fructus facit suos. Et n.*47.*& post diem ante moram. Et nu.*48.*traditur ratio. Et nu.*49. *limitatur in fideicommisso particulari. Et n.*50.*&* 51.*extenditur limitatio.*

52 *Agitur de intellectu* l.deducta, §.hæreditatem,ff.ad Trebellian. l.mulier,§.sed enim,eod.tit. *dū pugnant cum* l.Paulus, §.1. ff.de vsuris, l.in Falcidiæ legis 24.§.1. ff. ad leg.Falcid. *Et nu.*53.*communis Glossæ solutio impugnatur ab* Auctore *ex variis causis. Et num.*54. *improbat aliam* Fulgosij, *quæ placuit* Goueano,*& postea Salmanticensi* Amaiæ. *Et nu.*55.*aliam* Alexandri. *Et numero* 56. *demum concludit hæc iura inuicem pugnantia. Et incidenter irridet eos qui nullam dari in Digestis & Codice antinomiam contendunt. Et nu.*57.*sententiam* Pauli *Iurisconsulti sequitur,& rationem assignat. Et num.*58.*Auctores harum legum æquè sentire sub* reditus *nomine partus non venire,demonstrat. Et numer.*71.*&* 74.

59 *Causam ob quam detur Publiciana in partu ostendit.*

60 *In quibus casibus fructus vel eorum pars ad aliquem (non habentem dominium directum vel vtile) pertinens, ancillæ partus sub nomine fructus non veniunt.*

61 CAVSA *multipliciter in iure sumitur. Et nu.62.præcipuè ad omnes obuentiones, emolumentáque ratione rei prouenientia pertinet. Et numero 63.* Causa *apud Consultos dicitur, quod Iuris Interpretes* interesse *appellant* damni emergentis, & lucri cessantis.

64 MORA *in causa est, vt partus ei restituantur, qui tempore editionis ancillæ dominus non erat, cùm esse debuisset.*

65 L.Licinius, ff.de legat.1. l.vxorem 41.§.sorori, ff.de legat.3.l.filium 21.ff. de optione leg.*interpr.*

66 *Cùm dicimus fructus vel partus ex capite moræ restituendos, culpam præsupponimus.*

67 L.si mora 10. ff. soluto matrimon. *interpret.*

68 *Ex capite æquitatis partus ancillæ editi ante moram aliquando sunt restituendi.*

69 *Ratio* l.curabit, C.de action.empt. *demonstratur.*

70 *Æquitatis causa, seu ratio claras, certasque præstat regulas circa restitutionem aut retentionem partus.*

72 *Pluries in iure* reditus *nomen rem diuersam à fructu denotat. Et nu.73. aliquando latiùs euagari notat* Auctor, *& ad emolumentum quoduis annuum ex re ipsa, vel extrinsecùs perceptum referri.*

75 Gamam, Baeçam, Spinum *&* Gutierrez *improbat, de nomine* reditus *non rectè sentientes.*

SVPERIORIBVS obseruauimus, partum, quod attinet ad causam vsufructuarij, siue fructus, siue obuentiones quouis titulo ex re percipientis, in fructu non fuisse omnibus Consultis in iure, qui fundatoribus eius successerunt, ídque clarè comprobari ex *l.vetus 68.§.1.ff.de vsufructu*, vbi *Vlpianus* ait: *Fœtus pecorum Sabinus & Cassius opinati sunt ad fructuarium pertinere,* quasi diceret, diuersæ scholæ Auctores, id est, *Protulianos* & *Sabinianos* fœtus tantùm pecorum in fructu constituisse, hominum verò partum non ita.

Prænotauimus itidem in tractatione acquisitionis ex capite vsucapionis partum ancillæ (qui in fructu non est) vsucapione non indigere.

Nunc subintrat illa disquisitio ad quem partus extra causam vsucapionis pertineat, & quo iure vel colore quæratur? Ex quo enim partus in fructu non fuit Iuris Conditoribus, liber sanè Iuris regulis ab omni acquisitione videbatur: siue ancilla à vero & perpetuo domino possideretur, siue à temporale, vtiléve dominium habente. Sed certè Ius Ciuile, imò & gentium, solatium istud, inter alia, duræ seruituti denegauit, & partum hominis, ius † fructuum, quoad acquisitionem sequi voluit, ex *Modestino* (ita intelligendo) in *l. quod his verbis* 83. ibi: *Item quæ fructuum vice sunt, ff.de legat.3.* iuncta *Glos.* ibi communiter recepta, *Gama decis.135.num.4. Cuiac.lib. 9.respons. Papin.in comment.ad l.iusto, ff. de vsucapion.* vt quasi in odium libertatis partus ancillæ eadem ferè sit causa, quæ & fructuum quorumlibet. 1

Acquisitionis verò istius quatuor mihi (sine vllo ductore) sunt capita his nominibus præmonstranda, ACCESSIO, CAVSA, MORA, & ÆQVITAS; quæ etsi aliquando confundantur, & vnum pro altero assumatur, vt in *l.equis 8.ff.de vsuris*, & alibi, seiunctum tamen habent significatum, propriámque sedem, vt ex dicendis illico apparebit.

SECTIO I.

De accessione.

NON est nobis ineunda accessio-
nis disputatio, quo sensu accipi-
2 tur † in *l. obligationum ferè 44. §. acces-
sio, ff. de obl gat. & action. l. si seruum 91.
§. nunc videamus, vers. accessionis, ff. de
verbor. obligat. l. in omnibus 43. ff. de solu-
tion. l. Granius 71. ff. de fideiussor.* Nec a-
gendum est de accessione naturali,
quæ extrinsecus obuenit, velut per al-
luuionem, quam *Budæus* in notis ad §.
*item ea quæ ex animalibus, institut. de
rer. diuis.* CONCRETAM appellat, de
qua in *l. 3. C. de alluuionib.* & in *§. præte-
rea, instit. de rer. diuis. Hotmanus libr. 6.
obseruat. cap. 1.* (hanc enim ad causam
j. referemus) Nec de industriali, qua-
les sunt INÆDIFICATIO, *§. cùm in
suo solo, instit. de rer. diuisione:* SVBSVL-
TVRA, *§. si tamen:* IMPLANTATIO,
§. si Titius: SATIO, *§. qua ratione au-
tem:* SCRIPTIO, *§. litteræ quoque:* PI-
CTVRA, *§. si quis in aliena tabula, in-
stitution. eod. tit.* Sed de ea tantùm no-
3 stra erit scriptio, quæ ex re † princi-
pali ortum habuit, velut fructus ex
fundo: mercedes ex ædibus: operæ ex
seruis: naulum ex naui: ac subinde
PARTVS ex ancilla, *l. frumenti 12. C. de
vsuris,* & in *rubrica ff. de vsuris, & fru-
ctibus & causis, & omnibus* ACCES-
SIONIBVS.

Hæc autem aptè definitur, vel de-
scribitur ab *Hertmano Vulteio* in §. *i-
tem ea quæ ex animalibus, instit. de rer.
diuis.* dum ait, *Accessio est modus domi-
nij acquirendi, quo res aliqua ideò acqui-
ritur, quod rei quæ alicuius est, accedat.*
Licèt enim accessio ista diuersum
quid, & separatum à re principali
constituat, vt notauit *Parladorus tom.
3. different. 118. nu. 5.* (& inde DISCRE-
TA appelletur à *Budæo s.*) sola tamen
in se non attenditur, sed cum relatio-
ne ad principale, & loco adiuncti sem-
per habetur: vnde fit, vt cui res princi-
palis competit, eidem & accessio in
iure deferatur, ex regula *l. cùm princi-
palis, ff. de diuers. reg. iur.* & *cap. acces-
sorium, eodem titul. in 6.* Quibus conci-
nit vulgare Logicorum axioma, quo
docemur, adiunctum cedere subie-
cto.

Ab his (vt propiùs rei nostræ acce-
damus) fit vt ea quæ ex animalibus
dominio nostro subiectis, nata sunt, 4
nostra † fiant, d. §. *item ea quæ ex ani-
malibus, institution. de rer. diuis. l. idem
5. §. idem scribit in 2. ff. de rei vindicat.*
Et inde etiam inferre voluerunt Iuris
Auctores, vt partus ancillæ ad eius
dominium pertineat, ita vt regula d. §.
item ea quæ ex animalibus æquè & pro-
priè procedat tam in animalibus ra-
tionalibus, quàm in irrationalibus, re-
iecta distinctione *Vultei* in illo §. quá
facilè refelles ex decisione *l. partum 7.
C. de rei vendicat.* & *§. serui, institut. de
iure person.* dum addas quæ ex anima-
libus irrationalibus proueniunt iure
naturæ nostra fieri, d. *§. item ea quæ ex
animalibus,* iuncto *§. item lapilli* proxi-
mè præcedenti *eod. tit.* quæ verò ex ra-
tionalibus, non ita, sed Iure Ciuili tan-
tùm, aut communi gentium. Sit ergo
prædictorum certa, firmáque conclu-
sio, † ancillæ partum ad dominum e- 5
ius pertinere, non tanquam fructus
(cùm homo in fructu esse non possit,
l. in pecudum, cum aliis adductis s. *ff.
de vsufructu)* sed tanquam adhærens
adiectum, vel accessio rei principa-
lis.

Et hinc fit, quòd cùm rei principa-
lis dominium habens integrum, vel
saltem illud, quod nostrorum maior
pars VTILE † appellant, dominus e- 6
tiam sit cuiusuis accessionis rei prin-
cipali adhærentis, ancillæ dominus
sit & per consequens dominus partus,
quem

quem illa ediderit.
A qua verissima propositione lu-
7 cem accipit *textus* in *l.præterea* 20.† *ff.*
de rei vendicat. vbi possessor conuen-
tus rei vendicatione tenetur restituere
partum post litem contestatam edi-
tum, quia iam eo tempore ex re sua
non percepit, & ideò ad dominum
ancillam vindicantem defertur ex hac
sola causa, quam clarè designat Iuris-
consultus *Gaius* in illis verbis: *Resti-*
tuere debet possessor, & quæ post acce-
ptum iudicium per eum seruum non ex
re sua acquisiuit: dicitur enim res acto-
ris vendicantis, quod attinet ad cau-
sam fructuum, ex quo post acceptum
iudicium possessori mala fides super-
uenit, & scit ad se non pertinere, *l. nisi*
33. *ff. de de petit. hæredit.* iunctis his
quæ tradidimus s̃. *hoc cap.* §. 1. *num* 7. *ad*
finem.
8 Secundò, prædicta in causa sunt, vt
maritus † (rerum dotalium dominus
earum æstimatione factus, *l. æstimatis*
50. *cum seq. ff. soluto matrimon.*) partus
ancillarum suos faciat, *l. si mancipia*,
18. *ff. de iure dot. l. penult.* §. *mancipia, ff.*
solut. matrim. l. Licinius 48. *ff. de legat.* 2.
non quia rerum dotalium fructus sibi
acquirat ob onera matrimonij susti-
nenda, *l. dotis fructum* 7. *l. si is qui Sti-*
chum 56. §. 1. *ff. de iur. dotium, Mantica*
decis. 123. licèt ea fructus excedant (vt
aliqui putant) ex *l. diuortio*, §. *impen-*
dia, ff. soluto matrimon. maximè *Doctor*
Marta in *l.* 1. *quæst.* 11. *num.* 13 *ff. illo tit.*
vel quia vbi sunt onera matrimonij,
ibi debeant & fructus esse, d. *l. si is qui,*
§. 1. *Angel.* in *l.* 1. *num.* 1. *C. de bon. quæ li-*
ber. (quandoquidem partus ancillæ
in fructu non est) sed quia ancillæ do-
talis æstimatæ maritus dominus est, &
æstimatione eius periculum in se su-
scepit: ita tamen, vt quæ dicimus de
pari causa partus & fructuum con-
stante matrimonio ad maritum per-
tinentium, intelligenda sint vbi dos æ-
stimata data est, & omne eius pericu-
lum & commodum maritum respicit,
quo casu expresè loquitur *Pomponius*
in d. *l. si mancipia,* & *Iabolenus* in d. §.
mancipia, Proculus in d. *l. Licinius.* Ea-
dem enim (vt disertè ait *Cuiac. in com-*
ment. ad tit. C. soluto matr.) est ratio pe-
riculi & commodi, ita vt cuius pericu-
lo ancilla est constante matrimonio,
eius etiam commodo cedat partus. At
vbi dos æstimata † non est inter par- 9
tus & fructus, fœtúsve quosuis longa
differentia est: nam partus ad mulie-
rem soluto matrimonio simul cum an-
cillis redibunt; fructus verò vel fœtus
maritus sibi adquiret, vt docet disertis
verbis *Vlpian.* in *l. plerunque* 10. §. *si ser-*
ui, iuncto §. *sequenti, ff. de iur. dot. Iusti-*
nianus disertioribus in *l. vnica,* §. *cúm-*
que ex stipulatu, C. de rei vxor. actione.
Et ratio in promptu est, cùm nec ra-
tione fructus maritus partum acqui-
rere possit, quia in fructu non est, nec
ratione dominij, quod nunquam in
ancilla habuit, nec prætextu CAVSÆ
(ĩ tractandæ) quæ cessat vbi pericu-
lum vel damnum rei dotalis ad eum
non pertinet.

Et hinc pendet vera ratio deciden-
di ad *textum* in *l.* 1. † *C. soluto matrim.* 10
vbi dotis æstimatione facta partus ad
mulierem soluto matrimonio rediit;
quod ideò Imperatores ibi decreue-
runt, quia *pactione* vel *stipulatione* sibi
mulier præuidit de restituendis *rebus*
ipsis dotalibus si extarent, quorum ver-
borum sensus est (ex doctissimo *Cuia-*
cio s̃.) vt rerum quæ non extabũt, quo-
que extinctæ vel peremptæ sint, æsti-
matio non reddatur mulieri, & ei pe-
reant: id enim ipsũ operatur prædicta
pactio, vel stipulatio, quod rerum non
æstimatarum in dotem datio, *l. æsti-*
matis 50. *in fin. ff. soluto matrim.* Vt me-
ritò veniat refellendus *Barbosa* con-
trariæ sententiæ assertor in *l. æstima-*
tis numer. 34. *in fine, ff. soluto matrimon.*

contra *Paulum,Socin.* & *Couarr.* quos ibi refert: falsò enim nititur fundamento ducto à *l. si res* 12. §. *si mulier, ff. de iure dot.* quæ huius propositi non est.

Demum hac inlatione contentis addo, in restitutione vel retentione partus ancillæ dotalis soluto matrimonio id ipsum dispositum fuisse iu-
11 re nostro Patrio in † *l.*20.*tit.*11.*part.*4. vbi Rex & dominus noster ALFONSVS, cognomento SAPIENS, ita ait: *E dezimos, que si la muger diere alguna sierua a su marido, è la apreciare quando ge la diere, è el prometiere de l' dar el aprouechamiento della, si el casamiento se partiesse por muerte, ò por juizio, que en tal caso como este el pro, o el daño que auiniere por razon de aquella sierua, sea del marido. E aũ dezimos, si acaesciesse que tal sierua ouiesse fyos despues que fuesse dada en dote, serian otrosi del marido. Mas si por auentura recibiesse el marido sobri si el peligro tan solamente del empeioramiento, è non de la muerte, ò de la muerte, è non del empeioramiento, en tal manera maguer fuesse apreciada la sierua, non serian los fijos, ò fijo, que naciessen della del marido, mas de la muger. E si la muger no diesse la sierua apreciada, al marido pertenece el pro, ò el daño que veniesse por razon della, è serà de la mugerè, non del marido.*

SED cùm hodie huius legis decisio
12 correcta sit † per contrarium vsum, *l.fin.tit.*3.*lib.*3.*fori* (quæ est *l.*4.*tit.*9.*lib.* 5.*Recop.*) quibus statuitur bona, fructus, & prouentus constánte matrimonio acquisita, inter coniuges æquè soluto matrimonio diuidenda, meritò quærunt Iuris nostri Interpretes. An partus dotalium ancillarũ soluto matrimonio debeant inter coniuges diuidi, ac cæteri fructus seu prouentus? In qua quæstione prudentissimus *Gregorius Lopez* in d.*l.*20. vers. *Otrosi del marido,* optimè resoluit, partus ancillarum dispositioni dictarum legum (velut alij fructus) subiacere; mala tamen à principio ductus causa: ait enim, quòd etsi in d.*l.fin.tit.*3.*libr.*3.*fori* mentio tantùm fiat fructuum conferendorum inter coniuges soluto matrimonio (quorum appellatione partus non veniunt, *l.in pecudum, ff.de vsuris* cum aliis (at in d.*l.fin.tit.*4.*libr.*5. *ordinam.* ratio habetur redituum, & in *reditu* (vt is putat, sed non aptè, ex dicendis j.) fructus veniunt. Vnde (mihi) aliam aptiorem † rationem addit 13 idem *Gregor.* dicens, periculum ancillæ dotalis ad maritum pertinere, etiam si æstimata non sit, ex quo eius deterioratio vel amissio ex lucris debeat resarciri: vnde est, vt commodum etiam marito cedat, iuxta proximè dicta. His etiam ego efficaciorem † a- 14
liam subiungo rationem desumptam ex d.*l.fin.tit.*4.*lib.*5. *ordinamenti,* vbi non tantùm fructus & reditus, sed & bona constante matrimonio superlucrata communicantur: dubium autem non est, partus ancillarum in bonis esse, & *bonorum* appellatione contineri, sicut ancillæ: vt ex hac sola ratione meritò veniant refellendi *Ioannes Garcia in tract.de coniug. quæstu à nu.* 196. & *Gaspar Rodrig.de annis redit.li.* 1.*quæst.*1.*nu.*8. qui contrarium tenent, ea potissima moti ratione, quia partus in fructu non est, & aliis debilioribus, quæ Iure Ciuili, aut Partitarum attento procedunt, ad leges verò Fori, Ordinamenti & Recopilationis aptari non possunt, & ideò standum est sententiæ disertissimi *Gregorij Lopez,* quem sequitur *Villalobos communium opinion. littera* D.*num.*256. *Baeça* (qui in Granatensi Pretorio ita indicatum asserit) *de decima tutoris* d. *cap.*23.*num.* 3.& 15. *Gutier.de tutel.*3 *p.cap.*30.*nu.*4 & 14. *Morquecho de diuis.bonor.libr.*2. *cap.*11.*num.* 48. *Matienço* & *Azenedo* in d.*l.* 4.*tit.*9.*lib.*5.*Recop.* quos & alios cum

cum *Ioanne Garcia* & *Gaspare Rodriguez* in hanc eandem sententiam sine delectu citat nouissimè *Marius Giurba ad consuetudin. Messan. cap.1. glos. 3.num.15.*

Fateor, si in prædictis legibus Re-
15 gijs id tantùm † esset dispositum, vt fructus constante matrimonio quæsiti cõmunicarentur, partus ancillarum in communionem & diuisionem non venire, quia fructuum communicatio non inducit communionem rei dotalis (qualis est partus) ex traditis optimè à *Berreto cons.19.num.4.* quem refert & sequitur *Ioan.Bapt. Costa de ratione rata quæst.41.num.3.* At cùm ex d. *l.fin. tit.4.lib.5.ordinam.* bona à coniugibus sint communicāda, inde fit, vt & partus ancillarum in eorumdem diuisione contineantur.

Tertiò, à prædicta propositione elicio, quòd si in bonis forsan maioratus sint mancipia (vt euenire potest) à primo fundatore relicta, ea conditione, vt cum aliis rebus mobilibus vendātur, & tutò pretium super rebus immobilibus in censum collocentur, vel vt ex eo emantur bona cõsistentia, maioratu includenda, partus ante morá perceptos possessor maioratus suos faciet, vt qui dominus rerum maioratus. Quarum verũ dominium (de quo per *Molin. lib.1. de Hispanor. primog. cap. 19.*) minè, clareque hoc casu commonstrantur.

16 Et prædicta eodem iure & causa procedunt in maioratu † temporali & regulari ad certos gradus & personas restricto, vt primo vocatus, & grauatus mancipia & alia bona sequenti relinquere, partus ex his editos, dum viuit, suos faciat, vt in terminis ex pluribus optimè probat & resoluit *Gama dict.decis.135.per totam.* Neque enim maioratus regularis differt à perpetuo, dum successiones & vocationes durant, *Molina lib.primo, cap.quarto, numer.1.& 11.* & alibi, *Petrus Anton.de Petra de fideicommiss.quæst.5.num.53.* per *l.quoties ab omnibus*, cum alijs, *C.de fideicommiss.*

Quartò, ab his pendet vera ratio *text.*in *li.2.† D.de in diem adiectio.* iun- 17
ctò *§.primo eiusdem legis*, vbi pacto addictionis in diem ita concepto, vt puram constituat emptionem, fructus & *accessiones* (quo nomine partus continentur) lucratur emptor, non percepturus, si emptio perficeretur meliore conditione non allata, & esset conditionalis, quo casu ad venditorem & dominum simul rei emptæ pertinerent.

Quintò, inde etiam fit, vt *Vlpianus* in *l. quod si nolit 31. § si ancilla, † D.de* 18
ædilit.edicto, ancilla redhibita, & quod ex ea post venditionem natum erit, reddi deberi ait. Nam cùm redhibere nil aliud sit, quàm facere vt rursus habeat venditor, quod antè habuerat, *l. redhibere 21.D.illo titul.de ædilit edicto*: & id quidem retrotractione quadam adhibita fiat, qua fingitur, neque emptionem, nec venditionem intercessisse, *l. voluntate 10. D. quib.mod.pign. vel hypoth.solu. l. quia redhibito 9. D.de alienat iud. mutand caus.fact.l.cùm autem 23. §.Iulianus, l.facta redhibitione 60.D.de ædilit.edicto.* Inde fit, vt redhibito mancipio venditori fructus restituantur, non tantùm quos eius causa percepit emptor, sed etiam quos aliunde per mancipium fuit consecutus, d.*l.cùm autem, §.vltimo.* Ex quo mirum videri non debet, si partus ancillæ redhibitæ, siue vnus sit, siue plures, ad venditorem iure dominij pertineant in d. *§.si ancilla*, quem *Anton.Fab.de erroribus pragmaticor.decade 59.errore 9.* malè coniungit cum *l.1.C.de partu pignor.* & *l.1.D.de Saluiano interdicto*, & similibus, in quibus agitur de ancilla pignori data à venditore apud emptorem manente, non verò redhibita, vt

finistrè supponat *Faber*, in hoc *infr.* latiùs refellendas.

19 Quod autem dicimus, ancilla redhibita † partum simul cum ea ad venditorem pertinere, retroactis omnibus, & ad tempus venditionis reductis, dict. *l. quia redhibito*, cum aliis, intelligendum est (vt hæc obiter dicam) sine præiudicio obligationis in fauorem alterius tertij (cui ab emptore, veróque domino res pignori datur) redhibitione non dissoluendæ, dict. *l. redhibere, § primo, l. bouem* 43. §. *pignus*, *ff. de ædilitio edicto*: nisi ex voluntate creditoris, cui ancilla oppignerata est, redhibitio fiat, *l. si debitor* 4. *ff. quibus modis pignus vel hypotheca soluitur*. Et ideò hoc casu necessariæ cautiones præstandæ sunt venditori ab emptore, vt ancilla & partus apud emptorem securè permaneant, dict. *l. redhibere*, §. 1. *l. si post acceptum* 18. *ff. de rei vendicat.* Huiúsque rei ratio est, quia venditor ancillæ, & alterius cuiusuis rei ante redhibitionem verus eius dominus est, & ideò eam pignori dare potest. Quemadmodum & emptor rei cum pacto de retrouendendo, cuius, dum retrouenditur, dominus est: quinimò fructus suos facit, nec alios restituit, quàm quos post moram in restitutione pepercit, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

20 Sed in hoc retrouenditio à redhibitione differt, † quia hæc, vt prædiximus, omnia retroagit fauore emptoris & odio venditoris, cui regulariter inuito mancipium venditum redditur ex præstatione ædilitiæ actionis, *l. 1. §. 1. ff. de ædilit. edicto*, cum aliis (dixi *regulariter*, quia etiam venditori aliquãdo redhibitio datur, dict. §. 1. *ad fin.* dict. *l. redhibere*, §. 1. *l. item si serui* 30. *in princip. ff. de ædilitio edicto*: sed hoc velut in consequẽtiam fit iudicij principalis ædilitij in venditorem ab emptore suo libito instituti.) At in retrouenditionis pacto secus est, id enim ex sola venditoris volũtate locum habet, ab eáque pendet, & ideò quandiu emptionis & venditionis effectui & perfectioni contrariam non demonstrauerit, emptor fructus & partus securè percipiet, nec eos ante moram restituere cogetur, dict. *l. 2. Cod. de pact. inter emptorem & vendit.* iunctis his quæ latè & de plurium sententia resoluit *Mar. Giurba in consuetud. Messan. ca. 10. gloss. 10. à nu. 15.*

His adde aliam differentiam † resolutionis emptionis & venditionis ex necessitate pacti præcedentis, conceptíque sub conditione ambigua aut casuali; vel sub voluntaria & potestatiua: vt priori casu resoluatur pignus, *l. 4. 3. ff quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 4.* aliàs *l. si ex duobus, §. sed & Marcellus ff. de in diem adiect.* & omnes fructus & simul partus restituantur, ex regula *l. potior* 11. §. 1. *ff. qui potior. in pign. hab.* iunctis his quæ notat *Barbosa in l. si mora* 10. *numer.* 101. *ff. solut. matrimon.* In posteriore verò secus dicendum sit quoad fructus & partus (vt prædiximus) itidémque quoad pignus, dict. *l. 2. C. de pact. inter empt. l. fin. §. fi. ff. de fundo dotali, l. 4. ff. de lege commiss.* Vt enim conditio ista pendens à voluntate emptoris non retrotrahitur, *l. qui balneum §. 1. ff. qui potiores in pign. habean.* sicuti casualis d. *potior. §. ff. eodem*) ita nec quoad accessoria & insuper uenientia retrotrahi debuit. Vt inde mirum non sit, si resolutio emptionis virtute huius conditionis voluntariæ factæ fructus & partus interim ab emptore perceptos non afficiat, vel comprehendat, aut pignoris nexu rem retrouenditam liberet.

Sextò, à prædicta propositione † prouenit, vt ex capite accessionis & augmenti veniant partus in hæreditatis petitione, vt ait *Vlpian. in l. item veniunt*, 20. §. *sed & partus*, *ff. de petit. hær.*

fit.hæredit. & in *l.ancillarum 27.ff.eod. titul.*

Septimo loco † inde venit intelligendus *Paulus* in dict. *l. Falcidiæ legis 24. §.1.ff. ad leg. Falcid.* in illis verbis: *Eósque in quartam & quartæ fructus computandos, si de lege Falcidia quæstio intercedat*, vt partus (quos *in principio* §. dixerat pertinere ad hæredes rogatos restituere hæreditatem iuxta tradita per nos *supra.*) augeant hæreditatem legatis & fideicommissis particularibus grauatam, & ex eis quartam Falcidiam deducat hæres, vel in eam imputet: ita vt eadem sit ratio hæreditatis & augméti, vel accessionis, quod attinet ad deductionem quartæ Falcidiæ, iuxta doctrinam *Bartoli* communiter receptam in *l. si ex toto, ff. de legat.1.* iunctis his quæ resoluit *Molina lib.1.cap.26.*

24 Octauò ab hac causa † accessionis prouenit, vt ancillæ oppignoratæ partus posteà editi eodem sint pignore velut tacitè affecti, non vt fructus (cùm partus in fructu non sit, vt sæpè & sæpius iam diximus) nec vt pars matris (vt malè existimarunt *Cuiac.* & *Donel.* in *l.1.C. de partu pignor.* nam cùm editus est, alia res est principalis, vt diximus *in capite præcedenti*: quinimò & ante editionem pars non est substantialis, aut integralis matris ex latè ibidem annotatis) nec quia id tacitè videtur actum inter contrahétes vt partus quemadmodum fructus ex fundo pignori dato percepti, sint tacitè obligati, *l. in prædiis 7.* cum aliis, *ff. in quib. causis pign.* & nouissimè voluit *D. Amaia lib.3. obseruat. cap.1. num.41.* (hoc enim est quod quærimus, cur partus, qui non sunt in fructu tacitè censeantur pignerati? velut & quilibet alij fructus ex re pignori data percepti) sed quia, vt prædiximus, partus accessionibus accensentur, dict. *l.1. Cod. de partu pignor. l. Paulus 29. §. si mancipia 1. ff. de pignor. l. si conuenerit 18. §. si fundus, ff. de pignorat. actione, l.1. ff. de Saluiano interdicto*, in quibus & aliis partus veniunt sub pignore ancillarum: nam quæ postea nascuntur, & accessoria sunt, pignoris obligationi principali accedunt, *l. grege 13. ff. illo titul. de pignor. l. seruis 81. §. fin. ff. de legat.3.* Quò reducenda sunt quæ *Amaia supr. num. 42.* sese omnium primum excogitasse gloriatur.

Sed ingens controuersia est, An partus ancillæ pignori datæ editus apud emptorem pignori cedat, † vel liberè 25 ad eum pertineat? In quo *Paulus* distinguit in d. *l. Paulus*, §.1. dicens, partum eodem iure censendum quo ancilla pignori data, si dominium eius ad eum peruenit, qui obligauit, vel hæredem eius. Cæterùm si apud alium dominum ancilla peperit, partum nõ esse obligatum. At idem *Paulus* contrarium apertè decidisse & respondisse videtur, in dict. *l. si conuenerit 18. §. si fundus, ff. de pignorat. actione*, dum ait: *Si fundus pignoratus venierit, manere causam pignoris, quia cum sua causa fundus transeat, sicut in partu ancillæ, qui post venditionem natus sit*: & hæc adeò contraria & indissolubilia fuerũt *Antonio Fabro* † *de errorib. pragmatic.* 26 *decade 60. errore 4.* vt eum coëgerint interuertere litteram dict. *§. si fundus*, & loco illorum verborũ: *Sicut in partu ancillæ*, legere: *Secus in partu ancillæ*, quæ magis subtiliter, quàm verè, dicta puto, nec recedendum ab inueterata & recepta lectione ex vnius *Fabri* auctoritate.

Et ea retenta, ego valdè probo communem † horum iurium solutionem, quæ fuit *Glossæ* in d. *§. si fundus*, verbo *natus*, ab omnibus ferè Interpretibus Iuris approbatæ (& nouissimè à *D. Amaia* post *Menochium, Don. l.* & *Gothofredum, lib.3. obseru. c.1. § nu 44.* dum *tex.* in d. *§. si fundus* intelligit in partu

ancillæ concepto apud debitorem, & edito apud emptorem, *textum* verò in d. *l. Paulus, §.* 1. in partu concepto & edito apud emptorem ancillæ à venditore pignori obligatæ. Et hanc interpretationem à vitio diuinationis facilè defendes, si perpendas verba illa d. §. *si fundus: Sicut in partu ancillæ, qui post venditionem natus sit*, quæ præ se ferre videntur post emptionem ancillæ solam partus editionem & natiuitatem obueniſſe. Quin & in dict. *leg. Paulus*, §. 1. verba illa: *Cæterum si apud alium dominum pepererint*, generaliora sunt, & apta comprehendere conceptionem & editionem partus apud emptorem contingentem. Ad hæc quamuis verba d. §. *si fundus*, ampliora essent, restringenda tamen forent, & adaptanda iuris dispositionibus in causis quibuslibet partus (in plurimum respicientibus tempus conceptionis) ex his quæ latiſſimo sermone plures casus dinumerantes resoluimus in *ca.* 1. *in princ. sect. 2. per tot.*

Demum prædictæ interpretationi
28 maximè fauet decisio *text.* in *l.* 1. † *ff. de Saluiano interdicto*, vbi *Iulianus* ita ait: *Si colonus ancillam in fundo pignoris nomine duxerit, & eam vendiderit, quod apud emptorem ex ea natum est, eius apprehendendi gratia vtile interdictum reddi oportet.*

29 Quæ verba † adeò simul ingenium *Fabri* torserunt, vt diffisus his (illicò impugnandis) quæ circa eorum interpretationem anteà dixerat, *de erroribus pragmaticor. decade* 60. *errore* 2. & 4. non dubitauerit asserere in *Rationalib. super* d. §. *si fundus*, locum illũ mendosum esse, & legendum negatiuè hoc modo: *Nec vtile interdictum dari oportet*: nam cùm facilius sit (ait *Faber*) vt interdictum vtile detur, quàm directũ, *Iulianus* dubiorem casum resoluens, nec vtile interdictum pro partu apud emptorem edito competere dixit; alioquin enim & directum Saluianum locum habere deberet. Quod intelligendum asserit, etiam si partus conceptus esset apud debitorem. Sed ô bone Deus! quàm malè sibi consulit iste *Auctor*, qui à peruio & noto tramite discedens, ire per distentum funem (vt est in prouerbio) maluit, & cum *Euripide* dicere:

Τὸ μὲν μ' ἔλιπε κῦμα, τὸ δ' ἐγκατελάμβανεν.

Hæc me reliquit vnda, at illa corripit.

Quæ verò idem *Faber* gloriosus astruebat *de errorib. pragmaticor. decade* 59. *errore* 8. 9. & 10. circa intellectũ dict. *l.* 1. *ff. de Saluiano interdicto*, diuinationem & suppositionẽ quàm manifestam continent, dum pluribus verbis ait, illum *textum* intelligendum de ancilla redhibita simul cum partu ad terminos d. *l. quod si nolit.* 31. §. *si ancilla, ff. de ædilit. edicto*: ita vt pro partu, qui pignori expreſſim obligatus non est, detur Saluianum interdictum vtile, de quo ibi, non verò directum, quod expressam requirit oppignerationem, §. *interdictum, instit. de interdict.* iuncta *l.* 1 §. *penult. ff. de migrando.* Etenim in se fallæ sunt huiusmodi assertiones, nam ancilla redhibita partus eius, quamuis plures sint, accessionis causa, & iuris potestate pignori accedunt, dict. §. *ancilla*, d. *l. Paulus*, §. 1. ibi: *Ea quoque quæ ex his nata sunt, eodem iure habenda sunt*, & paulò inferiùs: *Siue specialiter de his conuenerit, siue non.* Quis autem dicere, aut excogitare potuit in hypotheca iure & consequentia neceſſario inducta, vtile Saluianum, non directum, dari? cùm omnibus innotescat, quæ vtilitatis causa in iure introducta sunt, eius regulis & rigori non conuenire, vt ex variis iuribus comprobauimus *suprà cap.* 2. *in princ.*

Fatendum ergo est cum communi interdictum, de quo in d. *l.* 1. *ff. de Saluiano*

30 *uiano interdicto*, ideò † vtile appellatum à Consulto, quòd in emptorem, tertiúmque possessorem ibi fuit concessum, vt cum communi contra *D. Franc. Sarmientum, Menochium*, & alios resoluit *Statilius Pacificus de Saluiano interdicto, in spect. 3. c. 1. nu. 32.* post *Marcum Anton. Eugen. cons. 65. nu.* 20. & disertè annotauit *Iacob Cuiac. libr. 5. obseru. c. 24.* idem *in lib. 29. Pauli ad Edictum super* d. *l. si conuenerit, §. 1. ff. de pignorat. actione*, & *in commentar. ad ti. Cod. de precario & Saluiano interdicto*: vbi strenuè ait, Saluianum interdictum directum id esse, quod locatori competit in conductorem ad adipiscendam possessionem rerum ab eo pignori obligatarum pro pensione prædij; quasi Saluianum verò (quod ad instar quasi Seruianæ actionis introductũ est) dari creditori ad persequendam possessionem rerum sui debitoris pignori obligatarum vbicunque sint. Quod ideò *vtile* dicitur in dict. *l. 1. ff. de Saluiano interdicto* (quò loci tantùm huius vocis mentio fit) quia cùm omnia interdicta vi ipsa personalia sint, *l. 1. §. interdicta, ff. de interdict. & extraordinar. action.* & actionem personalem pariant, *l. competit 16. in fin. ff. quod vi aut clàm*, tertius rei obligatæ possessor non poterit directo, sed vtili tantùm quasi Saluiano interdicto conueniri, de quo in d. *l. 1. ff. de Saluiano interd.* &
31 in *§. 1. eiusd. legis* (ita intelligendo † in illis verbis: *Singuli aduersus extraneum Saluiano interdicto rectè experientur.*)

In quorum explicatione malè hæsitauit *Donel.* in d. *l. 1. C. de precario*, cùm aliàs non ignoraret, *Theophilum in §. interdictum quoque, instit. de interdict.* asseruisse, Saluianum dari etiam aduersus eum quì pignora emit à conductore, eodémque debitore, quod nisi de vtili interdicto intelligi non potest, quo *rectè* (vt ait *Iulianus* in d. *l. 1. §. 1. ff. de Saluiano interd.*) in extraneum experimur. Nec enim Consultus dictione illa *rectè* vteretur in casu in dubio, si interdictum scilicet directum in tertium rei possessorem daretur, quod expressè † denegandum firmauit Imperator *Gordianus* in d. *l. 1. C. de precario*, in illis verbis: *Id enim tantummodo aduersus conductorem, debitorémve competit*, quæ oratio disiunctiua pro coniuncta accipi debet, vt aliàs optimè aduertit *Donellus in comment. ad illum titulum.* 32

Errauit tamen iste *Auctor* † toto cœlo, dum sibi contrarius *numer. quinto*, putauit ex prædictis verbis (per cũ immutatis, vt *inferiùs* dicemus) elici directum Saluianum dari in quemcunque possessorem, déque eo intelligendum *text.* in d. *l. 1. ff. de Saluiano interd.* vbi vtilis interdicti ideò mentionem non fieri ait, vt *in principio legis*: non aduertens ob id tantùm nomen vtilis interdicti non repeti, quia in proximioribus, immediatísque verbis Iurisconsultus illud expresserat; nec enim aliter aduerbium *rectè* constanter exstaret, ex iam dictis. Fallitur etiam eodem *numero quinto Donellus*, dum ait, si directum Saluianum in quemcunque possessorem non daretur, superfluum esse, cùm sufficeret pignoratitia actio contraria pro consequenda quauis re pignori data, quantumuis aliena *l. 1. in fin. l. si rem 9. in princ. ff. de pignorat. actione*: nam ad multa alia vtile est interdictum Saluianum, eiúsque persecutio, vt quæ summaria in iudicio possessorio (Iure Ciuili appellationem non admittente, *Barto.* in *l. 1. ff. de Saluiano interd. Lancell.* post alios, *de attentatis 2. p. cap. 12. limitat. 25. n. 11. Statilius Pacific.* ex pluribus, *de Saluiano interd. in spect. 4. c. 1. & 2.*) Addit ibidem *Donellus* in comprobationem suę sententiæ quòd directum Saluianum aduersus conductorem, colonúmve tan- 33

tùm competeret, non sese restrinxisset Legislator in d. *l.* 2. *C. de precario* ad rē coloni venditam, sed generaliter loqueretur de quauis re coloni, quæ ab extraneo quocumque titulo, vel causa, vel absque ea possideretur. In quo *Auctor* iste sibi ipsi non constat: mutat enim terminos, & quæ *Gordianus* in *d. l.* 1. Seruianæ tribuit actioni, vel quasi Seruianæ (qua creditor expetitur aduersus emptorem pro re inuecta & illata, pignoríque sibi anteà supposita à venditore, §. *item Seruiana, instit. de act.* ad Saluianum interdictum pessimè refert contra illa verba *tex. Non interdicto Saluiano, sed Seruiana*, &c. Adhæc prædicta *Donelli* consideratio (quando essemus in Saluiano) friuola est, si aduertas, *Gordianum* in d. *l.* 1. *C. de precar.* ideò emptionis mentionem fecisse, quia communior: vel quia sub ea omnis alienatio continetur ex *lege xij. Tabul.* iuxta sententiam *Pompony* in *l. statu liberi* 29. §. *Quintus Mutius ad fi. ff. de statu liber.* Demum addo veram sententiam d. *l.* 1. *C. de precar. & Saluia. interd.* eam esse, quam eius verba clarè demonstrant, ait *tex. Si te non remittente pignus, debitor tuus ea quæ tibi obnoxia sunt, venundedit, in integrum tibi ius est, ea persequi, non interdicto Saluiano (id enim tantummodo aduersus conductorem, debitorémve competit) sed Seruiana actione, vel quæ ad exemplum eius instituitur, vtilis aduersus emptorem exercenda est*, quasi diceret Imperator *Gordianus*, re in fundum inuecta vendita, aut donata, aut aliter alienata, & eius possessione in emptorem, donatarium, aut quemuis alium translata creditorem vel Seruiana, vel quasi in possessorem experturum iri, non verò Saluiano directo, quod in conductorē tantùm datur. Nec tamē inde inferas, Imperatorē vtile Saluianum (iam anteà à *Iuliano* interdictorum compilatore inter perpetua interdicta apposito, de quo & ipse egerat in *dict. l.* 1. *in princ.* & in §. *primo, ff. de Salu. interd.*) exclusisse.

Hæc clarè demonstrant, quàm deuia à Iuris tramite sit interuersio à *Donello* excogitata illorum verborum: *Aduersus conductorem, debitorémve competit*, quorum loco d. *nu.* 5. reponere conatur: *Aduersus conductoris rem, debitorísve competit*, in quo erroneam quandam stabilire conatur sentētiam in causa interdicti Saluiani, ex traditis *supr.* Tum etiam quòd asserit, vel saltem supponit paulò *inferiùs*, eodem *num.* 5. interdicti Saluiani & actionum in rem candem causam esse, contra *textum* in d. *l.* 1. §. *interdicta, ff. de interdictis*, cum aliis *superiùs* adductis.

Destructis ergo his, quæ in arena (vt aiunt) ędificauerunt *Hugo Donellus* & *Antonius Faber*, superest vt veram rationem † concordiæ ab Interpretibus assignatæ inter dictam *l. si conuenerit* 18. §. *si fundus, ff. de pignoratit. actione* cum *l. Paulus* 29. §. *si mancipia, ff. de pignoribus*, in medium proferamus: & his, quæ ex aduerso (præsertim à *Fabro*) adducuntur contra eam, faciamus satis.

Et sanè omissa consideratione *Cuiacij*, qui hoc casu recurrit ad regulam *l. qui in vtero* 7. *&* 26. *ff. de statu hominum*, quàm rectè impugnat *Antonius Faber* dicta *decade* 60. *errore* 1. *ad finem*, & (quamuis ibidem quædam erronea, & dispositioni dictorum iurium aduersantia supponat) ego rationem *textus* in dicto §. *si fundus*, & in dicta *l.* 1. *ff. de Saluiano interdicto*, & in *d. l.* 1. *Cod. de partu pignoris* (vbi causa pignoris manet vendita ancilla, quę iuxta communem *Glossæ* & aliorum sententiam apud venditorem concepit) petendam puto ab illo proposito per nos *suprà* iuris principio, id est, extra causas vsusfructus & vsucapionis (in quibus ancillæ partus in fructu non est) in

in aliis prædicti partus rationem habendam, ex titulis *accessionis*, *causæ*, *moræ*, aut *æquitatis*, iam propositis *sup.*
35 *n.1.* Vnde est, vt quemadmodum † fundo cum fructibus specialiter vel nominatim pignori dato, exstantes emptor creditori restituere cogitur, *l.1.§. cùm prædium, ff. de pignor.* ita ancilla prægnante oppignerata, emptor creditori partum restituat: cùm hoc casu eadem sit ratio partus, quæ alterius cuiusuis rei fructus, vt expresse probat *Gaius* Iurisconsultus in dicta *l. potior 11. §. si de futura, ff. qui potior. in pignore habean.* vbi ita apposite ait: *Si de futura re conuenerit, vt hypotheca sit, sicut de partu, hoc quæritur, An ancilla conuentionis tempore in bonis fuit debitoris? & in fructibus, si conuenit, vt sint pignori, æquè quæritur, An fundus, vel ius vtendi, fruendi conuentionis tempore fuerit debitoris?*
36 Præterea ex quo † partus, dum in vtero est, portio viscerum matris est, vt *à l.1.§. ex rescripto, ff. de ventre inspiciendo*, & aliis probauimus exactè *s. cap.2. post princip.* & ex quo partus spes animantis esse dicitur in *l.2. ff. de mortuo inferendo*, cum aliis ibidem adductis, hanc partem (accidentalem licèt) matris, siue spem hominis simul cum ancilla pignori datam fuisse fatendum est: quin & vendi posse, ex iam dictis *d. cap.2.* Ita vt euicto partu, emptori detur actio ex empto, *l. non quocunque 82. §. Iulianus, ff. de legat.1.* Quam disertissimè interpretatur *Anton. Fab. de erroribus pragmat. decade 60. errore 4. ad fin.* differentiam valdè notandam constituens inter illum *text.* & *l. si prægnās 42. ff. de euiction.* Et dictis ab eo adde per nos annotata in *c. præced. in princ. num.17. & 18.*
37 Nec prædictis quidquam obstat (vt *Faber* putat) *text.* in *l. inciuile 12.* † *C. de rei vendic.* & in *l. fin. ff. de acquir. rerum domin.* vbi *Venuleius* ita ait: *Cùm prægnās mulier legata, aut vsucapta, aliove quo modo alienata pariat, eius fiet partus cuius ea est, cui emeretur, non cuius tunc fuisset, cùm conciperet:* nam hoc generale est in alienatione cuiusuis rei fructiferæ, *l.7. & 8. ff. de periculo & commodo rei vendita*, cum aliis: & tamen præuenti pignoris causa (in qua sumus) ob id non excluditur.

Secundò, non obstat consideratio *Fabri in Rational. super d. §. si fundus*, vbi ait, creditorem nullum ius † in partu 38 habere, nisi ad dominium debitoris perueniat, vt scriptum est in *d. l. Paulus 29. §.1. ff. de pignor.* quod aliter fieri nō posse idem *Faber* ait, quàm si partus ex ancilla obligata, non tantùm conceptus, verùm & editus sit apud debitorem. Nam respondetur, *Paulum* ibi casum nostrum singularem partus cōcepti apud debitorem, & editi apud emptorem non tractasse, sed generaliores, & qui facilè euenirent, partus scilicet concepti & nati apud debitorem vel emptorem: & in hisce apposite subiungit obligatum manere creditori eum partum, cuius dominium ad suum debitorem *peruenit*, id est, pertinet, secùs si ad alium dominum: & sanè hac acceptione verbi PERVENIT pro *pertinet* (generalē *Pauli* propositionem enodante) vsus est *Vlpianus* in *l.2. §. perueniſſe, ff. de hered. vel act. vend.* & *Pompon.* in *l. perueniſſe 171. ff. de verb. signif.* Casus verò omissus à *Paulo* decidendus est per *d. l. si conuenerit, §. si fundus*, cum aliis.

His addo, quòd si in prædictis illis verbis: *Si dominium eorum ad eum peruenit*, *Paulus* vti voluit verbo *peruenit* pro *accipere*, vel *habere* cū effectu (vt in *l. nomen filiarum 164. §. finali, ff. de verborum significatione*) referri quidem illa debent ad partum simul cum matre à debitore redhibitū, iuxta terminos *textus* in *d. l. quia redhibito 9. ff. de alienation. iudic. mutandi causa facta,*

& in d. *l. redhibere* 21. *D. de ædilit. edicto*, cum aliis *suprà* adductis. Vel intelligi in ancilla sub conditione & pacto in diem adiectionis à debitore & emptore recuperata, iuxta *textum* in d. *l.* 2. 4. *&* 16. *D. de in diem adiect.* Vel sub pacto legis commissoriæ, vt in d. *l. si fundus* 4. §. *sed quod ait Neratius, ff. de lege commissoria.* Vel in ancilla in dotem data cum pacto restitutionis faciendæ, si tempore soluti matrimonij exstet, de quo in singulari *l.* 1. *C. solut. matrimon.* & aliis similibus de quibus *supr.*

Tertiò, prædictæ communi interpretationi non obstat alius obex, quo vsus fuit *Antonius Faber in Rational. ad dictam l. si conuenerit, §. si fundus*, di-
39 cens † partum dum editus non est, hominem non esse, *l. in lege Falcidia* 9. *ff. ad legem Falcidiam*, & ideò nec in vllius dominio, vel pignore esse posse, *l. vltima, D. de collatione bonorum.* Nã etsi homo non sit, nec ei hæreditas, vt nato, conferri possit, vt in d. *l. vltima*, est tamen pars viscerum matris, d. *l.* 1. §. *ex hoc rescripto, D. de inspiciend. vent.* & spes animalis nascituri, d. *l.* 2. *ff. de mortuo inferen.* & ideò velut accessionis iure tacitè subiicitur pignori, ex iam dictis.

Et ab istis fit etiam satis vltimæ op-
40 positioni † *Fabri* asserentis *vbi suprà*, pius eius rei quæ in dominio & bonis debitoris, nec tempore nascentis obligationis, nec posteà vnquam fuisset, non tenere, ex dicta *l.* 1. §. *cùm prædium in fin. D. de pignorib.* Nam & fructus percipiendi pignori dari possunt, vt ex eodem §. *cùm prædium* (quamuis esset decurtatus, vt securè ibi affirmat *Gothofredus*) clarè colligitur: præsertim iunctis his quæ in eius elucidatione disertè annotauit doctissimus *Cuiacius in commentariis ad lib.* 11. *responsorum Pauli*, vbi optimè adstruit fructuum hypothecam vel pignus, licèt nunquam in bonis debitoris fuerint, quia quę ex fundo, cęterisq; bonis eius posteà nata sunt, hypothecæ subiici possunt, vt probatur apertè in *l. & quæ nondum* 15. *ff. de pignoribus*, vbi *Gaius* ait: *Quæ nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecæ dari posse, vt fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum*, facit *text.* in *l. nec emptio* 8. *D. de contrahenda emptione*, & in *l. interdum* 73. *D. de verborum obligatione. l. quod in rerum* 24. *D. de legat.* 1. Quas *Fabrum* latuisse mirum est valdè, & simul miranda est eius interpretatio ad dictam *l. & quæ nondum, §.* 1. quam paulò inferiùs refellemus.

Vnum illud annotare superest † hoc 41
casu (quem ex dicto §. *si fundus cum* aliis prosequimur) creditori actioné vel persecutionem partus dari in emptorem, vel quemuis ancillæ possessorem, siue de partu pignori obligando nominatim conuenit dict. *l.* 1. §. *cùm prædium, D. de pignoribus*, siue sola ancilla prægnans specialiter, vel generaliter à debitore fuerit oppignerata, vt clarè probat *textus* in dicta *l. Paulus*, §. 1. *D. eodem tit.* Nam his omnibus casibus creditori saluum semper remanet pignus partus postea editi: & 4
exstantis † in bonis debitoris, vel alterius: velut & fructuum quorumque natorum, & non consumptorum pignoris persecutio datur in *l. quidam hæredem* 7. §. *primo, D. de trit. legato, l.* 1. *in fin. ff. de condit. & demonstr.* & dict. §. *cùm prædium.*

Nec his quæ de tacito, siue expresso pignore partus & fructuum diximus, obstat d. *l. & quæ nondum*: † nam verbum *conuenerit*, quo ibi Consultus vtitur, referri debet ad quamuis conuentionem super ancilla prægnante interpositam, vel super fundo fructus pendentes habente: siue ea expressa sit, siue tacita, d. *l. Paulus*, §. 1. *D. de pignor.* Licèt enim pactum speciale interpo-

terpositum non fuerit super partu o-
bligando, iuris tamen potestate, & in
consequentiam præcedentis conuen-
tionis, in qua ancilla fuerit opignera-
ta, partus quoque obligatus censetur,
vt fatetur *Anton.* ipse *Faber de error.*
pragmat. decade 59. erro. vlt. errore ta-
men suo persistens circa intellectum
d. *l.* 1. *D. de Salu. interd.* cum alijs simi-
libus, de quibus *supr.* egimus.

Sub hæc impugnanda venit distin-
ctio eiusdem *Ant. Fabri*, qui *in Ra-
tion.* ad d. §. *si fundus*, diuersam causam
esse ait hypothecæ bonorum præsen-
tium (in qua nos sumus) ab ea quæ fit
super omnibus debitoris bonis, quæ
habet quæque habiturus sit (quam
appellamus *bonorum præsentium & fu-
turorum*) in qua veniunt fructus, vt
iste ait, ex dicta *l. & quæ nondum*, §.
1. *D. de pignor.* & d. *l. finali, C. quæ res
pign. obligari possunt.* Nam, vt præ-
diximus, dicta *lex & quæ nondum, in
princ.* clarè probat, fructus penden-
tes, & partus ancillæ sub hypotheca
& pignore bonorum præsentium ve-
nire, nec opus esse generali præsentiũ
& futurorũ obligatione, vt nexui hy-
pothecæ suppositus videatur: ac sua-
dere conatur *Faber* ex dicta *l. & quæ
nondum*, §. 1. qui alterius est casus &
propositi, longè distantis à nostro, de-
cisi in principio *illius legis*; quem, *Fa-
ber*, in proposito persistens, præterijt,
mendicatum inquirens suffragium à
dicto §. 1. in quo fructuum & partus
mentio nulla, sed generalis regulæ,
contentæ in *l.* 3. *in fine*, *D. de pigno-
ribus*, & in *l. ante omnia* 23. *D. de pro-
bationibus*, quæ habet, rem quæ in bo-
nis est, pignori dari posse: cuius de-
clarationem, vel limitationem ad-
ducit *Gaius*, dicens, non procedere
in ea obligatione, qua quotidie cau-
tionibus inseri solet: *Vt specialiter re-
bus hypothecæ nomine datis, cetera etiã
bona teneantur debitoris, quæ nunc ha-
bet, & quæ postea adquisierit, perinde ac
si specialiter eæ res fuissent obligatæ*, ita
vt principio, & §. 1. *illius legis* dupli-
cem limitationem adduxerit *Gaius* ad
dictam *l.* 3. *D. de pignoribus*, & simi-
les.

Stat ergo firma communis senten-
tia, interpretatióque & concilatio di-
ctæ *l. si conuenerit*, §. *si fundus*, *D. de pi-
gnoratitia actione*, cum *l. Paulus*, §. 1. *D.
de pignoribus*; & alijs præmaximè di-
cta *l.* 1. *D. de Saluiano interdicto.* Et ea
admissa, & benè perpensa iuxta tradi-
ta *supra*, facilè elides † plura alia huius- 44
modi propositi à *Fabro* incassùm ef-
fusa in *decade* 60. *errore* 4. & 5.

Demum prædictis omnibus addo
distinctionem communem, qua ad
concordiam reduximus d. *l. si conue-
nerit*, §. *si fundus*, *d. de pigneratit. actio-
ne*, & similes, cum dicta *l. Paulus*, §. 1.
D. de pignorib. apertè apud nos appro-
bari † in *l.* 16. *tit.* 13. *part.* 5. cùm ait: *Si* 45
*aquel que empeño su heredad seyendo el
tenedor della la sembrò, ò si se empreño si
era sierua, ò otro granado qualquier de
aquellos que conciben è parẽ, maguer que
despues desto la vendiesse, ò la empeñasse
à otro, ò la enagenasse de otra manera
qualquier, dezimos, que tãbiẽ fincan obli-
gados los frutos de qualquiera destas co-
sas sobredichas à aquel que las tenia à pe-
ños como la cosa misma que le fue empeña
da. Mas si aquel a quien es enagenada la
cosa que es puesta en peños, seyendo tene-
dor della la sembrasse, ò diesse otro fruto
de si, dezimos, que entonce los frutos no
fincan obligados à aquel à quien era pri-
meramente obligada la cosa empeños.*

Nonò, à principali themate huius
primæ sectionis deduco heredem gra-
uatum ad diem † de restituenda he- 46
reditate, non tantùm fructus suos in-
terim facere, *l. postulante* 44. §. 1. *D. ad
Trebel.* sed etiam partus ab ancillis re-
stituendis ante diem fideicommissi ce-
dentem editos, ex ratione prædicta-

quam innuisse videtur *Marcellus* in
d.§.1.ibi:*Omnia ea hæreditatis appella-*
tione continentur, quasi diceret, fructus,
vsuras, pensiones & partus ad hære-
dem pertinere, vt qui verus dominus
est *l.non ideò minus 66.ff. de rei vindi-*
cat. notatur in *l.fin.§.sin autem,C. com-*
munia de legat. Gama d.*decis.*135.*num.*
7. Qui *num.*3 huius rei aliam rationem
deducit ex *l.si ita relictum fuerit* 43.*§.*
*Pegasus,ff.de legat.*2. iuncta *Glos.* com-
muniter recepta, verbo *possunt*, in *l.*1.
ff.de condit.& demonstration. quia di-
latio restitutioni adiuncta gratia hæ-
redis grauati apposita censentur, ita
vt fructus, accessiones, aliaque emo-
lumenta medio tempore percepta
non veniant in restitutione fideicom-
missi.

Imò non tantùm ante diem fidei-
47 commissi † partus suos faciet hæres,
verùm & adueniente die, vel existen-
te conditione ante restitutionem sus-
ceptos, dùm tamen in mora non fue-
rit (in qua constituitur post legitimam
requisitionem, *l.*1.*& fin.C.de vsuris, l.si*
quis bonorum 23.*ff.de legat.*1. *paulus* &
Salicetus in *l.iubemus,C. ad Trebellia-*
num) interim enim dum ab hærede fi-
deicommissum non petitur, dominus
dicitur ex *Bartolo* in *l.in fideicommissa-*
riam,ff.ad Trebellianum, Marzari.de
*fideicommissis,3.parte,quæst.*61. Sufficit
enim si paratus sit hæres voluntati te-
statoris obtemperare & hæreditatem
illicò restituere, cùm fideicommissa-
rius voluntatem suam media requi-
sitione demonstrauerit, ex his quæ in
proposito annotarunt *Alex. cons.*1.*n.*
4.*volumine* 7:*Cephalus cons.*240.à *num.*
18 *volum.*2.

Hæc autem verosimilia fient con-
sideranti, in fideicommissarium vni-
uersalem non transire dominium ip-
48 so iure † adueniente die, nisi ei resti-
tuta sit hæreditas re vel verbo, *l. resti-*
tuta 37.*ff. ad Trebellianum,§.restitu-*
ta,institution.eodem titulo : & inde e-
uenire, vt quidquid ex re sua, id est,
hæreditate hæres grauatus perceperit,
suum faciat, iuxta tradita per omnes
in *l.*1.*ff.de legatis* 1.*Gama* d *decis.*135.*nu-*
*mer.*2. *Duaren.* in *l.si mora* 10.*in fine,D.*
soluto matrimonio, & ibi *Barbosa nu.*98.
& 103. vbi hoc limitat in fideicommis-
so particulari † ex *l.*1.*C.commun.de le-* 49
gatis, ita vt non obstante eius negli-
gentia, cui restitutio facienda est, fru-
ctus ex re post diem percepti eidem
sint restituendi, *l. Herennius* 42.*ff.de v-*
suris. Et hoc ipsum locum habere ait
Barbosa, quamuis oblatum † ab hære- 50
de fidei. ommissum accipere recusset
fideicommissarius iste : nam adhuc
rem, & quidquid ab ea prouenit, ad
eum pertinebit, non ad hæredem, qui
fructus, & quiduis aliud ex re aliena
perceptum, suum non faciet, *l. qui scie-*
§.fin. cum aliis, *ff.de vsuris.* Addit de-
mum is *Auctor*, hoc ipsum dicendum
& tenendum etiam † in fideicommissis
vniuersalibus, in quib. inuenitur præ-
cauta translatio dominij, aliàs ipso iu-
re inducenda, de quibus nouè per *Iu-*
stinianum in *l.penultima, §.finali, C.ad*
Trebellianum : in his enim eadem mi-
litat ratio, quæ in fideicommissis par-
ticularibus, ex *Bartolo, Emanuele Co-*
sta, Cephalo, & aliis relatis à *Barbosa*,
qui subinde, & per necessariam conse-
quentiam demum infert aliter di-
cendum in fideicommissis particula-
ribus, in quibus dominium ipso iure
non transfertur, ex *Bart.* & aliis per
eum adductis.

Sed hæc quæ in genere tractata
sunt in causa heredis grauati, si in spe-
cie adaptari velis partui ancillæ spe-
cialiter restituendæ, vel simul cum
tota hæreditate, valdè dubia, & dif-
ficultatibus implicita inuenies; nam
etsi resolutioni in fauorem hæredis
grauati *suprà* traditæ accinere vide-
tur *paulus* Iurisconsultus in *l. paulus*
14.§.

24.§.1.*ff.de vsuris*, & in *l.Falcidiæ legis* 24.§.1 *ff.ad legem Falcidiam*, & *Scæuola* in d.*l.vxorem* 41.§.*sorori*,*ff.de legatis* 3. & in *l.filium* 21. *ff.de optione legata.* vbi partus ancillarum ante aduentum diei restitutioni earundem præfiniti ad hæredem pertinet, apertè tamen
52 contrarium † asseruisse videntur *Papinianus* in *l.deducta* 58. §.*hæreditatem*, *ff ad Trebellianum*, & *Vlpianus* in *l. mulier* 22.§.*sed enim ff.eodem titul.* In quorum iurium conciliatione valdè laborant Interpretes, vt colliges ex pluribus solutionibus congestis à *Flores de Mena* ad dictam *decisionem Gamæ* 135.*col.3.vsque in finem*,& nouissimè à *D.Amaia lib.3.obseru.c.1.§.1. ex n.7.*

53 Sed communior solutio † est *Glossæ* communiter receptæ, quæ *textum* in dicta *l.Paulus* §.1.cum similibus intelligit in hærede grauato nondum in mora constituto, *textum* verò in dicta *l.deducta*,§.*hæreditatem*,in herede moroso: quam post alios nouiores probant *Corasius lib.5. Miscellanearum*, *cap.8.num.5. Gothofredus in scholiis ad d.§.1.* Sed eam vti diuinatoriam optimè refellit ex aliorum sententia *Gama* dicta *decisione* 135.*numer.5.* Et dictis ab eo adde, facilè explodi ex iisdem ipsis iuribus: nam vt disertè notat *Cuiacius libr.9. responsor. Papiniani* ad d.*l.deducta*,§.*hæreditatem*,*textus* ille in thesi nihil differt à d.§.1. Ni velis differentiam constituere in eo quod *Paulus* egit de restituenda hæreditate SINE REDITV, *Papinianus* EXCEPTIS REDITIBVS, in quo re vera nulla est,quidquid excogitauerint *Alexander*,& alij ·j.referendi: vt inde manifestè appareat, diuinationem & suppositionem maximam in se continere communem *Glossæ* solutionem. Quinimò eam mihi aperto Marte impugnat *Vlpianus* in d.*l. mulier*, §.*sed enim:* vbi loquitur de partubus medio tempore,hoc est,ante diem fideicommissi cedentem editis,vt clarè probatur ex §.*præcedenti*, in cuius principio agitur de restitutione post moram facta: & à versiculo *alia* (qui influit in dicto §.*sed enim* immediatè subsequentem) loquitur de restitutione in diem, vel sub conditione facienda, & de perceptione fructuum medio tempore contingente. Vnde est vt dictus §.*sed enim* veniat etiam intelligendus de partu,medio etiam illo tempore, edito, quidquid aliud in mentem venerit *Flores de Mena* ad dictam *decisionem Gamæ* 135. *ante finem*.

Adhæc *Vlpianus* partem extantem ibi ait à rogato restituendum, quia in fructu non habetur, ergo de partu agit ante conditionem, vel diem fideicommissi cedentem edito: alioquin ex causa vel mora fideicommissario esset restituendus,ex dicendis ·j. non quia in fructu non sit hæredi grauato.

Nec sustineri potest interpretatio *Raphael.* † *Fulgos.*in d.*l.Paulus*, §.1.*ff. de vsur.* quam suscitauit *Anton. Gonean.*in d.*l.Falcidiæ legis* 24. *ff. ad leg. Falcid.* & post alios sequitur nouissimus *D.Amaia lib.3.obseru.c.1.§.1.exn.* 18. qui illa verba *Papiniani* in d.§. *hæreditatem: Ancillarum partus non retinebit, nec fœtus pecorum, qui submissi gregem retinent*, referunt tam ad partus ancillarum, quàm ad fœtus pecorum,ac si familia ancillarum esset antiquitùs ad modum & normam gregis, quæ supplenda esset ex agnatis, nimirum vt grex pecorum: nam vt disertè notat *Cuiac.*·s. nusquam tale quid factum fuit(quamuis mancipia pecorib. & iumentis aliàs assimilarentur, *l.ædiles* 38.*ff.de ædilitio edicto*,& alibi annotauimus) vt pecudum nomine serui 54

comprehenderentur contra *l. 2. ff. ad leg. Aquil.* Addit *Cuiacius*, & rectè, non esse eandem in ancillis, quæ in pecoribus fœcunditatem, & eos qui gregem seruorum dicunt (quos diligenter recensent *Hilliger. ad Donellum libr. 7. cap. 28. Iulius Pacius centur. 5. quæst. 43. D. Amaia* d. §. 1. *num. 19.*) impropriè & figuratè loquutos, vt qui *gregem venalium, gregem amicorum, gregem Philosophorum* dixerunt: quibus sanè valdè conferunt tradita ab *Alexand. ab Alex. lib. 3. Dier. Genial. c. 1.* Subaddo hac solutione *Fulgos.* & *Gouani* admissa, adhuc obstare *tex.* in d. *l. mulier*, *§. sed enim.*

Demum assentiri non possum in-
55 terpretationi *Alexand.* † in d. *l. mulier, §. si hæres, ff. ad Trebel.* (quem vltimo loco post alios probant *Gama* d. *decis.* 135. *nu.* 7. & eius *Additionator* ibidem *ad finem*, & *Rodrig. de annuis redit. lib.* 1. d. *quæst. n. 6.*) dicentis, *tex.* in d. *§. hæreditatem* loqui in hæreditate exceptis reditibus restituenda, quo casu reditus tantùm expressè sunt excepti, ac proinde omnia alia inclusa, ita vt partus, & quæcunque ex hæreditate obuenientia, siue accidentia, exceptis reditibus, veniant in restitutione ex vi verborum illorum: *Exceptis reditibus:* quæ inquiunt non inueniri in d. *l. Paulus, §. hæres*, nec aliam similem distinctionem (vt isti loquuntur) exceptiuam, sed solùm verbum, *sine reditu*, quod est enuntiatiuum, & velut per transennam pronuntiatum, & habendum ac si dictum non fuisset, sicque dispositionem non mutare, vt in d. §. *hæreditatem.* His addit *Flores de Mena*, prædictam dictionem *sine reditu* saltem ambiguam esse quoad vim exceptiuam, & ideò ex ea non colligi voluntatem testatoris, vt ex verbis illis: *Exceptis reditibus.* At his omnibus nihil certè insulsius, nihil à vero deuius dici, aut excogitari potuit, cùm verba: *Sine reditu* idem operentur, quòd illa: *Exceptis reditibus*, vt probauimus cum *Cuiacio* s. Ecquis non videt dictionem *sine* in iure, & vbique denotare negationem, *l. actor, C. de probationib. Chassaneus cons. 24. nu. 12.* & requirere (vt ex aliis ait *Cenedus singulari* 100. *nu. fin.*) carentiam omnium, ad hoc vt verificetur? Quo sanè in sensu Latini vsi sunt semper hac dictione, præsertim *Cicero*, quisve quis *de petitione Consulatus* scripsit, dum ait, *Homo iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis septus amicis*, & *in Oratione pro Cælio: Homo sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis.* I nunc tu, qui in lingua Latina haud verè initiatus es; & securè affirma vocem istam *sine*, quod attinet ad exceptionem, & exclusionem pro nihilo habendam. Et ita sanè placuisse video erudito *D. Amaia* (*Alexandri* aliàs interpretationis nouissimo assertori) qui dict. §. 1. *numer.* 21. rectè interpretatur prædicta verba: *Sine reditu*, id est, sine omni incremento.

Vnde reiectis his interpretationibus, & alia *Ludouici Charondæ li. 2. verosimilium iur. c. 3.* quam vt leuem admodum improbat *Menochius de arbitrar. li. 2. casu 49. n. vlt.* Et alia *Hotmani* in *§. in pecudum, institut. de rer. diuis.* quam impugnat *Gilken.* in *§. si quis à non domino, c. 3. n. 5. institut. de rer. diuis.* Ego cum *Balduino ad Scæuolam super l. eos 4. ff. de captiuis & postliminio reuersis*, & *Petro Gilkenio* (post *Choppinum*, quem iste citat) in d. § *si quis à non domino, c. 3. n. 5. & 7. Cuiacio* in d. *§. hæreditatem*, certò mihi persuadeo, leges istas adeò contrarias, vt ineuitabilem *ἀντινομίαν* †, & pugnam inter se con- 56
stituant. Video enim *Papinianum* & *Vlpianum* dissidentes ab *Scæuola* & *Paulo*, qui in notis ad responsa *Papiniani* fixit aculeum, vbicunque rimula patebat, vt ait *Cuiacius*. Cuius dictis, & alio-

aliorum huius propositi, ego addo his quæ *Papinianus* & *Vlpianus* deciderunt in fideicommissario vniuersali in d.*l.deducta*,§.*hæreditatem*,& in d.*l.mulier*.§.*sed enim*, aperto Marte aduersari *Paulum* in d.*l.Paulus*,§.1. *ff.de vsuris*, in illis verbis: *Nec interesse existimo, an ancilla specialiter, an hæreditas in fideicommisso sit*. Et præ omnibus annotandum existimo *Papinianum* & *Vlpianum* diuersa ratione motos fuisse à denotata à *Paulo* s̃. & in d.*l. Falcidiæ legis*,§.1.(quæ desumptæ fuerunt,vt inscriptio indicat, ab eodem loco *Pauli lib.14.responsorum*) & ab *Scæuola* in d. *l.vxorem*,§.1.& *l.filium* 21. (quæ etiam desumptæ sunt ab eodem *Scæuola* loco *libr.22. Digestorum*) nam *Vlpianus* ideò restitutionem partus denegat, quia sub nomine *fructus*,reditúsve non continetur,d.§.*sed enim*,ibi: *Quia in fructibus hi non habentur*: at *Paulus* & *Scæuola* à restitutione fideicommissarium eximunt; quia iusta perceptione ante moram partum acquisierit: quis ergo hæc tam deuia in decisione,eiúsque ratione componet?

Dicent Salmanticenses,& alij(qu bus in voto est mordicùs defendere ex communi allegatione *l.*1. §.*nulla itaque*, C.*de vet.iur.enucl.*) nullam esse in iure antinomiam, & ideò ista non admittenda. Sed respondemus,id *Iustinianum* non asseruisse in d.§. *nulla*, sed tantùm declarasse id ex suo animo fuisse: quem cùm inter alia testari vellet,constitutionem illam, siue epistolam *Triboniano* ante nouiorem Codicem, compilationémque Digestorum conscripsit, vt patet ex inscriptione,& finalibus verbis, & ex *l.secundùm nostra*, §.*postea*, ibi: *Confectum est secundùm nostra mandata*. Demus id post Codicis nouioris editionem & compositionem quinquaginta librorum Digestorum asseruisse in *l.*2.§.*postea*, & in §.*contrarium*, in *l.*3.§.*contrariam*,C.*de iure deliber*. scire simul debemus id à traditione *Triboniani*, & aliorum asseuerasse *Iustinianum*, qui nunquam percepit, imò nec legit, aut vidit Iurisconsultorum libros,vt clarè colliges ex d.*l.*2.§.*postea*,C.*de iure deliberandi*,cùm ait: *Sed cùm omnia percontabamur à præfato viro excelso Triboniano, suggestum est, duo penè millia librorum fuisse conscripta,& plus quàm tricies centena millia versuum à veteribus effusa*. His adde *Tribonianum*,& cæteros id perquàm timidè asseruisse & excusationem antinomiarum, & contrariorum opere suo contentorum,velut,præmeditatos fuisse in verbis illis d. *l.* 2. §. *contrariam autem aliquid in hoc Codice*,&c.& in d.*l.*3.§.*contrariam autem aliis legibus*, &c. Hoc autem quod nutantes affirmarunt, re vera non perstiterunt. Et(quod valdè notandum) istis in nouioris Codicis confectione, & Digestorum compilatione id ipsum sanè euenit, quod in priore Codicis promulgatione: quem sine constitutionum discordia emissum asseuerauerat *Iustinianus* in *l. vnica*,C.*de nouo Codice faciendo*, & in *l. vnica*, C.*de Iustinian.Codice confirm.* Et post ista sic incassùm pronuntiata, idem *Iustinianus* potestatem *Triboniano*,cæterísque fecit contrarias leges, aut similes (si quæ inuenirentur) tollendi,circuncidendi,& à noua Codicis editione excludendi: leges imperfectas replendi:& obscuras,obductásque noua eliminationis luce detegendi, *l.vnica*.§.*supra dictis*,*Cod.de emendat.Codicis*. Quam cum proximè citatis *Tribonianus* & *Socij* exterminare debuerant, vt vero esset similius quod in dict.*l.*2. §.*postea*, & in §.*contrarium*,& in *leg.*3.§.*contrariam proposuerant*. Nam cùm antinomias in sola priore Codicis editione

effugere non potuissent, ac ipsi antea
Iustiniano proposuerunt, aut promise-
runt, aut auctoritate sua media affir-
mauerunt, quis credet, in vastæ illius
librorum Iuris Conditorum molis di-
gestione id præstitisse, maximè si con-
sideret, eam à responsis Iurisconsul-
torum contrariarum sectarum con-
flatam? His demum subiungo, *Tribo-
nianum* variè in cōpilatione illa pec-
casse, multa enim ad libitum transfor-
mauit, vt ipse fatetur in d.*l.2.§.tanta,
C.de vetere iure enuclean.* quędam seria
multiplicauit: pleraque superuacua in
Iurisconsultorum responsis addidit: a-
lia non pauca malè collocauit: nec et-
iam in paucis vitio matatheseos, siue
traiectionis laborauit: eadem respon-
sa diuersis titulis inseruit :· vt optimè
notauit *Eguinarius Baro ad lib.1.Pan-
dectar.in princ. Petrus Burgius* disertè
*lib.1.elector.c.10.11.14.& 19. Cuiac.&
Anto.Faber* passim. Vt inde nihil mi-
randum sit, si omnes Iurisconsultorū
decisiones ad vnam concordiam non
redegerit *Tribonianus*, quod nec vllus
diligentior, & Iuris Romani peritior
à responsis diuersis & contrariis vn-
quam elicere & præstare posset. Hæc
velut obiter persequi destinaui, vt de-
inceps abeant ij, qui in verba *Tribo-
niani* in d.*l.2.§.postea*, & *§.contrarium,*
& in *l.3.§.contrariam,C.de veter.iure e-
nuclean.* animosiores ipso iurarunt,
cæci sanè, sine delectu, & re vera de-
cepti, ac in expensione *d.l.1.§.nulla,C.
de veteri iure enuclean.*

Superest (ad nostra redeuntes) re-
soluamus, cui prædictorum Iuriscon-
sultorum sententiæ standum sit? & sa-
nè post *Ioan.Coras.* (qui in hoc sale-
broso loco se sudasse & alsisse fatetur)
lib.5.Miscel. c.8. & post *Balduinum* s̃.
(qui iudici liberam concedit faculta-
tem sequendi quam magis probabi-
lem harum opinionum dissentientiū
Iuris Auctorum duxerit) Ego existi-
mo *Cuiac.vbi* s̃.optimè æstimasse *Scæ-
uolæ* & *Pauli* sententiam, velut æquio-
rem, sequendam esse. Ratio verò qua
ipse mouetur (dicens istis partum licèt
non fuerit in fructu, vt subindicat *Pau-
lus* in d.§.1. & propalàm fatetur *libr.3.
sentent.tit.de legatis*, ius fructuū sequi)
alterius est propositi, quod j̃.prose-
quemur. Vnde † ego valdè probo cau- 57
sam quam s̃.expressimus, dum funda-
uimus, hæredem grauatum ante diem
fideicommissi cedentem verum domi-
num hæreditatis esse, & ideò partum
eo tempore editum ad eum pertinere:
& hoc adeò verum esse, vt grauato hę-
rede hæreditatem restituere sine redi-
tu partus ancillarum (qui sub hoc no-
mine non venit) adhuc acquiratur hę-
redi & domino ancillæ tempore edi-
tionis, si specialiter testator partus re-
stitutione eum in fauorem fideicom-
missarij non prægrauauerit. Et hoc i-
psum erit ex sententia *Neratij*, si ancil-
lam quis restituere grauatus sit: nam
adhuc partum (restitutioni expressè
nō obnoxium) retinebit, ita vt idem sit
siue hæreditas in vniuersum, siue an-
cilla sit in restitutione: vt vtroque casu
hæres partum (quem specialiter vt erat
necessum fideicommissario restitui
testator non præcauerit) iure dominij
retineat. Et hic verus est sensus verbo-
rum d.§.1.

A quo principaliter deduco *Papi-
nianum* & *Vlpianum* (qui in resolutio-
ne principali propositæ quæstionis
differunt) æquè sentire, † vt prædixi, 58
sub appellatione fructus, aut reditus
partum non venire, ac *Paulus* & *Scæ-
uola.* At *Papinianus* partum susceptum
ab hærede grauato hæreditatem exce-
ptis reditibus restituere ad fideicom-
missarium redire putabat, quia sub *re-
ditus* nomine partus non cōtineretur:
immemor ratione dominij ex capite

accel-

accessionis aut augmenti, vel causæ (de qua j.agemus) partum istum hæredi, veróque domino ante diem fideicommissi cedentem acquiri. *Paulus* verò ad hæredem partum pertinere sensit ratione dominij, ex verbis illis testatoris, *sine reditu*, non exceptum: supponens hæredem grauatū restituere sine reditu, voluntati testatoris facere satis, plenámque fidem exhibere, si res & corpora hæreditaria restituat reditibus exceptis, siue emolumentis partuum, & aliis quibusque illi iure obuenientibus, dum non constet de contraria voluntate testatoris. Quæ sanè verissima dissentiendi inter istos Iurisconsultos causa *Balduinum* aufugit *vbi* s̃.dum ait; *Papinianum* vim verborum attendisse, cúmque vrsisse, & ab his voluntatem defuncti æstimasse, *Paulum* verò voluntatis coniecturam potiùs sequutum, quàm verborum significatum: sicque quæstionem magis facti, id est, voluntatis, quàm iuris fuisse, vt inde tolerabilior fuisset ista defensio. In quo valdè aberrat *is Auctor*, cùm re vera *Paulus* ex iure, *Papinianus* verò contra ius responderit, attentis proximè dictis.

Decimò, proposita assertio & resolutio, quæ habet partum ancillæ ad quemuis dominum pertinere in causa

59 est, cur possidenti † ancillam à non domino ex iusta causa & titulo, etiam lucratiuo, nondum vsucaptam detur Publiciana pro partu in *l.si ego*, *§.partus*, & *§.interdum*, *ff.de Publiciana in rem act.* de quarum interpretatione actum est s̃.latè) nimirum, quia vice domini possessor iste habetur, & fructus, accessionémque rei possessæ iusto titulo percipit.

Demum valdè notandum censeo,
60 in quibus casibus fructus, † vel eorum pars ad aliquem non habentem dominium directum vel vtile (vt nostri aiunt) iure pertinent, velut ad patrem, maritum, tutorem, & quemuis alium vsufructuario similem, ancillę partum sub nomine fructuum non venire, *l. plerumque* 10.*§ si serui* (qui de seruis inæstimatis intelligendus est, ex §.immediatè præcedenti) *ff.de iure dot. Cuiac.ad lib.9.respons. Papinian.in notis ad l.58.§.hæreditatem,ff.ad Trebell.* Exemplo etiam nobis sit decima fructuum tutoribus & curatoribus debita, ex *l.2.tit.7.lib.3.fori*, quin & ex antiquissima lege *Leouigildi* (abhinc annis mille & plus lata, vt constat ex *Roderico lib.2.c.21.Ambros.Moral.li.*11.*c.*64. quæ in foro antiquo (quem FVERO JVZGO appellamus, est *l.3.lib.4.tit.3.*) id ipsum fuerat statutum: nam cùm in dictis legibus tutoribus decima pars fructuū minorum assignetur, partus ancillarū pupillarium, quos nec in iure dominij, vel quasi percipere poterunt tutores, sed prætextu fructus tantùm ex dictis legibus, ad pupillum sine diminutione aliqua pertinebunt, vt post alios resoluit *Baeça de decima tutoris c. 23. Gutierrez de tutel.3.p.d.c.30.n.14.* & rectè quidem, cùm partus non sint in fructu, ex dictis s̃.

SECTIO II.

De causa.

VIDIMVS de accessione in partu ancillæ contingente. Nunc ex ordine proposito agendum est de causa (quæ cùm multipliciter † in Iure sumatur, vt ex *Lexicographis, Hotmano, Brissonio, Ioanne Caluino*, & aliis patet) in proposito nostro emolumentum & vtilitatem denotat, quæ non ex re ipsa, vt accessio, sed ab alia ratione extranea, & velut in consequẽtiam prouenit, vt disertè dixit *Parladorus tom.3.dict.different.*118.*num.*6. vbi po- 61

nit exemplum in enecante seruum Titij hæredem institutum antè quàm adiret, qui non tantùm ad æstimationem serui, sed & hæreditatis tenetur, *l.inde Neratius* 23. §. *idem Iulianus,ff. ad legem Aquil.*cum aliis per *Auctorem* istum adductis. Quod intellige, dum tamen hoc verbum, *causa*,ad
62 omnes † obuentiones, emolumentaque ratione rei prouenientia referatur,vt in *l.proinde* 22.§.1.*ff.illo titulo ad legem Aquil.* vbi causæ corporis serui cohærentes æstimantur, vt si forsan sit *Comœdus*, vel *Simphoniacus* (quod sæpissimè apud Romanos accidebat, vt ex pluribus optimè notat *Laurentius Pignorius de seruis fol.*79. *&* 98.) quo casu non solum corporis perempti,& artificij ęstimatio facienda est, sed & eius ratio haberi debet, quò cætera corpora depreciata sunt. Vt inde clarè pateat, quid sibi velit verbum hoc *causa*,in *tit. de vsuris & fructibus & causis*, & in *tit.C.de partu pignor.& omni causa*,& in *l.sed & partus* 12.*ff.de eo quod metus causa*, in illis verbis:*Sed & partus ancillarum,& fœtus pecorum, & fructus restitui & omnem causam oportet.*

Vt ergo vno verbo rem absoluam,
63 *causa* † apud Consultos id dicitur quod Iuris Interpretes *interesse* vocāt: nomine quidem nouo docendi gratia adinuento, ita vt causa ad damnum emergens, & lucrum (quod vocant) cessans referatur, Parlador.*supra nu.*9. Vnde illud Pauli in *l.cùm fundus* 31.*ff.si certum petatur: Cùm fundus,vel homo per condictionem petitus esset,puto hoc nos iure vti,vt post iudicium acceptum* CAVSA *omnis restituenda sit,id est,omne quod habiturus esset actor,si litis contestandæ tempore solutus fuisset*,d. *l.præterea* 20.*ff.de rei vendicat. nec enim sufficit corpus ipsum restitui,sed opus est vt & causa rei restituatur*,id est, vt omne id habeat petitor,quod habiturus foret, si eo tempore,quo iudicium accipiebatur,restitutus ille homo fuisset.Sic etiam accipitur in *l.Iulianus* 9.§.*quantum,ff. ad exhib.*in *l.2. l.equis* 8.*ff.de vsuris*,& in *l.1.§.hanc actionem,ff.depositi*, & in *l. exhibitiones* 7.*C.ad exhiben.* Vbicunque ergo agitur de restituenda ancilla cum sua causa,partus & omne lucrum venit in restitutione, velùt damni cuiusque alterius emergentis refectio, ex præcitatis iuribus & aliis, maximè *l.ait Prætor* 10.§.*per hanc*,ibi:*Cum sua scilicet* CAVSA,iuncto *vers.partus*,& *l.fi.* §.*Proculus* (qui ab his lucem accipit) *ff.quæ in fraud.cred.*Nec parum iuuant (si ad ista referas) quæ latè annotauit *D. Amaia libro* 3.*obseruat.cap.*1.§.2. ex *nu.*49. circa interpretationem dict.§. *Proculus.*

SECTIO III.

De mora.

SEQVITVR vt videamus de mora: & certè hæc in causa est, † vt par- 64
tus ei restituatur, qui tempore editionis ancillæ dominus non erat,cùm esse debuisset, ni mora ex parte ancillam cùm partu retinentis intercessisset, d.*l.Paulus* 14.*in princip.ff.de vsuris*,vbi ait, mora in soluendo fideicommisso facta,partus quoque ancillarum restituendos,ex ratione ab *Vlpiano* tradita in *l.cùm res* 47.§.*fin. D.de legat.*1. iunctis his quæ tradit *Vincent. Carot.casu* 374.*nu.*10.*&* 12. *& casu* 483. *num.*3 Et ab his veniunt intelligendi 65
† *tex.*in *l.Licinius* 48.*D.de legat.*2. & in dict.*l.vxorem* 41.§.*sorori*, *D. de legat.*3. & in d.*l.filium* 21.*ff. de optione legata.* In quorum iurium interpretatione multa comminiscitur *D.Amaia* dicto *capite* 1.§. 1. *num.*21. *supra.*

Tu

Tu verò dic, in illis, & similibus ante commissam moram partum non restitui, imò & post diem fideicommissi cedentem, dum quis in culpa non est (vt quia interpellandus, ex notatis *supr. nu.* 47.) fructus & partus restitutio cessabit. Nulla enim hoc casu subest culpa, ex dictis ibi. At cùm ex capite
66 moræ † fructus vel partus restituendos dicimus, culpam præsupponimus, nec enim mora est, vbi dolus, vel saltem culpa non sit, ad latè tradita per *ordinarios* in *l. quod te mihi, ff. si certum petatur, Petrus Gregor. libro* 21. *syntagmat. iur. cap.* 14. *num.* 6. *&* 7. *Barbosa* latè in *l. si mora* 10. *num.* 1. *& seqq. D. soluto matrimon.* Vnde cùm quis culpæ expers est, à mora & eius pœna simul erit liber, *l. si soluturus* 39. *ff. de solution.* cum alijs.
67 Et ne obstet *text.* in d. *l. si mora* † vbi fructus ex mora inculpata restituuntur, aduertere debes, quæ prædiximus intelligenda esse de eo qui iure dominij fructus vel partus percipit ante moræ commissionem, vel culpam in restituendo: at *textus* in d. *l. si mora*, loquitur de marito fructus rerum dotalium soluto matrimonio percipiente, qui eos vxori etiam mora vel culpa non interueniente restituere tenetur: cùm meum sit, quidquid ex re mea superest, cuius vendicandi ius habeo, *l. solum* 49. §. *meum, ff. de rei vendic.* Quin & quo casu res perierit sine dolo aut culpa retinentis, sufficit actiones cedere furti vel damni, iniutiæ, & similes, ex eleganti decisione *text.* in *l. etiam filios* 18. *vers. cæterum, ff. soluto matrimon.*

SECTIO IV.

68 *De æquitate.*

DEMVM ex capite æquitatis † partus ancillæ editi ante moram, & apud verum dominum extra causam redhibitionis (quam *suprà* tractauimus) aliquando sunt restituendi, vt in casu *l.* 4. §. 1. *ff. de lege commissor.* vbi emptor sub conditione potestatiua fructus ante resolutionem emptionis perceptos suos facit, quando partem pretij traditam perdidit: quod humanitatis causa, & contra ius strictum (quo attento fructus sequuntur dominum, *l. & ex diuerso* 35. d. *l. solum* 49. §. *meum, ff. de rei vendicat. l. fructus* 13. *C. de actionib. empti. Giurba*, plures referens, *in consuetudines Messanens. cap.* 10. *gloss.* 7. *num.* 11.) admissum fuit, vt probat *ille textus.* Quin & in odium legis commissoriæ, vt notat optimè *Gothofred. in eiusdem* § *scholijs.* Et hac certè æquitate † præcipuè innititur 69
decisio *textus* in *l. curabit* 5. *C. de action. empti.* vbi nulla mora interuenit, vt vtrumque clarè constat ex *illo textu.* Ex cuius ratione, & generali decisione venit etiam intelligenda *d. l.* 4. §. 1. in perceptione & retentione partus ancillæ sub pacto legis commissoriæ véditæ parte pretij ab emptore deperdita, cùm hoc casu eadem militet ratio, quæ in fructibus.

Et ab his claras & certas quiuis desumere poterit resolutiones † circa 70
retentionem aut restitutionem concedendam, denegandámve partus ancillæ, omissis spinosis *Antonij Fabri*, in vno aut altero propositis casibus: quos tantùm ipse prosequitur *decade* 59. *errore* 9. & *decade sequenti, errore* 2. *& seqq.*

Superioribus omnibus pro coronide subiungo, ab his facilè inferri, nullibi in iure † partum sub nomine *redi-* 71
tus venire: reditus namque & fructus vt implurimùm in eadem significatione vsurpantur: maximè cùm à verbo *reddo* rectè deducatur, & ideò duplici *dd.* aptè itidem cõscribatur (quicquid post alios dicat *Rodrig. de annuis red.*

*lib.*1.*quæst.*1.*n.*1.) Reddere enim dicitur ager, qui depositum semen & operam culturæ impensam restituit: ita vt fructus è terra à domino percepti propriè *redditus* appellentur, vt strenuè probat *D. Amaia* d. *cap.*1. §.1. *num.* 27. *lib.*3. *obseruat.* Idemque est, si reditus à *redeundo* dicatur, ex relatis à *Rodrig. supra:* quibus adde *Brechæum* in *l. frugem, ff. de verb. signific. Conanum libro* 4. *cap.*3. *n.u.*5. Reditus enim est fructus & obuentio ex re quotannis procedens, vnde Græcè πρόσοδος dicitur in *Isocrate*, & aliis, quasi *aduentum*, aut *progressum* dicas.

Et quamuis pluries in iure *reditus*
72 † nomen rem diuersam à fructu denotare videatur, hæc differentia in eo præcipuè consistit, quòd *fructus* nomen ad naturalia emolumenta fundi, aut alterius rei fructiferæ refertur: *reditus* verò propriè est in agro, qui nummo locatur, vt clarè probat *text.* in *l. fundi Æbutiani* 38. *ff. de vsufruct. legato*, & in *l. patrimonij* 22. *ff. eod. t. t. l. defuncta* 58. §.1. *ff. de vsufructu.* Fateor; nomen hoc *reditus*, latiùs aliquando
73 † vagari, & ad emolumentum quoduis annuum ex re ipsa, vel extrinsecùs perceptum referri, *l. magis puto* 5. §. *non passim, ff. de rebus eorum, l. penult. ff. de vsu & vsufru. legato, l. æquissimum* 14. §. 1. *ff. de vsufruct. l. Titia* 48. *ff. de solutio.* quo sensu vsura reditus dicitur *Ouidio Elegia* 3.

At reditus iam quisque suos amat, & sibi quid sit
Vtile, sollicitis computat articulis.

Sed in nulla prædictarum significa-
74 tionum *reditus* nomen † partui adaptari potest: qui nec est in fructu: nec emolumentum est in nummo, vel reditu annuo consistens: & ita clarè sentiant *Papinianus* & *Paulus*, iste in d. *l. Paulus* 14. §.1. *ff. de vsuris*, ille in dict. *l. deducta* 58. §. *hæreditatem, ff. ad Trebell.* (in hoc concordes, quamuis in decisione principalis quæstionis ab eis propositæ contrarij, vt probauimus *supra num.* 58.) Et ita post alios sentiunt, summis (vt aiunt) labris rem attingentes, *Menoch. lib.*1. *de arbitra.* dicto *casu* 49. *num. vlt. Rodrig. de annuis reditibus, libro* 1. d. *quæst.*1. à *num.*4. Vt meritò veniat refellenda † contraria aliorum sententia, quam ex aliquibus à iure deuiis, oleo & opera deperditis, adstruere conati sunt. *Gama d. decis.*135. *num.*4. *Baeça de decima tutor. cap.*23. *num.*2. *Spino in speculo testamen. gloss.*13. *in princip. numer.*73. & *gloss.*18. *num.*99. *Gutierr. de tutelis* 3. *par. cap.*30. *num.*3.

§. III.

DE PARTVS conditione in Iure.

SYNOPSIS.

1 *Partus conditionem matris sequitur. Et num.*3. *hoc intelligit de partu habito extra matrimonium. Et num.*4. *reddit rationem. Et nu.*5. *eam ex An*tonio Fabro *explicat. Et nu.*7. *alias rationes reijcit. Et nu.*8. 9. *&* 10. *fallentias quasdam adijcit. Et num.*11. *alias improbat.*

2. *Filius ex ancilla patris seruus & filius est.*

6. *Interpretatio* Fabri *ad* l. Lucius 83. ff. de condition. & demonstratio. *laudatur.*

12. *In partu ex iustis nuptijs regulariter patris conditio attendenda videtur ex* Celso *&* Vlpiano.

13 *Sed resoluendum est cum* D. Pichardo *quoad statum filium sequi matris conditionem: quoad dignitates verò & honores patrem.*

14. L. cùm legitimæ, ff. de statu homin. *declar.*

15 Nam

15 *Natus ex patre nobili & matre plebeia apud nos appellabitur* Hidalgo, *non verò* Nobilis.
16 L.nati 29.C.de Decurionib.lib.10. *cum aliis declaratur.*
17 *Statuto induci non potest, vt filius quoad nobilitatem sequatur matris conditionem, iuxta* Bartoli *sententiam, sed contrarium est verius.*
18 Pater Sanchez *omnium primus eam mouit quæstionem, An filius naturalis viro nobili ex ancilla natus, nobilitatis paternæ fiat particeps? quam resoluit affirmatiuè, At negatiuam sententiam ex pluribus adstruit* Auctor *nu.* 19.*& seqq. miserum seruorum statum demonstrans.*
20 *Primo capite* legis Aquiliæ *seruos pecudibus adæquari demonstrat.*
21 *Morti seruitutem assimilari notat.*
22 Iustinianus *seruis manumissis quoad successiones fauit. Et n.*23.
24 *Qui se venundari passus est post manumissionem, libertinus fit, non ingenuus.*
25 L.ius agnationis, ff.de pactis *intellig.*
26 *Nobilitati generis priuatorum pactionibus derogari non potest.*
27 *Nobilitas ex diuersis causis, Iure Ciuili approbatis deperditur.*
28 Bald. *existimans nobilem (quæ plebeio nupsit) pœna nobilium puniendam, impugnatur.*
29 *Iure Hispano nobilis ex aliquibus causis nobilitatem amittit.*
30 *Nobilitas mutabilis res est, vt alia.*
31 Pater Sanchez *existimauit, nobilitatem sanguini adhærere, impugnatur.*
32 *Iura sanguinis per Ius Ciuile corrumpuntur.*
33 L.iura sanguinis, ff.de regul.iur.& l.3.ff.de interdi.& releg. *declarantur.*
34 *Restitutio natalium à Principe facta in quæstione* Patris Sanchez *qualiter intelligenda. Et n.*35.*hoc limitat* Auctor.
36 Palæotum in cap.62.nu.2. *intelligit. Et nu.*37. Patri Sanchez *contrariari probat.*

HIs quæ de partu in genere prosequimur, aptè succedit examinatio illius conclusionis à Iurisprudentibus & Imperatoribus variis in locis summè commendatæ, quæ habet, partum sequi † matris conditionem, maximè in *l.& seruorum* 5.§.*ingenui, l.cùm legitimæ* 19.*ad fi.l. Herennius* 22.*l.lex naturæ* 24.*ff.de stat.homin. l.sed addes* 19.§.*si quis mulierem, ff.locati, l. l.huiusmodi* 84.§.*legatũ.ff.de legat.*1.*l.fi. ff.de acquir.rerum domin.l.partum,*7.*C. de rei vindicat.l.final.C.de liber.causa,l. fin C.de agricol. & censit.libr.*11.*cap.fin.* cum *glossa de seruis non ordina. Vlpian. in fragment.tit.*7.§.*ex Iure Romano,Iustinian.in princip. institutio.de ingenuis,* & in §.*penult.institution. de iure person.* quibus concinit *l.*2.*tit.*21.*p.*4. Quod & in pecoribus procedit, *l.idem Pomponius* 5.§.*idem scribit, ff.de rei vendic. l.si quis vxori* 52.§.*si quis asinum, ff.de furtis.* 1

Et ideò locum habet, vt si quis filium ex ancilla † propria habuerit, is simul filius & seruus sit, *l.*2. iuncta *glo.* verbo *filium, C.si mancipium ita fuerit alienatum,* & in *l.fin.C.commun.de manumiss.* notat & resoluit *D.Ant.Padilla*, post alios, in *l.naturalis nu.*5.*ff.de præscript. verb. Pater Sanchez lib.*7.*de matrimo. disput.*24.*n.*6. 2

Sed conclusionem istam Iurisconsulti *Celsus* & *Vlpianus* limitasse † & intellexisse videntur in d.*l.cùm legitimæ,* & d.*l.lex naturæ* in partu extra legitimum matrimonium habito: in quo lex hæc naturæ est (teste *Vlpiano*) vt matrem sequatur. Idémque disertiùs edocuit *Vlpian. in fragment.* d.*tit.* 5.§.*ex ciue.* 3

Vt inde appareat vera eiusdem rei
4 ratio, † quam expressit *Paulus* in *l. quia semper 5. ff. de in ius vocan.* quia mater *semper certa est, etiam si vulgò cõceperit: pater verò is est, quem nuptiæ demonstrant*, aliter verò incognitus est: imò verò Iure Ciuili nullus. Licèt enim per rerũ naturam fieri non possit, vt quis sine patre nascatur, cùm tamen pater in iure ille solus sit, quem iustæ (hoc est, legitimæ & Iure Ciuili admissæ nuptiæ) demonstrant, d. *l. quia semper*, in verbis proximè expensis, *l. item in potestate 3. cum seq. l. filium 6. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris:* hinc fit, vt nullum Iure Ciuili patrem habeat is qui extra matrimonium natus est, §. *si aduersus, institution. de nuptiis*, vbi *Iustinianus* hac eadem ratione vsus ita disertè ait: *Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cùm & his pater incertus sit: vnde solent spurij appellari παρὰ τὴν σπορὰν, id est, à satione, & ἀπάτορες, quasi sine patre filij:* & notauit perquàm disertè Cardinalis *Paleotus de nothis spuriisque filiis, cap. 26. in princip.* Quòd si opponas, ista fictionem sapere, aut Iuris Ciuilis potiùs esse quàm Naturalis. Respondet *Anton. Faber* † *in Iuris-*
5 *prud. papin. tit. 3. princip. 4.* (& quidem dilucidè) naturaliter fieri non posse, vt qui magis sine patre nascatur, quàm sine matre, sed tamen illud etiam iuxta *Vlpiani* sententiam ex lege naturæ esse, vt natus extra matrimonium non credatur patrem habere; nam cùm iustæ solùm nuptiæ patrẽ demonstrent, his deficientibus euenit, vt nec dici, nec sciri possit, quis sit pater spurij, vel vulgò quæsiti. Fit enim pater (vt iste *Auctor* ait, quem commendat *Hilligerus in Donello enucleato lib. 2. cap. 10. in notis*) in instanti vnico conceptionis, quod naturale quidem est: quando tamen hoc fit per ipsam rerum naturam, incertum est, ex iam dictis, & per nos annotatis in *cap. 1.* Et paria in iure sunt non esse & non apparere, *l. Arethusa 15. ff. de statu homin. l. sed & in illo 18. ff. de rebus dubiis*, cum aliis à *Fabro* relatis.

Qui inde quàm dexterrimè interpretatur *l. Lucius Titius 83.* † *ff. de con-* 6
dition. & demonstrat. vt impossibilitas, de qua ibi (iuxta communem intellectum per nos respuendum *j. capit. 20.*) non respiciat Ius Ciuile, quandoquidem nuptiæ ab eo probatæ patrem demonstrent, sed naturæ, quæ nullas filiationis nobis certas suppeditauit probationes. Vt inde meritò veniat notandus & refellendus *Franc. Conan. libr. 2. commentar. iur. cap. 16. num. 3.* qui lege naturæ parentes ex iusta vxore & concubina liberos suscipientes adæquat: nec adeò eius dictum magnifaceret *Robles Salzedo de repræsentat. lib. 2. cap. 14. nu. 3.* si præfata perpendisset.

Adhæc prædicta verissima causa attenta, cur matris conditionem partus extra matrimonium sequatur (quæ ipsis Iuris Conditoribus placuit) insuperhabendæ vel reiiciendæ sunt rationes † aliæ, quas adducunt *Bald.* 7
in *l. fin. post princip. C. de seruis fugitiuis, Salicet.* in d. *l. partum, in fin. Angelus* in § *sed & si quis, numer. 1. institution. de actiion.* Et simul irridenda illa est, quam nouissimè expendit *Ioann. Gutier.* in *tractatu de matrimon. cap. 93. numer. 5.* dicens, seruitutem ad corpus pertinere, quòd recipit proles à matre tanquam subministrante materiam: quod alio in proposito dictum & notatum fuit per eos, à quibus ista desumpsit.

Prædictam verò conclusionem limitabis cum *Vlpiano* in *l. cùm verò 26. §. apparet, ff. de fideicommissar. libertat.* & in *l. 1. §. quæri poterit, ff. de suis & legitim. hæreditat.* in eo partu, † qui ab 8
ea, quę ex fideicommissaria libertate moram passa est, conceptus & natus sit,

sit, qui ingenuus & patri suus heres nascitur.

9 Secundò limita ex eodem *textu* in nato † ex captiua postliminio reuersa, qui ex rescripto Imperatoris ibidem relato ingenuus nascitur.

10 Tertiò limita cùm *Iustiniano* in *l. cùm inter veteres 14. C. de fideicomm. libert.* in ventre ancillę, cui per fideicommissum † directóve libertas relinquitur.

11 His alias Interpretes Iuris addunt fallentias, in quibus manifestò falluntur. † Præmaximè *Ioan. Coras.* qui in *rubrica ff. de statu homin. n. 4.* limitat in pregnante damnatione pœnæ serua effecta, quæ naturali (ait) causa inspecta libera est, & ideò ingenuum parit, *l. Imperator, 18. in fi. ff. de statu homi.* hoc enim (vt ait *Hilliger. in notis ad d. c. 10.*) è regula est *Iustiniani in princ. instit. de ingenuis*: cùm enim libera fuisset mater conceptionis tempore, ingenuus erit ex ea in seruitutem redacta natus filius, *l. si ante C. de pœnis*, cum aliis iam relatis. Et prædictę *Corasij* fallentiæ consimilis est alia *Ioannis Mercer. lib. 1. opinion. c. 8.* ex *d. l. fi. C. commun. de manumis.* in natis ex ancilla concubina domini sui. Sed tantum hoc abest à vero, vt potiùs totum cōtrarium probet ille *textus*, & filios ancillæ seruos esse patris, & vt tales in vita & morte ab eo posse alienari: hoc tantùm addito, vt si de illis nil disposuerit, *& taciturnitate eos præterierit, tunc post mortẽ eius ad libertatem eripiantur, vt sit mors domini libertatis eorum exordium.*

Cętera huius propositi prosequuntur *ordinarij* in *d. l. 5.* & aliis, *ff de statu homin.* & in *princip. instit. de ingenuis*, & ex nouioribus omnium optimè *Iacob. Cuiac. in recitati. solem. ad l. 1. §. huius studij, vers. diximus superiore, ff. de iustit. & iure, Petrus Gregor. lib. 20. Syntagmat. iur. c. 7. n. 2 Ioan. Grinellus*, post alios, *decis. Dolana 104. num. 2. 8. & 22.* *Pater Sanchez, Ioan. Gutier. Ioan. Mercer. Anton. Faber*, & *Osualdus Hilliger.* in locis iam s. relatis. *Palæotus d. cap. 26. num. 1.* Qui *numeris sequentibus* optimè limitat dicta per nos *supr. à n. 3.* vt procedant inspecto Iure Ciuili & eius regulis, aliter verò sit dicendum Iure Canonico attento, in eo enim illegitimi filij patrem ostendunt, ex iuribus & rationibus per istum adductis.

His sic constitutis in partu sine matrimonio habito, superest examinare, quid tenendum in partu ex iustis nuptiis 12 † procedenti? in quo etsi generaliter *Celsus* & *Vlpianus* in *d. l. cùm legitimæ, & l. lex naturæ, ff. de statu hom.* constituant conditionem patris attendendam, eámque iustum istum partum sequi, Interpretes tamen Iuris rem hanc controuersam faciunt. Sed pluribus omissis, ita componenda 13 † est, ex traditis post alios *à D. Pichardo in tractatu de nobilita. commun.* à *nu. 12.* vt quod attinet ad statum libertatis, vel seruitutis, filij etiam ex legitimo matrimonio procreati matris conditionem semper sequantur: in dignitatibus verò & honoribus patrem. Prior pars apertè probatur in *d. l. partum, C. de rei vindicat.* & aliis pluribus iuribus *supr.* relatis, vbi indistinctè deciditur, filium matris conditionem sequi nulla adiectione, vel distinctione adhibita, an ex legitimo matrimonio susceptus fuerit, vel extra illud habitus: & apertiùs demonstrat *textus* in *d. cap. final. de seruis non ordinan.* cum *glossa* ibi, verbo *sequuntur.* Quibus aptanda est decisio *tex. in cap. fi. 32. q. 4.* (quod à *Diuo Isidoro lib. 2. Etymolog. cap. 5.* desumptum est) ita vt filij, ex sententia *Isidori* ibi, sequantur *deteriorem partem*, hoc est, debiliorem, qualis est fœmina, iuxta *Glossam* ibidem communiter receptam, verbo *deteriorem partem*: quæ expositio (vt optimè notat *Pater San-*

chez d.*lib.*7.*de matrim.disput.*24.*n.*8.) mirè adaptatur verbis illius *textus*, in quo cùm decisum fuisset iuxta regulas Iuris Ciuilis filios ex homine libero, & ancilla habitos seruilis esse conditionis, subiungit statim: *Semper enim qui nascitur, deteriorem partem sumit.* Et obieciunculæ illi, quòd *textus* iste *in fine* adstruat, illegitimos filios sequi matrem (qua motus *Fr. Dominicus de Soto in* 4.*distinct.*35.*quæst.vnica*, *art.*4. *concl.*1. à communi illius *textus* interpretatione discedit) satisfacit idem *P. Sanchez vbi supr.* dicens, hoc intelligendum cum *Glossa* ibidem quoad conditionem, vt in d.*l.partum*; cùm similibus.

Nec prædictis obstat *tex.*in d.*l.cùm*
14 *legitimæ* † *ff.de statu homin.* nam intelligi debet cum *Glossa* ibi verbo *sequuntur*, ita vt filij ex matrimonio geniti sequantur patrem quoad familiam & honores, iuxta secundam partem propositæ distinctionis: quæ etiam probatur in *l.eos* 22.*l.exemplo* 36. *l. nullus* 44. *C.de Decurionib.libr.*10.*l.*1.*§.qui ex duobus*, *ff.ad municip.* & nobis apertissimè in d.*l.*2.*tit.*21.*p.*4. Et hæc est Interpretum Iuris concors sententia in d.*l.cùm legitimæ*, quam probant *Petr. Gregor. Pater Sanchez*, *Antonius Faber* & alij iam relati, quibus adde *D. Antonium Pichard.in tract.de nobilitate commu.*à *n.*9. Qui inde *nu.seq.* optimè notat ex *l.Senatoris* 6.*l.liberos* 10.*ff.de Senator.* cum aliis, legitimos tantùm filios patris conditionem sequi.

Inde fit, vt cùm nobilitas sit dignitas, natus ex patre nobili, & matre plebeia, nobis appelletur HIDALGO,
15 non verò † NOBLE, ex dicta *l.*2.*titul.* 21.*part.*2. quam optimè exornat *Otalora de nobilitat.*2.*part.* dicto *capitul.*2. à *nu.*4.

16 Et ne his obstet *lib.nati* 29. † *C. de Decurionib.lib.*10.*l.hi qui* 12. *C.de murileg.lib.*11.*l.ex ingenuo* 4.*C.de agric.* & *man.dom.eod.lib.* vbi filij matris conditionem sequi videntur quoad honores & dignitates, necessum erit recurras ad ea quæ disertissimè annotauit *D.Pichard.* in d.*tract. de nobilitate commun.n.*13.*cum seqq.* quæ distinctionem istam communem ab omni difficultate vendicant.

ET adeò in secunda parte (quam
prosequimur) locum habet, vt nec sta- 17
tuto † induci possit (ex sententia *Bartoli* in d.*l.exemplo num.*21. per *textum* ibi, *C.de Decurionib.lib.*10. cum aliis, quos refert *Tiraqu.de nobilit.capite* 18. *num.*22.) vt filius quoad nobilitatem sequatur matris conditionem. Sed contrarium longè verius est, saltem in statuto à Ciuitate vel Principe superiorem non recognoscente facto, vel confirmato: & in consuetudine legitimè inducta, ex adductis à *Tiraquell.s.numer.*24. Quibus adde plures leges nobilitatem & honores à matre concedentes vel deriuantes, eæ sunt dict. *l.eos* 22.*l.nati* 29. *l.neque Dorotheum* 61.*cum sequ.C.de Decurion.lib.*10.d.*l.hi qui* 12.*l.penultim. C.de murilegul.lib.*11. *l.mulier* 16.*l.ne diutius* 21.*l.final.C.de agricol.& censit.lib.*11.d.*l.ex ingenuo* 4.*C.de agricol.& mancip.eodem libr.* facit *tex.in l.*1.*§.qui ex duobus*, *ff.ad municip.* cum aliis notatis à *Tiraquell.s.numer.*25.& conferunt plura quæ circa propositam *Bartoli* sententiam optimè edisserit *Pater Sanchez* d. *disputat.*24. *num.*2.

Qui *num.sequ.* illam insignem omnium, quos ego viderim, primus mo-
uet quæstionem, † An filius naturalis 18
viro nobili ex ancilla concubina natus nobilitatis paternæ particeps fiat? Quæ quidem quæstio apud Auctores Iuris Communis vel exteri superuacua sanè videtur, cùm in filium naturalem paterna nobilitas non deriuetur, vt ex pluribus optimè fundat & resoluit *Tiraquell.de nobilit.capite* 15. *num.*

num.10.nobis tamen eius decisio admodum necessaria est, attenta *l.* 1. *tit.* 11.*par.*7.(quæ filium naturalem nobilitatis paternę participem facit) quam exornat *Greg. Lopez* ibi verbo *amiga*, *Couarru.in* 4. *Decretal.*2.*p.cap.*8.§.4. *num.*3.*Didacus Perez* in *l.*1.*tit.*1.*libr.*4. *Ordinam.* *Tellus Fernandez* in *l.* 11. *Tauri num.*2.

Et propositæ quidem quæstionis resolutionem *Pater Sanchez vbi suprà*, ita componit, vt ante libertatem is filius naturalis nobilis dici non possit, adeptione verò libertatis consequatur simul nobilitatem, quæ est quoddam ius sanguinis, & per consequens immutabile, *l. ius agnationis, ff. de pactis:* & addit hoc ius cum eo comparari, quod à natura prouenit, & ob id adimi non posse, *l. iura sanguinis, D. de diuersis regulis iur. l.*3.*D. de interdict. & relegatis*, vbi ait *Alphenus: Quæ non à patre, sed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuuntur, ea manere eis incolumia.* Demum suam sententiam comprobat auctoritate *Cardinalis Palaoti*, qui in suo eleganti *tractatu de nothis spurijsque filijs, capite* 62.*numero* 2. contra alios resoluit (teste *Sanchez*) spurium à patre nobili per Principem legitimatum eo ipso nobilem fieri, ita vt obscuritatis nota subtracta, media legitimatione, ad eam redeat dignitatem, quam ex sanguine trahit.

Sed hæc quæ *Auctor* iste piè (vt ipse fatetur) resoluit, Iure Ciuili attento, quin & nostro, sustineri non possunt, & contrarium longè verius diiudico,
19 † ita vt seruus iste factus liber vnus è plebe fit, nec vllo modo inter nobiles connumerandus. Magna quippè ista metamorphosis inter res ita dispares & distantes, ac seruitus & nobilitas (ex traditis ab *Adamo Contzen. libro* 8.*polit.cap.*20.) ita facile admitti non potest. Etenim qui in seruitute est, ἀπρόσωπος est, vt ait *Theoph. in prin. inst. de stipulat. seruor.* hoc est, ciuilem personam non habet, quę caput & statum in ciuitate designet, *l. liberos* 3. *in fine, ff. de capite minut.* vbi ad hoc disertè *Paulus* infert, seruum non posse capite minui, facit *textus* in *l. quod attinet* 32.*ff. de diuers. regul. iuris.* Vnde *Cicero lib.*1.*Officiorum*: *Est autem* (inquit) *infima conditio & fortuna seruorum. Quidquid enim* (vt ait *Diuus Petrus Chrysologus* suauissimus pariter & eruditissimus rerum tractator *Serm.*161.) *dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est: imperantis ira subdito ius est, & ad libitum domini vocem non habet conditio seruitutis.* Et his concinunt illa *Aristophanis in Pluto actu* 1.*scena* 1.:

Nam ita iniquè comparatum est, vt sors inuida
Ius corporis non illi, qui ipsum possidet,
Sed et, qui pretio est mercatus, concesserit.

Et plura in proposito acuratè congessit *Laurentius Pignorius de seruis*, paulò post *initium*. Quę omnia mirari nō debemus considerantes *legis Aquiliæ primum caput* seruos exæquasse pecudibus, † *l.*2.*ad legem Aquil.* quam ibi 20
commentatus *Cuiac.* ita ait: *Vt igitur apparet, seruis nostris exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero sunt, & gregatim habentur, velùt capræ, boues, equi, muli, asini.* Et inde *Seneca Epist.*47. post varia & multa ait: *Alia interim crudelia & inhumana prætereo; quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur.*

Hinc seruitus † morti assimilatur, 21
l. intercidit 59.*in fine, ff. de conditionibus & demonstration.* Et cum ea comparatur, *l. cùm hic status* 32.*si donator, D. de donation. inter virum & vxorem*; *l. seruitutem* 209. *de diuersis regulis iuris*: vt quod iuris est in aliquo mortuo, idipsum sit in seruo, durante ser-

uitute. Adeò, vt futurarum rerum, vtputa futuræ aliquando manumissionis rationem non habeamus, *l.1.ff.de iure deliberan. l.2. ff.ad Tertullianum, l.1.§. pertinet,ff.vnde cognati, l.hos accusare 12.§.omnibus,ff.de accusationib.* & inde vox FERE (qua vtitur *Vlpianus* in dicta *l.seruitutem*, & *Constantinus Harmenop.in* Προχείρῳ *libr.1.titul.14.* dum ait: ἡ δουλεία σχεδὸν ἔοικε θανάτῳ) vel denotat ab hostibus captum (qui cùm Iure gentium non Ciuili, libertatem amittat, iure postliminij speratur in ciuitatem reuersurus, *l.final.§. quod inquit, ff.de assignandis libert.*) vel serui cuiusuis operas, vel acquisitiones domino vtiles, & similia (quæ domino prosunt, seruo non ita) demonstrat.

In aliis autem serui pro mortuis habentur, d.*l. quod attinet,ff.de diuersis regulis iuris*, cum cæteris s.adductis: adeò vt serui (qui cognationis nomina retinent, ex *l.Iurisconsultus 10.§.non parcimus,ff.de gradibus*, cum aliis j. adducendis) quod attinet ad
22 successiones, cognationis † ius non haberent, etiam post manumissionem, *l.1.§.pertinet,ff.vnde cognati*: vsque dũ *Iustinianus* istis derogauit sua quadam constitutione & fauore liberorum ab ipso edita, & à *Cuiacio* (cui eam debemus) relata *lib.20.obseruat.c.34.* & post ampliore alia prouisione & constitutione relata & deducta in *princip.institut.de seruili cognat.* abrogauit: ea enim effectum est, vt seruiles cognationes (quæ Iure Ciuili in nuptiis tantùm contrahendis considerabantur, *l.adoptiui 14.§.seruiles,ff.de rit.nupt.*) iam hodie ex *Iustiniano* attendantur & in materia successionis. Cùm autem seruiles cognationes dico, nolo eas referre ad cognationis nomina, de quibus in d.§.*non parcimus*, sed ad cognationem libertorum, vel manumissorum, de qua loquitur *Vlpian.* in d.§.*pertinet*, & *Iustinian.* in dictis locis; nam cùm Iurisconsultus in d.§.*seruiles*, cognationes istas nuptiis contrahendis impedimento esse dixit, dubio procul de nuptiis libertorum loquitur, non verò seruorum, inter quos connubium esse non poterat, *l.filius 28.§.si quis eo tempore,ff.de lib.& posthum.l.5.C.de incest. nupt. Nouell.22.de nuptiis, capit.8.* siue *§.quod autem.* Id quod apertè probat d.§.*seruiles*, ibi: *Manumissus non ducet vxorem*, & ibi: *Si ex seruitute manumissi sint.*

Hæc autem quæ de seruilis cognationis progressu perpendimus, clarè demonstrant, Iustinianæa constitutione relata in dicto *princ. institut. de seruili cognat.* opus fuisse, vt manumissi ad successiones cognatorum tanquam iusti filij inuitarentur. Vt inde velut euidens fiat propositam *Patris Thomæ Sanchez* quæstionem consimili constitutione, aut iuris expressa dispositione indiguisse, vt filius liber effectus paternæ nobilitatis capax efficeretur. Etenim disposita à *Iustiniano* in causa seruilis cognationis, velut speciali libertatis fauore, ad alia trahi non debet, vbi talis indulgentia non inuenitur.

Ex his ergo omnibus perquàm euidens fit, seruum ab homine † nobili ex 23
ancilla procreatum (de quo in quæstione *Patris Thomæ Sanchez*) nobilem non euadere (ac ipse putabat) ex quo liber factus est, nisi aliqua lege speciali hoc ei fuerit indultum, quemadmodum *Iustinianus* in successionibus statuit. Cùm enim seruus manumissione incipiat esse, & libertum sese tantùm inueniat, qui antea nihil erat, inde est, vt quæ libertinorum propria sunt, sola consequatur post quàm seruituis infimam exuit conditionem & notam.

Nec mirum est, si hoc tempore non consequatur, quæ à genere deriuantur,

tur, cùm nec eandem ipsam ingenuita-
tem, quæ homini libero sese venunda-
ri passo antea competebat, post manu-
missionem seruus consequatur, quin
24 potiùs † libertinæ conditionis fiat, vt
disertis verbis asserit *Modestinus* (re-
solutionem prædictam *Pat. Sanchez*
penitùs euertens) in *l. homo liber* 21. *ff.*
de stat. hom. quem ab impugnatione
Balduini relati à *Gothofredo* ibi, optimè
vendicabis ex notatis ab *Ant. Fabro*
in Ration. ad d. l. libertini 6. *ff. illo tit. de*
statu homin. Et ab eo dictis adde, Iure
Ciuili attento manumissum nouum
hominem esse *Paulo* Iurisconsulto in
l. qui res 98. §. *aream, ff. de solut.* Quin-
imò & seruus manumissus iterum in
seruitutem redactus, nouus homo ap-
pellatur ab eodem *Paulo* in *l. seruus* 27.
§. *fin. ff. de adim. legat.* & rectè quidem,
quidquid in contrarium asseruerit
Celsus in *l. si chorus* 79. §. *fin. ff. de legat.*
3. quem optimè refellit *Antonius Syl.*
Clar. libro singulari ad leges xij. Tabul.
cap. 13.

Quæ verò *Pater Sanchez* in suæ sen-
tentiæ comprobationem adsciscit, ei
25 nihil prosunt; neque enim *l. ius agna-*
tionis † *ff. de pact.* probat nobilitatem,
aut agnationem ius quoddam sangui-
nis esse incommutabile, vt *Auctor*
iste supponit, sed ius agnationis, vel
suitatis pacto repudiari non posse:
nam quæ à lege habemus, velut agna-
tionem & suitatem iuris publici sunt,
cur pacto priuatorum derogari non
potest, *l. ius publicum* 38. *ff. pactis, l. ne-*
mo potest. 55. *ff. de legat.* 1. Sed hoc non
vetat, quin iura agnationis, vel suita-
tis, quæ ciuilia sunt, amittantur, mo-
dis & mediis quæ Ius Ciuile approba-
uit, veluti emancipatione, deportatio-
ne & similibus. Et hoc ipsum dices
26 in nobilitate generis, cui priuatorum
pactionibus † derogari non potest, vt
post *Anton. Gomez, Cifuentes, Otalo-*
ram, Menoch. Didac. Perez, & plures
alios optimè resoluit *Zeuallos* (impro-
bata distinctione *Ioannis Garciæ*) *in*
suis communibus, quæst. 688. Et ita iam
hodie decisum exstat expresè *Regia*
pragmatica (quam desiderauerat *Ze-*
uallos suprà) lata anno 1604. quæ est *l.*
14. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recop. in tomo* 3. Hoc ta-
men impedimento non est, quominùs
nobilitas diuersimodè in filios & de-
scendentes deriuetur, iuxta diuersos
mores & leges regionum: & quando-
que naturalibus liberis paterna com-
petat nobilitas, vt apud nos exstat de-
cisum dict. *l.* 1. *titul.* 11. *p.* 7. quin & na-
tis ex plebeia, *l.* 3. *tit.* 21. *p.* 2. aliquan-
do verò à matre etiam descendat in
liberos, vt in dict. *l. eos, l. nati* 29. *C. de*
Decurion. lib. 10. cum aliis iam *suprà* re-
latis.

His accedit nobilitatem ex diuersis
causis Iure Ciuili inductis vel admis-
sis deperdi, † veluti SENTENTIA, 27
Bald. in *l.* 1. *C. de Dign. lib.* 12. *Roman.*
consil. 73. *num.* 4. *Negusant. in sylua respon.*
q. 25. *num.* 9. *Garcia de nobilitate glos.* 1.
nu. 17. INFAMIA, *l.* 2. ibi, *Nobilisque*
persona decore, & iure priuetur, C. de se-
cund. nupt. l. penult. in si princ. C. de Di-
gnit. lib. 12. *l.* 1. *in fin. C. vbi Senatores, vel*
Clarissimi. NVPTIIS *inhonestis & inæ-*
qualibus, vt si nobilis nubat plebeio,
quæ inde ignobilis fit, ex traditis à *Ioa.*
Vaud. lib. 2. *qu. vlt. Hilligero* eum refe-
rente, *lib.* 13. *ad Donellum cap.* 21. *in notis*
vbi ex *Liuio lib.* 10. notat, Virginiam,
Auli filiam, quòd Patricia plebeio
nupsisset, sacris Pudicitiæ Patriciæ
matronas arcuisse.

Vt inde valdè dubia obiter redda-
tur sententia *Baldi* † in *l. cùm quædam* 28
puella, ff. de iurisdict. omnium iud. existi-
mantis, nobilem quæ viro nupsit po-
pulari regulariter pœna nobilium pu-
niendam esse, ita vt habeatur ratio na-
turalis nobilitatis: nam præter quam
quòd ista non conueniunt decisioni
generali *leg. mulieres, Cod. de Digni-*

*tat.lib.*12. & pluribus aliis consideratis à *Tiraquello de nobilitate*, d. *capite decimo octauo numer.* 43. (ipse idem *Bald.* ibidem sentit posse per legem & statutum nubentem plebeio ignobilem fieri.

Nobis etiam CRIMINE perduel-
29 lionis commisso nobilis amittit † claritatem generis, *l.*24. *titul.*21. *part.*2. Et hoc ipsum partim euenit si exactor tributorum fiat, *l.*4. *titul.*2. *lib.* 6. *Recop.* vbi *Azeuedo numero vigesimo sexto*, post Commentatores *legum Tauri*, in *l.*79. & *Auend. in dictionario*, verbo *Caualleros*.

30 Ad hæc, qui nobilitatem † mutationi non subiectam asseret, cùm vbique gentium quotidie tempora demonstrent familias clarissimas, quæ paulò antè ignotæ & subobscuræ fuerant, splendidiores verò supprimi & eleuari? Vt omni ætate verum fuerit *Platonis* dictum, neminem Regum, non aliquando è seruis, seruorum neminem non aliquando è Regibus fuisse prognatum: *Omnia* enim (vt disertè ait *Pater Scribanus in institut. Politico-Christiani, cap.*10.) *longa ætatum varietas miscuit, & omnem partem Fortuna versauit, benè Stoicus, si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil*; quibus alia plura adiungere poteris, quæ latè prosequitur *Ioann. Garcia de nobilitate glo.* 7. §. *secundo, numero vigesimo septimo.* Quid ergo mirum, si morte ciuili) qualis est seruitus) nobilitas amittatur contra *P. Thom. Sanchez?*

Quod verò subdit, dicens, nobilita-
31 tem † sanguini adhærere, & comparari cum his quæ proueniunt à natura, de quibus in d. *l.*3. *ff. de interdict. & relegat.* & in *l. iura sanguinis, ff. de diuersis regul. iur.* & ideò immutabilem esse (quæ fuit sententia *Tiraquel. de nobilit. capit.*25. *numero quinto*, & *capit.*35. *Ioan. Garciæ de nobilit. gloss.*7. *num.*17. & *Osorij de nobilitate ciuili libr.* 4. *cap.* 14. aientis, absolutam nobilitatem nunquam loco dimoueri) sustineri non possunt, quia nobilitas (quæ à bono genere prouenit, *Aristot. li.*1. *de histor. animal. c.*1. *ad fin.*) vel à virtute generis (vt ipse idem ait *libr.* 2. *art. Rhetor. cap.* 15.) ius sanguinis non est, de quo loquitur d. *l. iura sanguinis*, vbi *Pomponius* iura sanguinis vocat (vt disertè notant ibi *Pet. Faber. Cuiac.* & cæteri nouiores) iura cognationis & proximitatis, *l. qui in adoptionem* 23. (inde intelligenda) *ff. de adoption.* cùm ait, adoptionem afferre ius agnationis, non sanguinis, id est; cognationis, *l. vel si sanguine* 12. *ff. manumiss. vindicta*, *l. hac parte* 2. *ff. vnde cognati.* Quæ quidem cognatio nullo Iure Ciuili dirimi potest; nec enim fieri potest, quin filius emancipatus, & ab alio adoptatus naturale ius liberorum retineat, *l.* 2 *ff. de liberi*, §. *minus*, *institution. de hæredit. quæ ab intestato deferuntur.* Et in hoc sensu accipienda sunt verba suprà relata *Alpheni* in *l.* 3. *ff. de interdict. & relegat.*

Sed &, quod plus est, iura ista sanguinis † per Ius Ciuile corrumpuntur, aut impediuntur, media seruitute: nam vt optimè ait *Cuiac. supr.* post *Petr. Fab. Me seruo vel peregrino effecto, mater mea cessat mater mea esse, l. legitima secunda* §. *primo, ff. ad Tertul.* *ratio est, quia maxima & media capitis diminutione videtur amitti libertas; vtraque enim morti assimilatur, atque ideò cognatio tam ciuiliter, quàm naturaliter deperditur, ex quo seruitus & peregrinatio mors est: adeò vt nec semel perempta cognatio recipiatur manumissione, l. is qui* 7. *ff. vnde cogn.* Ex quibus argumento à maiore ducto (quod in iure frequens, forte & vtile est, *Euerar. in Topic. loco* 66.) per quàm euidens fit, seruitute nobilitatem amitti omnino.

Ei-

33 Et ne dictis à *Fabro* & *Cuiac.* obstet, dict. *l. iura sanguinis*, † & dict. *l. 3. ff. de interd.* verbum illud, *dirimi*, interpretari debet cum *Fabro*, id est, in totum tolli, & impediri non posse, cæterùm posse naturali morte vel ciuili, vt seruitute, ac denique pœna legitima, quæ irroget seruitutem, vel libertatem adimat.

Ex dictis securè inferimus, filium habitum à nobili viro ex matrimonio cum ancilla inito (quod validum est, *cap. 2. & fin. de coniug. seruor.*) cum libertate ex manumissione obuenienti nobilitatem non recuperare: etenim manumissio, quæ ex *Cuiacio suprà* non restituit ius sanguinis vel cognationem, multo minus restituet qualitatem bonæ cognationis vel generis.

Quinimò in casu proposito nec indulgentia, aut restitutio natalium à Principe facta quidquam proderit,
34 † vt manumissus iste nobilitatem paternam & auitam consequatur: nam cùm restitutio sit in primum statum repositio, *l. quod si minor 24. §. restitutio, ff. de minoribus*, beneficio Principis ad nobilitatem, quam anteà nunquam habuit, non restituetur, sed nouam & priuilegiariam à Principe consequetur. *l. fin. ad fin. C. de sentent. passis & rest.*

35 Cuius decisione attenta aliter dicendum est de eo † qui cùm liber & nobilis erat, seruus vel pretio vel pœna effectus esset, & posteà à Principe natalibus restitueretur; is enim nobilitate simul & ingenuitate beneficio restitutionis potietur, non quia natalium restitutio, nobilitatē cuiuis plebeio restitutio à Principe concedat, vt malè probat *Budæus* ad *l. fin. ff. de Senatoribus, pagin. 55.* (meritò notatus à *Palæoto de nothis spuriisque filiis* d. *capite sexagesimo secundo numero quarto,*) sed quia restitutio istum in pristinum statum reponit, in quo ingenuus & nobilis simul erat.

Ab his etiam venit intelligendus *Palæotus* † in dicto *capit. sexagesimo primo, numero primo.* (expensus à *Patre Sanchez* pro sua sententia) Neque enim indistinctè ait, legitimatū à Principe Nobilem obscuritatis nota deleta euadere, sed legitimato labem ex illegitimitate (vt ita loquar cum nostris) prouenientem deleri, ita vt natalibus restitutus eorum sequatur conditionem; & plebeium sese tantùm inueniat, si maiores sui è plebe erant, nobilem verò, si ex clara & nobili stirpe originem ducat (vt ipse *Palæotus* clarè sensit dicto *capit. sexagesimo secundo* à *numer. tertio,*) nisi spurio áb ignobilibus orto Princeps priuilegiatim concedat nobilitatem, vt is *Auctor* ait *numer. 4.* 36

Sed hæc omnia longè distant à quæstione proposita per *Pat. Sanchez*: ni velis dicere ei potiùs contrariari. † Ex quo enim *Palæotus* hominem liberum quamuis spurium natalibus restitutum, eorum sequi conditionem asserit, simul præsupponit serui restituti diuersam esse conditionem, vt qui ex restitutione nouus homo fit, & à mortalitate ex seruitute contracta, reuocetur in libertatem: qua sola (media restitutione) incipit frui; nec est extremum aliquod ingenuitatis & nobilitatis (vt in homine quouis libero restituto) ad quod restitui & redintegrari possit, ex iam dictis per nos super ista quæstione *Patris Thome Sanchez*: quam (vt nouam & notabilem, & admodum necessariam) prosequi latiùs & exornasse nobis licuisse negabit nemo. 37

* * *

§. IV.

DE PARTVS EDITI educatione.

SYNOPSIS.

1 *Educatio ad morum directionem, & vitæ institutionem propriè refertur, déque ista præcipuè tractantes refert* Auctor.

2 *Subinde de partus editi educatione, hoc est, de liberorum procreatione sermonem instituit.*

3 *Educatio ista victui æquiparatur.*

4 *Educatio partus, ex quo editus est, ad parentes iure naturæ pertinet. Et n. 5. hoc ius ad cætera animalia extẽdi ait. Et nu. 6. istius à natura animalibus insiti amoris exempla refert. Et nu. 7. hoc ius naturale præstantius in homine residere firmat: ex pluribus adstruens, hominem recens editum parentum ope magis indigere.*

8 *Obligatio alendi ex lege naturæ proueniens priuatorum pactionibus tolli non potest, ex aliquorum sententia. Et num. 6.* Barbosam *&* Zeuallos *citat, existimantes, lege vel statuto spuriis alimenta non posse denegari. Et num.* 10. Telli Fernandez *contrariam sententiam adducit. Et num. 21. improbat. Et nu. 11. distinctio Menchacæ refertur. Quæ num. 22. refellitur. Et nu. 12. sententia nouissima* Antonij Fabri *in medium profertur. Et num. 23. impugnatur. Et nu. 64. resolutio traditur quàm pessima.*

13 *Plures sunt iuris dispositiones filiis alimenta denegantes.*

Ratio & obligatio naturalis alendi ab alea superiore quandoque vincitur, & cessat. Et nu. 15. hinc rationem Motus proprij Pij V. pendere ait. Et nu. 16. declarat d. Motum proprium cum Nauarro. *Et nu. 20. iustum & rationi naturali conuenientem esse concludit.*

17 *Lex est apud Hispanos similis decisioni dicti Motus proprij, quam miratur* Barbosam *&* Zeual. *præteriisse. Et nu. 18. prædictam legem praxi seruari contendit. Et 19. eius obseruantiam in causa esse vsitatæ cautelæ committendi alterius fidei restitutionem bonorum filijs incapacibus faciendam.*

24 *Casus, temporáque distinguit, atque recenset per conclusiones circa causam alimentorum filiis præstandorum.*

25 *Priora alimenta primo ætatis triennio filiis quibúsque debentur & præstantur à matribus.*

26 Abbas Panormit. *(qui matrem filij illegitimi ab obligatione lactandi liberabat) impugnatur.*

27 *Casus sunt, in quibus mulieres immunes sunt ab ista obligatione, velut si lac noxium habeant. Et nu. 28. si adeò mulier pauper sit, vt dum victum propriis quærit manibus, educationem filij curare non potest. Et num. 29. si adeò nobilis sit, vt dedecori ei esset lactare filium. Quod distinctione demum adhibita* Auctor *admittit. Et numer. 30. 31. 32. & 33. de hisce, & aliis varia traduntur.*

34 *Mulieres inferioris gradus notat, quæ filiorum lactationem dedigantur.*

35 *Hæretica non tenetur filium lactare, & alere, quinimo ab ea debet separari.*

36 Cap. fin. de conuers. coniugat. declaratur.

37 *Filius apud matrem suspectam de machinatione mortis eiusdem educari non debet. Et numer. 38. nec apud matrem transeuntem ad secundas*

cundas nuptias. Et ibidem prædicta omnia circa obligationem maternam alendi liberos limitat & declarat.

39 Cessante obligatione matris subintrat obligatio patris. Et n. 40. hoc idem locum habere ait in casu. Authenticæ ex complexu, prioribus tribus lactationis annis.

41 Transactio priore triennio subintrat obligatio paterna alendi liberos quosuis, exceptis aliquibus casibus.

42 Sed cessante patris obligatione, subintrat materna.

43 Matris obligatio subsidiaria est, & regulariter matri in patrem recursus pro erogatis datur: & alia.

44 Pater attento antiquo Iure Ciuili non tenebatur filios illegitimos alere.

45 L. ex facto, §. si quis rogatus, ff. ad Trebellianum cum aliis interpret. & num. 50.

46 L. 1. Cod. de naturalibus liberis intellig.

47 L. 2. C. de naturalibus liberis, & l. 1. tit. 6. libr. 4. Codicis Theodos. de naturalibus filiis, & matribus eorum, explicatur.

48 L. si quis naturalem 3. C. de natural. lib. liber. cum aliis declar.

49 Nouella 89. Iustin. cap. 12. elucidatur.

51 Mater attento Iure Ciuili quosc unq filios, & vndecunque habitos alere tenetur.

52 Filius naturalis ex constitutionibus Valentis & Valentiniani, & successorum capax est bonorum paternorum certo modo.

53 Lege Iustiniani pater filios ex damnato coitu alere non tenetur.

54 Lex Patria 5. tit. 19. part. 4. anterioribus Archadij & Honorij constitutionibus, & subsequentibus Iustiniani derogauit.

55 Ius Ciuile omnes illegitimos ex damnato coitu facit, præter naturales: at nobis ex l. 9. Tauri aliter dicendum est.

56 Iure Canonico adulterinis, & quibusuis ex damnato coitu liberis alimenta debentur. Et quid Athenis antiquitus fuerit obseruatum ostēditur. Et num. 58. & 59. hoc admittendum ait Auctor in terris Imperij, non obstante quacunque lege, vel statuto in contrarium.

57 Cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, interp.

60 Pontificiam determinationem in causa alimentorum limitat Auctor.

61 In legibus Partitarum idem dispositum erat quod in aliis iuris communis circa causam alimentorum. Et num. 62. ex l. 9. Tauri aliter decisum ostendit. Et Ius Ciuile interuersum demonstrat. Et nouiores nostras leges Ius Canonicum amplecti probat.

63 Quibus casibus parentes ex natalitio iniusto filios alere non tenentur, eisdem & filij liberi sunt ab obligatione alendi parentes.

65 Vera ratio detegitur, quare alimentis regulariter renuntiari non possit. Et nu. 66. cur renuntiatio legitimæ in plurimùm non excludat filium à petitione alimentorum. Et nu. 67. cur reuocari possit donatio ob ingratitudinem donatarij alimenta donanti denegantis.

68 In extrema necessitate pater, filiúsve (aliàs à præstatione alimentorum immunes) ad vitæ conseruationem necessaria subministrare sibi inuicem tenentur.

Dictis in §. præcedenti affinis est tractatio educationis partus, quæ iuxta institutum nostrum accipienda est alio sen u, & longè diuerso, ab educationis filiorum causa, prout morum † directionem vi- 1 tæque institutionem præ se fert, quam

ideò παιδοτροφίαν appellat *Callistratus* in *l. semper* 5. §. *demonstratur*, *ff. de iure immunitatis* (de qua multa in sacris litteris *Geneseos capit.* 9. *vers.* 23. & *lib.* 1. *Regum*, *cap.* 23. & 28. & *Tobiæ cap.* 4. & *libr.* 1. *Paralip. c.* 28. & *Ecclesiastici cap.* 7. & 30. & in *D. Ambrosio*, aliisq; sanctis Patribus, post *Platonem* optimè edisserentem in *Theage* siue *de Sapientia*, & in *Lachete* vel *de Fortitudine*, & in *Lysi* siue *de Amicitia*, & *lib.* 4. *de Republ. Aristot. libr.* 5. *Politic. ca.* 9. & *lib.* 8. *cap.* 1. *Xenophont.* egregiè *in Pædia Cyri*, *Diogenem Laertium lib.* 2. *cap.* 8. & *libr.* 1. *c.* 1. & 5. *Plutarchum in libello* Περὶ παίδων ἀγωγῆς, *Ælianum libr.* 3. *de historia animalium cap.* 40. & *lib.* 12. *de varia historia*, *Diodorum Sicul. lib.* 2. *c.* 8. *Senecam epist.* 95. *Quintilian.* in variis locis *suar. instituti.* Quibus addo *Alexand. ab Alex. lib.* 2. *cap.* 25. *Erasmum lib.* 3. & 6. *Apophtegmat.* Deque ista liberorum educatione & disciplina omnium primi leges tulerunt *Dracon* & *Solon*, vt testatur *Demosthenes oratione in Timarchum*, *post princip.* & multa statuerunt Iurisconsulti & Imperatores, & post eos annotarunt Iuris Interpretes in *titulis D.* & *C. vbi pupillus educari debeat.* Politici passim, & ex nouioribus *Pater Adamus Contzen*, & *Carolus Scribanius*, ille latè *li.* 3. *Politicorum cap.* 1. & *sequentibus*, iste concisè & discertè, *in institutione Politico-Christiana*, *c.* 5. *Franciscus Floridus lib.* 1. *subseciu. lection. cap.* 1.) Nos enim de educatione, hoc est, de liberorum procreatione, † quæ iuris naturalis est, déque eadem ad obligationem & necessitatem redacta, prout Iuris Ciuilis est, *hoc* §. acturi tantùm sumus.

Principio constituentes educationem, de qua noster est sermo, victui † æquiparari, vt ait *Paulus* in *l. fin. ff. de*
2 *alimentis & cibariis legatis*, *l.* 3. *Cod. de alend. liber.* sub nomine verò VICTVS contineri ea quæ esui, potui, cultuíque corporis (vt vestitus) quæque ad viuendam homini necessaria sunt, & cetera, quibus tuendi, curandíve corporis nostri gratia vtimur, *l. verbo* 43. *l.* & *cætera*, *ff. de verbor. significat.* ita vt tectum, vel habitatio sub nomine VICTVS veniant, *l. diarij* 21. *ff. de aliment. & cibar. legat.* 1. *l. si quis à liberis*, §. *non tantùm*, iuncta *Gloss. ff. de liber agnoscendis*, *l.* 2. *tit.* 1. *part.* 1. & *l.* 2. *titul.* 19. *part.* 4. quin & pharmaca, vt innuit dicta *l.* & *cætera*, & dict. *l.* 2. *partitæ*, & notat *Rebuf. in tract. de sententiis prouisional. art.* 1. *gloss.* 5. *Surdus de aliment. tit.* 4. *quæst.* 5. *nume.* 11. cum pluribus aliis quos refert & sequitur *Marius Giurba in consuetudin. Messanen.* 1. *par. cap.* 7. *gloss.* 15. *nu.* 2. *Donel. libr.* 12. *comment. c.* 4. Vt inde appositè *Plautus* in educandis infantulis multa requirat *in Trucul. act.* 5. *vers.* 10. vbi

Puero (inquit) *opu'st cibo, opus est matri autem, quæ puerum lauit,*
Opus nutrici autem, vtrem vt habeat veteris vini largiter,
Vt dies noctésque potet, opu'st igne, opus est carbonibus,
Fasciis opus est, puluinis, cunis, incunabulis,
Oleum opus est, farina puero opus est, opu'st totum diem.

Quinimò educandi verbum latius est, quàm alendi apud Latinos, vt ex illo eiusdem *Plauti*: *Non homines alit, sed educat*, annotauit *Cuiac. ad l.* 43. *de verborum signific.* & potuit allegare eundem *Plautum* disertiùs *in Menæch.* ita dicentem: *Hic homo conuiuas non alit, sed educat.*

Et ab his fit, vt in educationem istam incidat etiam præcauta à parentibus adhibenda cura & solicitudo in liberos ne damnum illis inferatur, velut ne cadant, ne crura frangant, &c. ita vt incuria efficiat.

Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brocchum filium, vt ait

Vt ait idem *Plautus in Milite glorioso, actu 3. scena 1. vers. 125.* Vt enim ait *Philo in lib. 1. de Temulentia*: κήδεται γὰρ ἀδιδάκτῳ τῇ φύσει τὸ ποιητικὸς ἀεὶ τῶν γενομένων, καὶ σωτηρίας αὐτοῦ, καὶ διαμονῆς τὴν εἰσάπαν πρόνοιαν ἔχει, *Natura absque præceptore docet, vt nati curæ sint genitoribus, ipsorum saluti, diuturnitatiq; prospicientibus*: & idem *Philo* alibi: Μηδὲν (ait) τῶν εἰς ὑγείαν προσφόρων, ἐπιτηδεύειν ἀξιοῦν, *eorum quæ ad vitam, sanitatémque tuendam cōducunt, nil vnquā prætermittunt parentes*. Et istis mirè cōcinnunt illa *Boetij de disciplina Schol. c. 1. Cùm autem indiscreti, & impotentis septennis infantia ducitur ad imbuendū, cauendum est, ne membrorum indecens sit dispositio, vtpotè integralium; & ne aeris intemperies (vtpotè constringentis hyemis obtusitas, & comburentis æstatis profunditas) periculi generet incrementum. Legitur enim Timothei filium lepra incumbentém, castratum, loripedem: gibbo tumentem doctrinæ mancipatum, plebeiam extitisse obiectionem, suorúmque sociorum detractionem ridiculosam. Similiter Pectorij suburbani filium caniculà instigante literis vidimus mancipatū. Cum autem solita non gauderet vmbella, propria virtute destitutus ictericiæ pœna permollitus ex vitabilibus tandem spiritibus attenuatus lymphatico morbo occubuit. Ecce quantum difficultatis mēbrorum indecens dispositio, & aeris intemperies teneritati puerili contulerunt.*

¶ Et hæc quidem nutricum sunt propria, quæ inde *assæ* dicuntur, hoc est, *quod assint his quos nutriant, nec vel exiguo diuellantur*, vt ait *Nonius de propriet. sermon. cap. 1.* & exornat *Ludou. Carrio lib. 2. emendat. cap. 9.* Et demum vno velut verbo rem ipsam absolues, si cum *Pet. Pantoja in comment. ad l. 2. D. de aleatorib.* super verbo *currendo*, dixeris, omnium animantium hominem alterius indigentiorem auxilio in præcauta procreationis, nutritionisque custodia adhibenda, quod mirè comprobabis ex dicendis paulò *inferiùs num. 7.*

Hæc autem vniuersalis educatio partui, ex quo editus † est, & lucem vi- 4
det, iure naturali à parentibus debetur, *l. 1. §. ius naturale, D. de iustit. & iur. princip. institution. de iure natur. gent. & ciuili, l. fin. §. filiis, Cod. de bonis quæ liber. l. 1. §. taceat, C. de rei vxor. actione, cap. ius naturale, 1. distinct.* & concordat proœmium cum *l. 1. & 2. titul. 19. part. 4. Bald.* optimè in *d. §. filiis*, & in *l. Nensenius num. 2. D. de negot. gestis.* Nec mirum, *cùm videamus* (vt ait *Vl-*
pianus in *d. l. 1. §. ius naturale*) † *cætera* 5
quoque animalia, feras etiam istius iuris peritia censeri, hoc est (vt omnium melius interpretatur *Cuiac.* in dicta *l. 1. §. huius studij, D. de iustit. & iure*) *hanc eandem peritiam habere*, quod mirè comprobat ex *Plinio in Panegyrico*, & *A. Gellio* alibi, & ex *l. fin. C. de suis & legitim. hæred. l. de alimentis 8. C. de transact.*

Sed & in tractatione de peritia ista, & iure naturali in animalibus nullus ex nostris est cum *Cuiacio* comparandus, vt qui hæc à fontibus Stoicorum, & Iurisprudentum ibidem deducit. Eius tamen dictis omnino addas annotata, vel potiùs congesta ab *Hilligero ad Donel. lib. c. 7.*

Natura verò insiti † animalibus 6
amoris & curæ erga suam prolem plura atque insignia inuenies testimonia apud *Tiraquel. in præfat. l. si vnquam, numer. 13. & 14.* quibus adde nobilem Plutarchi locum *in libro de amore prolis in princip.* vbi de Alcyone ita ait: *Occurrit primo loco Alcyon, quæ post quàm concepit, nidum componit è spinis marinæ acus, quas inter se complicans atque conserens formam circumfractam, qualis est retis piscatorij, & prælongam struit, concinnéque densa serie spinis inter se accuratè contex-*

tis opus illuuiei vndarum supponit, vt paulatim percussum atque stipatum textum solidam nanciscatur superficiem: & mox alia subdit de leæna, vrsa, perdice, gallina, quibus similem affectionem & curam naturam ingenerasse testatur.

Sed quanto præstantius ius naturale, eiusque ratio in homine residet, ex notatis à *Cuiacio vbi suprà*, tanto for-
7 tius † ad liberorum educationem is tenetur, vt optimè annotauit dictum *Prooemium tit.19.part.4.* in illis verbis: *Cà si las bestias, que non han razonable entendimiento, aman naturalmente, è crian sus hijos, mucho mas lo deben fazer los omes, que han entendimiento è sentido sobre todas las otras cosas.*

Adhæc ista partus humani educatio vrgentiori alia homini præ cæteris animantibus ratione incumbit, quam optimè considerauit *Cicero* dum ita ait: *A natura ipsa compellimur, vt eos quos genuimus, nutriamus & amemus: & sic cuncta animalia statim cùm nascuntur maxima præsidia, plurima ornamenta, quibus cooperiantur, natura tribuit, & victum sibi ipsis, non alieno auxilio, statim quærentes. At homines his omnibus nudi & destituti in æuum prodeunt, ita vt nisi alieno præsidio fruantur, vitam seruare non possent.* His accinit *Plinius in prooemio lib 7. de naturali histor.* dicens: *Non satis* est *æstimare parens melior homini, an tristior nouerca fuerit* natura. *Ante omnia vnum animantium cunctorum alienis velat opibus: cæteris variè tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera: truncos etiam, arboresque cortice interdum gemino, à frigoribus & calore tutata est. Hominem tantùm nudum, & in nuda humo natali die abiecit, ad vagitus statim & ploratum: nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio.* Vnde *Plutarchus in lib. de amore prolis:*

οὐ μὲν γὰρ τί που ἐστὶν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Quando nihil spirat terra, neque repit in alma
Tam miserum, quàm sunt homines.

Id quod (ait *Plutarchus*) *de infante recèns nato dictum minimè fallit: nihil enim est tam imperfectum, inops, nudum, informe, spurcum, vt homo à partu statim cōspectus: cui soli ferè ne exitum quidem in lucem & mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus, taboque oppletus, & occiso magis quàm nato similis à nemine tangi, tolli, suauiari sinit; at nec amplexu foueri potest, nisi natura insitum gerente amorem. Itaq; aliis animalibus infra ventrem vbera in mammas desinunt, mulieri supernè ad pectus nascuntur, vt in promptu sit osculari, amplecti & fouere infantem; nimirum quia pariendi & alendi finis est, non necessitas, sed amor.*

Faciunt quę in alio proposito ex dicto loco *Plinij* & aliis bonorum Auctorum transcripsit *l. 7. tit. 1. part. 2.* dum ita ait: *Todas las cosas que son viuas traen consigo todo lo que naturalmente han menester, que no conuiene que otro ge lo acarree de otra parte: ca si son de vestir, ellas son vestidas de suyo, las vnas de pendolas, las otras de caballos, otras de curos otras de escamas, otras de conchas, cada vna dellas segunt su natura, porque non han menester que texan para hazer vestidos. Otrosi para defenderse, las vnas trahen picos, otras dientes, otras cuernos, ò aguijones, ò espinas. Otrosi lo que comen i beben, cada vno lo falla segun que le es menester, de guisa que no ande à buscar quien ge lo adobe, ni lo ha de comprar, ni ir à labrar por ello: mas el ome de todo esto non ha nada para si, à menos de ayuda de muchos que le busquen è lleguen aquellas cosas que le conuignen.*

Hinc videmus liberorum procrea- tionis

tionis rationem semper & vbique habitam, *Petr.Gregor.lib.1.de Republ. cap. 11.numer.2.& seqq.* Imò, in parentum gratiam,& miseram conditionem recèns editorum, ad artem redactam in *Euchario Rhodione de partu hominis cap.10.*& aliis medicis. Vt inde meritò veniat damnanda noua consideratio *Andreæ Laurentij*, qui *lib.1.de historia anatomica cap.3.* adnotata *supra* ex *Cicerone, Plinio* & *Plutarcho* maiori hominum perfectioni tribuit: & nudum hominem creatum asserit, vt rerum omnium, quæ naturæ lege, imperióque continentur, Princeps esset:& alia similia comminiscitur, quæ à *Peramato* (eius nomine suppresso in *libro 1.de hominis procreat.*) maiore ex parte desumpsit & ab euidenti indigentia hominum recèns editorum sunt prorsus aliena.

Ex quo autem hæc alimenta indigentibus filiis à tempore natalitij natura debentur, communis Doctorum infert lege ciuili obligationem
8 istam alendi tolli † non posse: quæ fuit sententia *Baldi* in *l. ius naturale, D.de iustit.& iure, Laræ*, post alios, in *l.si quis à liberis, §. idem rescripsit, Surdi de aliment.titul.8.priuileg.85.numero 8. Molinæ libro 2. de Hispanor. primog.capite 1.numero* 14.cum pluribus aliis, quos nouè refert & sequitur *Zeuallos part.3.commun. contra commun.quæst.757.à numer.4.* & post istum *Philipp.Paschal.de viribus patriæ potestat.2.par cap.3.n.4. Marius Giurba in consuetudin.Messanen.cap.7.glòss. 11.par 1.num.3.* In idque communiter expendi solet *l.scripto, D.vnde liberi,l. cum ratio. D.de bonis damnat.l.eas obligationes, D. de capitis diminution.l. iura sanguinis, D. de regula iuris,l.ius agnationis* (quæ certè huius propositi non est, ex iam dictis *suprà* §.3. numer.25.circa eius interpretationem) *ff.de pact.*

Sed an ista procedant in filiis illegitimis,incestuosis, & ex nefario,vel damnato congressu susceptis (quos non solùm Ius Ciuile,sed & naturalis ratio odio habet, & ex dicendis *infrà*) non leue dubium est, à quo *Zeuallos suprà* facilè sese expedit,& ex *Barbosa* in *l.4.par.num.64.ff. soluto matrimon.* post *Fortun. Duennas Couarr.Rojas*,& alios securè tenet,lege vel statuto fieri † non posse,quominus hisce alimen- 9
ta non concedantur.Quo ex capite in d. *quæst.757.num.19.* non adsentit rigorosæ(vt is ait post *Barbosam*) *Constitutioni PijV.* aduersus spurios Clericorum latæ.

At ex nostris *Tellus Fernandez* † in 10
l.10.Tauri,num.4. ista aliter intelligit, & ex professo (vt ipse loquitur) negat alimenta filiis iure naturali deberi:& quod communiter dicitur, filios iure naturæ alendos, intelligendum esse ait, non de necessitate alimenta subministrandi, sed de instinctu parentibus à natura insito alendi liberos d.*cap.ius naturale,1.distinct.*ibi:*Instinctu naturæ*:idque comprobare nititur ex *Decio, Cagnolo* & aliis in d.*l.iura sanguinis*:& demum pro sua sententia expendit *textum* in d.*l.1.& 2.titul.19. part.4.*

Ferdinandus verò *Menchaca lib.2. de successìon.creat.1.par.§.20.numer.311.* distinguit † inter communes opinio- 11
nes,quas ibi refert, & parentes lege naturæ tunc teneri ait, cùm liberi eius sunt ętatis,vt victum sibi quærere non possint,quod comprobat ex d. *cap.ius naturale*,ibi: *Puerorum educatio*,quo nomine appellantur (vt iste ait) nati vsq; ad decimum quartum annum, *l.fin.§. vbi autem,C.de bonis quæ liberis.*Idque comprobat exemplo omnium animantium,qui filios educant vsque dum ipsi apti sunt victum quærere, & pro sua sententia expendit *l.2.& 4.tit.1.libro 5. Ordina.*& potuisset allegare (vt opti-

mè notat *Zeuallos ſupr.num.26.)* d.*l.* 10.*Tauri*,quæ eſt *l.8.tit.8.libr.5. Recopilat.*in illis verbis:*Mandamos,que en caſo que el padre, ò la madre ſean obligados à dar alimentos à alguno de ſus hijos illegitimos en ſu vida,o en el tiempo de ſu muerte,que por virtud de la dicha obligacion no pueda mandarle mas que la quinta parte de ſus bienes*:quę vltima verba ponderat *Zeuallos ſupra* pro *Menchaca*,ſed melius & aptiùs dubio procul expendiſſet priora,ex dicendis *infrà.*

Nouiſſimè *Anton.Fab. in ſua Iuriſprudent. papin.ſcient.titul.2.in princip.*
12 †exiſtimauit educationem illam tantùm iuris naturalis eſſe, quæ cum ratione fiat: vnde cùm liberi ex concubitu inceſtuoſo,nefario, damnatóve procreati,ſint abominabiles, in eiſque ceſſet ratio alendi,ceſſabit etiam obligatio naturalis,vt probatur in *Nouella* 89.*cap.vlt.* vnde ſumpta eſt *Authent.ex complexu,C.de inceſtis & inutil.nupt.* Idque comprobat *Faber* exemplo coniunctionis maris & fœminæ,quæ iuris naturalis eſt, dum tamen fuerit congruens & iuſta, matrimonio ſcilicet inter eos inito, d.*l.2 §. ius naturale,ff.de iuſtit.& iure*, ibi: *Maris & fœminæ coniunctio,quam nos* MATRIMONIVM *appellamus*:vt inde educatio liberorum iuſta ſit iuris naturalis,iniuſta verò non ita.Id quod comprobare potuit à *Palæoto*, iſta optimè proſequente, *de nothis ſpuriiſque filiis,cap.*1.ex *num.*8. & *cap.ſeq.* ferè per totum.

Sed harum opinionum nulla vnquam mihi placere potuit:non prima *Baldi* (quam noſtri communiter ſequuntur) cùm videam generales iu-
13 ris†diſpoſitiones contrarium expreſsè ſtatuentes in filios ex complexibus nefariis,inceſtis, & damnatis procedentes,eæ ſunt d.*Nouella* 89.*capit.vlt.* & *Nouella* 115.*cap.*3. aliàs *Authent.vt* cùm *de appellatione cognoſc.* §. *aliud quoque capitulum*, vbi ex diuerſis cauſis ingratitudinis ibi deſignatis filij priuantur legitima patris ſucceſſione; at ex quibus cauſis permiſſum eſt filios exhæredare, ex illis pariter poſſunt parentes alimenta eiſdem denegare, *Bart.*in dict.*l.ſi quis à liberis,§.ſi quis ex his,ff.de liber.agnoſcend.* & in *l. Diuus,ff.ad legem Pomp.de parricid.* & in *l.ſi patrem,C.de alendis liber.* Quin imò legitima magis debita eſt filiis poſt mortem patris, quàm eo viuente alimentorum præſtatio, vt adſerit *Menoch.vbi ſupr.Surd.de aliment.titu.* 9.*qu.*2.*n.*2. & faciunt ab eo latè tradita *tit.*1.*quæſt.*19.*nu.*7.& *quæſt.*31.*num.*12.& *quæſt.*35.*nu.*15.& *tit.*3.*quæſt.*1.*num.*36.& *quæſt.*12.*n.*6.

Sed tam legitima, quàm alimenta, quæ ex ratione naturali debentur, 14
† alia ſuperueniente ratione naturali ſuperiore (quales ſunt deſignatæ in d. §.*aliud quoque capitulum*,& quæ *Iuſtinianum* mouit in d.*Nouella* 89.*cap.vlt.* & in d.*Auth.ex complexu*, effrænandi ſcilicet concubitus iniuſtos) denegari poterunt à parentibus. Clarè ergo contra *Baldum*, eiuſque ſectatores conſequitur,alimenta filiis ex lege denegari poſſe.

Et hac certè innititur ratione & propriis 15
poteſtate dictus Motus † proprius *Pij V.* qui eſt 117.*in Bullar.mag.tom.*2. incipit:*Quæ ordini*,vbi irritantur priuilegia & indulta ex ſpeciali iure perſonis Eccleſiaſticis conceſſa teſtandi, legandi,donandi, vel alio quocunque modo diſponendi ex bonis, ſiue intuitu Eccleſiæ acquiſitis, ſiue patrimonialibus,in fauorem ſuorum filiorum illegitimorum: hoc ideò, quia tales filios Eccleſia odio habet: tum etiam quia per eos ſolet periclitari ſubſtantia Eccleſiarum,*cap.de Syracuſana,28.diſtinct.* Et Epiſcopi,aliique Eccleſiaſtici ſolent eſſe cæci erga ac-

poteſt-

potes, vt ait *Gloſ. in c. peruenit* 1. *qu.* 3. & vtrumque probat *Trident. ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 1. in illis verbis: *Vt* Eccleſiaſtici *omnem humanum erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, vnde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitùs deponant*, proſequitur hæc & alia *Nauar. de Spol. Clericor.* §. 19. *n.* 2. *tom.* 2.

16 Qui *num.* 9. optimè ex pluribus reſoluit † illius Bullæ deciſionem iuris communis diſpoſitiones non tollere, ſed tantùm habilitationes (vt cum noſtris loquar) ex iure ſpeciali prouenientes. Et ita *Rota* declaratum inuenio *deciſ.* 487. *part.* 1. *diuerſ.* & apud *Seraphin. deciſ.* 478. *num.* 5. & 1358. *num.* 4. Vt meritò veniant impugnandi *Barboſa* ad d. *l.* 1. 4. *pag. numer.* 65. qui hanc conſtitutionem rigoroſam appellauit (ſupponens eius diſpoſitioné generalem eſſe) & multo magis *Zeuallos*, qui in d. *quæſt.* 757. non ſolum eam appellat rigoroſam *num.* 9. ſed & contrariam iuri naturali, *in ſummario num.* 10. Obídque non fuiſſe vnquam receptam aſſerit in *num.* 31. In quo apertè fallitur, & contra dictas deciſiones *Rota* loquitur: quin & contra *deciſionem* 214. *pag.* 2. *diuerſor.* quam malè cum *Barboſa* allegat pro ſua ſententia.

Et ſanè eſt, quod imputetur his Auctoribus noſtris in ſua ſingulari aſſertione contra dictum Motum pro-
17 prium, cùm ei ſimilem legem † habeamus Regis & domini noſtri IOANNIS Primi, quæ eſt 6. *titul.* 8. *lib.* 5. *Recop.* lata anno ſalutis 1380. quæ ita ſe habet: *Otroſi por no dar ocaſion, que las mugeres, anſi viudas, como virgines ſean barraganas de Clerigos, ſi ſus hijos heredaſſen ſus bienes i de ſus padres, ò ſus parientes, por priuilegio, ò cartas que huuieſſen: Ordenamos, que los tales hijos de Clericos no ayan, ni hereden, ni puedan auer ni heredar los bienes de ſus padres Clerigos, ni de otros parientes de patre del padre; ni ayan ni puedan gozar de qualquier manda, donacion, ò vendida que les ſea hecha por los ſuſodichos, aora ni de aqui adelante. I qualeſquier priuilegios ò cartas que tengan ganadas, ò ganaren de aqui adelante en ſu ayuda contra lo que* NOS *anſi ordenamos, Mandamos, que les no valan, ni ſe puedan dellas aprouechar ni ayudar, çà* Nos *las reuocamos i damos por ningunas.* Vide *text.* expreſſè idipſum decidentem, quod poſtea à ſanctiſſimo *Pio V.* ſtatutum eſt dicto ſuo *Motu proprio* 117. 2. *tomo Bullarij magni.*

Nec vllum ex noſtris Patrij Iuris Interpretibus inuenies, qui *legem* iſtam
6. praxi non ſeruari † affirmet: quin 18
potiùs omnes, vno aut altero excepto (vt patet ex traditis à *Gutierrez libr.* 2. *practic. quæſt.* 102.) eius diſpoſitionem intelligunt etiam in ſucceſſioné bonorum maternorum filiis Clericorum non concedenda, ex verbis illis: *Si ſus hijos heredaſſen ſus bienes, i de ſus padres.* Et id ipſum ſtatuit *l.* 9. *Tauri*, quæ hodie eſt *l.* 7. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recop.* iuxta ſingularem inductionem *Ciſuentes quæſt.* 3. *n.* 5. & *Antonij Gomez n.* 15. in d. *l.* 9. qui hoc verè probant, dicentes, d. *l.* 9. filiis illegitimis conceſſiſſe maternam ſucceſſionem, dum tamen non procedant ex damnata coniunctione pœna mortis vendicanda, vel filij ſint Clericorum, aut Regularium: quo caſu, etſi pœna mortis non veniat parentibus infligenda, pręcipit lex illud idem obſeruari, quod antea diſpoſitum erat per dominum Regem IOANNEM Primum in d. *l.* 6. Ex quo planè infertur, vna & altera lege Patria filios Clericorũ à paterna & materna ſimul ſucceſſione arceri (excepta hodie quinta parte, de qua in d. *l.* 9. *Tauri*) etiam ſi ex priuilegio ſpeciali hoc indultum eis

alioquin fuerit, d. *l*.6. praxi semper recepta.

Quinimò eius inconcussa obseruā-
19 tia cautelæ illi † vulgari causam præbuit, qua Clerici passim vtuntur, bona sua directò relinquentes amicis, aut aliis, integræ famæ, quorum fidei committunt conuentam secretò restitutionem eorundem bonorum filiis suis impunè hoc medio faciendam. In quo sanè falluntur ita paciscentes: & tā hi, qui putant se plenam & bonam fidem exhibere restitutione facta, quàm hi quibus restitutio fit, in foro conscientiæ tenentur bona restituere fisco (ad quem pertinent, *l.1.l.3.§.cùm ex causa, l.penult.ff.de iure fisci, l.* [illegible] *m quidam* 17. *§.Diuus Pius, vers.in tacito, ff.de vsuris, l.postulante* 44 *§.final.ff.ad Trebellian. l.13.tit.7.part.6.*) vt optimè notat & probat *Anton.Gomez.* in d.*l.9. Tauri, n.28.*

Ex quibus planum & perquàm euidens fit, Motum proprium *Pij V.* iu-
20 stissimum, iuri naturali & rationi † consentaneum esse, & iustè in eo contenta, al àque similia potuisse decerni, vt in d. *Auth.ex complexu*, & aliis adductis s̄. quibus *Zeuallos* nullum responsum dedit, quod valdè mirandum, cùm expressè contrarientur suæ assertioni, & resolutioni communi *Baldi* & aliorum, quos refert *suprà*. Quam postea sine delectu aliquo approbauit *Ximenez in scholiis ad dict. Authent.ex complexu, tom.* 2. errans in nomine Auctoris Motus proprij, hoc ipso supponens nec illum peruidisse.

21 At opinioni *Telli Fernandez* † asserentis, alimenta filiis iure naturæ non deberi, aduersantur verba dictę *l.* 1.*§.ius naturale, ff.de iustit.& iur.* cum aliis pluribus s̄. adductis. Sed & *leges* 1. *&* 2.*tit.19.part.4.* quas iste citat, contrarium expressè probant: illa enim verba dict. *l.1. Claras razones manifestas son, porque los padres i las madres son tenudos de criar à sus hijos, la vna es el mouimiento natural,*&c. clarè exprimunt obligationem naturalem patri ex instinctu (vt iste ait) naturæ iniunctam, neque enim aliud denotat verbum illud, *son tenudos,* & illud, *el mouimiento natural.* Sed & hoc clariùs, & disertioribus verbis dictum est in d.*l.* 2. ibi: *Piedad è deudo natural debe mouer à los padres para criar à los hijos:* quo nihil expressius dici potuit contra distinctionem à *Tello* in proposito malè confictam inter instinctum & obligationem naturalem alendi. *Decius* autem & *Cagnolus* non dicunt quod eis *Tellus* imponebat, vt j. demonstrabimus.

Sub hæc *Ferdinandi Vasquij* † *Men-* 22
chacensis opinio facilè impugnatur ex generali dispositione d.*l.*1.*§.ius naturale,* & d.*l.cùm ratio*, & aliis s̄. adductis. Quibus addo, filio cuiussuis ætatis habenti vnde se alat, patrem non teneri alimenta præstare, ex dicendis j. teneri tamen ea subministrare filio adolescenti & maiori viginti quinque annis, si facultates ei desint, vel industria, vel qualitas, & conditio ei impedimento sit, vti victum manibus opificióve quærat, ex traditis à *Tiraquel.de primogen.quæst.75.num.2.* & in *tract.de nobilit.quæst.20.numer.104. Matthias Collero lib.1. de aliment.cap.2.* ex *num.* 79. Et ab his dubio procul interpretationem recipiunt verba illa d.*l.*10. *Tauri: En caso que el padre, ò la madre sean obligados à dar alimentos à alguno de sus hijos illegitimos,*&c. Vnde educationis vel alimentorum causa (quæ eadem vel consimilis est) distinctioni à *Vasquio* nouè inuentæ subiacere non potest.

Quę verò *Antonius Faber* † vltimo 23
loco dixit, sustineri non possunt, & contra.

contra eum apertè ſtat *text.* in d.§. *ius naturale*, in iiſdemmet verbis, quæ ipſe expendit, illis ſcilicet: *Hinc deſcendit maris atque fœminæ coniunctio, quã nos* MATRIMONIVM *appellamus hinc liberorum procreatio, hinc educatio*: quamuis enim *Vlpianus* eam tantùm hîc appellet naturalem coniunctionem maris & fœminæ, quæ matrimonium conſtituit, quod verò ad liberorum procreationem & educationem attinet, ſeſe non refert ad eos, qui ex congreſſu, matrimonio cohoneſtato, ſunt ſuſcepti, quin potiùs liberorum quorumlibet procreationem & educationem iuri naturali attribuit, eiúſque peritia cætera animalia, feras etiam, cenſeri ait. Quid quòd ſi educatio liberorum ex matrimonio tantùm procreatorum iuri naturali, eiúſque obligationi tribueretur, & cæteros (vt vult *Faber*) æquali odio Ius Ciuile inſequeretur, certè matres filiis ſpuriis alimenta præſtare non tenerentur. Nec filiis naturalibus ex concubina ſoluta domi retenta, vel alia quacunque aliquid alimentorum nomine Iure eodem Ciuili relinqui poſſet à parentibus: imò alimenta eſſent eiſdem deneganda. Quorum neutrum tenet: in primum enim ſtat deciſio *textus* in *l. ſi quis à liberis*, §. *ergo*, *ff. de liber. agnoſcend.* in ſecundum verò illa præcipua conſideratio, quòd filij naturales (qui iure antiquo extraneorum numero habebantur) poterant hæredes inſtitui à patre, velut quilibet extraneus, ex his quæ eleganter probat & reſoluit *Palæotus de nothis ſpuriiſque filiis capit.* 36. & 38. vbi ſcitè ſatisfacit his quæ communiter circumferri ſolent ex *Iuſtiniano* dict. *Nouella* 89. quæ eſt *Authent. quibus mod. natur. effician. ſui, in princip.* aſſerente, naturales filios vſque ad tempora *Conſtantini* ignotos, & neglectos fuiſſe: & iterum in *cap.* ſeu §. *diſcretis eiuſd. Nouellæ*, affirmante, Primos *Valentem* & *Valentinianum* Imperatores in eos humanitati vti cœpiſſe, quæ inter ſe ex diametro videbantur pugnare.

His addo, naturales filios, & quoſuis inſuper alios ſpurios, & vulgò quæſitos, quod attinet ad matres Iure Ciuili cognitos fuiſſe: nam inuicem filius matri, & mater ipſi ab inteſtato hæredes legitimi erant, *l.* 1. §. *ſed vulgo, ff. ad Senatuſconſult. Tertullianum.* Sed & Prætor eiſdem bonorum poſſeſſionem ex capite vnde cognati concedebat, vt ſenſit *Gaius* in *l.* 2. *ff. vnde cognati.* Huiúſque rei ea mihi certiſſima ratio eſt (quam præſenſiſſe videtur *Palæotus* dict. *cap.* 36. *numer.* 4.) quia coniunctionis, ſeu conſanguinitatis ratio (quæ clarè datur in ſpurio eiúſque matre, vt quæ ſemper eſt certa, d. *leg. quod ſemper*, *ff. de in ius vocando*) maximè attenditur in ſucceſſionis cauſa.

Et licèt propoſitam generalem reſolutionem, eiúſque proximè traditam rationem correxerit, vel limitauerit *Iuſtinianus* in d. *Nouella* 89. *capite vltimo* (vnde ſumpta fuit d. *Authentica ex complexu*) in his quæ ex damnato procedunt congreſſu, quibus alimenta denegauit, & ſimul patribus interdixit, ne quidquam vltimis elogiis in cauſam alimentorum eiſdem relinquere poſſent, naturalium tamen filiorum ius inlæſum ſeruauit in eadẽ *Nouella* d. *c.* 12. verſ. *ſi verò filius*, & verſ. *ſi quis autem defunctus*, & verſi. *ſi quis autem oportet*: vbi non tantùm eos hæredes ſcribi permiſit, ſed & ſucceſſores, velut neceſſarios ab inteſtato fecit, ſi filij legitimi & naturales patribus non ſupereſſent: illíſque extantibus alimenta hiſdem conceſſit ſecundùm ſubſtantiæ paternæ menſuram, id eſt,

à bono viro arbitrandam, vt post alios obseruat *Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 9.* & nos ĩ. prosequemur. Ex quibus omnibus planè plenéque remanet explosa *Anto. Fab.* consideratio s̃. adducta. Itidémque apertè deprehenditur, malè eum confundere Constitutiones Imperatorias, maximè Iustinianæas cum Iure Ciuili antiquo, dum indistinctè ait, legibus alimenta denegari his, qui ex damnato, seu nefario concubitu procedunt. Contrarium enim longè verius est, si Ius antiquum, seu Digestorum attendamus, vt omnes Iuris Interpretes, vno excepto *Fabro*, firmant vel supponunt, & præ cæteris *Paleotus* in d. *c. 36. & 38.* Alioquin enim superuacua foret *Iustiniani* constitutio in dict. *Nouella 89. cap. vlt.* vbi nouè filios istos alimentorum incapaces fecit.

VIDIMVS, qua breuitate & concisione fieri potuit, quæ Iuris Interpretes in causa educationis & alimentorum tradiderunt. Restat, vt præpositis difficultatibus superiores, quæ alij vada traiicere non potuerunt, nos Deo duce, facilè superemus, conclusionibus

24 †aliquibus adductis, casus, tempora & iura distinguentes.

25 SIT igitur †prima conclusio. Priora alimenta cuiusuis nati, siue ex legitimo, siue ex damnato & reprobo quocunque concubitu (quæ in lactatione consistunt iure) naturæ debita sunt, & matrem respiciunt tribus primis annis, *l. nec filium,* vbi *gloss. Cod. de patria potest.* cui consonat *l. 3. titul. 19. pag. 4. l. 3. titul. 8. lib. 3. Fori*, & ex pluribus latè probat *Pet. Surd. de aliment. tit. 1. quæst. 14. à num. 1. Pater Molina de instit. & iure, tractat. 2. disput. 168. versi. mater, Pat. Sanchez de matrimon. lib. 10. disput. vltim. Gregor. in proœmio tit. 19. part. 4.* & in *l. 19. tit. 16. part. 6. Montalv.* in *d. l. 3. titul. 8. lib. 3. Fori*, *Ioan. Garcia* post *Molin.* & alios, *libr. de expens. capite 3. numer. 29. Philippus Paschal.* post multos, *de viribus patriæ potestat. 2. par. capite 3. à numer. 48.* nouissimè *P. Ioann. Bapt. Poza in Elucidario Deiparæ tract. 15. capitul. 1. & sequentibus*, & ante omnes istos *Glossa* verbo *post trientium*, in *capitul. final. de conuers. infidel.* vbi versus illos vulgares adducit:

Mater alit puerum trimum, trimóque
minorem,
Maiorem verò pascere patris erit.

Huius verissimæ conclusionis rationem optimam assignauit *Surdus dict. quæst. 14. num. 2.* alia *Baldi* & aliorum improbata, dum ait, natura insitam rationem edocere omnia animalia à matribus ali debere, dum lacte viuũt. Et hoc præceptum signis euidentibus eam demonstrasse probant optimè *Philo in lib. de opificio mundi*, dicens: *Natura scaturientes mammas addidit, præparans alimenta nascituris infantibus.* Plutarchus *in libr. de amore prolis,* vbi mirè ita ratiocinatur: *Natura quouis solertior colono sanguinem ad alios identidem deriuans vsus, paratos habet quasi subterraneos fontes quosdam, qui laticem affluentem recipiant, & quidem recipiant non ociosè aut sine affectione aliqua, sed spiritus leni calore, muliebrique mollitie, excoquant, lauigent, aut immutent. Hoc autem modo vbera interne sunt affecta atque temperata. Lac autem ex his non per tubulos confertim effunditur, sed in carnem scaturiginum plenam ac sensim exilibus meatibus per viam desinentia vbera infantis ori tactu suaue & lene penu præbent.* Et mox: *Tot instrumenta, tot apparatus, tantumque studium, tantáque prouidentia, nihil erant profutura, nisi parientibus natura amorem, procreationémque sui fœtus ingenerasset.* Et conferunt tradita à *Phauorino* (inferius refe-

referendo) apud *Aul. Gellium lib.12. Noct. Attic. ca.1.* quem & alios laudat *Couarr. in 4.2. par. c.8. §.6. n.13.* Et ab eo relatis demum adde *Anton. de Gueuara in horolog. Princip. lib. 2. cap. 23. Michaelem Hippolyt. lib. 3. epist. 2.* Et simul obiter nota, ab hisce dubio procul pendere rationem *textus in l. si extraneo 6. ff. de ventre in possess. mitten.* iunctis his quæ tradit *D. Pichard. ad leg. Gallus. cap. 4. num. 92. ff. de liber. & posthum.*

Et hac verissima, naturalíque ratione attenta, meritò venit refellendus
26 *Abbas Panormitanus* † *in d. ca. cùm haberet, n.9. de eo qui duxit in matrimon.* dum obligationem istam lactandi (soli matri iniunctam) limitat in filio illegitimo, cui pater & mater æqua obligatione obstricti sunt alimenta præstare, vt ex dicto *c. cùm haberet*, deducit is *Auctor*: non attendens lactationis causam diuersæ rationis esse, déque ea nil actum in illo *textu*, qui tantùm de alimentis in genere loquitur à parentibus præstandis, modo scilicet & regulis à iure inductis, vt disertè ait *Surdus* d. *quæst. 14. num. 6.* post *Palaotum* d. *c. 48.* qui simul cum *Surdo Abbatis* opinionem notant: eámque communiter improbari firmat *P. Molina disp. 168. vers. Panormit.* Nec enim vlla congruens ratio assignari potest inter lactationem filij legitimi & illegitimi, vt illa matrem iure naturæ respiciat, hæc non ita: & quas rationes siue causas excogitauit *Abbas*, meritò impugnarunt *Palaotus* & *Surdus*. Quin is matrem magis obstrictam filio illegitimo considerat, vt quem & transacto triennio alere teneatur, d. *l. si quis à liberis, §. ergo, ff. de liber. agnoscend.* de quo supr. agemus, matri demum non concedi minus æstimare nothum, quam legitimum filium, ex pluribus rectè comprobat *Stobæus in locis commun. serm. 75.*

Cùm autem nulla sit adeò præcisa & necessaria alendi causa † & obliga- 27
tio; à qua parentes ex pluribus vrgentibus rationibus non sint liberi & immunes, vt accidit his, quibus facultates ad alimenta non sufficiunt, *l. penult. ff. de liber. agnosc.* & ex aliis variis rationibus, quas latissimo sermone prosequitur *Surd.* per plures quæstiones *tituli 7. sui tractatus de aliment.* Inde fit, vt ex aliis superioribus superuenientibus causis mulier ab obligatione lactationis libera sit, quarum potissima erit, si lac nullum vel noxium habeat, vel morbo corruptum, iuxta tradita per *Galenum lib. 1. de sanit. tuend.* Tunc enim ratio & obligatio, quam nostri appellant, lactandi, proculdubio cessat, vt post *Azon. Couarrun.* & *Laram* notat *Valascus consultat. 92. num. 4. Molina supr. dict. disputat. 168. ad finem.*

Secunda causa erit, si mulier adeò pauper † sit, & egestate laboret, vt dũ 28
victum propriis manibus quærit, educationem filij curare non possit: quo in sensu intelligenda sunt quæ tradit *Surdus*, post alios, d. *tit. 14. num. 7. Pat. Molina supr. Valascus* d. *consultat. 92. num. 3.*

Qui *num. 5.* cum *Molina* & *Surdo* s. prædicta tertiò limitant in muliere nobili, † cui dedecori esset lactare fi- 29
lium: quæ fuit sententia *Azonis, Bart. Baldi, Pauli de Castro,* & aliorum plurium, quos refert *Tiraqu. de nobilitate glos. 20. nu. 78. & 79.* Sed de hac limitatione meritò dubitauit *Tiraquell.* dict. *cap. 20. à nu. 28. Couarruu. in 4. 2. p. c. 3. §. 6. num. 13. Ioan. Garcia de expensis cap. 3. numer. 29.* Nec ego video, ut nobiles præmaximè sobolem extra matrimonium habentes excusari valeant ab ista obligatione lactandi. Nullibi enim scriptum est, maritum teneri filio suo, qui propriæ matris lacte ali potest, nutrices adhibere: nam *l. 1. §.*

ad nutritia, ff. de variis & extraordin. cognition. antiquitùs filios liberè (ac fit hodie, & forsan liberiùs) nutricibus tantùm tradi probat, quod nos non negamus, & olim & hodie in vsu esse: dum tamen & nobis concedatur, hoc omni tempore improbatum fuisse, in húncque morem grauiter inuectos & sanctos Patres & Philosophos, qui plura miranda, & præ oculis (hoc præsertim misero seculo) habenda dixerunt, præsertim *Sancti Ambrosius* & *Gregorius*, iste *in responsione ad decimā interrogationem Augustini Cantuariensis Episcopi*, cuius est *cap. ad eius verò, 5. distinct.* qui malè *Augustino* in vulgatis codicibus adscribitur) ille verò *super Geneseos c.21.* & *lib.7. Hexamer. ca. 18.* & *Epist.82. Plutarch. in lib. de educat. liberor. Columel. lib.7. rei rusticæ cap. 12.* & melius *Phauorinus* Philosophus Græcus apud *A. Gellium* d. *lib.12. Noct. Atticar. c.1.* cuius verba retulit *Tiraq.* d.*c.20. nu.86.* & vt miranda dictis subnectenda duxi: *Nuntiatum* (ait) *quondam est Phauorino Philosopho, nobis præsentibus, vxorem auditoris sectatorisque sui paululum antè enixam, auctúmque eum esse nato filio. Eamus, inquit, & puerperam visum, & patri gratulatum. Is enim erat loci Senatorij, ex familia nobiliori. Imus vnà, & qui tum aderamus prosecuti cum sumus ad domū quò pergebat, & cum eo simul introgressi sumus. Tum in primis ædibus complexus hominem, congratulatúsque accedit: atque ibi percontatus est, quàm diutinum puerperium, & quàm laboriosi nixus fuissent: puellámque vbi defessam labore ac vigilia, somnum capere cognouit, fabulari instituit prolixius. Et nihil, inquit, dubito, quin filium lacte sui nutritura sit. Sed cùm maior puellæ parcendum esse ei diceret, adhibendasque puero nutrices: ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutricationis graue, ac difficile accederet. Oro te, inquit, mulier, sine eam totam ac integram esse matrem filij sui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatū matris genus, peperisse ac statim ab sese abiecisse? Aluisse in vtero sanguine suo, nescio quid, quod non videret, non alere nunc suo lacte, quod videat iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque (inquit) putas naturam fœminis mammarum vbera quasi quosdam næuulos venustiores, non liberorū alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim quod à vobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres fontem illum sanctissimum corporis generis humani educatorem arefacere & extinguere, cū periculo quoque auersi, corruptique lactis laborant: tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet. Quod quidē faciunt eadē vecordia, qua quibusdam commentitiis fraudib. nituntur: vt fœtus quoque ipsi in corpore suo cōcepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris & labore partus fatiscat. Quod cùm sit publica detestatione, communique odio dignū in ipsis hominum primordiis, dum fingitur, dū animatur, inter ipsas artificis naturæ manus interfectū iri: quantulum hinc abest, iam perfectū, iam genitum, iā filium proprij atque consueti, atque cogniti sanguinis alimonia priuare? Sed nihil interest (hoc enim dicitur) dū alatur & viuat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iste, qui hoc dicit, si in capessendis naturæ sensib. tam absurduit, non id quoque nihil interesse putat, cuius corpore, cuiúsque ex sanguine concretus homo & coalitus sit? An qui à spiritu multo & colore exalbuit, non idē sanguis est nunc in vberibus qui in vtero fuit? Nónne hac quoque in re solertia naturæ est, quod posteaquā sanguis ille opifex in penetralib. suis omne corpꝰ hominis finxit aduētāte iā partus tēpore, in supernas se parteis profert, & ad fouēda vita* atque

atque lucis rudimenta præsto est, & recens natis notum & familiarem victum offert? Quamobrem non frustrà creditum est, sicut valeat ad fingendas animi atque corporis similitudines, vis & natura seminis, non secùs ad eandem rem, lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id solùm, sed in pecudibus quoque animaduersum. Nam si ouium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur: constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. In arboribus etiam & frugibus maior plerumque vis & potestas est ad eorum indolem vel detrectandam, vel augendam aquarum atque terrarum quæ alunt, quam ipsius, quod iacitur seminis: ac sæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium transpositam deterioris terræ succo deperisse. Quæ (malum) igitur ratio est nobilitatem istam nati modo hominis, corpusque & animum benignè ingenitis primordijs inchoatum insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? Præsertim si ista, quam ad præbendum lac tunc adhibitis aut serua aut seruilis, & vt plerumque solet externæ atque barbaræ nationis: si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Nam plerumque sine discrimine, quæcunque id temporis lactans est, adhiberi solet. Patiemur-ne igitur infantem hunc nostrum perniciosi contagio infici, & spiritum ducere in animum, atque in corpus suum ex corpore & animo deterrimo; Id herclè ipsum est, quod sæpenumero miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos parentum suorum neque corporibus, neque animis similes existere. Scitè igitur & peritè noster Maro, quòd cùm versus illos Homeri consectaretur,

οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς
οὐδὲ Θέτις μήτηρ γλαυκὴ δὲ σ' ἔτικτε θάλασσα,
πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

non partionem solam, tanquam illam quam ille sequebatur, sed alituram quoque feram, & sæuam criminatus est. Addit enim de suo:

Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

Quoniam videlicet in moribus inolescendis magnam ferè partem ingenium altricis, & natura lactis tenet, quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. Et præter hæc autem quis illud etiam negligere aspernaríque possit, quod quæ partus suos deserunt, ablegántque à sese & alijs nutriendos dedunt: vinculum illud coagulúmque animi atque amoris, quo parentes cum filijs natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt deterúntque: nã vbi infantis aliorsum dati, facta ex oculis amollitio est, vigor ille maternæ flagrantiæ sensim atque paulatim restinguitur, omnisque impatientissimæ solicitudinis strepitus consilescit. Neque multò minor amandati ad nutricem aliam filij, quam morte amissi obliuio est, ipsius quoque infantis affectio animi: amoris consuetudinis in ea sola, vnde aliter occupatur: & proinde (vt in expositis vsu venit) matris quæ genuit, neque sensum vllum, neque desiderium capit. Ac propterea oblitteratis & abolitis natiuæ pietatis elementis, quidquid ita educati liberi amare patrem atque matrem videntur, magnam fere partem non naturalis ille amor est, sed ciuilis & opinabilis.

Sed & *Ambros. Paræus* disertè quidem in proposito ita ait: *Optandum esset, vt matres omnes nutricatus officium liberis præstarent: est enim lac maternum fœtui longè familiarius alimentum, quam cuiusuis alterius nutricis, quia illud nihil aliud est quam sanguis ille in mammas dealbatus, quo antè in vtero alebatur.* Et sanè ab his & aliis *Erasm.* in dialogo de *Eutrapelo & Fabula*, ita appositè in proposito dixit: *An non expositionis genus est infantulum tenerum*

adhuc à matre rubentem matrem spirantem, matris opem ea voce implorantē, quæ mouere dicitur & feras, tradere mulieri, fortassis nec corpore salubri, nec moribus integris? Denique cui pluris sit pecuniæ pauxillum, quam totus infans tuus?

Hæc autem, quæ disertè dixerunt *Phauorinus, Plutarch.* & cæteri, & alia plura, quæ ex variis Auctoribus adducit *Tiraq. de nobil.* d. *c.* 20 à *n.* 78. vsque ad 93 *Couar.* d. §. 6. *n.* 3. clarè probant o-
30 mnes mulieres † cuiusuis status filios suos lactare debere, exemplo *Hecubæ* Reginæ præstantissimæ, quæ *Hectorem* filium lactauit: & *Thessalonices, Antipatrum*: *Penelopis, Telemachum: Annæ, Samuelem: Saræ, Isaac*, cum aliis à *Tiraq. suprà* congestis.

Addit *Ioann. Garc.* d. *c.* 3. *nu.* 3. (quem sequitur *Marius Italicus in tractat. de immun. Eccles. lib.* 1. *c.* 5. §. 3. *n.* 12.) opinionem existimantium nobilibus mulieribus dedecori esse filios lactare, nec auctoritate nec ratione subsistere: *Ip-*
31 *sam enim* (ait) *Reginam Hispaniæ* † (*qua nihil maius videt*, nec vidit *oriens & occidens Sol*) *filios suos nutrire decet: idque obseruata ratione naturæ, quæ Reginis & reliquis communis est.*

Sed & ista *Garciæ* (rerum præsenti
32 statu attento) hyperbolem † notissimā continent: cùm hodie non solùm Reginis, verùm & his (quas appellamus Ducissas, Marchionissas, aut Comitissas) & aliis mulieribus similem gradū aut dignitatem habentibus communis populorum assensus permittat filios nutricibus tradere.

33 In his enim plura cessant † absurda & inconuenientia eorum quæ *Phauorinus* & *Auctores supra* relati considerarunt, nam cùm dominæ istæ nutrices iudicio Medicorum eligāt, & morum generisque pretio exacto examine, nil ferè in educatione & lactatione peccatur, excepta auersione à filio, quæ etiam in hisce (magnis implurimum rebus intentis) minus culpæ annumerari debet. Vnde est, vt diuortio facto, vel matrimonio viri morte dissoluto harum illustrium fœminarum filij ex patrum bonis sint lactādi, hoc casu & sensu admissa sententia *Molinæ* d. *disp.* 168. vers. *si mater.*

Secùs autem dices in quibusque † 34
mulieribus, maximè inferioris gradus, velùt si quæ (aliarum altioris ordīnis æmulæ) vbera distenta, & maternis, quæ imbiberunt consimilia, exsiccant: & quæsitis medicamentis obturant: filios suos nutricibus ex ima plebe tradentes: à quo magna & multa prouenīūt mala. Peccatur namque in prima educatione, lactis materni vi (quam maximè commendat Habidis Hispanorum Regis lactatio in *Iustino li.* 44.) partu destituto, & mulierculis deperditis implurimū ex amasijs filios concipientibus concredito & tradito. Adhæc infimæ mulieres (quibus Respublica abundare solebat operis seruilibus cuiusque domus) maioribus inhiantes præmiis & salariis, simul cum vita commodiore & ignauiore, luxum in questu habent, & filios proprios deperdunt, vbi non sunt brephotrophia, de quibus in *l. illud* 19. *l. sancimus* 22. *C. de sacros. Eccles.* eosve, feris immaniores, inconsultò, immaniterque exponunt. Quæ omnia, qui publica carent, quàm attentè præcauere, & quàm seuerè corrigere deberent.

Quartò, quæ diximus de triennali lactatione apud matrem peragenda (quod limitantur in coniugio fidelis (quod nullum est à principio, vel conuersione alterutrius irritandum, *capit. fin. de conuers. infidel.*) vel cum heretica (quod iure quidem consistit, *cap. decreuit, de hæred. in* 6. cum pluribus adductis à *Thom. Sanchez lib.* 2. *disput.* 72. à *num.* 2. & *Rebello de obligat. iustitiæ* 2. *p. q.* 9. *n.* 4 & nouissimè à *Basilio Pontio Legionen. de matrimon. lib.* 7. *cap.* 46. & 47. & n appendice

pendice *c.1.& seqq.)* Nam apud matrem talem filius educari non debet, nec priore triennio suæ ætatis, ne eius imbibat impietatem, ex generali dispositionè *text.* in *c.Iudæi 28.qu.1.* (qui ex Concilio *Toletano IV.c.62.tom.2.p.2. generalium* desumptus est) vbi statuitur, filios doli non capaces fidem & conditionem sequi debere coniugis fidelis separandi ab infideli, quod aliter fieri nequit, nisi tales filij patri aut matri fideli tradantur. Et ita eum *textũ* intelligunt *Hostien.* in d.*cap.fin.ad fin.* Ioannes *Andr.n.7.Anton.n.9. Abbas n.* 8. & alij ibidem illam subiungentes rationem, quia eo ipso quòd alteruter coniux fidem nostram veram sequitur, ius habet Ecclesia eum compellendi, vt filium doli non capacem aqua salutaris baptismi abluat, ex præcitatis Doctoribus. Simul enim ac parens conuersus est, de Ecclesiæ foro esse incipit, & per consequens eius filij doli non capaces, *c.cùm multæ,* cum ibi notatis 15.*qu.vlt.* Siue conuersus sit maritus, siue vxor: nam hoc casu fauori fidei cedit ratio, siue ætatis, siue patriæ potestatis, ex *Glos.* & reliquis in d.*cap. fin.Sanchez* post *Abulensem*, quem refert, *lib.7.disputat.37.num.final.* Et multa singularia hanc limitationem valdè comprobantia inuenies in *Basilio Legionen.* s̃. præmaximè in *c.7.appendicis.*

36 Nec prædictis obstabit *tex.* † in d. *c.fin.de conuers.infidelium,* vbi id tantùm concedi videtur marito conuerso ad fidem, vt puerum post triennium alat, iuxta *textum* in *l.nec filium, Cod.de patria potestate,* cum aliis s̃. adductis: nã respondetur, *Gregorium IX.* ibi quæstioni ex facto propositæ de filio quadrienni educando, respondisse iuxta iuris communis regulas, dum vult, filium in patris potestate constitutum eius sequi familiam, & non matris, & post triennium apud eum ali & morari debere: ideóque ei assignandũ: maximè cùm hoc casu pro patre, simul cum iure communi, sit fauor Fidei Christianæ. Quod verò Pontifex ibi decidit iure communi attento eo casu, in quo necessum non fuit ad ius speciale recurrere (vt denotat verbum illud *maximè*, quo vtitur in fine *text.)* impedimento non est superiori, & multò anteriori dispositioni Conciliari dictæ *Toletanæ Synodi IV.* sub *Honorio I.* habitæ, & celebratæ anno Domini 633. (vt patet ex notis Archiepiscopi *Garsiæ de Loaisa)* de qua in d.*c.Iudæi* 28.*q.*1. Et hac verissima interpretatione attenta ad d.*c.fi. de conuers. infidel.* cessat nota, qua Pontificiam illam decisionem inurere contendit *Hostiensis* relatus & probatus ab *Abbate* ibi *num.*8. Et in specie quòd filius triennio minor apud matrem infidelem vel hæreticam non sit educandus, sed apud patrem fidelem (ita vt hoc casu veniat limitanda decisio dictæ *l. nec filium*, *C.de patr.potest.* cum aliis) firmauit *Gloss.final.* in d.*cap.fin.de conuers.coniugator.* *Sanchez*, post alios, d. *q.73.n.fin.* vbi meritò refellit *Lancellotum* contrarium asserentem *in Institutionibus Iuris Canonici, tit. de diuortiis,* §.*item si aliter*, verbo *assignabitur*, & nobis apertè probatur in *l.3.tit.8.libr.* 3.*Fori*, in illis verbis: *Cà si fuere hijo de Christiano* (subaudi ad Fidem veram post matrimonium conuerso) *ò de Mora, ò de Iudia, ò de muger de otra lei: Mandamus que el Christiano lo tenga siempre.*

Et prædicta mirè confirmat *Concilium Agathense* sub *Symmacho Papa I.* celebratum *cap.67.* relatum in *cap.non oportet, 28.q.1.* in illis verbis: *Non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere:* quæ clarè præ se ferunt hæretico coniugi fidelem subesse non debere, & per consequens nec matri-

monij prolem eiúsque educationem. Ab eo verò *textu* vellem (vt hæc obiter dicam) deleas verbũ *infideles*, quod in *textu Gratiani* irrepsit, nec aptè quidem ibi: *Sed potius infideles accipere*, quãdoquidem cum infideli matrimonium non consistat (ac cum hæretico) ex pluribus Conciliis & textibus ab eis desumptis & collocatis à *Gratiano* d. *caus.* 28. *q.* 1. & aliis latè congestis à *Patre Sanchez* d. *lib.* 7. *disput.* 71. *per totam*.

Quintò, excusabitur à lactatione mater illa, quæ filium occultè ex furtiuis amplexibus edidit, quæ sine famę labę & dedecore manifesto vbera eidem subministrare non posset, vt notat *Molina* d. *disputat.* 168. *vers. si mater*. Quod secùs esset in aliis infimæ notæ. Sed & in illis ego ista limitarem quo casu hisce miseris & deceptis implerimùm mulieribus, vltra sumptus necessarios, non superessent reditus & prouentus annui ad filiorum lactationem necessar ij.

Sextò, prædicta triennalis lactatio
37 limitatur † in matre filio recens nato suspecta, apud quam is educari non debet, sed aliò traduci, vbi iminens periculum cesset, vt argumento *textus* in *l.* 1. *&* 5. *ff. vbi pupil. educ. deb.* & *l.* 3. *tit.* 19. *p.* 4. notauit *Ioan. Garc. de expens.* d. *c.* 3. *n.* 32.

38 Septimò & vltimò limitatur † in matre transeunte ad secundas nuptias, cui inter alias pœnas filiorum educatio interdicitur in *Authent. de nuptiis*, §. *eiusdem quoque Principis*, quæ est *Nouella* 22. *c.* 38. & ita in terminis firmat *Bald. cons.* 37. *ad finem, vers. item & alius effectus, lib.* 11. Et ne hoc casu ex culpa propria mulier commodum reportet, filius ad triennium vsque eius expensis ab alia lactandus & educandus erit mero iure: quod vix (fateor) in praxi obtinebis.

Sed quæ dicta sunt de obligatione matris alendi intra triennium, intelligenda & declaranda sunt, vt procedãt tantùm quoad nutrimentum lactis, cętera verò pater tenetur subministrare, vt optimè notat *Valasc.* d. *cõsult.* 92. *n.* 6. in id expendens *legem Regni Lusitani*, ciúsque praxim.

His autem casibus, & quibusque aliis similibus, in quibus matres liberæ sunt ab onere & obligatione lactandi, 39
subintrat † obligatio paterna, ex traditis à *Surdo*, post alios, *tit.* 1. d. *q.* 14.

Ex quo infero etiam attenta dispositione d. *Authent. ex complexu*, *C. de incest. nupt.* cum aliis iam s. adductis, 40
teneri patrem † filiis ex damnato, nefario & incestuoso congressu susceptis intra triennium prædictum præstare necessaria ad lactationem & educationem in casibus s. exceptis: nam cum in eis matres horum filiorum (quæ primo loco lege naturæ tenebantur) liberæ sint, ex iam dictis, inde meritò fiet, vt suffecta patrum obligatio, eiusdem sit qualitatis ex natura subrogationis, vulgari *l. quod debitori* 24. cum simil. *ff. de mort. causa donation.* Et hæc de prima conclusione.

SECVNDA erit. † *Transacto priore* 41
triennio (de quo s.) *patris subintrat obligatio alendi liberos ex matrimonio susceptos*, de qua in *l. si quis à liberis* 5. *ff. de liber. agnoscen.* Siue sui sint, siue emancipati, d. *l. si quis à liberis*, §. *sed vtrum*. Siue ciues sint Romani, siue capite minuti & deportati, *l. cùm Vlpianus* 16. (ex Basilicis restituta) *ff. de interd. & releg.* vbi deportato cui hæreditas, legatum, vel fideicommissum relinqui à matre non potest, ex illo *text.* possunt tamen ad victum & alios vsus necessarios sufficientia demandari ex rescripto *Antonini* relato in illa lege: quam optimè conciliat cum *lege præced. Guliel. Ranchin. de success. ab intest.* §. 7. *num.* 13. Hinc Senatusconsultum factum est *Hadriani* temporibus de alen-

dis liberis aduersus ἀςόργυς & feris immaniores parentes, qui constante matrimonio alimenta filiis suis denegabant, *l. siue contra 3. §. 1. ff. de lib. agnoscen.* Et in eosdem latæ sunt constitutiones Imperatorum, præsertim *l. 2. & 3. C. de alend. liberis.* Et ante ista omnia latum fuit *Senatusconsultum Placianum*, ad eos partus cognoscendos, qui post diuortium eduntur, de quo in *l. 1. in princ.* & in §. *eleganter*, & in d. *l. 3. §. 1. ff. illo tit. de liber. agnoscen.*

At ab ista prima & omnium potissima obligatione alendi, *l. non quemadmodum, ff. de liberis agnoscendis* (quã optimè depinxit *Virgilius Æneidos lib. 1.*

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis)

liberatur pater, qui inops est, & non habet vnde filium alat, d. *l. non quemadmodum.* Vel cùm filio bona suppetunt, vel opificium simul cum bona valetudine habet, d. *l. si quis à liberis, §. sed si filius.* Vel cũ pater habeat aliquid ob quod filium iustè alere nolit, quia cùm forsan detulit, vel aliam grauem patri iniuriam irrogauit, d. *l. si quis à liberis, §. idem iudex*, & d. *Nouella* 115. (quæ est *Authenticum vt cùm de appellatione cognoscitur §. aliud quoque capitulum.*) Ex his enim & aliis causis latè congestis à *Surdo de aliment. tit. 7. q. 1. & seqq.* meritò excusantur patres ab obligatione alendi.

42 Quæ in matre subsistit † etiam transacto priore triennio suæ obligationis, d. *l. non quemadmodum*, d. *l. si quis à liberis, §. vtrum in 1.*

Sed hæc obligatio adeò subsidiaria
43 est, vt regulariter possit mater † à marito, qui ob contumaciam filio communi alimenta non præstitit, erogata pro eis repetere, d. *l. si quis à liberis, §. si mater*, & ex plurib. latè probat *Franc. Curs. cons. 420. per tot. volu. 4. Menoch. de arbitr. casu 88. n. 22. Aluar. Valasc. li. 1. consult. 92. nu. 7.* Vt inde velut dicere possimus cum *Artemidoro Oneirocrit. lib. 1. c. 16. Tristitia ex nato est tempus in omne patri.*

His subnectenda videbatur tractatio alimentorum, filiis legitimis per subsequens matrimonium aut per rescriptum Principis, & aliis modis, cõcedendorum. Sed ista (quæ nostræ disputationis propria non sunt) latè prosequuntur post alios *Surd. de aliment. tit. 1. q. 111. à nu. 9. & tit. 8. priu. 67. Valen. Forster. lib. 6. de success. ab intest.* ex capite 20.

Orta verò inter parentes contentione matrimonio constante, vel diuortio facto, super liberorum educatione, qui scire cupit apud quem liberi sint educandi? videat *Vlpianum* in *l. 1. §. si verò mater*, & in *l. 3. §. Iulianus*, & §. *si verò maximè, ff. de liber. exhib.* Imperatores *Diocletianum* & *Maximianum* in *l. 1. C. diuortio facto apud quem liberi morari vel educari debeant*, & *Iustinianum* in *Nouel. 117. c. 7.* & 156. c. 1. & 162. c. 3. Interpretésque nostros super dictis iuribus: & demum *Patrem Thomam Sanchez*, post alios, *lib. 10. de matrimon. disp. 20.* Sed ad nostra redeuntes.

TERTIA conclusio sit. † *Pater Iure* 44
Ciuili antiquo inspecto & eius regulis non tenetur filium extra matrimonium habitum alere & educare, non tantùm ex damnato coitu procedentem, sed nec naturalem: & ratio erat, quia filij extra nuptias (quæ solę eos demonstrant *l. 4. & 6. ff. de his qui sunt sui*, dict. *l. quia semper 5. ff. de in ius vocando*) ἀπάτορες erant, vel saltem nullum patrem habere præsumebantur, & impossibilis reputabatur filiationis huiusmodi probatio, d. *l. Lucius, ff. de condition. & demonstr.* cum aliis s. adductis §. 3. *nu. 6.* Et inde erat, vt patres naturales qui Iure Ciuili erant incogniti, obstricti

non essent filiis extra matrimonium
susceptis alimenta præstare in toto Iu-
re Ciuili antiquo, nec ipsi patri, ex ra-
tione & regula correlatiuorum, à qua
licet arguere hoc casu & similibus, d.
l. si quis à liberis, § *ergo*.
Nec prædictis obstat *l. ex facto* 17. §.
45 † *si quis rogatus*, *ff. ad Trebell. l. Lucius*
45. *ff. de vulg.* *l. cùm pater* 77. §. *volo*, *l.*
Lucius 88. § *fin. ff. de leg. 2. l. fin. ff. de iure*
deliberan. l. naturali 7. *ff. de confirman.*
tutore, in quibus, *Iabolenus*, *Paulus*,
Hermogenianus & alij earum Aucto-
res, institutiones, substitutiones, & le-
gata relinqui posse filiis naturalibus,
vel expressè affirmant, vel clarè præ-
supponunt: nam pluribus omissis quæ
à Doctoribus in hac tractatione ad-
ducuntur & considerantur, ego valdè
probo sententiam Cardinalis *Palæoti*,
qui in suo *tractatu de nothis*, *spuriisque*
filiis ca. 35. *&* 36. omnium, quos ego vi-
derim, disertiùs rem hanc absoluit, di-
cens, vsque ad *Constantini Magni* tem-
pora nil in Iure dispositum inueniri
de naturalium successione, eorúmque
nomen legibus Romanis in studium
non fuisse, nil tamen impedimento
fuisse eisdem attentis, filiis naturali-
bus dare vel relinquere titulo institu-
tionis aut legati, velut cuilibet extra-
neo, cùm ciues essent Romani, & te-
stamenti vtriusque factionis capaces
ex dictis legibus, quæ clarè demon-
strant prædictam permissionem.
46 Huic autem successit interdictio †
Constantini, qui, simul ac rerum potitus
est, animum ad multa veterum mode-
randa, & alia de nouo constituenda
appulit, & legibus quidem seuerissi-
mis, (vt Auctores sunt *Eutropius*, *Vi-*
ctor & *Sabellicus*) inter quas omnium
primus duas de naturalium successio-
ne leges tulit, vnam habemus in Co-
dicis *Iustinian. lib.* 5. *tit.* 27. ea est *l.* 1. *C. de*
natural. liber. quâ Senatorum & illu-
strium virorum dignitate præditorum
connubia cum ancillis, libertis & earũ
filiabus, & aliis mulieribus infimæ
notæ damnauit, & liberos ex tali con-
iunctione procreatos, siue legitimos,
siue naturales incapaces bonorum pa-
ternorum fecit. Altera lege idem *Con-*
stantinus prohibuit naturales filios
quidquam ex patrum testatorum, siue
intestatorum hæreditate consequi. Et
huius legis (quæ non extat) mentio fit
ab Imperatoribus *Valente* & *Valenti-*
niano in *l.* 1. *Codic. Theodos. lib.* 4. *tit.* 6.
de natural. liber. & in *Nouella Theodo-*
sij, *tit. de Decurion. & natural. fil.* & in
Nouella Mar. titul. de matrimon. Sen. §.
finali.
At dictæ legis rigorem temperarunt
Valens & *Valentinian.* in d. *l.* 1. *C. Theo-*
dos. tit. de natural. filiis & matrib. eorũ,
qui est 6. *lib.* 4. & naturali filio relictis
legitimis patre aut matre, vnciam à pa-
tre relinqui permittunt, & eis non ex-
tantibus, tres vncias: & hoc ipsum ferè
statuerunt *Arcadius* & *Honorius* in *l.* 47
matre 4. † *C. de natural. liber.* hoc addi-
to, vt & concubinę posset semiunciam
pater relinquere extantibus filiis & a-
liis descendentibus, seu ascendentibus
legitimis.
Posthæc Imperatores *Theodos.* & 48
Valentinian. † in *l. si quis naturalem*, &
Anastasius in *l. iubemus* 6. *C. de natura-*
libus liberis, nulla relicta sobole legi-
tima liberam patribus hæredes scribé-
di filios naturales facultatem concel-
sit. Quod postea *Iustinianus* limitat in
l. legem Anastasij 7. *Cod. de naturalibus*
liberis: & subinde aliam legem tulit,
quæ est *l. humanitatis* 8. *Cod. illo titulo*,
vbi (*Valentis*, & *Valentiniani* legem
tres prædictas vncias permittentem
relinqui naturalibus, non extantibus
legitimis) ad sex vncias ampliauit, dũ
tamen eam quantitatem tam filiis na-
turalibus, quàm eorum matri relicta
exce-

excedere non possent. Demum idem
49 *Iustinianus* † in *Authent. quib. mod. natur. effician. sui*, §. *si verò filios* (quæ est *Nouella* 89. c. 12.) statuit licere parentibus sine legitima sobole decedentibus, naturalibus totam substantiam inter viuos, vel testamento relinquere, legitima ascendētibus, si supersint, portione relicta, & ab intestato eosdem naturales hoc casu duarum vnciarum successores facit. Quòd si filij legitimi extant, naturales boni viri arbitrio pasci debere ait.

Et hæc sunt, quæ tam variè constitutionibus Imperatorum disposita fuêre circa filios naturales (vt agnoscit *Iustinianus* in dicta *Nouella* 89. *in princip.*) cùm nihil vnquam vsque ad Constantinum Romanorum legibus cautum fuisset de naturalium paterna successione: à qua primus eos arcuit, quamuis sequentes Imperatores seueram eius legem diuersimodè temperarint, quo sensu accipi debent verba illa d. Nouellæ in principio: *Naturalium nomen Romanæ legislationi dudum non erat in studium, sed tanquam alienigenum aliquid, & omnino alienum à Republica putabatur: à Constantini verò piæ memoriæ temporibus in constitutionum scriptum est libris: deinde paulatim in mediocritatem, clementémque sententiam Imperatores transeuntes leges posuerunt*, &c.

Quòd si instes, Ius Ciuile Romanorum antiquum rationem habuisse filiorum naturalium, quando videmus *Papinianum* (ex sententia *Vlpiani*) in
50 d. *l. ex facto*, §. *si quis rogatus* † *ff. ad* Trebel. asseruisse, naturalem filium efficere vt deficiat conditio restituendæ hæreditatis relictæ sub conditione, si sine liberis hæres decesserit: quo casu nulla à testatore naturalium filiorum mentio facta sit. Respondere poteris cũ eo [illegible] in hac [illegible], sed [illegible] quæ maximè in fideicommissis attendi debet, *l. penultima*, cum aliis, *ff. de legatis* 1. Vnde est, vt ratio & intentio verosimilis testatoris in fideicommissaria ista restitutione attendi tantùm debeat, an senserit, vel non de filiis naturalibus hæredibus grauati, quod à coniecturis, de quibus in illo *textu* elici debet: quæ omnia probantur in illis verbis (ita intelligendis) *Mihi autem quoad naturales liberos attinet, voluntatis quæstio videbitur esse, de quibus liberis testator senserit: sed hoc ex dignitate, ex voluntate & ex conditione eius qui fideicommisit, accipiendum erit*, quasi Iurisconsultus pro constanti supponat, deficiente tacita vel pręsumpta testatoris voluntate inuitantis ad fideicommissariam hæreditatem filios naturales hæredis grauati eorum nullam haberi rationem Iure solo Ciuili inspecto. Et conferunt quę in proposito latiore sermone prosequitur nouissimè *Anton. Merenda lib. 4. controuers. c. 18.*

QVARTA conclusio. † Mater eodem Iure Ciuili attento tenetur alere filios quoscunque extra matrimonium habitos, siue hi naturales sint, siue adulterini, siue incestuosi, vel ex alia quauis damnata coniunctione procedant, vt clarè probat d. §. *ergo*, expenso aduerbio *præsertim*, quo ibi vtitur *Vlpian.* dum ait, *Matrem cogemus præsertim vulgo quæsitos alere*, quod clarè innuit hac obligatione matrem erga omnes liberos teneri, sed præcipuè in fauorem vulgò quęsitorum, quo nomine *Vlpianus* naturales intelligit: licèt enim vulgò quęsiti & spurij hi propriè sint, qui ex stupro, incestu, scortatione & adulterio procedunt ex eodem *Vlpiano in fragm. tit. 4. de his qui sui iuris sunt, Gaio in institut. lib. 1. titul. 4. de matrimon.* §. *quod si quis, Iustinian. in* §. *penultim. institution. de nuptiis*, & naturalis filius, quem Græci

νόθον appellant, is sit, qui ex concubina, & libera muliere susceptus est: hęc tamen differentia non semper seruatur, & passim videmus naturalem, siue nothum pro spurio, spurium verò, vel vulgò quæsitum contrà pro naturali ex concubina domi retenta nato vsurpari, vt Auctor est *Festus* in verbo *nothus*, & probatur in *l. cùm tabulis, §. quoniam, D. de his quæ vt indig.* Vt inde vites correctionem *Cuiacij lib. 5. obseruat. cap. 6.* qui pro *vulgò quæsitam*, reponit perfunctoriè *vulgò quæstum fecisse*, dum ista non attendit. Quæ etiam clarè colliguntur ex *l. cùm legitimæ 19. D. de statu homin.* & *l. 4. in fine, ff. de in ius vocan.* & *l. patronæ 18. D. de bonis libertor. l. 1. ad fin. D. ad municip. & de incol. l. 2. §. 1. ff. ad Senatusconsult. Tertullian.* & clariùs ex dict. §. *ergo*: in quo dictio *præsertim*, qua vtitur *Vlpianus*, implicat casus maioris dubitationis, filiorum scilicet ex incestuoso & damnato congressu prouenientium, in quibus idem ius supponit *l. 3.* & ibi *Glos.* verb. *præsertim, ff. de lib. hom. exhib. Panormit. in cap. per tuas, numero 5. in fine de simon. Cassador. decis. 4. numer. 8. sub titulo de concess. præbend.* cum pluribus aliis adductis à *Petr. Cenedo singul. 83. per tot. Cicero in T. scul. Proprijs enim & suis argumentis tractanda quæque res est, tanta præsertim.* Hoc autem ideò in matre diuersimodè ius statuit, quia in ea cessat ratio conclusionis præcedentis: semper enim certa est, dicta *l. quia semper, D. de in ius vocando*, cum notatis *supra numero 23.* Et eodem iure fit matres istas à similibus filiis alendas, d. §. *ergo, in fine.*

52 QVINTA conclusio, † Filius naturalis ex iure & constitutionibus *Valentis* & *Valentiniani, Arcadij* & *Honorij, Theodosij* & *Valentis, Anastasij* & *Iustiniani*, quarum mentionem fecimus in *tertia conclusione*, capax est bonorum paternorum, ea norma & quantitate, quæ in dictis constitutionibus continetur. Quin ei ex *Iustiniano* in d. *Nouella 89. cap. 12.* (vnde sumpta est *Authent. licèt, C. de natur. liber.*) alimenta debentur ex bonis patris, cum iusta sobole decedentis, & ei nihil relinquentis: patre verò mortuo sine filiis legitimis sextans bonorum eidem filio naturali defertur.

SEXTA. Filios ex nefario, † ince- 53
stuoso & damnato complexu procedentes nullo Iure Ciuili pater alere tenetur, imò noua *Iustiniani* sanctione in d. *Nouella 89. in fin.* (vnde sumpta est d. *Auth. ex complexu, C. de incest. & inut. nupt.*) patri prohibetur huiusmodi filiis aliquid relinquere, vel eos alere, notat *Surdus*, post alios, *de alim. titul. 1. qu. 10. num. 1.* Et rationem subdit, quòd etsi nil sit, quòd filio ex adulterio habito imputetur, *cap. nasci, 56. distinct.* quia tamen pater punitur in filio, *l. isti quidem in fin. ff. de eo quod met. causa*, ideò lex vt parentes ab huiusmodi concubitu absterreat, filios plectit, vt in eis pater discat ab inhonesto & damnato concubitu abstinere: faciunt quæ in proposito, & in propugnanda decisione dictæ *Authent. ex complexu*, latè & disertè annotauit eruditissimus dominus *Gregor. Lopez Madera* à Consiliis Regis & Domini nostri PHILIPPI QVARTI in *libro singulari animaduers. cap. 32.* per tot. vbi optimè notat in *num. 10. &* 11. minùs cum his filiis actum in *l. nostra 5. tit. 19. p. 4.* eiusque dispositione attenta patri & aliis incestuosi filij consanguineis non vetari, quin si voluerint eum alant: matrem verò, & eius consanguineos teneri alimenta præstare.

In quo sanè derogatur dict. *Nouell.*
89. † & anterioribus constitutionibus 54
Arcadij & *Honorij* in *l. si quis incesti, C. de incest. & inut. nupt.* & *Anastasij in*

l. vlt.

l.fin.C.illo tit. & *Nouellæ* 12. *Iustiniani*, hos partus insequenti, & simul cū præcitatis legibus vetanti patrem & matrem ascendentésve tam ex paterna, quàm ex materna linea aliquid eis relinquere, quin & ipsos prohibenti capere tam ex testamento, quàm ab intestato, vt notat *Forsterus de succession. ab intestato, lib.6. cap.50. conclus.1.& 2.* Qui in *concl.4.* hoc extendit ad transuersales. Et probarunt alij plures, quos refert & sequitur *Robles de Salzedo de repræsentat.lib.2. cap.14. ex nu.* 15. vbi (oblitus eorum quæ malè cōtradom. *Gregor. Lopez Maderan* resoluerat *numero tertio*) rectè ait cum communi, natum ex damnato coitu neutrius parentis filium censeri, nec fratrem, aut patruum, aut fratrem patruelem transuersalium; & hisce plura eiusdem propositi addidit in *numeris seqq.*

Cum autem adulterinos filios, ex damnata coitione procreatos ali non
55 debere dicitur, de omnibus † præter naturales intelligendum est cum *Cuiacio consult.2. Hotmano in disputat.de spuriis*, per diuersa capita, & *cons.18. Reuard.lib.2.coniectur.ca.5.* per totum, *Ant. Cont.lib.3.lect.cap.*11. Nobis autem aliter se res habet, ex notissima decisione *l.9.Tauri*, quæ est *l.7.titul.8. lib.5. Recop.* Sed hæc (quæ latissima sunt aliamque & quoad nos petunt exactiorem disquisitionem *infr. num.* 61.& 62. iterum delibandam (latè discussa sunt à *Hieronymo Leone Valentino decis.68.69.80.& 81.* & nouè nec minus disertè à *Benedicto Ægidio de priuileg.honest.art.13.ex num.14.* vbi strenuè interpretatur *l.si qua illustris, C.ad Senatusconsult.Orficianum*: & à *num.39.* ordinationem *Regiam Lusitanam lib.4. tit.92.* admittentem naturalem plebei simul cum legitimis, & nobilis, à succes-
56 sione paterna excludentem.

SEPTIMA conclusio, † Non tantùm filiis naturalibus, sed & adulterinis, & quibusuis aliis ex damnato cōgressu habitis alimenta debentur Iure Canonico, iuxta communem intellectum *Glossæ* in *cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrim.quam pol per adulter.* quam sequuntur *Abbas* & reliqui, cum pluribus alijs, quos refert & sequitur *Surdus d.qu.10.num.5.*

Id quod antiquitùs Athenis fuit receptum. Quinimò mortuo patre, ex eius facultatibus cuiuis spurio illegitimo seu adulterino, mille drachmæ, tāquam iure debitæ, exsoluebantur (quæ inde Νοθεῖα appellabantur) *Harpocr.* Νοθεῖα, τὰ τοῖς νόθοις ἐκ τῶν πατρῴων διδόμενα οὕτω καλεῖται. ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν. *Notheia dicuntur spuriis à patribus relicta ad taxam mille drachmarum*: quò respexêre *Aristophanes, Iulius Pollux, Suidas*, & alij relati à *Ioan.Meursio* (ista latè prosequuto) *lib.1.Attic.lect.cap.21.*

Sed ad nostra redeuntes, propositæ resolutioni & conclusioni ex Iure Canonico desumptæ obstare grauiter videtur *text. in cap. per venerabilem* † *in* 57
fin.qui filij sint legitimi, vbi Summus Pontifex *Innocentius III.* amplecti videtur, quæ conclusione præcedenti resoluimus, per *textum* in *Authent.ex complexu* & aliis contra filios ex damnata coniunctione procreatos. Cui difficultati *Glossa* & communis Interpretum satisfacit, dicens in d.*cap.cùm haberet*, rem decisam à *Clemente III.* attenta æquitate: at in d. *cap. per venerabilem* ab *Innocentio III.* secundùm summum & strictū ius. Sed hanc concordiam meritò refellit *Cardin.Palæotus de nothis filiis cap.46.* ex pluribus & irrefragabilibus ibi per eum adductis. *Baldus* verò in d. *Authent.ex complexu* asseruit, Ius Pontificium, de quo in d. *cap.cùm haberet*, non omnibus spuriis consuluisse, sed his tantùm, qui non ex nefariis & odiosis congressibus con-

cepti essent, in quibus Ius Ciuile seruãdum hodie ait, cùm & Iure Canonico filiorum nomen non mereantur, *capite* 1. 35. *quæstione septima.* Et hoc ipsum tenet *Cuiacius* in dict. *consult.* 2. vbi suam & *Baldi* (suppressi) opinionem comprobat ex *l. qui in prouincia quinquagesima septima*, §. *primo*, *ff. de ritu nuptiarum*, in quo *textu* ex simili diuturnitate temporis, quo matrimonium stetit, ac in dict. *l. cùm haberet*, & propter numerum liberorum alia pleniore indulgentia eosdem cohonestauit rescriptum Imperatorum ibi relatum. Sed hæc admitti non possunt, cùm omnes liberi ex illicita coniunctione procreati præter naturales, eodem sint iure censendi, ex dict. *Nouella* 89. *c. fin.* & dict. *Auth. ex complexu* ab eo sumpta, iunctis his quæ cum *Cuiacio* resoluimus *in fine conclusionis præcedentis.* His accedit longè diuersam esse thesin dict. *l. qui in prouincia*, §. 1. vbi bona fides interuenit mulieris & eadem diuturnitas temporis quadraginta annorum præsumptum matrimonium (de quo ibi) approbabat quoad legitimationem liberorum; ad quam inducendam vtriusvis coniugis bona fides sufficiens est, *cap. ex tenore, qui filij sint legitimi.*

Ex quibus facilè dilues quæ in comprobationem sententiæ *Baldi* adducit *Palæotus supra*, considerans filios, de quibus in dict. *cap. cùm haberet*, non fuisse adulterinos, nec ex damnato coitu, & ideò minùs cum eis actum; nam etsi adulterini non fuerint, negari non potest ex damnato coitu, & Canonibus improbato processisse, maximè cùm vox ista, *damnati coitus*, quæ Iuris Ciuilis est omnem congressum legibus improbatum comprehendat.

Vnde ego existimo, à recepta interpretatione dict. *cap. cùm haberet* non esse recedendum, & eius decisioneattenta (quamuis incidenter à *Clemente III.* Pontifice Maximo fuerit emissa) quoscunque illegitimos ex benignitate & pietate canonica alendos, *cùm enim hæc educatio à iure naturali proficiscatur; Quid æquius est* (vt ait *Palæotus supra*) *quam putare, Ius Pontificium cunctis his animantibus prospicere voluisse, quod totum naturali quadam nititur æquitate. Accedit, quòd hoc fauore filiorum inductum esse scimus, ne ij qui nihil deliquerunt, tam acriter puniantur, d. cap. nasci, 36. distinct. Cur non ergo hoc ad omnes quomodocunque conceptos pertineat, cùm vbique eorum æqualis sit venia, æqualis innocentia?*

Nec dictis obstat d. *cap. per venerabilem*, in quo *Innocentius III.* nil contrarium statuit præcedenti dispositioni & decisioni *Clementis III.* in dict. *cap. cùm haberet*: nam vt optimè notat *Palæotus* in dict. *cap.* 46. *Innocentij* dispositio eò principaliter tendit, ne natis ex adulterio facilè & sine delectu & leui causa iura legitimorum concedantur: in idque expendit varias sacræ Paginæ auctoritates: & demum vtitur Ciuilium constitutionum testimonio: à quarum ratione (etsi antiquatæ sint) licet arguere, *Gloss. in cap. nouit, de iudic.* cum aliis adductis à *Palæoto supra.*

Ex dictis duo notanda inferuntur. PRIMVM, dispositionem Canonicam dict. *cap. cùm haberet*, etiam in terris (vt aiunt) Imperij † vel cuiusuis domini temporalis admittendam esse, cùm apud omnes peræquè gentes militet ratio æquitatis & pietatis, qua motus fuit *Clemens III.* in illo *capite*, vt optimè post *Couarruu. in* 4. 2. *p. cap.* 8. §. 6. *numero sexto*, & alios resoluit *Palæotus de notis spuriisque filijs cap. quadragesimo septimo*, (improbata sententia Imolæ, *Iasonis* & aliorum, quos ibi refert.) *Valentin. Forster. de successsion. ab intest. libro sexto, cap.* 50. *num.* 4. Qui *numer.* 5. & 6. 58

& 6. pluribus adductis resoluit, id fauore animæ inductum fuisse, & ideò filiam ex damnato complexu habitam dotandam esse; & meritò, cùm dos inter alimenta computetur, ex eodem Forstero, post alios, dict. *libr.6.cap.47. numero vigesimo octauo.* Et inde etiam adulter tenetur alere & educare filium, & in foro conscientiæ patri putatiuo restituere tenetur, quæ cum eo impenderit, ex traditis à *Ioan. Gutier. lib.1.Canonic.quæst.cap.38.numer.trigesimo septimo.*

Et ab his etiam fiet, vt hodie Iuris Canonici æquitas apud omnes qui Ecclesiæ veræ Catholicæ & Romanæ subiunt, hoc habeat roboris & efficaciæ, † vt etiam si quacunque lege vel 59
statuto patri interdicatur alimenta filiis ex damnato vel simili coitu susceptis impertiri, possit nihilominus hæc impunè præstare, *Bal.in l.id quod pauperibus, numero vigesimo quarto, Cod.de Episcop.& Cleric.Ias.col 26. ad fin. libro primo, Couar. supra, Forsterus* dict. *libro sexto, cap.47.numer.27.* nouissimè *Doctor Maria in summa successionis legalis, 1.p.quæst.18.articulo secundo, num. 9.& 10.*

SECVNDVM (quod à nemine annotatum video, vno excepto *Couar. supr. numero decimo septimo*, in casu singulari) illud est prędictam scilicet legem
60 † Pontificiam cessare in filiis, qui in causas exhæredationis (de quibus in dict. *Nouel. centesima decima quinta*, quod est *Authent. vt cùm, de appellat. cognos.§. aliud quoque capitulum*) inciderint: quod alia superiore ratione fiet, quandoquidem filij impunè ingrati essent, & illis manus imponerent, & alia similia perpetrarent, si ipsi nullo ex his casibus legitima successione priuare possent, & per cõsequens nec alimenta eisdem denegari, ex iam dictis cum *Menchaca & Surdo supr.à nu.10.*

OCTAVA demum & vltima conclusio † sit. Iure nostro Patrio di- 61
uersimodè causam alimentorum decisam fuisse; *leges* enim *tit.19.part.4.& l. 1.titulo octauo libro tertio. Fori*, idem sanxerunt quòd ciuiles; nam in *l.3.dict. titu.19.*& in dict. *l.1.Fori* idem dispositum exstat quòd in *l.nec filium, Cod.de patria potest.* circa educationem triennalem matris, de qua *in prima conclusione.* In *Proœmio* verò & *l.1.2.& 4. d. ti.19.part.4.* id ipsum decisum est quòd in *legibus tituli ff.de liber.agnoscen.*& *C. de alendis liberis*, de quibus actum est *in secunda conclusione suprà.* At in *l. 5.illius tituli*, & in *l.10.tit.13.part.6.*& in *lege tertia titulo octauo libro tertio. Fori*, idem dispositum est circa alimenta filiis naturalibus præstanda, & incestuosis & similibus deneganda, & circa maternam obligationẽ alendi spurios, quæ Iure Ciuili sancita fuere in legibus & Authenticis, aliísque constitutionibus relatis *in tertia conclusione & seqq.* Nec in dictis legibus aliísve Septem partiti iuris aliquid decisum extat circa dispositionem *text.*in dict. *cap. cùm haberet*, de quo *in præcedenti conclusione.*

Tandem nouioribus *legibus Tauri* † ista interuersa sunt, quod attinet ad 62
alimenta filiis naturalibus, aliísque illegitimis ex quouis congressu procedentibus concedenda: & sanè *lex 9. Tauri* quæ est *l.7.tit.8.lib.5.Recop.* non tantùm matrem grauat onere filios istos alendi, verùm & eosdem illi hæredes necessarios facit quibusuis ascẽdentibus insuperhabitis dum tamen filios & descendentes legitimos non habeat, & filij isti ex damnato & punibili coitu procreati non fuerint, hoc est (vt prædicta lex declarat) ex concubitu ob quem pœna mortis sese immiscentibus imposita sit: vel ex congressu cum Clerico in maioribus ordinibus constituto, vel Regulari, qui

solemnem vel legitimam professionem emiserit. Sed & his quintam bonorum suorum partem mater tam per contractum, quàm testamentum & aliam vltimam dispositionem relinquere poterit. Cum patre verò aliter actum est in *lege decima Tauri*, quæ est *l. octaua titulo octauo, libro quinto Recop.* is enim his legibus attentis cuiuis illegitimo filio, siue naturali, siue ex quauis coniunctione procedenti, quintam suorum bonorum partem in vita & morte relinquere poterit ex causa alimentorum, hoc addito, vt pater, cui nulli sunt superstites filij legitimi & naturales, simul possit naturalibus omnem suam substantiam impertiri, quamuis ipse legitimos habeat ascendentes.

Ex quibus apertè deprehenditur, pietatem & æquitatem canonicam d. *cap. cùm haberet* (cuius *leges Partitæ* mentionem non fecerunt ac potuissent, vt quæ triginta & vno ab inde annis latæ post collectionem & promulgationem Decretalium à *Gregorio IX.* factæ) amplexas fuisse dictas *leges 9. & 10. Tauri*, & *l. 7. & 8 d. titu. 8. libr. 5. Recop.*

Et HÆC demum sunt quæ longo & prolixo sermone nostri tractarunt in dictis *legibus*, præsertim *Gregorius* in *legibus Partitæ* iam citatis, & dominus Præses *Couarruuias in 4. 2. p. capite 8. §. 6. Molina Matienço, Gutierrez*, cum aliis relatis à *Zeuallos 3. p. commun. contra commun.* dict. *quæst.* 757. & iterum latiùs *quæst.* 779. vbi varia poteris videre ab isto strenuè, post alios, resoluta in hac materia alimentorum: quæ adeò is *Auctor* illustrauit, vt ea hîc repetere hominis prorsus esset otio abutentis.

Dum tamen vltimo loco velut pro
63 regula annoteraus, quibus † casibus ob illegitimum natalitium parentes filios alere non tenebantur olim, iidem & filios cogi non potuisse parentibus alimenta præstare, quam sanè definitionem aptissimè comprobabis ex *lege xij. Tabul.* relata à *Palæoto de nothis, spuriisque filiis capite quadragesimo sexto in princip.* ita aiente: *E meretrice natus patrem ne alito.* Quæ planè referenda est ad aliam illam *Solonis in Plutarcho*: Μηδὲ τοῖς ἐξ ἑταίρας γενομένοις, ἐπαναγκὲς εἶναι, τοὺς πατέρας τρέφειν, quæ in *Pratei Iurisprudentia vetere*, est sexta in ordine, & ita concepta: *Spurij patres alere necesse ne habeant*: ita vt eadem sit ratio parentum erga filios, & filiorum in parentes. Vt enim ait *Heraclides Ponticus* apud *Plutarchum suprà*: *Qui in compressione mulieris decorum non seruat, non prolis, sed libidinis gratia eo impelli se liquidò ostendit*: notant *Palæotus* & *Prateius suprà*. Et pro relatiua ista obligatione alendi, vel libera non alendi facultate expendi possunt, *l. si quis à liberis in princ. ff. de liberis agnoscend. l fi. §. ipsum autem, C. de bonis quæ liberis*, cum aliis adductis à *Surdo de aliment. tit. 1. quæst. decima septima.* Et huius propositi maximè sunt quæ iste tradit dict. *tit. 1. quæst. 3.*

Ex dictis facilè resoluo quæstio- 64
nem illam † An lege vel statuto filio possint alimenta denegari? Etenim ex iusta causa denegari poterunt etiam filio legitimo & naturali: vt si aliunde habeat bona, ex quibus ali possit: vel artificium ex quo posset victum quærere, vt iam diximus cum *Surdo suprà numero quadragesimo primo.* Denegabantur etiam Iure Ciuili antiquo alimenta naturalibus, quia ἀπάτορες, vel nullum saltem patrem habere præsumerentur, vt diximus *numero quadragesimo quarto.* Denegabantur filiis adulterinis, incestuosis & similibus, in detestationem damnati coitus (quæ

omnia

omnia lex Canonica æquitate & pietate innixa ſubuertit. Denegabantur olim & hodie filiis cauſas ingratitudinis committentibus, de quibus in dicta Nouella 115. (quæ eſt *Authentic. vt cum, de appellat. cognoſc. §. aliud quoque capitulum.*) Et multo magis filiis hæreticis, aut rebellibus, hoſtibúſque patriæ, *Surdus* (plura adducens) *de aliment. titulo primo, quæſt.* 31. *numero vigeſimo quinto, & 26.*

Ex iuſta ergo cauſa, lege approbata alimenta denegari poterunt hodie & ſemper, vt optimè reſoluit. *Philippus Decius* in *l. iura ſanguinis numer.* 3. *&* 4. *ff. de diuerſ. reg. iur.* quidquid ibi rennuat eius Scholiaſtes impius *Molinæus*, & nouiſſimè *Philippus Paſchalis de viribus patriæ poteſtat.* 2. *p. cap.* 3. *numero* 4. poſt dom. Præſidem *Couarru. in* 4. 2. *p. cap.* 8. §. 6. *nume.* 17. improbatum à *Molina libro ſecundo de Hiſpanor. primogen. cap.* 16. *num.* 3. adſtruente per quam optimè in *nume.* 1. *&* 4. alimenta filiis, ac deſcendentibus ingratis, à maioratuum inſtitutoribus ſeu poſſeſſoribus non deberi.

Vbi autem iuſta cauſa deficit, nec lege, nec ſtatuto alimenta iſta tolli poſſunt, vt quæ iure naturæ debita: & hoc caſu procedit communis Doctorum opinio in fauorem filiorum, quam reſoluit in dict. §. 6. *numer.* 3. *Lara* in *l. ſi quis à liberis, §. parẽs, ff. de liberis agnoſcend. Surd. de aliment. titu.* 1. *quæſt.* 1. *Zeuallos* dict. *quæſt.* 757. *à numer.* 21. *Intrigliol. ſingul.* 136. *numer.* 1. *libr.* 2. *Paſchal.* dict. *capit.* 3. *numero quarto.* Et hoc ſenſu accipienda eſt *Baldi* doctrina communiter recepta in *l. id quod pauperibus, num.* 58. *Cod. de Epiſcop. & Cler.* vbi innuit, patrem in ſuo teſtamento prohibere non poſſe, quin filio naturali alimenta præſtentur: quod ſingulare quidem dixit, & paucis notum, *Marſil. ſingul.* 358. *in fine.* Idémque in ſpurio attenta æquitate Canonica reſoluit *Iaſon. conſ.* 26. *num.* 15. *vol.* 1. Et addunt *Alciat. conſ.* 18. *numer.* 18. *libr.* 9. *Socin. conſ.* 130 *numer.* 4. *volum.* 2. *Menoch. conſ.* 60. *num.* 8. *libr.* 1. nec ſtatuto id induci poſſe in filios ſpurios. Et omnes hi cum aliis, quos refert *Marta de ſucceſ. legali. part.* 1. *quæſt.* 18. *art.* 2. *numer.* 9. *&* 10. auctoritate *Baldi* innituntur, qui dubio procul intelligi debet de patre filio naturali ſine cauſa alimenta deneganti. Non enim latebat conſummatiſſimum *Baldum* ex cauſa iuſta alimenta etiam filiis legitimis & naturalibus poſſe denegari ex notiſſima deciſione d. §. *aliud quoq; capitulum, Authentici vt cùm de appellat. cognoſc.*

Ab his demum pendet vera ratio communis illius reſolutionis, quæ habet, † alimenta regulariter non poſſe renuntiari, de qua per *Doctores* in *l. cùm hi* 8. *ff. de tranſact. Sur. tit.* 8. *priuil. quinquageſimo ſexto.* 65

Et dubitationis illius, † An renuntiatio legitimæ excludat filium à petitione alimentorum; quam optimè in fauorem filij reſoluit *Molina libro ſecundo de Hiſpanor. primogen. c.* 15. *num. ſeptuageſimo quarto*, etiam in renuntiatione iurata. 66

Et inſuper alterius illius quæſtionis † motę per *Iulium Clarum* in §. *donatio, quæſt.* 21. *numero tertio*, vbi optimè reſoluit, donationem reuocari ob denegata alimẽta à donatario ingrato: tum quia donans huic iuri ſibi in donatarium competenti renuntiare ſine iuſta cauſa non poteſt, vt ego puto; tum quia nec pactum tenet de non reuocanda donatione ex capite ingratitudinis, *Surd. de aliment. titu. primo quæſt.* 55. *numero* 21. etiam cum iuramento, *Seraph. de priuileg. priuil.* 108. *Borrel. conſ.* 114. *num.* 19.

Illud demum pro coronide prædictorum omnium ſubnotandum eſt, cùm patres ab alimentorum præſtatione ex cauſa ingratitudinis filij, &

aliis *suprà* enumeratis liberos enuntiamus, & subinde filios ab onere alendi parentes, intelligendum esse,
68 dum tamen † in extrema necessitate constituto filio pater necessariis eidem ad vitæ conseruationem occurrat, vel è contra pater filio: hac enim obligatione (cui quisque proximus tunc temporis sub reatus pœna facere satis debet) pater in filium, & filius in patrem primo loco tenentur. Et sanè hoc casu ego indubiè admitto, quę Co- *uar.* ad seruit. dict. §. 6. *numer.* 8. & 17. *Pat. Molina de iustit. & iure tract.* 2. *disputat.* 168. *ad fi.* Qui pro ista sententia optimè expendunt *textum* in *l. 6. in fine, tit. 19. partit. 4.*

CAPVT QVARTVM.

DE PARTV EXPOSITO.

SYNOPSIS.

1 *Antiquissimus & vsitatissimus apud omnes peræquè gentes fuit mos exponendi filios.*

2 *Apud Græcos frequentes fuerunt expositiones. Et n. 3. apud Romanos.*

4 Thomas Dempserus *impugnatur.*

5 *Qui dicantur expositi.*

6 *Grandiores eiecti differunt ab expositis.*

7 *Serui itidem expositi ab habitis pro derelicto differunt. Et quid Iure Canonico & Patrio tenendum.*

8 *Mos antiquus fuit apponendi recèns editos in terra.*

9 *Partum Antiqui ad matrem* TERRAM *referebant.*

10 *Recèns natorum constitutio in Apio apud Græcos fiebat. Et nu. 11.* STATINÆ *Deæ sacrabatur.*

12 *Nimij sunt Auctores in disquisitione & expositione moris apponendi recens natos super terra.*

13 Cuiacij *& aliorum interpretatio ad* l. 3. C. de posthum. hæred. instit. *impugnatur. Et numer. 14. alia similis.* Delecampij ad Plinium. *Et nume. 15. alia* P. Pinedæ ad cap. 7. Sapientiæ.

16 *Qui verum sensum sacræ paginæ in casssum ad Gentilitios ritus trahunt, notantur.*

17 *Patres antiquitùs quos volebant, tollebant.*

18 *Romanis licitum erat filios oppignerare, vendere & donare. Et numer. 19. vitæ, necisque potestatem in eos habebant. Et numer. 20. maiorem Græcorum in liberos potestatem probat ex* Halicarnass. *Et nu. 21. maiorem itidem Romanis in filios, quam in seruos potestatem fuisse ex eodem* Halicarnass. *probat.*

22 Dionysium Halicarnassi libro secundo *nouè interpretatur contra* Sylburgium.

23 §. 2. institut. de pat. potest. *declar.*

24 Sexti Empyrici *locus expenditur pro*

pro patria potestate Romanorum. Et nu.25. alius Tacit.

26. *Pater arrogator eandem habebat potestatem in filios, quam naturalis iure Romanorum.*

27 *A nimia parentum potestate in liberos, libera & ad libitum erat expositio apud Romanos.*

28 Lex Romuli *de expositis (relata à* Dionys. Halicarn. *lib.2.) declar.*

29. *Causam nouè excogitauit* Auctor, *ob quam Romulus expositionem coercuit. Et num.30. cur filiarum extra primogenitas expositionem permiserit. Et num.31. liberæ monstrosorum expositionis causam ex* Seneca *aperit.*

32 *Omnibus temporibus filios mares parentes exoptarunt.*

33 *Parentes antiquitus libros terra impositos suscipiebant & fouebant: hoc ritu spem familiæ & hæredem habere innuentes.*

34 *Frequens est mentio suscepti filij in legibus Romanorum.*

35 *Leuationis olim apud Antiquos vsitatissimæ varia testimonia.*

36 *Leuationem istam (patri & matri communem) Veteres Deæ* LEVANÆ *dicabant.*

37 *Non sublati à parentibus* ἀπάτορες *dicebantur, & ab educatoribus detinebantur.*

38 *Pro alimentis nuda tantum detentio competebat, &* l. patrem, C. de nupt. *declar. Et nu.123.*

39 *In seruis expositis aliter se res habebat hi enim educatoris fiebant.*

40 L. obligatione generali, D. de pignor. *cum aliis quæ loquuntur de alimentis, declarantur: & qui sint alumni ad interpretationem plurium legum perpenditur.*

41 Seneca & Quintilianus *variis locis declarantur.*

42 Plinius Secundus & Suetonius *illustrantur.*

43 L. 1. & 2. tit. 7. lib. 5. C. Theodos. & l. 2. C. de infant. exp. *decl. Et num.111. Et n.112. ratio traditur.*

44 L. 24. C. de Episc. audient. & l. 3. C. de infant. expos. *intelliguntur. Et nu. 113. ratio assignatur decisionis earundem.*

45 *Iure antiquo Canonico ante tempora* Iustiniani *expositi occupantium fiebant.*

46 *Hodie* lex Iustiniani & Canonica *vniformes sunt. Et n.47.* Ius Patrium *illis concinens expenditur.*

48 Gregor. Lopez & Villadiego *impugnantur.*

49 *Expositi reputantur legitimi.*

50 *Expositi ad sacros ordines promouentur.*

51 *Puritas sanguinis ex lege vel statuto implurimùm requisita in expositis non datur.*

52. *Expositi reputandi sunt naturales horum Regnorum etiam ad obtinenda beneficia. Et num.53. declaratur* l. 19. titul. 3. lib. 1. Recop. *Et num.54 ista limitatur in beneficiis quæ apud nos* patrimonialia *nuncupantur.*

55 *Quid seruandum in expositis baptizandis.*

SECTIO I.

56 *Immane committunt scelus exponentes. Et num.59. homicidis peiores demonstratur.*

57 *Expositio crudelior est abdicatione.*

58 *Exponere & occidere in idem incidunt.*

60 *Ratio quædam adducitur ob quam titulus* C. de infant. expos. *fuerit collocatus in media homicidiorum disputatione. Sed alia verior assignatur num.126.*

61 *Pœna exponentibus inducenda naturali ratione & causa innititur.*

62 *Cautè procedendum est in punitione exponentium.*

63 *De expositione variè sumitur supplicium habita ratione euentus, modi & causæ.*

64 Iacob. Cuiac. *circa pœnas exponentibus imponendas refellitur.*

65 *Ex lege* Constantini *dominus expositione dominium serui amittebat. Et numer. 66. ex lege* Iustiniani *expositus libertatem consequitur. Et num. 67. alia extraordinaria pœna pro modo expositionis apud nos puniendus est.*

68 *Antiquo iure, & priorum Imperatorum tempore omnes expositiones impunitæ erant.*

69 Lex Romuli *(quæ patri in filium vitæ necisque potestatem fecit) insequētibus temporibus abolita fuit contrario vsu. Et nu. 70. licentia subinde exponendi postea coercita fuit.*

71 *Primus omnium* Constantinus *legem tulit in patrem filium occidentem. Et nu. 83.*

72 L. fin. D. si quis à parente fuer. manum. *declaratur. Et nu. 73. & 76.* l. 2. D. ad leg. Cornel. de sicar. *Et num.* 74. l. congruentius, C. de patr. potest & l. vnica, C. de emend. prop. *Et n.* 75. l. 1. §. & si filius, D. de obseq. parent. & pat. præst. *cum aliis. Et num.* 77. l. Diuus, D. ad legem Pompei. de parricid.

78 Petrus Ærodius & D. Solorzan. *impugnantur.*

79 L. milites, §. desertorem, D. de re milit. *intelligit.*

80 *Imperator* Alexander *patrum licentiam in occidendis filiis inauditis coercuit ante* Constantinum.

81 L. 4. D. de liber. ag. osc. *declar. Et n.* 95.

82 L. 1. §. sed si mater, D. ad leg. Pompei de parricid. *intellig.*

84 *A dictis numeris præcedentibus, infert* Auctor, *quibus temporibus ius vitæ, necisque in filios patres habuerint. Et numer. 85. quid dicendum circa exponentes attenta* lege Romuli. *Et num. 86. quid temporibus insequentibus obtinuerit. Et num. 87. quid imperante* Alexandro. *Et num. 88. quid attenta* lege Constantini.

89 *Exponentes homicidis æquiparandi. Et nu. 90. hoc idem* lege Patria Fori *tenendum ait* Auctor.

91 Legem Hebræorum *in exponentes* Philon *illustrauit, & eius singularia verba referuntur.*

92 Lege Thebanorum *exponentes capite puniebantur.*

93 *Duplex erat expositionis species. Et nu. 94. quæ fiebat ad mortem appellabatur* abiectio.

96 Ioannes Barclaius in Argenide *casum expositionis Polyarchi parum aptè confinxit.*

97 *Mitius puniendi patres qui in expositione de filiorum salute excogitarunt.*

98 *Detegendæ turpitudinis causa exponentes leniùs puniendæ. Et num. 99. hoc casu quondam exponentem absolutam dixit & probauit* Clarus, *sed improbat* Auctor. *Et n. 102. declarat. Et n. 108.*

100 *Inopia rei familiaris erit excusationi patribus exponentibus. Et nu. 115. declaratur. Et n. 122.*

101 *Expositio instantis metus causa facta in totum excusabit, vel ea quæ necessitate ineuitabili fit. Et n. 107.*

103 *Nullo defuerunt tempore in expositos misericordes.*

104 Constantinus *Imperator eos de publico ali decreuit.*

105 *Magni alij Principes orphanorum & expositorum educationi intenderunt.*

106 *Apud nos nunquam charitas & misericordia in recèns natos defuit.*

109 Me-

109 Menoch.& Solorzan. *(qui Senatusconsulto Plautiano expositiones coercitas existimarunt) refelluntur.*

110 L.neque filium, C.de patr.potest. *declar.*

114 *Exponentes omnes, & eisdem opem & auxilium præstantes semper extra ordinem puniend. Et nu.*121.

116 *Filij expositi liberè cuiuis extraneo bona relinquere poterunt patre insuperhabito. Et num* 117. *hoc* iure Patrio *non debere admitti notat* Auctor. *Et nu.*118. legem Partitæ, *de his loquutam, ampliat.*

119 *Matres exponentes iisdem subiacent pœnis. Et num.*120. *maioribus.*

122 Ananiæ *opinio, qui insontem putat patrem egenum exponentem, improbat.*

124 *Quærit, An expositus patrem occidens* lege Pompeia de parricid. *teneatur.*

125 Osuald. *(qui expositione patriam potestatem absolutè asserit non amitti) impugnatur.*

127 *Contra parentes adultum filium derelinquentes aliter agendum.*

128 *In foro poli patres exponentes si filios commodè alere possunt, grauiter peccant.*

SECTIO II.

129 *Athenis locus fuit, vbi exponebantur infantes.*

130 *Romæ erat columna Lactaria in foro Olitorio.* Et Ræuardus, Goltiúsque *ad hanc columnam nomisma quoddam referentes notantur, idemque ab* Auctore *nouè illustratur.*

131 Traianus *domum amplissimam in monte Cœlio expositis fabricari curauit.*

132 *Varia brephotrophia varijs ciuitatibus instituta & dotata.*

133 *Et nunc amplissimæ sunt domus & hospitalia huic operi pio destinata. Et num.*139.

134 *Vbique gentium innata velut videtur pietas in expositos.*

135 *Apud nos plures sunt domus & hospitalia, vbi expositi post primam educationem instituuntur, & ad artes & opificia diriguntur. Et in re litteraria magni nominis expositos ætas nostra vidit.*

136 *Expositi in subsidium à quibus alendi & educandi. Et num.*137. Lat.ius *quæstionem resoluit.*

138 *Quid in antiquitate de expositis factum ostendit.*

SECTIO III.

140 *Educatores an sumptus repetere possint, tractat, ad interpretationem* l.1. C.de infantibus expos. *Et num.*141. *variæ referuntur interpretationes: & demum nouè illustratur, & simul* l. ex argento 13. D. de condict.furtiua, in 1.& 2.resp. *Et num.*142. *agitur de prædictis sumptib. ante* legem Iustiniani. *Et num.*143. *post* legem Iustiniani 3.C.de infant.expos. *Et nu.* 144. *rem disputat* Auctor *attento* iure Patrio.

145 *Quæritur, quando educator præsumatur voluisse sumptus repetere?*

146 *In æstimatione impensarum multum tribuendum est iudicis arbitrio.*

147 *In dubio filius inscio patre præsumitur expositus.*

148 *Pater simul ac notam filij expositionem habuerit, eum vindicare, & sumptus exsoluere tenetur.*

SECTIO IV.

149 *Filij & serui expositi longè differunt à sanguinolentis. Et numero* 150. *qui sint isti.*

151 L.1.C.Theodos.de his qui sanguinol. emptos, vel nutr. accip. *declaratur.*

152 *Cur* Iusti..ianus in titulo de infant. expos. *de emptis sanguinolentis mentionem non fecerit.*

153 Iac. Cuiacij *labor superuacaneus (in inquirendo qua parte* tit. C. de infan. expositis *actum fuerit de sanguinolentis emptis) notatur.*

154 *Eiusdem generalis doctrina de ingenua alimentorum causa educatori non addicenda, refellitur.*

CTVM est superiore capite de partu in genere, nunc eius, (quoad nos) species seu partes (quarumqu: cognitio Iurisprudentibus apprimè necessaria est) tractandæ occurrunt. Et primùm de partu exposito ineundam disputationem duxi, quam summa ope contendam perfectam, & omnib..s (vt aiunt) numeris absolutam reddere. Principio MORES, MODOSque exponendi, & expositorum CONDITIONEM prosequutus. Subinde in sectionibus huius capitis de POENIS exponentibus irrogandis: de CVRA in expositos adhibenda: de SVMPTVVM in eosdèm erogatorum causa & repetitione: demùmque de SANGVINOLENTIS tractaturus.

Est autem antiquissimus (vt ab hoc
1 incipiam) exponendi mos, † & apud omnes peræquè gentes vsitatissimus. Nulli quippe ignota est apud Hebræos Mosis coacta ab Edicto Pharaonis expositio, eiusque absoluta enarratio in sacro Textu *Exodi capite 2.* & latè in *Philone de vita Mosis lib. 1.* & *Iosepho libro. 2. Antiq. Iudaic. cap. 5.* & ab *Ezechielo* Iudaicarum Tragœdiarum Poëta apud *Clementem Alexandr. libr. 1. Stromat.* decantata. Cuius versus, in actu, qui inscribitur ἐξαγωγή, id est, *ductio*, ex persona Mosis *Daniel Heinsius* in eodem *Clemente* recensito aptè Latinitati ita donauit:

Nostrum videret nam genus cùm crescere.
Est machinatus in nos plus satis doli
Rex Pharao, laterum acribus laboribus,
Ædificiorúmque opprimens nos molibus,
Et struendo turrium munimine.
Edicit inde, totum vt Hebræum genus,
Quos procrearat, flumini immergat mares.
Ibi miserta, casta me abscendit parens.
Quæ tertio post mense prodita, arripuit
Me rursus, atque inuoluit ornatu nouo,
Iuxtaque ripam ponit in paludibus.
Quod Maria nostra vidit eminus soror.
Dein nata Regis, quæ carebat liberis.
Stipata famularum agmine ad flumen venit
Lotura corpus, protinúsque sustulit.
Vtque esse Hebræum me vidit, sic incipit,
Maria soror celerem ad eam mouens pedem,
Tibi ex Hebræis visne nutricem parem
Puerc? puellæ nata Regis annuit.
Propheta matri dixit, ipsaque aduenit
Mox mater, & me suauiter complectitur.
Tum nata Regis dixit: Hunc ô fœmina
Tibi educandum est, posce mercedem, feres
Nomenque Mòses indidit, quod scilicet
Ripa repertum sustulit me fluminis.

Apud Græcos † verò quis non videt expositiones frequentissimè fieri solitas Oedipi exemplo in *Diodoro Siculo libr. 5. cap. 6.* & *Seneca in Thebaid. act. 1. circa finem*, vbi Oedipus ipse ita conqueritur:

---Illo teste damnauit parens,
Calidoque teneros transtulit ferro pedes,
Et in alta nemora pabulum misit feris
Auidis, auibusque, quas Cithæron noxius
Cruore sæpè Regio attractas alit.
Sed quem Deus damnauit, abiecit pater
Mors quoque refugit.

Sed & passim apud *Aristophanem in Gar*

in βατράχ. *actu 5. scena* 1. & alios ĩ. referendos expositionis istius mentio habetur.

3 Et subinde apud † Romanos (quorum primi Romulus & Remus expositi fuere, ex *Liuio decade* 1. *libr.* 1. *Plinio lib.* 15. *cap.* 18. *Plutarcho de Fortuna Romanorum*, & aliis ĩ. citandis) expositiones (quæ in initio nascentis Imperij ex *lege Romuli* ĩ. expendenda, prohibitæ fuerant) post ea vsitatissimæ esse cœperunt: insigni illa obseruantia & more (*vt nihil natum exponerent, sed omnia tollerent, atque educarent, Romuli casum*, vt ait *Plutarchus supr. & similitudinem venerantes*) antiquato.

Et demum apud omnes expositionis immanem, ferum & impium vsum humana iniquitas conseruauit tempora vsque nostra.

Ad hæc præmitto, exponere filios idem esse quòd deponere, & alienæ misericordiæ committere, quod Græci χυτρίζειν dicebant, quia in vasis fictilibus filios exponere solebant, *Aristoph.* in βατράχ. d. *act.* 5. *sc.* 1. de Oedipo exposito:

— ὅτε δὴ πρῶτον μὲν αὐτὸν γενόμενον
χειμῶνος ὄντος ἐξέθεσαν ἐν ὀστράκῳ.
— *Qui simul ac lucem vidit, ac editus est*
Vase fictili hiemis duro tempore exponitur.

Vbi antiquus Scholiastes, τὸ ἐν ὀστράκῳ, interpretatur dicens, ἐπεὶ ἐν χύτραις ἐξετίθεσαν τὰ παιδία, διὸ καὶ χυτρίζειν ἔλεγον, *Ex quo infantes exponebantur in ollis, vasisue testaceis, quæ* χύτραι *appellabantur*, χυτρίζειν, *pro exponere fuit vsurpatum.* Et ab his facilè explodes,

4 quæ *Thomas Dempserus* † *in Rosini lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum cap.* 1. de modo exponendi securè asserit, dicẽs, fieri hoc consueuisse in vasculo ex papyro confecto, ac bitumine illito: quod sanè proprium fuit expositionis Mosis, ne submergeretur, vt ex sacro Textu d. *cap.* 2. *Exodi* colligitur: & clariùs expressit *Iosephus* d. *cap.* 5. *Hoc consilium* (exponendi) *post quàm satis placuit, excogitarunt tale quidam: lectulo è papyro contexto, quantulus infantulum commodè capere poterat, bituminéque illito, ne aqua penetrare posset, indiderunt puerum: atque ita in flumen proiecti salutem diuinæ prouidentiæ commiserunt.*

Præfatis addo, apud nos expositos † dici pueros paruulos *l* 3. *C. dè infant.* 5
expositis: vix ex vtero progressos, *Nouella* 153. *de infantib. expositis*: & recèns natos (*Aristophanes suprà*, πρῶτον γενομένους) qui eo tempore quo magis à parentibus fouendi erant, ab ipso abiiciuntur, sperauntur, vel exponuntur. Inter quos & eos, qui grandiores eiiciuntur (vt Ismaël à matre Agar, *Geneseos c.* 21.) disertè distinguunt † *Cuia-* 6
cius in commentariis ad titulum C. de infantibus expositis, & *Rodulphus Fornerius lib.* 1. *rerum quotidianarum, c.* 20. *ad finem*, vt illi non propriè *exponi* dicantur, sed *pro derelicto* haberi, *l. quod seruus* 36. *ff. de stipulat. seruorum*, *l. vlt. ff. pro derelicto*, *l.* 2. *ff. qui sine manumiss. ad libertatem proclam. l. vnica*, §. *sed scimus*, *C. de Latina libertate tollenda*, dict. *Nouella* 153. *Iustiniani* quæ aliàs est *l.* 4. *C. de infantib. expositis.* Vt inde nominibus distinguantur etiam apud Græcos, quibus infantuli expositi ἔκθετοι appellabantur, maiores verò relicti ἀπρονόητοι. Quam vocem malè alio in sensu vsurpatam ab *Harmenopulo* rectè notauit *Cuiacius suprà.* Subdens & magnam illam differentiam inter seruos † expositos, & pro derelicto habi- 7
tos, vt illi statim liberi fiant, *l.* 3. *Cod. de infantibus expositis* (quod intelligendum est iuxta ea quæ trademus ĩ. *numer.* 46.) hi verò non nisi vno tantùm casu contento, scilicet in dict. *l.* 2. *ff. qui sine manumissione*, dict. *l. vnica*, §. *sed scimus, Cod. de Latina libertat. tollenda.*

id est, cùm seruum ægrotum dominus pro derelicto habuerit: idque ita factũ fuisse credẽdum est ob immanitatem domini tempore necessitatis seruum destituentis: qui alioquin occupantis fit, *d.l. quod seruus, ff. de stipulatione seruorum*, *d.l. fi. ff. pro derelicto*, quas miror *Cuiacium* s̃. prætermisisse.

Vt autem ista penitiùs percipiantur, noto, languidorum velut expositionem antiquissimam itidem fuisse, ídque deprehendi ex *Aristophane in Pluto, act. 2. sce. 3. ad fin. Plauto in Curculione actu 2. scena 1. Strabone libr. 8. Geographiæ*, qui loquuntur de Templo Epidauri, Æsculapio sacrato, ægrotantium multitudine referto, & fortè an languentium ibi derelictorum seruorum: vti eueniebat in consimili (eius exemplo) Romæ constructo in insula Tiberina (cuius meminere *Suetonius in Claudio c. 25.* & *Ouidius lib. 15. Metamorphos.* latè historiam referens, & causam cur Æsculapius, Epidaurus in insula Tiberina Templum acceperit) In eo enim ægroti & languidi serui exponi consueuerunt. Id quod Claudius coërcere conatus, eos, ipsa eadem expositione edicto suo libertate donauit, vt vtrumque probat *Suetonius* s̃. dicens: *Cùm quidam ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapij tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent.* Ad quæ certè reducenda sunt illa *Dionis: Quia multi seruos ægrotantes nulla cura dignabantur, sed domibus eiiciebant, legem tulit Princeps, vt qui ita exturbati ad sanitatem rediissent, liberi essent*: vt intelligas eos, qui ipsa expositione liberi euaserant, meliore salute libertate frui. Ni mauis in textu Græco pro ἀφειμένους legere ἀφειμένου, vt inde *Dio* in illis (πάντας, ἐκ τοῦ τοιούτου ἀφειμένους ἐλευθέρους εἶναι) *ab ipsa patrata* expositione, seu mauis derelictione *liberos euadere* senserit Claudij Edicto: quod nobis aptè probat *Modestinus* in *d.l. 2. ff. qui sine manu. ad liber. perue.* dicens: *Seruo, quem pro derelicto dominus ob grauem infirmitatem habuit, ex Edicto Diui Claudij competit libertas.* Ex quibus clarè elicio verba *Suetonij* ad omnes seruos languidos à dominis vbique derelictos, seu expositós referenda cum *Modestino* s̃. & subinde *Iustiniano* (eidem pleniore libertate consulente) in *l. vnica, d. §. sed scimus, C. de Latina libertate tollenda.* Et demum ita testatus fuit *Dio* in verbis s̃. relatis, si emendationem nostram admiseris: quinimò & quo casu lectionem communem retineas, iuxta s̃. tradita. In his enim seruis ægrotis eadem (vt iam innuimus) viget inhumanitatis ratio, quæ in expositione serui nuper editi, cùm vterque à domino destituatur, quo tempore eius ope & auxilio maximoperè indigebant.

Et verò Ius Canonicum isthæc omnia approbauit in *c. vnico de infan. & langud. expos.* namque primò filios & seruos expositos æquè liberos ibi fecit *Gregorius IX.* ac *Iustinianus* in *d.l. 3. C. de infant. expos.* Subinde secundò languidos cuiusque ætatis seruos ad imitationem *Claudiani Edicti* libertate donauit. Denium tertiò seruos infantiam egressos pro derelicto habitos occupantis fecit (vti dispositum erat in *d.l. fin. ff. pro derel.* cum aliis) vt clarè supponunt illa verba: *Quod & de prædictis* seruis *cuiusque ætatis languidis, si expositi fuerint, est dicendum*: abspeciali (vt aiunt) sumpto argumento. Ita vt decisione ista Canonica omnia Iure Ciuili tunc vigentia comprehendantur. Quemadmodum in *l. 4. tit. 20. part. 4.* iuncta *l. 49. titul. 28. part. 3.* Quinimò *d. cap. vnico* insuper nouè decretum est, vt & serui, quibus impiè domini alimenta denegauerint, libertatem

tem consequantur.
His sic præhabitis, ad exposito-
rum causam nobis propiùs accessuris.
Principio sese offert priorum tempo-
8 rummos † ille (cuius sub initium præ-
cedentis capitis mentionem fecimus)
apponendi scilicet recèns editum in
terra, quam (vt iam diximus ibidem
*num.*20.) Deam, seu Deorum Almam
matrem fingebat cæca Antiquitas: &
subinde omnium viuentium (vnde
Δημήτηρ appellata est, vt ait *Philo de
mundi opificio, composito è matre & ter-
ra nomine.* Κοινὴ γὰρ ἅπασιν ἐπίσης ἐστὶν
ἡ γῆ πάτρις, vt ait *Artemidorus libr.*1.
*Onoreicriticorum cap.*14. *ad fin.* & *lib.*3.
*c.*32. hoc est, *communis omnibus ex æquo
patria est terra:*) Hócque vano & su-
9 perstitioso ritu, partu ad terram † MA-
TREM ab obstetricibus relato, eius o-
pem eidem implorabant, teste *Arte-
midoro* s.d. *cap.*14. & 32. vbi Ἐξάγει γὰρ
(inquit iste) τὸ περὶ ἔλευθος ἀεὶ τὸ περι-
έχον καὶ ἀποδίδωσι τῇ γῇ, *Educit ob-
stetrix ex continenti semper contentum,
éumque terræ committit.* Idque ipsum
denotauit *Aristophanes* in verbis re-
latis *num.*3. & clariùs eius *Commenta-
tor* antiquus super illis: χείμονος ὄντος,
ait, τοῦτο ἔχει διασκευήν. περὶ αὐτοῦ τὸ γεί-
μονος ὄντος, quasi diceret antiquitùs ex-
positionem in terra ob id magno or-
natu, & apparatu fieri consueuisse. Et
certè prædictis accinit *Plinius lib.*2. *c.*
63. *Sequitur* (aiens) TERRA, *cui vni re-
rum naturæ partium eximia propter me-
rita cognomen indidimus maternæ ve-
nerationis, sic hominum illa, vt cælum
Dei, quæ nos nascentes excipit, natos a-
lit, semelque editos sustinet semper: no-
uissimè complexa gremio iam à reliqua
natura abdicatos, tum maximè vt MA-
TER operiens.*
At *M. Varro* (non prætermitten-
dus) *lib.*2. *de vita Pop. Rom.* apud *Mar-
cel. ca.*12. aliam huiusce ritus non con-
temnendam auspicatur causam, cùm
ita ait: *Natus si erat vitalis, ac sublatus
ab obstetrice, statuebatur in terra, vt au-
spicaretur rectus esse.*
Et hinc sanè recèns natorum con-
stitutio (in σελίνοις apud Græcos, † id 10
est in apio, ex traditis à *Cæsare Bulen-
gero de Imperatore Romano lib.*3. *c.*18. &
humi apud Romanos) STATINÆ † 11
Deæ sacrata est, ex *Tertulliano lib. de
anima, c.*39. (ab eruditissimo *Cuiacio* o-
mnium primo feliciter restituto *li.* 11.
*obseruationum, c.*30.) quæ inde nomen
sumpsit, quòd natus infans simul ac
sublatus erat ab obstetrice, statuebatur
in terra, *vt auspicaretur rectus esse*, ex
Varrone suprà. Et hanc Deam cum Le-
uana (vt hæc obiter dicam) malè con-
fundit *Fr. Grundisaluus Ceruantes in
7. cap. Sapientiæ, vers.*2. *fol.*591. vt clarè
patebit ex dicendis *infra numer.*35. & 36.
Tum etiam, quia omnia in parturitio-
nibus humanis obuenientia à conce-
ptu pluribus scatebant superstitioni-
bus, & nominibus eas denotantibus:
Cui enim hominum (ait *Tertullianus
suprà*) *non adhærebit spiritus nequam
ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas
aucupabundus, vel quia inuitatus tota
illa puerperij superstitione, ita omnes* A-
DOLATRIA *obstetrice nascuntur, dum
ipsi adhuc vteri infulis, apud idola con-
fectis redimiti, gemina sua dæmoniorum
candidata profitentur: dum in partu* LV-
CINÆ & DIANÆ *eiulatur, dum vlti-
mo die fata scribunda aduocantur*, &c.
Idem *eodem lib. de anima, c.*37. *Hæc æsti-
mando etiam superstitio Romana Deum
finxit* ALCMONAM *in vtero fœtus, &*
NONAM, DECIMAM *à solicitatori-
bus mensibus, &* PARTVLAM, *quæ
partum gubernet, &* LVCINAM, *quæ
producat in lucem:* latiùs *D. Augusti-
nus lib.*4. *de Ciuitat. Dei, capitul.*2. Et
conferunt tradita à *Rosino libr.*1. *Anti-
quit. Roman. cap.*19. Vt inde facilè eli-

cias mirandam non esse differentiam
inter Deas *Statinam* & *Leuanam*, de
qua ĩ.agemus, *d.n.*35.

Adhæc prædictæ recèns natorum
in terra appositionis, quam prosequi-
12 mur, meminit † *D.Augusti.li.*4.*de Ciu.
Dei,c.*13. Et ex nostris (præter *Cuiacium*
s̃.) *Forcatulus in cupidine Iurisperito c.*
21. *nu.*7. *Gothofred. in scholiis ad l.*5. *C. de
posthum. hæredib. instituendis*, nouissimè
post alios *Edmundus Merillius in ex-
positione ad* 50. *decisiones Iustiniani* su-
per d. *l.*3. Et inter plures litteraturæ (vt
aiunt) politioris viros *Delecampius ad
Plin. lib.*7. *in prœmio, Turneb. lib.*4. *ad-
uersarior. capit.*15. *Thom. Dempster. ad
Rosini Antiqu. Roman. lib.*2. *cap.*19. *Lœl.
Bisciola tom.*2. *horar. successiuar. libr.*15.
*cap.*17. *Cæsar Bulenger.* d. *cap.* 8. *Ioann.
Philippus Paræus in electis Plautini.* ver-
bo *Natiuitatis*: qui nimij sanè sunt in
istius ritus, morísve antiqui elucida-
tione.

Ad quem *Cuiacius* subdubius, &
cæteri ex nostris s̃. citati securiores re-
13 ferunt, d. *l.*3. † *C. de posthum. hæredib. in-
stituend.* in illis verbis: *Licèt illicò post
quàm in terram cecidit, vel in manibus
obstetricis decessit:* sed non aptè quidẽ,
cùm ibi *Iustinianus* (cuius temporibus
mos ille in desuetudinem abierat) de
partu natura sua in terram cadente lo-
quatur, non de eo qui curiosa super-
stitione super ea apponebatur (vt post
ista scripta video nouissimè annotas-
se *Franc. Raguel. in comment. ad* d. *l.*3.)
14 Sicuti *Plinius* † ad opera naturæ con-
sueta respexit in illis verbis *Prœmij
lib.*7. *natur. histor. Hominem tantùm nu-
dum, & in nuda humo natali die* natura
abiicit: quæ malè *Delecampius* ibi mo-
ri prædicto tribuit; cùm aliud sit *natu-
ram recèns natum in terram abiicere*, a-
liud *super ea ab obstetricibus statui*. Sed
15 & illud *Sapientiæ c.*7. † *v.*3. *Et in simili-
ter factam decidi terram*, non aptè *Pi-
neda in lib.*1. *de rebus Salomonis cap.* 12.
*numer.*4. refert ad priscum hunc ritum,
quod & *Ceruantes* (eius aliàs acerri-
mus insectator) approbauit s̃. non at-
tendentes, verba illa prout iacent in-
telligenda, & ex præcedentibus illis
pendêre: *Decem mensium tempore coa-
gulatus sum in sanguine.* Quæ omnia
simul iuncta perfectum partum Salo-
monis denotant, & ab vtero in ter-
ram tanquam maturum fructum deci-
disse.

Vt inde meritò isti, † & quiuis simi- 16
les veniant notandi, qui sacræ Paginæ
verum & genuinum sensum incassùm
ad Gentilitios ritus trahunt. Quin
& ab ista nostra animaduersione faci-
lè erat plura alia ab Auctoribus suprà
relatis tradita refellere, sed negotij
nostri non sunt. Sat sit morem illum
ad eorum quæ prosequimur, aptiorem
cognitionem à prædictis compro-
basse.

Infante insuper in terra, vt præ-
diximus, constituto, parentibus liberũ 17
† erat Deæ illi omnium matri & alui-
ci relinquere, Iouémque imitari, de
quo *Seneca* apud *Lactantium Firmianũ
lib.*1. *Diuinar. institut. cap.*16. *Quid ergo
est*, (inquit) *quare apud Poetas Salacis-
simus Iupiter desierit liberos tollere?* &
inde Laius pater Oedipi in *Euripide
notatur:*

ὃ φίλον ἥρπαζες υἱόν.

At piis parentibus moris fuit (& qui-
dem apud Græcos solemni ritu illu-
strati) liberos è terra tollendi, susci-
piendi & fouendi. Et certè morem i-
stum Græcorum attendit *Terent. in
Andr. act.*1. *sce.*3.

*Quidquid peperisset, decreuerunt tol-
lere.*

Et iterum *act.*3. *scena* 1.

Nam quod peperisset iussit tolli.

Et in *Heautontim. act.*4 *scena* 1.

*Meministin' me esse grauidam, & mihi
te magnoperè interminatum,
Si puellam parerem, nolle tolli.*

Hæc

Hæc autem facultas liberos liberè
Terræ Deæ matri, altricíque omnium
relinquendi eoſdémve tollendi &
ſuſcipiendi maior Romanis præ cæ-
18 teris gentium eſſe videbatur: ex quo
eis lib. ros ſuos vendere, † donare &
oppignare licebat, vt teſtatur *Dio-
nyſ. Halicarnaſ. lib. 2. Antiquita. Roma-
nar.* & innuit *textus* in *leg. denique* 8.
D. de pignor. & *l. 2. titulo* 27. *de alimen-
tis, quæ inopes parentes de publ. petere
debent, libro* 11. *Codicis Theodoſiani.*
Et clariùs colligitur ex *l. 1. Cod de pa-
tribus qui filios diſtraxerunt* (vbi iſta
Imperatores *Diocletianus,* & *Maxi-
19 mianus* apertè emendarunt.) Olim
namque patri in filium vitæ † neciſ-
que poteſtas erat ex *lege Romuli* ordi-
ne 17. apud *Prateium* & in collectis à
Balduino 18. & à *Iuſto Lipſio* 12. ita aiē-
te: *In liberos ſuprema patrum auctori-
tas eſto venundare, occidere liceto.* Et
certè ad eam legem referenda ſunt il-
la *Pauli* in *l. in ſuis, D. de liberis &
poſthumis: Quos & antea occidere li-
cebat:* & illa *Conſtantini* in *l. finali, C.
de patria poteſtate: Cuius* VITÆ *&*
in liberos NECISQVE *poteſtas olim
erat permiſſa.* Et diſertiùs eiuſdem le-
gis meminit *Dionyſius Halicarnaſeus,*
d. libro 2. vbi maiorem Romanorum,
20 † quàm Græcorum in liberos poteſta-
tem expendens: *Romanorum* (ait) *Legi-
ſlator omnem, vt breuiter dicam, poteſta-
tem patri dedit in filium: idque toto vitæ
tempore, ſiue in carcerem eum detrudere,
ſiue flagris cædere, ſiue vinctum ablega-
re ad ruſtica opera,* ἐὰν τὲ ἀποκτιννύναι
προαιρῆται, *ſiue necare licet;* & *libro* 8. i-
dem ita ait: Ῥωμαίοις, &c. τὰ χρήματα
καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅτι βούλονται
διατιθέναι, τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται, *A-
pud Romanos res & corpora filiorum ad
libitum ſunt parentum.* Et paulò ante
patrem in filium officio iudicis ſimul
& accuſatoris punitoriſque (de quibus
infra) fungi aſſerit.

Et ab iſtis (quæ exactè proſequenda
duco) idem *Halicarnaſeus* diſertè
elicit, & ait: *Maiorem* † Legiſlator Ro- 21
manus, *largitus* eſt *poteſtatem patri in
filium, quam hero in mancipium. Seruus
enim ſemel venditus, deinde libertatem
adeptus impoſterum ſui iuris eſt: filius
vero à patre venditus, ſi liber fieret,
rurſus ſub patris poteſtatem redigebatur:
iterum quoque venundatus & liberatus,
ſeruus, vt antè, patris erat:
poſt tertiam demum venditionem eximebatur
è patris poteſtate.* In quo (vt
hæc obiter dicam) *lex Romuli* circa
patriam poteſtatem extenſa & ampliata
fuit, vt ſenſit idem *Halicarnaſeus,*
mox dicens: τοῦτον δὲ τὸν νόμον ἐν
ἀρχαῖς μὲν οἱ βασιλεῖς ἐφύλαττον, εἴτε
γεγραμμένον, εἴτε ἄγραφον. Quæ aptiùs
† quàm *Sylburgius* ſic Latinitati do- 22
nabis: *Hanc legem (ſiue ſcriptam, ſiue
non ſcriptam) Reges primi ſuis temporibus
obſeruarunt.* Et ibidem huius
ſingularis & omnium potentioris patriæ
poteſtatis Romanę illuſtria refert
exempla, aliaque plura congeſſerunt
*Liuius decad. 1. libro 2. Seneca libro 1. de
Clement. ca. 15. Cicero libr. 1. de Finibus,
Valer. Maximus libro 5. cap. 8. Paulus
Oroſius libro 4. cap. 13. Salluſtius, Plutarchus*
& alij relati à *P. Ærodio lib.
4. Decretorum, cap. 6. & lib. 6. rerum iudicatarum,
titulo 7. Budæ. in annotationibus
poſterioribus ad legem 2. D. ad
legem Corneliam de ſiccarijs, D. Solorzano
in diſputatione de parricidio libr. 2.
cap. 7.* Vt ab his clarè percipias, quam
aptè † *Iuſtinianus* ni manis *Tribo- 23
nianus, Theophilus,* cæteríque natione
Græci *Inſtitutionum* Auctores, &
Codicis, Digeſtorúmque Compilatores,
velùt Romanorum patriam poteſtatem
demirantes, dixerunt in
§. 2. *inſtitution. de patria poteſtate:
Ius autem poteſtatis, quod in liberos
habemus, proprium eſt ciuium Romanorum:
nulli enim ſunt homines, qui*

talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

Et eò sanè mihi tendunt illa *Sexti*
24 *Empyrici* † *lib. 3. Pyrrhoniarum Hypotyposeon, c.24. Quin etiam Atheniensibus legem περὶ τῶν ἀκρίτων (id est, de indemnatis) Solon statuit, per quam vnicuique suum filium interficere permisit: at verò apud nos filium occidere vetant leges. Et Romanorum Legislatores liberos sub parentum potestate, & eorum seruos esse iubent, & liberos suorum bonorum non esse dominos, sed patris, donec in libertatem asserti fuerint liberi, eodem modo quo hi, qui ære comparantur, serui, alij verò hunc morem velut tyrannum repudiarunt.*

25 Et eodem respexit *Tacitus*, † qui velut imminutam, aut Romana minorem patriam potestatem Iudæorum notans, ait *lib.5. Historiarum: Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis nefas.* Quo loci *Lipsius* (vt hæc non omittam) ignoratione Iuris Ciuilis *gnatis* loco dictionis *agnatis* incassùm reponi vult, & prædicta *Taciti* ad solam expositionem malè conatur reducere, vim illis manifestam inferens: & consimilibus eiusdem *Taciti in lib. de moribus Germanorum*, dicens: *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plúsque ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges.*

Quæ omnia planè plenéque demonstrant ius patriæ potestatis (quod Romanorum proprium est) ab ipso ciuitatis Romanæ exordio originem traxisse, vt notauit *Rauard. ad leges xij. Tabul. cap.3.* Qui ibidem disertè probat patriam istam Romanorum potestatem ad Ius Ciuile referendam, quãuis aliàs obsequium parentibus debitum, & eorum in filios qualisqualis ditio iuris sit naturalis & gentium, *l.2. ff. de iustitia & iure, Plinius in Panegyrico: Intuitus, opinor, vim legémque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos iussit.* Et ex *A. Gellio li.2. Noctium Attic. cap.2. & 7.* optimè confirmat *Pat. Ioan. Azor* (aliis pluribus huius propositi adductis) *2. par. Institution. Moral. lib.2. c.21.* Sed hæc non vetant, quin alia atque alia apud diuersas nationes parentum in liberos maior minórve fuerit potestas, & longiore breuioréve tempore perdurans, iuxta tradita ab *Hotmano in disputat. de ritu nupti. cap.33. Pet. Gregor. libr.11. syntagmat.* ex *capit.5. Conti. lib.1. lection. capitul.4.* & *libr.2. capit.11.* & *de clandest. matr. cap.2.* nouissimè *D. Franc. Hieron. Leo decisione Valentina 55.* vbi notat in Regno Valentiæ filium matrimonio inito, etiam ante nuptiales benedictiones, à patria potestate liberari; quod secùs est in his Regnis, ex *l.47. Tauri*, quæ est *l.8. titul.1. libr.5. Recop.* iunctis his quæ tradit *Anton. Gomez* in d. *l. Tauri, numero 2.* & alij.

Apud Romanos verò illa absoluta patria potestas adeò inualuit, vt & media † arrogatione nouo fictóque 26
patri eadem verè concederetur, *Cicer. in Oratione pro Domo sua ad Pontifices: Credo enim quamquam in illa adoptione legitimè factum est, nihil tamen te esse interrogatum, auctórne esses, vt in te P. Fonteius* VITÆ, NECISQVE *potestatem haberet, vt in filio*, A. Gellius libr. 15. Noct. Atticarum capite decimo nono. *Arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba hæc sunt: Velitis, iubeatis, vti Lucius Valerius Lucio Titio, tam iure, quàm lege filius fiet, quàm si ex eo patre, matréque familias eius natus esset. Vtique ei* VITÆ, NECISQVE *in eum potestas fiet, vti pariendo filio est: hoc ita vt dixi, ita vos, Quirites, rogo.*

Ab

Ab his (ad nostra deuenientes)
factum, vt parentes, quorum licen-
tia in oppignerandis, venundandis,
& occidendis liberis adeò excreue-
27 rat) liberos ad libitum † exponerent,
vt colligitur ex *Seneca in controuersiis*,
& *Quintiliano* auo *in declamationibus*
(*inferius* inter alia sæpè referendis)
Idque temporibus etiam priorum Im-
peratorum adhuc viguisse facilè col-
liges ex *Suetonio in Claudio, cap.27.* &
clarius *in Caligula, ca.5.* vbi partus con-
iugum in morte Germanici præ tristi-
tia expositos enarrat. Et vsque ad tem-
pora Imperatorum Christianorum,
parentibus licuisse filios & in necem
exponere, firmat *Casaubon. in not. ad
Sueton. in Claudio, cap.25.*

28 Quòd si opponas de alia notissima
Romuli lege, † expositiones compes-
cente, ab *Halicarnaseo* relata d. *libro*
2. (vbi *Romulus* inquit: *primùm necessi-
tatem colonis imposuit educandi quid-
quid esset masculum, & è filiabus primo-
genitas: nullam autem prolem necare per-
misit minorem triennio, nisi si quid mu-
tilum, aut aliquid monstrosum in ipso
partu esset editum: tales enim fœtus ex-
poni à parentibus non vetuit, sed ostensos
prius quinque viris è vicinia proximis, si
illi quoque exponendos esse censuissent:
Si quis contra hanc legem committeret,
præter alias multas, etiam dimidiam bo-
norum partem addixit Ærario publi-
co*) Respondetur, prædictam *legem* in
desuetudinem abiisse, & amplissi-
ma magnisque aucta fauoribus patria
Romanorum potestate oblitteratam:
vt quæ eidem magno essent præiu-
dicio.

Ex quibus obiter planéque depre-
hendes, hanc *Romuli legem* expositio-
nibus liberè faciendis in causa non
fuisse, vt plures putant, cùm potiùs
eas coarctauerit, & certis casibus per-
miserit, & in aliis vetitis pœnas indi-
xerit, vti à serie enarratorum, & in re
communi noue per nos notatorum
apertè deducitur.

Id demum vnum dictis addimus, † 29
mirandum non esse, si Romulus (qui
& ipse expositus fuit immaniter & ad
mortem, nisi vt ait *Manilius libro 4.
Astronomicon.*

*--Lupa proiectos nutrisset Mártia fra-
tres)*

expositionem coërcuerit, eamque ve-
lut odio insequutus fuerit, insontes
filios (ac sunt minores triennio) à li-
bera alioqui parentibus potestate in
eos concessa meritò subtrahens. Fi-
lias verò præter primogenitas, ideò
† expositioni, & internicioni suppo- 30
suisse par est credere, quia prioribus
Romanis, res bellicas apprimè atten-
dentibus, fortè an impedimento e-
rant, vt comprobari videtur ex traditis
à *Petr. Gregor. libro 15. de Republ. capite 1.
num.16.*

Monstrosorum verò & mutilorum,
siue debilium expositionis à Romulo
permissæ rationem † apperit *Seneca* 31
libro 1. de Ira cap.15. dicens: *Liberos quo-
que, si debiles monstrosique editi sunt,*
* MERGIMVS, *Non ira, sed ratio est, a
sanis inutilia secernere*: prosequitur la-
tius alter *Seneca* Pater *lib.4. controuers.*
33. Et ante istos *Aristot. lib.7. polit. cap.*
16. legem illam huius propositi patra-
uerat: *De exponendis autem vel tollendis
partubus lex esto, ne quid mancum, aut
debile alatur.*

* *Alij legũt* abigimus, *Lipsius in notis* abiicimus.

Et de fœminis (vt quid graue & mo-
lestum abiectis) exstant (vt ad eas re-
uertar) illa *Menandri* apud *Stobæum in
Florilegio tit.77.*

Χαλεπὸν γε θυγάτηρ κτῆμα, καὶ δυσδιά-
θετον
Υἱὸν τρέφει, πᾶς κἂν πένης τὶς ὢν τύχῃ,
Θυγατέρα δ' ἐκτίθεισι, κἂν ᾖ πλούσιος.

*Filia molestum, incommodúmque pecu-
lium,
Quantumuis inopes filios tollunt omnes,
At filias exponunt etiam diuites.*

Vnde *Apuleius lib.10. Metamorph.* siue *de asino aur. Maritum habuit, cuius pater peregrè proficiscens, mandauit vxori suæ matri eiusdem iuuenis (quòd enim sarcina prægnationis oneratam eã relinquebat) vt si sexus sequioris edidisset fœtum, protinus quod esset editum necaretur.*

32 Omnibus enim † temporibus (vt hæc nostræ thesis propria per transennam notem) etiam parturientes ipsæ (quæ ex lege naturæ sibi similius exoptar debebant) solitæ fuerunt filium potiùs quã filiam à Dijs petere, *Plaut. in Amphitr. act. 2. scena 2. vers. 85.*

SO. Amphitruo, speraui ego istam tibi parituram filium.
Verùm non est puero grauida. AM. quid igitur? SO. Insania.
AL. Equidem sana sum, & Deos quæso, vt salua pariam filium.

A quo fiebat apud *Achmetem Oneirocriticorum c. 126.* εἰ δὲ ἐκ ἐγκύμον, καὶ θεάσεται ἄῤῥενα, εὑρήσει θλῖψιν, ἢ λύπην μεγίστην: *Si qua marem peperisse somniasset, cùm grauida non esset, magnum sanè ex somno mœrorem ærumnámque percipiet.*

Sed cùm nullus sit amor, qui non vincatur à paterno: & semper pro salute filiorum optimum consilium parentes capiant, *l. fin. C. de curat. furiosi: Cunctis* enim *hominibus filij sunt ipsa anima*, vt ait *Philostratus* ex *Euripide lib. 2. cap. 8.* quinimò patres magis illorum angustiis & doloribus terrentur, & afficiuntur, quàm propriis, *l. isti quidem, in fin. D. de eo quod met. caus. factum erit.* Hinc omni tempore factũ

33 † & apud omnes peræquè gentes obseruatum est, vt parentes legi naturæ obsequentiores liberos omnes terra impositos susciperent, fouerẽt, & sinu suo superimponerent. Quo sanè signo Romani omnium præcipuè spem familiæ, & hæredem habere innuebant. Et ab hoc ritu ita se res apud eos habebat, vt non aliter liberi haberentur legitimi, nisi pater præsens, vel eo absente procurator pro eo infantes è terra tolleret atque leuaret, *Donat. in Andria actu 3. scena 1. Lactan. lib. 1. Diuinar. instit. d. cap. 16.* vnde *Iuuenal. de* his qui natos tollunt, & *legis Papiæ Popeæ* pœnas vitare curant, ita ait *Satyra 9. vers. 84.*

Tollis enim & libris actorum spargere gaudes,
Argumenta viri, foribus suspende coronas,
Iam pater es, dedimus quod famæ opponere possis,
Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, necnon & dulce caducum.

Leuatione ergo filius familiæ successor & velut hæres omnium bonorum suscipientis & tollentis declarabatur; Plautus in *Truculento actu 2. scena 4. vers. 5.*

Si quod peperisset, id educarem & tollerem,
Bona sua me habiturum omnia.

Tacitus in vita Agricolæ: *Auctus est ibi filia in subsidium simul & solatium, filium ante sublatum breui amisit.* Quint. Curt lib. 9. *Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque.* Seneca libr. 2. controuers. cap. 9. *Diues sustulit vnum filium, non fuit contentus: quid enim erat diuiti vnus? tres sustulit: potérat vnum in adoptionem dare. abdicabit vnum: alterum tertium: iam nihil dicunt: superesse putatis. quartum abdicat.*

Dein leuatio ista in causa erat, vt quis à captatoribus alienarum hæreditatum (quos appositè vultures cadauera exspectantes vocauit Seneca) liberaretur, *Iuuenalis Satyra 6. vers. 38.*

Sed placet Vrsidio lex Iulia; tollere dulcem

cogitat

Cogitat hæredem cariturus turture magno,
Mullorumque iubis & captatore Macello.

Sed & cœlibum & orborum notam hoc modo effugiebant, & simul pœnas.

Et ab his contrarium morem Crotoniensium ciuium notat Petroni. in Satyr. cùm ait: *In hac vrbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos hæredes habet: nec ad scenas, nec ad spectacula amittitur: sed omnibus prohibetur commodis: inter ignominiosos latitat: qui verò nec vxores vnquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perueniunt, id est soli militares, soli fortissimi atque etiam innocentes habentur.* Quasi diceret istis, susceptus filius dedecori damno & fraudi est, cùm apud Romanos nil præclarius, nil homine libero dignius sit.

Ob idque in eorum legibus frequentissimum est nomen *suscepti filij*, quo hæreditatis necessariò deferendæ suc-
34 cessor denotatur. Et hinc (præter omnes) † penitiùs intelliges *Modestini* illa verba *l.25.ff.de ritu nuptiarum: Filius emancipatus etiam sine consensu patris vxorem ducere potest, &* SVSCEPTVS *filius ei heres erit*, & Gordianum in *l.si contr. 6.C.de nuptiis: Liberos* SVSCEPTOS, *natosque ex iusto matrimonio legitimos esse*, & Imp. *Probum* in *l.si vicinis 9.C.eod. Non ideò minus veritas matrimonij aut* SVSCEPTÆ *filiæ suam habet potestatem.* Et ita euitabis correctionem insulsam *Antonij Contij* à Gothofredo relati in d.*l.6.C.de nupt.* qui pro *susceptos natosque* legit *conceptos natosque*, phrasi sanè deuia, impropria, nec admittenda, ex traditis à *Cuiacio lib.15.obseruat.cap.25.ad fin.* vbi nomen Συλληφθέντας (quo Græci vtuntur, & Contius fuit deceptus) interpretari posse ait, non minùs *susceptos*, quàm *conceptos*: quod mihi mirè comprobat *Budæus in commentar. linguæ Græcæ fol. 478. in princ.* vbi verba συλλαμβάνω, & συλλαμβάνομαι, non solùm pro *concipio*, καὶ κυῶ vsurpari, sed & pro *suscipio* asserit, nixus auctoritate *Platonis libr.2.de legib.* in verbis ibi per eum relatis.

Hoc verò vnum *Cuiacium* & cæteros latuit in d.*l.6.C.de nuptiis*, & aliis iuribus *s. adductis*, & in *l.ex facto 17.§. ex facto, ff.ad Trebellian.* (quem ipse allegat, & alibi) Consultos & Imperatores vsos fuisse illis verbis: SVSCEPTVS FILIVS, SVSCEPTA FILIA, sumpta metaphora à ritu prædicto leuandi, & è terra tollendi recèns natos, vti *Cicero 5.in Verrem*, dum ait: SVSCEPERAT *enim liberos non solùm sibi, sed etiam patriæ*, & in Familiaribus: *Cùm beatissimi sint, qui liberos non* SVSCEPERVNT, & ad Atticum: *Atque vtinam* SVSCEPTVS *non essem.* Tacit. lib.2. Annal. *Ducere vxorem,* SVSCIPERE *liberos, ne clarissima familia extingueretur.* Virgil. 4. Æneid.

Saltem, si qua mihi de te SVSCEPTA *fuisset*
Ante fugam soboles, si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tamùm ore referret.

Et omnium istorum melius nostram sententiam comprobat *Terent. in Andria*, vbi (pòst quàm futuræ leuationis infantis, quem Glycerium erat enixura, mētionem fecisset, vsus verbo prædicto *tollere*, in locis iam per nos relatis *num.6.* eiusdem dramatis) Pamphilum, *act.2. scena 3.* sic inducit loquentem:

Nam pollicitus sum SVSCEPTVRVM.

quasi diceret, sese, ab ea nasciturum, agniturum filium.

Sed & prædictæ leuationis olim vsitatissimæ varia † passim apud Anti- 55
quos inueniuntur testimonia, à Cultioris Notę Viris frequenter adducta:

vt illud *Statij lib.2.sylu.1.*

——raptum sed protinus aluo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutatum dominus sibi mente dicauit:
Amplexusque sinu tulit, & genuisse putauit.

Idem *lib.1.sylua 2.* & iterum *lib.5.sylua vltim.* & *libr.1.Thebaid.* Ita vt Poëta iste præ cæteris multus sit in hoc ritu, vt notat *Dempsterus* ad *Rosinum libr.2. cap.19.*

36 Demum hanc sublationem † (quæ patri & matri communis erat, *Donat. in Andr. actu 3 scena 1. Pareus in elect. Plantinianis*, d. verbo *natiuitatis*, & clarè colligitur ex *Statio* & aliis iam relatis, & clariùs ex *Fabio Quintiliano declamat.306. Quòd concepit, quòd sustulit*) Deæ LEVANÆ Antiqui dicabant, quod media leuatione, terra statuti vel expositi, fierent salui, vt post alios notat *Dempsterus* s. *Bulenger.* d. *li.3. de Imperat. Rom. c.18.*

Qui verò à parentibus non suble-
37 uabantur ἀπάτορες, † & veluti relicti reputabantur: & ab his, qui eos extollebant & educabant, detinebantur vsquedum parentes educatoribus alimēta integrè exsoluebant, *Seneca libr.4. controuers.26. Pete quantumuis pro disciplinis, imputa quantumuis pro alimētis, licèt plus petas, dum ne minus reddas.* Idem *lib.9. controuers.3. Expositum qui agnouit, solutis alimentis recipiat*, & apud *M. Fab. Quintilianum* auum *declamat.* 278. patri filium expositum vendicanti educator obiiciebat: *Recipere illum, nisi solutis alimentis non potuisti.* & iterum *in fine declamationis: Hac fiducia alimenta soluisti, computas mecum, vt expositum receperis, & lucrum feceris.*

Dixi expositos ab educatoribus de-
38 tineri: quod velim intelligas † ita vt nuda tantùm detentio pro alimentis daretur, non verò dominium in expo-
sito, qui ante sumptus solutos in sacris remanebat patris: nec enim expositio inter modos liberandi filij à patria potestate refertur à *Iustiniano* in *libr.1. institution. tit.12. quibus modis ius patriæ potestatis soluitur*: nec etiam vllibi in iure (vsque ad *Constantini legem 1. titul. 7. lib.5. C. Theodos.* j. elucidandam) expositio annumeratur inter modos inducendæ seruitutis. Hoc clarè comprobatur ex *l.2. C. de ingen. manum.* vbi ita apertè decidit Imperator *Gordianus*: & post eum *Diocletianus & Maximianus* in *l. patrem 16. C. de nuptiis*, quò loci patris consensum in filia exposita matrimonio coniungenda educatoris filio Imperatores isti exposcunt: quod nulla alia ex causa fieri potuit, nisi quòd filius patriæ potestatis nexibus suppositus matrimonium Iure illo Ciuili sine consensu patris inire non poterat, *l. Paulus*, cum ibi notatis, *ff. de statu homin.* Nam si expositus filius seruus fieret educatoris, nec matrimonium contrahere posset, *Vlpian. in fragm. tit.5. §.4.* cum aliis adductis s. in *c.2. §.1.* à *num.*170. circa interpretationem *textus* in §. *posthumus, vers. nisi in vtero, institution. de legatis.* Neque enim credere par est, educatorem, de quo in d. *l. patrem*, filium suum ancillæ aut libertæ matrimonio collocaturum.

Nec quidquam ages, si cum eruditissimo *Solorzano in disput. de parricid. lib.2. cap.5.* dicas, abiectione & expositione filiam à patria potestate liberari, sed tamen consensum patris ibi requiri attenta reuerentia ipsi iure naturæ debita: nam si filia expositione sui iuris esset effecta, matrimonium dubio procul inscio vel inuito patre contrahere posset, d. *l. filius 25. ff. de ritu nuptiar.* dict. *l. Paulus, ff. de statu hominum.* cum ibi notatis. Supponunt ergo Imperatores in d. *l. patrem* expositione filium vel filiam non liberari à patria

tria potestate. Id quod clariùs denotasse videtur *Quintilian. declamat.* 376. (thesi dictæ *l. patrem* valdè consimili) agit enim ibi de exposito, qui educatori iuramento promisit filiam ab eo relictam ducturum vxorem, qui de naturali patre, quòd orbam diuitem ducere nollet, abdicante, ita conqueritur: *Abdicat tam citò? si non eram idoneus, non eram recipiendus. Tam exiguo tempore quid peccare potui? etiamsi quid peccaui, ignosce. nondum noui mores tuos. Nouitiis etiam seruulis ignoscitur. Sed quid obiicis. Vxorem, inquit, non ducis, quam volo. Quid tum? nescis nostri arbitrij esse matrimonia? affectus nostri vobis non seruiunt. Non potes efficere imperio, vt vel amem quem velis, vel oderim. Matrimonium verò tum perpetuum est, si mutua voluntate iungitur. Cur ergo quæratur mihi vxor, socia tori, vitæ consors, in omni seculo mihi eligenda est, alioquin quid proficis inuitum cogendo? repudiabo. At enim, inquit, legè cogeris orbam ducere. Quid? tu illius patronus es? sine me illi respondere. Si potest, legè illa cogat. interim noli mihi* PATRIAM MAIESTATEM *opponere. Sed nimirum non potest cogere, & ideò non cogit. Alioquin forsitan illi responderem, non habere orbas priuilegium, sed vacuis inducere nuptias non occupatis. Quid ergo, inquit, orbam non ducis? Gaudeo, pater, quod misereri fortunæ potes, & hæc orba est, & hæc patrem perdidit. Fortuna similis, indulgentia prior est. In eadem domo educati sumus: noui mores, probo verecundiam, probo genus. Quid si mihi à patre commendata est? quid si rogatus sum? quid si iuraui? vis me fidem non præstare? & cui? qui me sustulit, qui patrem egit, qui te mihi patrem dedit: quemadmodum rogauit, non est quod dicas. Ego cogo, æquè tamen periero. Et quales futuræ nuptiæ, quæ periurio iunguntur?* Quibus sanè (aliisque similib. ab isto edisertis *declam.* 278.) nihil appositius dici potuit in proposito, & sententię, quam adstruimus conuenientius.

Sed adhuc eadem apertior fiet consideranti ex d. *l. Constantini* (qui post istos rexit Imperium) nouè statutum in pœnam immanis expositionis, quòd, expositi fierent educatoris, omni repetitione parentibus denegata, vt j. latè notabimus.

Et hac verissima interpretatione attenta ad d. *l. patrem* facilè refelles quæ *Iacobus Cuiacius* & *Osualdus* j. referendi *num.* 123. excogitarunt. Et demum eam facilè comprobabis ex *l. codicillis* 34. §. *qui Semproniam, ff. de vsu, & vsufructu legato, l.* 11. *C. de pactis conuentis, l. nutrioribus, Cod. communia de successionibus.* cum aliis iuribus postmodum referendis, quæ alumnos expositos clarè supponunt liberos & ingenuos esse, vt latiùs paulò j. comprobabitur.

Sed à *textu* in d. *l. patrem,* non priùs discedam, quàm verba illa: *In hoc solummodo casu* (quæ in aliquibus Codicibus non inueniuntur, & in emendatioribus, appositis virgulis sunt notata) parum aptè in *textum* irrepsisse annotauerim: quod facilè suadebitur cōsideranti ea quæ ex *Seneca* & *Quintiliano* proximè expendimus: & phrasim illam, modúmque loquendi omnino alienum ab eleganti sermone & contextu illius legis, & aliarum priorum Imperatorum.

At in seruis expositis diuersa res erat: † hi enim efficiebantur educato- 39
ris, si à domino scienter abiicerentur recèns nati. Cùm autem eo inuito vel ignorante partus ancillæ expositus fuisset, repetere eum dominus non prohibebatur, si ea quæ in alendo cōsumpta fuerunt, restitueret, vt statuit *Alexander* Imperator in *l.* 1. *C. de infantib. expositis.* Vt inde meritò distinguas causam filiorum & seruorum ex-

positorum, illo iure antiquo attento: ita vt illi nunquam fiant educatoris, qui sumptibus à patre restitutis filios detinere non potest: hi verò educatoris fiant omnino, si à domino sciente fuerunt expositi: eo verò ignorante, vel inuito non ita, sumptibus tamen persolutis.

Nec dictis circa partum liberum expositum in seruitutem non redigendum obstabit *textus* in *l. obligatio-*
40 *ne generali*, † ibi: *Vel quæ ad affectionem eius pertineant*, & in *l. denique* 8. ibi: *Alumnos constitit generali obligatione non contineri, ff. de pignoribus.* (quæ eundem habent Auctorem *Vlpianum*, & eodem loco) & in *l.1.* ibi: *Alumnos tuos, & cæteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, C. quæ res pignori obligari possunt*, & in *l. in testamento* 38. ibi: *Alumnæ suæ libertatem & fideicommissa dedit, ff. de fideicommissar. libertatibus.* & in *l. si quis* 26. *C. de nuptiis*, ibi: *Alumnam suam libertate donauerit*, & in *§. fin. tit. 6. libr. 5. Sententiar. Pauli*, ibi: *Omnibus bonis quæ habet quæque habiturus est obligatis, nec concubina, nec filius naturalis, nec alumnus, nec quæ in vsu quotidiano habet, obligantur*; & in *§. iustè, institution. quibus ex causis manumit. non lic.* ibi: *Alumnum, alumnamve, aut collactaneum manumittat*: iuncta interpretatione *Gothofredi* in d. *l.1.* & *Ioannis Parai in electis Plaut.* verbo *Vniuersitatis*, qui existimant alumnos in iure θρέπτους esse, id est, qui liberè nati expositi sunt (de quibus agit *Plinius Secundus*, j. referendus) Nam istorum subauditio ad dicta iura sustineri non potest. Est enim longè verius verbum, ALVMNVS, latè patere: nam *alumnos* (vt ait *Nonius Marcellus de proprietate sermon. lib. 4.*) consuetudo, quos alas, vel educes, vel eos qui aluntur, dici vult. *Virgil. lib. 2. Nec Romula quondam vllo se tantùm tellus iactabit alumno.* *Marc. Tull. in Verrem de suppliciis: Italiæ autem alumnum suum seruitutis extremo, summóque supplicio fixum videret.* Varr. *Sexquiulisse, nisi quòd lupam alumni fefellerunt olim, &c.* Adde *Q. Curtium lib. 3.* vbi Philippum Medicum, custodem salutis Alexandro datum, eius *alumnum* appellat. Idémque sentit *D. Isidor. libr. 10. Etymolog. littera A.* & comprobatur variis Iuris Ciuilis locis; maximè in dict. *l. codicillis* 34. § *qui Semproniam, ff. de vsu, & vsufructu leg.* d. *l.1. C. de pact. conuent.* d. *l. nutritoribus* 10. *C. commun. de successionib.* *l. Nesennius* 32 §. *similis, ff. de excusation. tutor.* *l. vxorem* 29. *ff. de manumiss. testamento*, *l.1. §. sed nec in alumno, ff. ad Senatusconsult. Syllanian.* *l. Lucius* 88. §. *Lucius, ff. de legat. 2.* *l. 3* §. *si cum ff. de libero homine exhiben.* *l. iniquum* 17. *C. de his qui accus. non possunt.* Ex quibus iuribus (à me primo in vnum collatis) & aliis à *Tiraquello* relatis in *l. si vnquam, verbo susceperit liberos, numer. 53. C. de reuocand. donationib.* (iunctis cum d. *l.* 9. & 8. *ff. de pignor. l.1. C. quæ res pignori obligari poss.* & aliis *suprà* citatis) planè deprehenditur, verbum *alumnus* adaptari posse tam liberis & ingenuis (quales sunt ab educatore suscepti, de quibus in dict. *l. codicillis*, §. *qui Semproniam*, cum aliis proximè expensis) quàm seruis domi natis (quales sunt vernæ) A quibus in hoc tantùm differre video, quòd *vernæ* ex *M. Varrone* & *Sex. Pompeio Festo*, hi erant qui in villis Vere (quod tempus, duce Natura, fœturæ est) nascebantur: alumni verò erant, qui quoque anni tempore, siue in ciuitate, siue ruri. De his ergo intelligendi sunt *textus* in dict. *l.6. & 8. ff. de pignoribus.* cum similibus *suprà* in obiectionis principio expensis: quæ ex dictis planè diluitur.

Et

Et multò euidentiùs, si consideres, *Iustinianum* (qui expositis plenam libertatem concessit, & ingenuitatem conseruauit in d.*l.3. C.de infantib. expositis*,& in d.*Nouella* 153.) alumnæ libertatem proposuisse donatam in d.*l. si quis,C.de nuptiis*: quod sanè omnes coget nostram sententiam probare, dũ alumnorum alios ingenuos, alios seruos esse adstruimus contra *Cuiacium* d.*§.fin.lib.5.tit.6.Sentent.Pauli*, & *Gothofr.*in d.*l.1.C.quæ res pignori*. Qui planè decepti sunt vnam & eandem putantes causam omnium alumnorum, cùm possent & alumni ingenui diuidi in expositos & familiares, & alios quoscunque à prima ætate pietatis ductu educatos, vt colligitur ex dictis iuribus.

Illud demum his quæ de alumnis dicta sunt (vt in re omnium maximè huius propositi) addere liceat, ingenuos expositos (qui educatorum serui iure communi non fiebant) eisdem reuerentiam debere. Habebant enim Antiqui expositos liberorum loco, vt apertè colligitur ex *Seneca l.br.5. controuers.33.* & apertissimè deducitur ex *Quintiliano* auo *declamat.*358. vbi nutritor *pater* appellatur, & expositus *filij* loco habetur: & nutritorem pulsans eadem lege, qua filius patrem percutiens, tenetur, vt probatur in d.*l.3.§.si tum,ff.de libero homine exhiben.* d.*l.Lucius 88.§.Lucius,ff.de legat.2.* d.*l.1. §.sed nec in alumno, ff.ad Senatusc.onsult.Syllanian.* Quorum iurium decisiones hac sola innituntur dubitandi (vt aiũt) ratione, vt ex eorum contextibus patet. Et inde erat, vt alumni isti, vel expositi nutritoris nomine condecorarentur, vt ex d.*l.Lucius,§.Lucius* notat *Cuiacius* in d.*§.fin.lib.5.titul.6.Sentent. Pauli*. Et ab iisdem fiebat, vt eum accusare nequirent, d.*l.iniquum,Cod.de his qui accusare non possunt,l.3.tit.20. part.*4.(quę constitutionem *Arcadij* & *Honorij* in *l.si quis ex familiarib.20.Cod. eod.titul.* immiscens cum alumnorum causa) eos capitis pœna plectendos ait, quo casu ex sua accusatione educator vitam, membrum, famam, aut maiorem partem bonorũ amiserit: quod menti tenendum dixit *Gregor. Lopez* in d.*l.3.partita,glos.*4.(vbi alia singularia in fauorem educatorum sunt constituta), & meritò: cùm isti omnia ferè in alumnis opera charitatis exerceant, vt piè notauit *Perez de Lara li.1.de anniuers.c.21.nu.*68. Et sanè educatorum, patrúmque in filios consimilis adeò erat causa in iure, vt aptissimè *Diocletianus* & *Maximianus* ad tollendum omne dubium in d.*l.nutritorib.C.commun.de successionib.* nutritoribus (hoc nomine) nec Ciuili, nec Honorario Iure deferri hæreditatem expressè statuerint.

Non tamen probo *Cuiacij* sententiam in d.*§.fin.* dum, alumnorum causam amplians, putat dict.*l.Nensenius vers.similis,ff.de excusation. tutor.* fauori educatorum speciali prospexisse: cùm potiùs *textus* ille clarè tantùm demonstret, tutores à quibusuis designatos alumnis, aut aliis, quibus bona sua relinquunt, confirmari debere.

Sed multò minus sustineri potest *Tiraquell.*in d.*l.si vnquam,* verb.*susceperit liberos,nu.*53.vbi legatum alumno in minus solemni testamento relictum valere ait. Et valdè notandi *Cuiac.*s.& *Gothofredus* eum referens, transferénsque, in d.*l.1.C.quæ res pignori oblig.poss.* existimantes etiam hæreditatem alumnis relinqui posse in testamento minus perfecto, ex dict.*l.in testamento 38.ff.de fideicommissar. libertat.* vbi tale quid *Paulus* eius legis Auctor nec expressit, nec sensit. Loquitur enim tantùm de libertate (in iure val-

dè commendata, ex dictis per nos in *c. præcedenti*) ex æquitate & rescripto Imperatoris à legitimis hæredibus alumnæ concedenda. Sed præ cæteris sunt explodenda quæ de successione nutritorum in bonis expositorum existimauit *Perez de Lara lib. 1. de anniuer. cap. 21. num. 76.* contra *l. nutritoribus, C. commun. de successión.* & contra *gloss.* ibi, & *Baldum* (quem allegat in *l. si qua illustris numer. 6. C. ad Senatusconsf. Orfician.*) diuerso in casu loquentem: & contra *Vincent. de Franch.* (ab eodem relatum) *decis.* 198. qui totum contrarium tenet & resoluit ibidem *num. 6. &* 7. & insuper de successione expositorum ab intestato morientium agit: & fisco deferendam, si pater notus non sit: strenuè sentit *num.* 4.

Secundo loco, his quæ adstruimus circa illæsam expositi partus ingenuitatem ante *legem Constantini* (ĩ. expen-
41 dendam) obstare videtur *Seneca* † *lib. 5. d. controuers. 33.* in illis verbis: *Expositi in nullo numero sunt, serui sunt, hoc Legumlatori visum est.* Ex quibus *Lipsius epist. 85. ad Belgas, cent. 1.* & alij ĩ. referendi, intrepidè asserunt, liberos expositos seruos effici educatoris, quòd si verba ciuilia calluissent, dubio procul & subsequentia illa eiusdẽ controuersiæ expendissent: *Reipublicæ læsæ non potest agi eorum nomine, qui extra Rempublicam sunt*: quæ themati controuersiæ correspondent. Proponebatur enim ibi quendam expositos debilitare solitum, & debilitatos coëgisse mendicare, mercedem ab eis exigendo: quo casu quærebatur à Seneca: *An Reipublicæ læsæ daretur actio?* & in verbis ŝ. relatis eam Reipublicæ denegat eorum nomine, qui extra Rempublicam sunt, id est, serui sunt, & ἀκέφαλοι, & ἀπρόσωποι, vt memini me annotasse in *c. 2.* Id quod (post ista nostra) video perpendisse *Pat. And. Schottum in notis ad* d. *controuers. 33.* vbi & illa eiusdem controuersiæ expendit: *Hæc nulla Reipub. pars est, non in* CENSV *illos inuenire, non in* TESTAMENTIS: & mox illa: *Nec lædi potuit Respublica in eis, quos non habebat.*

Sed hęc (quæ Grammaticis, & quibusque cultioris litteraturæ amatoribus indissolubilia fuerunt) remorari nos non debent (qui iuris principia, eiúsque certas decisiones omnino non ignoramus) à præposita resolutione. Et *Senecæ* facilè respondemus, considerantes, verba præallegata posita ab eo fuisse in defensione præhabita educatoris: quem tandem iudices magnis cruciatibus affici iusserunt. Quin idem *Seneca* eadem *controuers. 33.* dum patres Reipublicæ læsę ageret, debilitantis expositos scelus incusat, dicens: *Quo scelere factum est, ne læsi patres liberos suos aut agnoscant, aut recipiant*: & iterum: *Effecit scelestus iste, vt nouo more nihil esset miserius expositis, quàm tolli: parentibus, quàm agnoscere.* Quibus locis, & aliis expendendis in *num. seq. Seneca* patriam potestatem in patribus expositorum conseruari indicat. Idem clariùs denotat idem *lib. 4. d. controuers. 26.* in verbis illis: *Si meos filios hæredes facere non possum, tuos faciam.* Et illis insuper eiusd. *controu. ŝ.* expensis. *Pete quantum vis pro disciplinis, imputa quantumuis pro alimentis,* &c. vbi *Hispo Romanus* inuehitur in *patrem crudeliter exponentem, & perfidè recuperantem*, & vnum è gemellis expositis educatori contra legem & pactionem initam denegantem: clarè supponens patriæ potestatis nexibus expositos illos subesse. Hoc ipsum sentit & repetit dictus *Seneca li. 9. controu. 3.* (quę eadem ferè est cum d. *controuer. 26. li. 4.*) & subinde illis verbis: *pro educatori Gallio hunc colorẽ sequutus est, si miseri-*

misericordia motum: & illis: *Æquum est, vt cum alienis diuidamus liberos, quos non diuidimus cum matribus?* quasi strictum ius sit pro patre vendicante.

Quid quòd *Seneca* his suis controuersiis plura comminiscitur à iuris regulis & dispositionibus deuia, à Græculis & Romanis (Iuris Ciuilis forsan insciis) decisa (quæ certè non inuenies *in declarationibus Quintiliani* aui) vt inde à propositionibus prædictarum controuersiarum non liceat iuris certas resolutiones assumere: maximè vbi iuris decisiones apertè cōtrarium statuunt, vt in thesi quam persequimur.

Deniquè propositæ nostræ assertioni, quæ habet, expositione patriam potestatem non amitti ante *legem Cōstantini*, non obstat responsum *Traja-*
42 *ni* † *ad Plinium Secundum*: quod in expositorum miseram & seruilem conditionem expendit nouissimè post alios *Schottus in notis ad* d. *controuers.* 33. & nodum quidem velut indissolubilem continere videtur. Cùm enim Plinius Ponti & Bithyniæ Proconsul esset, magna ibi super expositis collectis, vel sublatis, quos Græci θρέπτους appellant orta quæstione circa eorum conditionem, & alimentorum repetitionem, Imperatorem consulit *Epist.* 70. *lib* 10. vt deinceps in illa Prouincia obseruandum statueret: cui Trajanus *Epist. seq.* ita respondit: *Quæstio est, quæ pertinet ad eos, qui liberi nati expositi, deinde sublati à quibusdam, & in seruitute educati sunt, sæpè tractata est: nec quidquā inuenitur in cōmentariis eorum Principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes prouincias sit constitutum: Epistolæ sane sunt Domitiani ad Auidiū Nigrinum, & Armenium Brocchum, quæ fortasse debebant obseruari: sed inter eas Prouincias, de quibus scripsit, nō est Bithynia: & ideo nec assertionem denegandam his qui ex huiusmodi causa in libertatem vindicabuntur puto: nec ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.* ¶ Sed certè tam proposita quæstio, quàm eius resolutio & decisio velut clarè demonstrant Romæ (vbi ingenuorum status insignibus erat priuilegiis cohonestatus: & patriæ potestatis maxima præ cæteris gentium vis ex dictis proximè) expositione eorum, qui liberi nati fuerunt, patriam potestatem non amitti simul cum libertate & ingenuitate, ac cæteri supponunt. Ex quo enim apud Romanos aliter sese res illis temporibus habebat, quàm insequentibus Constantini, Plinius (quem legum morumque suæ patriæ nullus inscium credet) meritò hæsitauit, An idem ius in Bithynia, cui præsidebat, esset obseruandum? Pòst quàm quæsitis super eadem re Edictis priorum Imperatorum nihil certi, quod ad illam suam Prouinciam attinebat, dispositum adinuenerit. Et hisce Imperator respondit: *Assertionem non esse denegandam his, quæ ex huiusmodi causa in libertatem vindicabuntur*, planè denotans, vindicata libertate hos expositos nec vnquam fuisse omnino destitutos. ASSERTIONEM verò illis concedendam dixit, quia tunc proclamanti in libertatem opus erat ASSERTORE, qui suo periculo causam ageret, & satisdaret iudicio sisti, *l.* 1. *tit.* 8. *de liberali causa lib.* 4. *Cod. Theodos.* Id quod perdurauit vsquedum *Iustinianus* prosusoriam & dicis causa institutam assertionem arrogauit in *l.* 1. *C. de assertione tollenda.* Ecquis credet cum in Prouinciis dubitabatur, An expositione libertas & ingenuitas deperderetur, Romę certum, firmumquè fuisse contrarium eius quod Trajanus in Prouinciales Bithyniæ declarauerat, & ante eum Domitianus in rescriptis (quorum meminere *Plinius*

& Trajanus suprà) ad Auidium Nigrinum & Armenium Brocchum aliarum Prouinciarum Proconsules statuerat?

Et ab his sanè facilè percipies, cur Marcus Antonius Gnipho (Scriptor admodum vetustus ex *Athenæo lib.*12.) expositus, quamuis in Gallia ingenuus natus, à nutritore manumissionem acceperit, Auctore *Tranquillo de illustribus Grammaticis cap.*7. Etenim par est credere à primis Galliæ subactæ temporibus expositos seruilis fuisse conditionis.

Nec obstabit, si ex eodem *Sueton. de illustrib. Grammat. cap.* 21. opponas, Caium Melissum expositum Spoleti natum à matre sua ASSERTVM postea fuisse, quasi supponat expositione non fuisse amissam libertatem. Id enim duplici ex capite euenire potuit; primo, quia credere par est in Spoletio, vrbe Vmbriæ (sextam Italiæ regionem constituentis, *Plin. libro tertio cap. decimo quarto.*) Romanas leges, moresve viguisse: erat námque Prouincia illa Romanis per quàm grata, & ab iisdem magna ex parte possessa & culta, vt colligitur ex *Lucano libr.*2. & clariùs ab *Scæuola* in *l. v. xorem* 41. *§. codicillis, ff. de legat.*3. vt inde ex contrario mirè aptéque nostram sententiam ab isto *Suetonij* loco confirmemus. Secundo in causa illius Melissi Spoletani euenit, quòd mater (eum *asserens*) expositionis impię criminis, ob discordiam cum viro patrati, expers innocénsque fuerit, & ideò nec ipsi *assereti*, nec filio, dirum damnum inculpatè passo, expositionem præiudicio esse debuisse. Et sanè ab istis lucem accipiët illa *Suetonij* (Grammaticis de Grammatico Melisso incognita *Caius Melissus Spoleti natus ingenuus sed ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Mœcenati pro Grammatico munere datus. Cui cùm se gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam* ASSERENTE *matre, permansit tamen in statu seruitutis: & præsentem conditionem* VITÆ ORIGINI *anteposuit.*

Ex quibus ego omnium Iurisprudentum & cæterorum ista tractantium (quos viderim) primus nouè & securè assero, Iure Ciuili antiquo Romanorum inspecto, ingenuos expositione libertatem neutiquam amisisse: in quo sanè primoris ex nostris litteraturæ viri decepti fuerunt, & demum *Gulielmus Ranchin. lib.*1. *variar. ca.*2. *D. Ioan. Vela* (magni nominis vir, à quo prima iuris rudimenta accepimus) *de delictis cap.*9. *numero quarto*, & ex Cultioribus *Lipsius* dict. *Epist.*85. *ad Belgas; cent.*1. & post eum *Pignorius de seruis*, paulò post initium, *Thom. Dempserus ad Rosini libro primo, capite primo*, & nouissimè *Andreas Schottus in notis ad dictam controuers. Senecæ* 33. *libro quinto.* Qui pro suo, & cæterorum communi assensu malè expendebat *Plinium*, proximè relatum, & dict. *l.*6. & 8. *ff. de pignorib.* quarum alius longè verior est sensus iam per nos demonstratus *supr. nu.*40.

Sanè vnò casu istorum & reliquorum opinio saluari fortè an posset, si expositi ἀπάτορες spurij, vel incognitorum parentum generísque essent: hos enim ita à natiuitate derelictos, velut seruilis fuisse conditionis, facilè sibi quique suadebunt, & vt tales reputatos, quo tempore sine parentibus essent: patre verò aut matre ingenua asserente & probante expositum filium suum esse (qua norma ex *Fabio Quintiliano* auo annotabimus *infra numero centesimo quadragesimo septimo,*) expositus liber & ingenuus declarabitur. Id quod comprobari posse videtur ex *Seneca* d. *controuers.*33. verbis illis *suprà* notatis: *Quo factum est, ne læsi patres liberos suos aut* AGNOSCANT, *aut* RECI-

RECIPIANT, &c. & *infrà: Nō est quod timeas, nemo* AGNOSCET. Et certè moderamine isto non inepto, prædicta omnia intelligi posse reor: etsi subdubius, cùm nullibi expressim decisum inueniam apud Romanos, expósitos, quorum parentes erant ignoti, ante *legem Constantini* seruos fieri excipientis. Seruitus autem nec inducenda, nec præsumenda est extra casus à iure expressos in *l. adeò 7. ff. de adquir. rer. domin. §. item ea quæ ex hostibus, institution. de rer. diuis. §. serui, institut. de iure pers. l. 3. & seqq. ff. quib. ad liber. proclam. non licèt, l. 4. §. grauius, ff. de re milit. l. penult. ff. de operis libertor.* cum similibus, quas renouauit & ampliauit maximus Imperator *Constantinus* (vt disertè notauit *Laurēt. Pignor. de seru.*) *in lege secunda Cod. de libertis & eorum liberis.* Hísque demum ita admissis, adhuc dictam *legem Constantini* 1. *titulo septimo, libro quinto, Cod. Theodosiani*, correctoriam facies, si dixeris, agnitionem & repetitionem sumptibus exsolutis anteà permissam, hunc Imperatorem apertè exterminasse illis prædictæ *legis* verbis: *Omni repetitionis inquietudine penitùs submouenda eorum qui seruos aut liberos scientes propria voluntate domo recèns natos abiecerint.*

¶ Video te hæc nostra postrema mobilitatis, seu inconstantię nota inurentem: id sanè facilè feremus, si locum vbi firmè pedem figere possimus prædemonstraueris. Et verò interim in eam magis inclinamus sententiam, vt existimemus Iure Ciuili Romanorum ante *Constantinum* vigente expositionem nec patriæ potestati, nec libertati, fraudi damnóve fuisse parentibus, aut aliis pro libertate expositorum asserentibus.

CVM autem ista Iure communi ex nostra sententia ita se haberent, *Con-*
43 *stantinus* Imperator † nouè statuit in *d. l. 1. tit. 7. libro quinto, Cod. Theodosiani*, vt *quicunque puerum, vel puellam, proiectam de domo patris vel domini voluntate, scientiáque collegerit, ac suis alimentis ad robur prouexerit, eundem retineat sub eodem statu, quem apud se recollectum voluerit agitare, hoc est, siue filium, siue seruum eum esse maluerit: omni repetitionis inquietudine penitùs submouenda eorum qui seruos aut liberos scientes propria voluntate domo recèns natos abiecerint*, ita vt hac lege (odio exponentium lata) duo iuris communis correctoria continerentur: primum, expositos filios ad libitum educatoris seruos eidem esse vel liberos aut filios adoptiuos: secundum, vendicandi facultatem sumptibus restitutis (patri aliàs concessam) sublatam omnino esse à *Constantino*. Idémque subinde statuerunt Imperatores *Honorius* & *Theodosius* in *l. 2. dicti titul. septimi, Cod. Theodos.* & *Valentinianus* cum *Sociis* in *l. 2. C. de infantib. expos.* & sensit *Alexander* in *lege prima, Cod. eod. titulo*, & conferunt quæ annotauit *Ioseph. Scaliger. in Ausonian. lection. libro primo capite 14. ad fin.* Vt inde vites contrarium Interpretum communem assensum, quem sequitur *D. Ioan. Vela* magister meus nunquàm pœnitendus) *in tract. de pœnis delictor. cap. 9. numero quarto.*

Nouissimè *Iustinianus* † (qui fauore 44
libertatis multa alia sanxerat) insigni *l. 3. C. de infant. expos.* (cui concinit *l. nemini 24. Cod. de Epis. audien.*) ita nouè decernit: *Sancimus nemini licere siue ab ingenuis genitoribus puer paruulus procreatus, siue à libertina progenie, siue seruili conditione maculatus expositus sit, eū puerum in suum dominium vendicare, siue nomine dominij, siue adscriptitiæ, siue colonariæ conditionis*, quam posteà ampliauit in d. *Nouella* 159. quæ in aliquibus Codicibus est, *l. quarta, Cod. de infantibus expos.* vbi expositos istos modis omnibus liberos facit, etsi mani-

festa probatione seruilis conditionis à principio fuisse posteà demonstrentur: quod approbatum est à *Gregorio IX.* in *cap. vnico de infant. & languidis expositis.*

45 Sanè † ante *Iustinianum* expositi etiam Iure Canonico (accinenti Constitutioni Constantinianæ) occupantium fiebat, dum tamen à collectore denuntiarentur forma & tempore statuto à *Concilio Arelatensi II.* (quod est in Generalibus *tom.* 1. *p.* 1. habito tempore *Siricij* Pontificis, & eiusdem *Constantini* Imperatoris, relato à *Gratiano* in *cap. si expositus*, 87. *dist.*) & à *Concilio Vasensi*, aliàs *Vasionensi* habito temporibus *Theodosij* Iunioris, cùm Ecclesiam regeret *Leo I.* anno 3. sui Pontificatus, qui fuit salutis 442. vbi ita dispositum fuit in *cap.* 1. *canone* 9. *De expositis (quia conclamatur ab omnibus) querela processit, eos non misericordiæ iã, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu quamuis inflexa, præceptis misericordiæ mens humana detrectet: id obseruandum visum est, vt secundùm statuta fidelissimorum, pijssimorúmque Augustorum & Principum quisquis expositum colligit Ecclesiam contestetur, contestationem colligat, nihilominus de altario Dominico die minister annuntiet, vt Ecclesia sciat expositum esse collectũ, vt intra dies decem ab expositione die, expositum recipiat, si quis probauerit se agnouisse: collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit, aut præsens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit possideat.* Verba autem dicti Concilij (quod est inter Generalia *tomo* 1. *part.* 2.) referre libuit, vt apertiùs detegatur verus sensus, *l.* 2. *C. Theodos. de expositis*, d. *titul.* 7. *lib.* 5. in illis verbis: *Si modo testes Episcopalis subscriptio fuerit subsequuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio:* ad quæ referuntur illa dictæ Synodi Vasensis: *Secundùm statuta fidelissimorum: pijssimorúmq; Augustorum* &c. quod non latuit doctissimum Cuiacium *in commentariis* ad dict. *titulum. Cod. de infantibus expositis.* Vbi etiam notat præfata verba d. *l.* 2 *Cod. Theodos.* deesse in transcripta *l.* 2. *C. de infantibus expositis*: in cuius principio alia fuerũt à *Triboniano* (iuris arbitro & moderatore) superaddita, & simul inscriptio mutata. Est ergo prædictorum Canonum, & *l.* 2. *C. Theodos.* vetat sensus ex eod. *Cuiacio supra: Eum qui expositum colligit, hoc conuocatis testibus debere in contestationem redigere, eámque offerre Episcopo, & Ecclesiæ subscribendam, vt ab omni calumnia imposterum liberetur, nec à quoquam possit insimulari plagij vel furti: nam ex constitutione ab Ecclesia subscripta apparebit eũ collegisse expositum, non quæsiisse malo more, aut mala fide.*

46 Sed iam hæc omnia cessarunt † ex d. *l.* 3. *Iustiniani, C. de infant. exposit.* & d. *l.* 24. *C. de Episc. audient.* & ex simili noua illa *lege Canonica Gregorij IX.* in d. *capit. vnico de infantibus expositis*, vbi ipsa eadem immani expositione filius fit sui iuris, & seruus liber, ingenuúsq; euadit.

Dum tamen id fiat patre vel domino sciente, aut ratum habente, ex dictis iuribus.

47 Quæ ius nostrum † approbauit in d. *l.* 4. *tit.* 20. *part.* 4. vbi *Gregorius*, & in *l.* 11. 23. *libr.* 4. *Fori*, vbi *Montaluus*. Et post antiquos & ordinarios & ex Græcis *Hermenopolum in lib.* 1. *tit. vltim.* §. *finali*, ista prosequuntur *Cuiacius libr.* 9. *obseruationum, cap.* 38. & *lib.* 16. *ca.* 36. *Fornerius lib.* 2. *selectarum, cap.* 14 *Choppi. de legibus And. libr.* 1. *cap.* 10. *nu.* 5. *Paleotus de nothis, spuriisque filiis cap.* 63. à *num.* 2. & ex nostris, *D. Franciscus Sarmient. lib.* 1. *selectarum, cap.* 10. à *n.* 1. *Molina de iustitia & iure, tractatu* 2. *disputatione* 39. *post principium*, nouissimè *Augustinus Barbosa*, plures referens, *de officio Epi-*

Epiſcopi, *allegatione* 51.*nu*.145. & *Baſilius Legionenſis de matrimonio lib*. 11.*ca*. 9.*nu*.4. *Gratianus tomo* 2.*diſceptation*.*ca*. 267.à *nu*.1. Qui *num*.14. optimè reſoluit, patrem expoſitione amittentem patriam poteſtatem non ideò eximi ab onere dotandi filiam, qui ca tantùm perdit, quæ ibi ſunt vtilia, quę verò onerosa ſunt ſuſtinere debet, ſequitur *Auguſtinus Barboſa* d.*allegatione* 51.
48 *nu*.146.

Ab his fit † vt valdè mirer *Gregorium Lopez*, quem in dicta *l*.4.*titu*. 20.*part*.4. *gloſſ*.3. latuit deciſio *Iuſtiniani* in d.*l*.3. *C*.*de infantibus expoſitis*, cum aliis eiuſdem *ſupra* relatis plenam libertatem expoſitis concedentibus. Sed præ cæteris mirandus & notandus eſt *Villadiego* in *l*.1. *titu*. *quinto libro quarto Fori antiqui* (quem *Fuero juzgo* appellamus) vbi exiſtimat poſt illam *legem* 3. *Iuſtiniani* licuiſſe parentibus filios à ſeruitute redimere, ſolutis expenſis. In quo *Auctor* iſte confundit expoſitionem inſcio patre factam cum ea quæ ex animo eius deliberato fit. Hiſce addit *Quintilianum* (qui temporibus priorum Imperatorum vixit) huius *Conſtitutionis Iuſtinianæ* mentionem feciſſe, & *librum* cum *capite* citat, & verba expendit, quæ forſan in aliquo apocrypho Codice adinuenit. Quod notandum velim, vt inde euidentius omnibus fiat quàm manifeſto ſe ſupponant periculo, qui ex inanibus relationibus, aut enarrationibus quiduis intrepidè affirmant, & ſuis ſcriptis in lucem dandis inſerunt.

Dubium ergo poſt *Iuſtinianum* in eo tantùm verſatur, An expoſiti, quorum parentes ignorantur, non ſolùm
49 liberi & ingenui, † verùm & legitimi ſint cenſendi? In qua quæſtione parti negantiadhærere videtur *Baldus* in *l*. *vulgò quæſitos*, *ff*. *de ſtatu hominum*, *in prima lectura*, *in princip*. *in* verſiculo *in eadem gloſſa*, dum ſpuriorum numero eos conſtituit: idque comprobari videtur ex pluribus adductis à *Couarruuia* in *Clementina ſi furioſus*, *parte* 1. *in principio*; *nume* 9. & à *Cardinali Palæoto de nothis*, *ſpuriiſque filiis*, dict.*cap*.63. *nume*. 1.2. & 9. vbi iſtos expoſitos communi vocabulo terræ filios appellari ait, & nouos homines & à ſe ortos. His adde tradita ab *Stephano Gratiano tom*. 2. *diſceptation*. dict.*cap*.267.*numer*. 11. & 14. cum pluribus ab his relatis ab *Auguſt*. *Barboſa de officio & poteſt*. *Epiſc*. d. *allegat*.51.*nu*.148.

Sed contraria ſententia affirmantium, expoſitos pro legitimis habendos & communior & verior eſt, ex his quæ poſt alios optimè diſputat & reſoluit *Palæotus* dict. *c*.63.à *num*.3. eiúſque dicta (quibus non immoror & trāſcribere ſuperuacaneum duco) proſequitur *Baſil*.dict.*cap*.9.*num*.4. & nouiſſimè poſt *Gratian*.*ſupr*.*nu*.22. & plures alios ita tenet *Auguſtin*. *Barboſa* d. *allegat*.51.*num*.149. vbi pro iſta ſententia expendit *textum* in *cap*. *lator*, & in *cap*. *peruenit*, *qui filii ſint legitimi*: & faciunt latè tradita à *Menoch*. (videndo) *lib*.6.*præſumpt*.*nume*. 20. Et ita tenendum eſt, quidquid adſtruere conati fuerint alterius ſententiæ aſſertores, & cum eis *Rebellus de obligation*. *iuſtitiæ*, 2.*part*.*lib*.1.*quæſt*.2.*num*.15. *D*. *Ioan*. *del Caſtillo libr*.2. *controuerſ*.*cap*.14.*nu*. 5. *Nicolaus Garcia de beneficiis* 2.*tomo*, 7.*par*.*cap*.2.*numer*.10. Qui *numeris ſeqq*. plura adducit *Palæoti* ſententiæ fauentia: cuius rationibus attentis facilè fit ſatis omnibus ex aduerſo per iſtos adductis.

Hinc velut per conſequentiam
fit, vt expoſiti poſſint ad ſacros † or- 50
dines ſine vlla diſpenſatione promoueri, vt ex *Felino* & *Barbatia* in *cap*. *cùm deputati*, *de iudiciis*, firmat *Palæotus vbi ſupra*, & *Gregorius Lopez* in d. *l*. 4. *titul*. 20. *part*. 4. *gloſſ*.6. *Bermond*.

Coueronius, post alios, *de irregularita. nu.126.*

Nec obstabit *tex. in cap. quando, 24. distinct.* & in *Trident. sessione 24. de reformatione, cap. 5. & 7.* vbi statuitur de genere aut natalibus ordinandorum inter alia diligenter inquirendum, inuestigandum, aut examinãdum, quod in expositis fieri non potest: & ideò ad clericatum & ordines non esse admittẽdos, vt qui spurij sint, & à patre ignoto habiti, vt in eodem *Tridentino sessione 7. cap. 1. & sessione 24. de reformatione cap. 1.* nam in dicto *cap. quando*, & similibus, in quibus de genere ordinandorum agitur, solùm commendatur inquisitio, aut inuestigatio generis; cùm autem apparuerit quem expositum fuisse ex iuris præsumptione simul enascitur habendum pro nato ex parentibus immaculati & puri (vt nostri aiunt) sanguinis, iuxta tradita post alios ab *Enriquez libr. 11. cap. 20. §. 2. littera K. Perez de Lara de anniuersariis & capellaniis libr. 2. cap. 4. nume. 39. Nicolao Garcia de beneficiis, 2. tom. 7. part. cap. 2. nu. 26.*

Illud verò vnum maximoperè debet annotari, quòd licèt vnusquisque præsumatur ex bono genere & natalibus, & liber ab infecto semine Hebræorum vel Saracenorum, & ista præsumptio stet pro expositis, iuxta ea quæ de aliorum sentẽtia resoluit *Gratia. dict. cap. 267. à numero vigesimo-quarto*, quando tamen leges particu-
51 lares, † aut statuta (vt sunt plura in Hispania Ecclesiarum Cathedralium, Collegiorum insigniorum, & aliquarum Confraternitatum) expresè & disertis verbis disponunt, nullum admittendum, qui non sit ex natalibus & ascendentibus quibúsque, vel vsque ad quartam vel aliam generationem labe & nota prædicta liberis, expositis aditus ad ista præcluderetur, vt qui probare nõ possunt præcisè & plenè qualitatem istam ac tenentur; nam vt ait *Papinian. in l. 1. ff. de probat. Quoties quæreretur genus, vel gentem quis haberet necne, eũ probare oportere*, facit text. in *l. si quis consortium 4. Cod. de fabric. cens. libro vndecimo.* Et ita ex multorum sententia resoluunt *Lara de anniuersariis libro secundo* dict. *cap. 4. ex numero trigesimo septimo. Gironda de priuilegiorum explicatione, à num. 144. Augustinus Barbosa.* dict. *allegat. 51. nu. 151.* Et omnium optimè edisserit & resoluit *Hieronym. Zeuallos tom. 4. concl. 900 à num. 110.* Qui, ex *n. u. 135.* rectè contra *Perez de Lara* & alios cõcludit, expositos istos non esse admittendos, siue statuti verba negatiuè concipiantur (vt in casu proposito) siue affirmatiuè admittantur *nati ex maioribus cum Maurorum, vel Iudæorum, vel aliter infectorum sanguine nihil commune, & commixtum habentes*: quia in hisce affirmatiua comprehendit sub se negatiuam, & è contra, ex latè adducti ibi per istum Auctorem. Quæ sanè probabiliora in iure diiudico, quidquid in contrarium nouè resoluerint *Stephan. Gratian. lib. 2. discept.* d. *c. 267. num. 42. Nicol. Garc.* d. *7. p. cap. 2. num. 26.* ab *Enriq.* asserente se bullam Apostolicam vidisse à *Gregorio XIV.* emanatam anno 1591. in gratiam expositorũ deinceps in quandam Confraternitatem statutariam admittendorum, nam vt ipse idem *Gratianus* sentit *numer. seq.* Bulla ista particularis (vt quæ dispensationis) ad omnes alios casus trahi non debet.

A dictis velut per necessariam consequentiam inferri videtur, expositos non præsumi, nec iudicandos naturales horum Regnorum, attenta decisione † *l. 19.* dict. *ti. 3. lib. 1. Recop.* in qua ita statutum est: *I mandamos que aquel se diga natural, que fuere nacido en estos Reinos, i hijo de padres que ambos à dos, alomenos el padre sea ansimesmo nacido en estos.*

en estos Reinos, ò aya contraido domicilio en ellos, i demas desto aya viuido en ellos por tiempo de diez años. Ex quibus verbis clarè demonstratur, naturalem in his regnis dici non posse, qui natus in eis est, nisi pater simul, aut naturalis, aut domiciliarius horum regnorum sit, & incola decem annorum ante filij natiuitatem, quod nouè ista lege statuitur contra regulares iuris communis dispositiones: quibus attentis ciuis & originarius quiuis dicitur loci vbi nascitur, *l. ciues, C. de incolis lib.* 10. vbi DD. & nouissimè pluribus adductis firmat *Paulus Balzaranus ad Constitutiones vtriusque Siciliæ, tit. de assignan. litter. citatoriali. n.* 25. Vt inde necessum videatur asserenti se horum Regnorum oriundum, & naturalem probare prædictas qualitates in patre, ac in casu præcedenti, probationis scilicet iniunctæ admittendo ad Ecclesias, Confraternitates, aut Collegia purum & immaculatum sanguinem requirentia ex particularibus ordinationibus & statutis.

Quod nimis quidem durum videtur, & contrarium longè probabilius duco, tum quia dicta *l.* 19. *Recop.* loquitur in casu singulari beneficiorum, scilicet Ecclesiasticorum huius Regni, ad quæ obtinenda dominus PHILIPPVS II. cognomento PRVDENS, prudenter (auidam exterorum beneficiis prædictis, & Dignitatibus Ecclesiasticis inhiātium cupiditatem compescere curans, & ne exteri negotiato animo redeundi adstantes filios sibi in eis natos, vt naturales ad beneficia admittendos relinquerent, dum aurū argentumque nostrum adsportarent) dictam legem tulit, cuius hanc fuisse causam finalē patet ex proœmialibus illis verbis (eam inducentibus, *Molina lib. 1. de primogeniis, cap. 5. num. 6.*) *Aunque por leyes destos nuestros Reinos està proueido, que los que no fueren naturales dellos no puedan tener Prelacias, Dignidades, ni otros beneficios: porque se ha dudado, i duda, quales se diran naturales para tener los dichos Beneficios: Ordenamos i mandamos, &c.* Quod miror nullum ex interpretibus eius legis attēdisse, nec *Barbosam*, qui eam ex professo commentatus est in *l. hæres absēs §. proinde, D. de iudiciis*: vno excepto *Ignatio Maldonado*, qui *in sua sylua responsorum, responso 7. 4. part. nu.* 19. quasi per indicem annotauit hanc verissimam interpretationem illius legis. A qua malè destitit, cùm clarè & euidenter probetur verbis illis proximè expensis: *Quales se diran naturales para tener los dichos Beneficios*, & comprobatur ex rubrica *de los Prelados i Clerigos*, sub qua d. *lex* sita est.

Elicimus ergo ex his, infantes expositos pro naturalibus horum Regnorum habendos, & priuilegiis & immunitatibus naturalibus cōcessis frui debere extra causam saltem Beneficiorum.

Sed & in ea idem † tenendum pu- 53
to, non obstante dict. *l.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopilat.* & eius ratione decidendi per nos *suprà* expensa: quæ in expositis re vera non militat, vt qui naturales illius ciuitatis, vel oppidi, in quo inuenti fuerint, semper sint censendi, vt optimè ex *Bartolo*, *Ioanne de Platea*, & aliis notat *Gregorius Lopez* in dicta *l.* 4. *tit.* 20. *part.* 4. *glossa* 2. & nouissimè post alios *Augustinus Barbosa* dict. *allegatione* 151. *num.* 150. & passim hæc nos experientia & conniuentia Principum nostrorum docet in pluribus expositis Beneficia, & Dignitates obtinentibus, & securè possidentibus, & ita etiam securè tenendum est, *l. quarta*, §. *primo*, cum ibi notatis, *D. de manumissionibus*. Idemque dicendum

est de legatis, quæ pro maritãdis puellis naturalibus alicuius loci relinquũtur, quamuis ex fundatione, vel præcepto testatoris orphanæ tantùm debeãt admitti, vt vtrumque optimè notat & resoluit *Perez de Lara lib.* 1. *de anniuers.c.*21.*nu.*66.*&* 78.post *Bart. Ioan.de Plat.*& *Greg.Lopez*, quos ibi refert.

Dum limites in Beneficiis patrimo-
54 nialibus † Diœcesum Burgensis, Pallentinæ, & Calagurritanæ (de quibus in *l.*21. & duabus sequentibus *illius tituli* 3.*li.*1.*Recopilation.*) filiis parochianorum cuiusq; Ecclesiæ conferendis, iuxta antiquissimam (imò immemorialem, teste *Gonçalez ad regul.* 8. *Cancellariæ, gl.*9.§.1. *num.*49.) horum Episcopatuum consuetudinem ab *Alexãdro Sexto*, & aliis Summis Pontificibus approbatam: nam in eorum Constitutionibus (quarum meminit *Gonçalez suprà* à *num.* 19. & ego sępius ad occurrentes causas perlegi) filius patrimonialis is dicatur, qui parentes habuit decennio continuo ante natiuitatem incolas, & persoluentes decimas, & primitias illi Ecclesiæ, in qua decantatur, & situm est beneficium conferendum, & expositi parentum incolatum cum prædictis qualitatibus probare non possit, inde planè fiet hoc casu aditum eisdem ad patrimonialia beneficia præclusum esse eadem causa & ratione, qua s. diximus, admitti eos nos posse ad Ecclesias, Collegia, & Confraternitates, quæ in admittendis púrum & ab omni labe, notaque natalium sanguinem expóscunt Et ita ferè in terminis (vt nostri aiunt) decisum fuit Rotæ in vna Calagurritana apud *Æmil.Veral.* Epis. op. Caputaq.*decis* 289.*num.*1.*p.*1. quem refert & laudat *Gonçal.d glos.*9.§.1. vbi optimè resoluit, neminem agentem, & beneficium patrimoniale in communi concursu petentem filium patrimonialem præsumi, nisi hoc plena probatione demonstret, & cum adminiculis & qualitatibus requisitis à dictis Constitutionibus Synodalibus. Quæ ad vnguem & inconcussè debent obseruari, ex traditis ab eodem *Gonçal.d.* §.1.ex *n.*16.nisi Pontifex (cuius summa auctoritas & potestas, & hisce præcipuè, semper censetur salua) eis derogauerit.

Nec enim his casibus sufficit, quem sese naturalẽ probare (vt re vera probatur per baptismi librum, ex notatis à *Gonçal.supr.n.*106) nisi simul qualitates præfatas in suis parentibus ostendat. Et sanè ab his fiet vt expositi nobilium numero ascendendi non sint, nec tales præsumendi. Id quod facilè comprobatur à regula *l.non ignorat* 9. *C.de his qui accus. non poss.*& nobis apertiùs demonstratur à generali dispositione *l.*7.*&*8.*tit.*10.*Recop.*cum traditis à *Garc.de nobil.gl.*10.*n.*1.& alibi.

At obseruanda in expositis bapti- 55
zandis, † vel pro baptizatis habendis (vt hæc obiter dicam) inuenies in Catechismo Romano, relato à *S.Borromeo Concil.III. Mediolan. tit. de Bapt. infant.expos.* vbi ita ait: *Infans expositus licèt ad pensum collo scriptum habeat quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter perquisita, quemadmodum Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse, eius conditionis formula baptizatur: Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo & si non baptizatus es, ego te baptizo*, &c. de qua in *c.*2.*de Baptismo.*

SECTIO I.

De pœnis exponentibus irrogandis.

VIDIMVS conditionem expositorũ omni tẽpore nũc de pœnis multáve exponentibus filios vel seruos antiquis temporibus impositas & im-

& imposterum infligenda videndum est.

56 Dum præmittamus, immane † & crudele scelus (vt declamat *Seneca libro 4. controu.26.*) patrari à parentibus filios exponentibus. Peccant enim in naturam, nam vt ait Latinè *Plutar. in lib. de amore prol. In omnibus animalibus amor prolis est manifestus, in prouidendo, in tolerãdo, in continentia.* Et paulò *inferiùs* (cùm Leænæ, Vrsæ, & aliarum ferarum amorem, & curam in filios commendaret) subdit verba illa (per nos cum aliis *infrà* expendenda in *cap.16.*) *Verùm enimuerò, hæc tot, tantaque ad procreationem instrumenta, tot apparatus, tantum studium, tantaque prouidentia, nihil erant profutura, nisi parientibus natura amorem, procurationémque fœtus sui ingenerasset*: facit text. in *l.2. § ius naturale, ff. de iust. & iur.* & in *§.1. instit. eod. tit.* vb. liberorum procreatio & educatio iuri naturali tribuitur, & agnouit *Philo in lib. de special. legib. infrà* referendus.

57 Quinimò expositio multo † crudelior est abdicatione (Græcis vsitata, à Romanis non admissa, *l. abdicatio 6. dict. l. nec filium, C. de pat. pot.*) hæc enim filij missio ignominiosa est, fortè an imò semper, filij in partem malè meriti, *Plato de legib. libro* 11. ac exhæredatio (quas inde coniungit *Tertull. de præscript.* dicens: *Quos exhæredauerunt semper, & abdicauerunt, vt extraneos*) illa est propriæ sobolis cura in ipsis vitæ primordiis (quando maior adhibenda erat, vt ex *Plutarcho supra* annotauimus) aliorum hominum pietati relicta, *l.4. C. de infantib. expositis, d. Nouella 153. §.1.* Seneca declamat, libro 10. *Curatis quis ex solitudine infantes auferat, perituros nisi auferantur.* Tertullian. optimè in Apologetico: *Filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte matre extranea.* Tu adde, & à canibus & suibus, & feris sæpè interficiendos, *Philo in libro de spec. legibus infrà* referendus, *Arnobius lib.8.* expendendus *infra numer.138. Lactant. lib.6. Diuin. instit. cap.20. non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus obijciunt, & quantum in ipsis est, crudeliùs necant, quàm si strangulassent.* Vnde *Calpurnius Flaccus declamat.49.* de matre infido sponso succensa ita ait: *Venit ad nos praua mulier accusatura pietatem, infantem adhuc iussit feris, canibus, & diris alitibus exponi, &c.*

Eodemque modo interpretandus est *Liuius decade 1. lib.1.* vbi de Romuli & Remi expositione loquutus: *Regis Imperio* (ait) *in proxima inluuie pueros exponunt.* Maximè si hisce iungas illa *Constantini Manas. Annalis, pag.42.*

καὶ δίδωσι τὰ δύστηνα ῥιφῆναι καθ' ὑδάτων
ἔρριπτο δὴ τὰ δυστυχῆ σκάφης ἔντος θεθέντα.

Et Rex Amulius *tradidit gemellos, vt aquis abiecti interirent,*
Et ita miselli, quadam impositi scapha, abijciuntur.

Et illa *Ouidij Fastorum lib.3.*

Amne iubet mergi geminos, scelus vnda refugit
In sicca pueri destituuntur humo.

Et alia consimilia (circa eandem expositionem) *Iustini lib.43.* & *Strabonis lib.5. Geographiæ.* Et demum præ cæteris illa *Actuum Apost. cap. 7. versu 19. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur.*

Etenim apud bonos quosque Auctores *exponere* & *perdere*, vel *occidere* pro eodem † vsurpantur, *Plautus in Cistellaria actu 1. scena 3.* 58

Dat eam puellam exponendam ad necem
Is eam proiecit.

Et *Donatus* (super illis *Terentij in Heautontim. act. 4. scena 1.*

--Hic profectò est annulus , quem ego suspicor
Is qui cum exposita est gnata)

ait: *Exponere est morti tradere, & obijcere.* Et *Lactant. libr. 6. diuinarum institut.* d. *cap. 20.* *Tam nefarium* (inquit in proposito) *est exponere, quàm necare.* Est enim eadem ἐκτιθέντων καὶ τεκνοκτονούντων, id exponentium & occidentium conditio, vt egregiè sensit *Athenagoras* in *Apologia pro Christianis*, dicens: *Qua ratione iam natos & perfectos homines nos iugulabimus? Non enim eiusdem est fœtus in vtero animal esse, ideoque curam eius à Deo suscipi existimare, & post quàm in lucem editus est, interficere: vt nec non exponere infantem, tanquam omnes qui exponunt parricidæ (aut si ita dicere licet, infanticidæ,) sint: iam verò educatum occidere.*

Sed his clariùs nobis *Paulus* Iurisconsultus prædict: simplici & concisso sermone expressit in *l. 4. D. de liber. agnosc.* dicens: *Necare videtur non tantùm qui partum persocat, sed & is qui abijcit*, cui concinit *l. 3. titul. 13. lib. 3. Fori, infra numero 90.* iterum expendenda.

Demum ista mirè confirmat illa consideratio , quod vno & eodem verbo ἐγχυτρίζειν Græci expositionem & internecionem denotabant, vt ex *Hesychio* optimè notat in suo *Lexico Ioan. Scapula*, & pòst alij nouiores.

Et sanè prædictorum miram rationem assignasse videtur *Quintil. decla. 306.* *Rarum est* (inquiens) *vt expositi viuant. Caducum circa initia animal, homines sumus. Nam ferarum pecudúmque fœtibus est statim ingressus, & ad vbera impetus: nobis tollendus infans, & aduersus frigora nutriendus. Sic quoque inter parentum manus, gremiúmque nutricis sæpè labitur. Vnde nobis tantam fœlicitatem, vt ad infantem mors accersita non veniat? Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum, cui mori domi expedi ret: inde nudum corpus, sub cælo inter feras & volucres.*

Sed & præfata omnia ampliauit *Iustinianus* d. *Nouella 153. de infan. expositis*, vbi peiores † homicidis expo- 59
nentes indicat, quanto hi miseriores sunt, in quos crudelitatem exercent. Prosequuntur ordinarij in d. *l. 1. C. de infantib. expositis.* Quem titulum ideò † in media homicidiorum disputa- 60
tione collocatum dixit *Forner. libr. 1. rer. quotidianar.* d. *cap. 20.* Exornat *Clarus*, post alios, *lib. 5. sententiar. §. fin. quæst. 83.* *Palæotus de nothis spurijsque filijs*, dict. *cap. 63. in princ.* *Adam. Contzen libr. 5. Politic.* dict. *cap. 4.* *Gregorius & Villadiego* relati *suprà*, *D. Ioan. Vela* (alios referens) *de delictis cap 9. num. 3. & 7.*

Cùm ergo à natura insitam pietatis rationem parentes filios exponentes, cætérique tale quid patrantes inhumaniter perfundent , inde ratione, † 61
causáque naturali oblæsa planè iniungitur pœna ob tale scelus eis iniungenda. Maximè cũ τὰ οἰκεῖα ἐκτιθέασι παιδία, τοὺς δὲ τῶν ὀρνίθων ὑπολαμβάνουσι νεοττοὺς: *Filios domi natos exponunt , alitum verò pullos excipiunt*, omnigenarum ferarum feraciores , vt dicertè in istos inuectus dixit *Clemens Alexand. lib. 3. de Pædagogo, c. 4. prope finem.*

At ex contrario † in causa exposi- 62
tionis recèns natorum: *Venerandum est* (vt optimè consulit *petr. Gregor. de Repub. lib. 14. cap. 3. n. 6.*) *si seueritas inhibeatur, ne partus potiùs suffocentur, vel adstrangulentur, quàm patiantur venire in publicum metu pœnæ: & ideò ne id accidat, detrahendum est seueritati pœnarum, & quandocunque inueniantur expositi infantes , procurandi erunt, relicta pœna in exponentes arbitrio iudicis.*

Quò fit, vt de expositione ista variè

63 tiè † sumatur supplicium, habita ratione euentus, modi & causæ, *Gregor. glos. 1. in l 4. tit. 20. part. 4. Villadiego* in *d. l. 1. n. 3. tit. 5. lib. 4. Fori antiqui*, cum aliis illico referendis.

His sic præhabitis, ex ordine me facturum puto, si priùs seruorum recèns natorum expositionem damnandam (in qua non ita in naturam peccatur) deinde parentum prosequamur.

64 Et sanè quod attinet ad seruos † *Iacobus Cuiac. in tit. C. de infantib. expositis*, eandem sentit pœnam domino imponi, quæ & patri filium exponenti; illi scilicet amissionis dominij seruisti patriæ potestatis. Sed hoc Iure Ciuili inspecto verum non est, cùm pater eo attento in filio exposito adhuc patriam potestatem retineret, *d. l. 2. C. de ingen. manumiss. d. l. patrem 16. C. de nuptiis*, cum aliis pluribus *suprà* adductis. Diuersa ergo erat causa seruorum expositorum, qui excipientis, & educantis fiebant, vt prædiximus, hac velut multa, vel pœna iure communi antiquo indita in dominos exponentes, vel abiicientes seruiles partus.

65 Post dictam verò *legem Constantini* † *1. tit. 7. lib. 5. C. Theodos.* dominus expositione dominium amittebat omni repetitionis actione destitutus, & recipienti, educantíque expositus omnino acquirebatur. Quod postea comprobarunt *Honorius & Theodosius* in *l. 2. illius tit. 7.* quæ est *2. C. de infantibus expositis*, in quibus illa verba: *Nullum dominis, vel patronis repetendi aditum relinquimus*, clarè præ se ferunt, dominis exponentibus antiquitùs ius repetendi exsolutis sumptibus non fuisse denegatum: & clariùs demonstrat *Iustinianus* in *l. 3. C. eod. tit.* his verbis: *Nec enim oportet eos, qui ab initio infantes abiecerunt, & mortis fortè spem circa eos habuerunt, incertos constitutos, si qui eos susceperint, hos iterum ad se reuocare conari, & seruili necessitati subiugare*, & in *Nouella 153. cap. 1.* (quæ in aliquibus Codicibus est *l. vltima, Cod. de infantibus expositis*) ibi: *Nam si nostris præcipitur legibus, vt ægrotantes serui à dominis suis pro derelicto habiti, & quasi desperata iam valetudine cura dominica non dignati, prorsus ad libertatem rapiantur, quanto magis eos, qui in ipso vitæ principio aliorum hominum pietati relicti, & ab ipsis nutriti fuerunt, non sustinebimus in iniustam seruitutem pertrahi.* Quibus concinit *d. l. 4. tit. 20. part. 4. E si por auentura el señor quisiesse demandar el sierno, que assi ouiesse echado, non puede, cà se torna libre por tal echamiento.*

At *Iustinianus* † seruo exposito libertatem ipsa expositione concessit in *l. 3. & vltima, C. de infantib. expositis*, & in *d. Nouella 153. c. 1.* ita vt præmium libertatis exposito condonatæ esset pœna domini exponentis: simul cum facultate à *Iustiniano* eidem exposito concessæ liberè de rebus suis disponéndi antiquo domino insuperhabito. 66

Pœna ergo domino exponenti imposito amissio est, & fuit dominij (quod in seruo recèns nato habebat) ex Iure Communi & à *lege Constantini*. Ex *constitutione* verò *Iustiniani* libertas seruo exposito concessa fuit simul cum libera facultate sua dandi, & relinquendi quibus voluerit. Cæteros verò seruum exponentes arbitraria & extraordinaria pœna puniendos fuisse omni æuo & generali dispositione *d. l. necare, ff. de liber. agnoscendis* (vt qui rei inscitæ & fraudulentæ punitione dignæ operam darent) firmiter tenendum est.

Sed & quo casu dominus † seruum 67 exposuerit, securè assero, iam nunc apud nos, qui veram Fidem profitemur, alia arbitraria extra ordinem

eum puniendum multa, si fortè seruum improuidè noctu abiecit in plateis, in vicis, seu in solitudine, & eum canibus, suibus & feris exposuit: & tantò grauius puniendum, quantò peius exposito ex inconsulta aut fera abiectione acciderit: quod mirè comprobabis ex dicendis ĩ. circa duplicem expositionis modum. Quinimò & media Romanorum Iurisprudentia attenta (de qua in *l.circumcidere,§.seruo, ff.ad leg.Cornel. de sicariis*) & in *constitutionibus Antonini* & *Diui Hadriani* (quarum meminere *Gaius* & *Vlpianus* in *l.1. ff.de his qui sunt sui vel alieni iuris*, & *Iustinianus* in §.*1.& 2. institut.eod.titul.*) id ipsum dicendum erat de prædictis expositionibus à dominis immaniter seu temerè factis. Et hæc de dominis exponentibus.

Expositionis autem paternæ pœna latiorem sanè, & exactiorem petit disquisitionem. Nam si primam Romanorum Iurisprudentiam vsque ad priores Imperatores attendas, caro, vtcunque factam, videbis impu-
68 nitam, † ex his quæ ab insignis patriæ Romanorum potestatis prætextu sumus prosequuti *suprà hoc capite ex nu 17*.

Temporibus verò insequentibus *lex Romuli* (quæ patrem dominum vitæ necísque fecit) admissa non fuit,
69 & velut contrario † vsu (nullibi enim vsque ad *Constantinum legem* expressè abrogantem, aut derogantem videbis, quidquid dixerit *D.Solorzan.libr.2.de parricidio,c.8.*) abolita remansit, vt clarè colliges ex *Papiniano* in *l.fin. ff. si à parente quis manum ff. sit*, *Vlpiano* in *l. 2.ff.ad leg.Corneliam,de sicariis*, & in *l. 1.in princip.* & in §.*si filius,ff.de obsequiis parentibus & patronis præstand.* & in *l. nec quicquam,§.de plano, ff.de offic.Procons.& Legati*, & *Martiano* in *l.Diuus Hadrianus 5. ff. ad leg.Pompeiam de parricidiis*, *Macro* in *l.milites 13.§.desertorem,ff.de re milit.* *Alexand.Imp.* in *l.3.* & *Valeriano* & *Galieno* in *l.4.C.de patria potestate*, & *Valentiniano* & *Valente* in *l.vnica, C.de emendat.propinquorum*. Et *Seneca lib.1.de clementia,c.14.* Erixonem, qui filium flagellis occiderat à Populo Romano confossum testatur, idque pluribus exemplis optimè illustrat *D.Solorzan.* d.*lib.2.cap.8. & 9.*

A quibus factum est, vt eodem tempore & modo libera patrum exponentium licentia apud Romanos coërcita † fuerit variè quidem, ac arbitrariè ex dicendis ĩ.

Sed dictis à *Seneca* š. *Valerio Maximo*, *Paulo Orosio*, & aliis à *D.Solorzano* relatis d.*c.9.* ego addo (quod mirror istum, quin & omnes latuisse) Ius Ciuile Romanorum nondum in patrem filium interimentem pœnam certam & expressam statuisse ante legem † *Constantini vnicam tit.15.lib.9.C.Theodos.* (quæ est *l.vnica,C.de his, qui parentes, aut filios occiderunt*, de qua ĩ. erit sermo) Etenim in legibus proximè relatis nullam patri in filium sæuienti, aut eum interficienti pœnam inditam inuenies.

Nam *lex finalis*, † *si à parente quis manum ff. sit*, tantùm probat, Diuum Traianum Imperatoria innixum auctoritate (nec enim id cuique Magistratui concederetur, vt disertè notat *Cuiacius* ad *libr.11. quæst.Papinian.* super illa lege) patrem, qui filium contra pietatem afficiebat, coëgisse emancipare: hæc autem Piissimi Imperatoris prouisio in casu singulari, & filio à patre sæuiente indulta præcautio longè differt à multa, vel pœna patri indicenda, quin supponit contrarium, & filium à patre ideò abstractum, ne fortè eum impunè occideret.

At *Vlpianus* in d.*l.2.* † *ff.ad legem Cor-*

Corneliam, de sicariis, dum ait: *Inauditum filium pater occidere non potest, sed accusare eum apud Praefectum, Praesidémve Prouinciae debet*, nullam in patrē filium inauditum puniendum irrogādam pœnam à lege, Senatusconsulto, aut Constitutione Imperatoria ait, sed tantùm filium inauditum à patre enecari non posse. Quod ipsum de Principe aut Magistratu, cui maior demādata est à lege, vel Populo coërcitio, dicendum est iuxta *legem xij. Tabul.* cuius meminit *Saluianus lib.* 8. *de vero iudicio & prouidentia Dei: Interfici enim* (ait) *indemnatum quemcunque hominem etiam duodecim Tabularum decreta vetuerunt.* Idque aliis pluribus auctoritatib. comprobat *Budaeus* in notis posterioribus ad d. *l.* 2. & ibi *Gothofredus*, & demum *D. Solorzan.* d. c. 8. Et sanè *textus* iste, vel vt propriùs loquar, contemporanea *Alexandri* Imp. constitutio in d. *l.* 3. *C. de patria potestate*, velut derogare voluit iuri antiquo paterno: cuius meminit *Seneca li.* 3. *de Beneficiis*, c. 11. dicens: *Et quia vt.le est iuuentuti regi, imposuimus illis domesticos Magistratus, sub quo um custodia continerentur.* Idem *lib.* 1. *de Clementia*, d. c. 14. vbi refert Tarium quendam de causa filij cognoursse vocatis amicis in consilium, & inter alios Imperatore Augusto Caesare: notat Petrus *Acrodius* d. *lib.* 2. *decret. tit.* 6. *c.* 7. & *lib.* 6. *rerum iudicat. tit.* 7. *c.* 9. Et tandem tradita s. *ex Halicarn. lib.* 2. (afferente, patrem apud Romanos vice iudicis, accusatoris & punitoris fungi) Voluit ergo *Alexander Seuerus* illa sua noua Constitution: imposterum patris priuatum in filium iudicium extinguere: & hoc est quod *Vlpianus* edixit ex Constitutione huius Imperatoris (cuius lateri adhaerebat, vt memini me alibi annotasse ex *Lampridio*) in d. *l.* 3. *C. de patria potestate.* Quam ... attendisse *Vlpianum* i... tis, clarè demonstrant illa Constitutionis: *Eúmque Praesidi Prouinciae oblaturus dicturò sententiam, quam tu quoq; dici volueris.* Quod vltimum (vt haec obiter dicam) intelligi oportet in causa iniuriae à filio irrogatae, aliàs secùs. Quasi voluerit Imperator patrum in filios iudicium, vt praediximus, delere, cùm de vita, aut grauiore pœna (denotata verbis illis dictae Constitutionis: *acriore remedio*) augendum est.

Quod ipsum deciderunt *Valerianus* & *Galienus* in d. *l. congruentius*, † *C. de patria potestate*, & *Valentinianus* & *Valens* in d. *l. vnica, Cod. de emendatio. propinquorum*. 74

Et eandem sanè *Alexandri Seueri* Constitutionem respiciunt d. *l.* 1. † & §. *si filius, ff. de obsequiis parēt. & patron. praest.* ibi: *Praefectus vrbis huiusmodi delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo eius vindicat*, & d. *l. nec quicquam*, §. *de plano*, *ff. de officio proconsul.* ibi: *Terrere filium a patre oblatum, qui non vt oportet, conuersari dicatur.* Et ab his (quae plana & valdè concinentia sunt) veniunt explodendae † variae Interpretum Iuris Interpretationes ad d. *l.* 2. *ff. ad legem Cornel. de sicariis*, cum receptione *Budaei*, quam amplectūtur *Gothofredus* & *D. Solorzanus* s. Si enim verbum, *inauditum*, referamus (ac isti voluerunt) ad *legem xij. Tabularum*, magnam certè subiungemus limitationem alteri illi *legi Romuli* pro patria potestate lată, quam vsus ampliauit, vt ex *Halicarnasseo*, & aliis annotauimus s. *n.* 18. *& seqq.* 75 76

At *tex.* in d. *l. Diuus*, † *ff. ad legem Pompeiam, de parricid.* tantum abest, vt contrariam sententiam confirmet, quin potiùs eam penitùs euertat, & nostram mirè comprobet, ait enim *Aelius Martianus*, lat. *Matianus*, (vti vul *Ioannes Bertrand. de Iurisperit. fol.* 195. vel, vt ergo fortè an veriùs puto, *Volusius Matianus* eius pater, teste 77

Forstero libr.2.de Historia Iuris Ciuilis c.64. qui vixit sub Antoninis,& coætaneus fuit Hadriano, ex traditis à *Bertrando supr.fol.66.) Diuus Hadrianus fertur, cùm in venatione filium suum quidam necauerat, qui nouercam adulterabat, in insulam eum deportasse, quod latronis magis, quàm patris iure eum interfecit.* Quæ verba clarè denotant temporibus Hadriani (qui Alexandrum Seuerum præcessit) liberam patriam potestatem, adhuc lege in contrarium lata coërcitam non fuisse. Patrem tamen ibi ideò damnatum video, quòd impio & ferino medio, & modo filium occiderit, vt vtrumque clarè probant illa verba: *Quod latronis magis, quàm patris iure eum interfecit.* Et hac plenissima interpretatione admissa (quam partim placuisse video *D.Pichard.*in *§.alia deinde, institution. de public. iudiciis)* cessabit anxius labor Interpretum Iuris, & nouissimus *D.Solorzani* dict.*c.9.* in ea lege enodanda.

Nec prædictis quidquam obsunt
78 assertiones † *Pet.Ærodij* d.*li.4.decretorum,tit.7.c.7.* & *D.Solorzani* d.*lib.2. cap.9.ad fin.*ita aientis: *Nec mirùm, si Hadrianus inultum hoc patris facinus relinquere noluerit, qui Lampridio teste in Hadriano, nedum filios à patribus, verùm & seruos à dominis occidi vetuit.* Nam citatione ista *Lampridij* (ab aliquo fortè apocrypho Codice desumpta) eruditissimus alioquin iste vir deceptus fuit, cùm *Lampridius* vitã Hadriani non descripserit: *Ælius verò Spartianus in Hadriano* ita tantùm ait: *Seruos à dominis occidi vetuit, eósque iussit damnari per iudices, si digni essent.* Ex his autem non rectè infertur ad parentes: quorum ius durius, acrius, & potentius erat in filios ex *Halicarnasseo* relato s̃.*n.20.& 21.* cum aliis ibi latè adductis: quibus clarè assentiuntur *Petrus Ærodius* d.*tit.6.c.1.*& *lib.6. rerum iudicatarum titul.7.c.1.D.Solorzan.*d.*lib.2.c.7.* Et eis sanè attentis verba præcitata *D.Solorzani* parentis verum actè constructa sunt, ibi: *Verùm & seruos*, quæ casum implicant faciliorem vice difficilioris. At *Ærodius* ipse dicta *in lib.4. decretorum* d.*tit.6.c.7. vers.sed hoc ius*, exterminauit à d.*c.9. lib.6.rerum iudicat.tit.7.* vt quæ agnouerit à Iure Romano, & eius vera Historia deuia omnino esse.

Demum non obstat *Macri* respon-
sum in d.*l.milites 13.* † *§.desertorem ff.* 79
de re militari, quod alterius est propo-
siti,& rem ex facto decidit: patriam
verò potestatem oblatio paterna (de
qua ibi) non imminuit.

Sed his nihilo seciùs à temporibus
† Imperatoris *Alexandri* patres occi- 80
dentes filios inauditos arbitraria pœ-
na ob contemptũ suæ Constitutionis
punitos existimo: & seueriùs eos, qui
acriùs in filios, minúsque iustè sæuij-
sent. Et hoc ipsum obseruandum est in 81
expositionibus filiorum. Et sanè † v-
trumque mihi probat *Iulius Paulus* in
l.4.ff.de liber.agnoscendis, dicens: *Ne-
care videtur non tantùm is, qui partum
perfocat, sed & is, qui abiicit, & qui ali-
monia denegat, & is qui publicis locis
misericordiæ causa exponit, quam ipse
non habet.* Quæ verba, licèt generalia
sint, patris tamen personam præcipuè
afficiunt, ibi: *Qui alimonia denegat*, &
ibi: *Misericordiæ causa exponit, quam
ipse non habet*, quasi diceret Consultus,
patres, partum perfocantes, & alimo-
nia denegantes, vel exponentes, morte
subsequuta, æquali pœna arbitraria
puniendos, cæteros verò, imò & matrẽ 82
† ipsam ordinaria homicidij, iuxta tex-
tum in *l.1.§ sed & mater, ff.ad leg.Pom-
peiam, de parricid.*

Hæc ita † ad tempora vsque Con- 83
stantini Imperatoris perdurarunt, qui
in d.*l.vnica, titul.15.lib 9.Cod Theodos.*
(quæ est *l.vnica, C.de his qui parentes*
aut

aut filios occiderunt) disertis verbis statuit, patrem interimentem filium pœna parricidij damnandum, quod comprobauit *Iustinianus* in §. *alia deinde, instit. de public. iudic.* & nobis est *l.*12. *tit.*8. *part.*7.

Ex quibus omnibus, simul cum his quæ tradidimus s. *n.*18. clarè desumes,
84 quibus temporibus † apud Romanos ius vitæ, necísque in filium liberũ patribus fuerit; quibúsque eorum coërcita fuerit licentia; & quibus demum damnata & punita. Quæ magni nominis Iurisconsultos latuisse video, & inter alios *Hartmanum Vulteium* qui in *princip. instit. de patria potestate n.* 11. parentum in liberos, vitæ, necísque concessam potestatem restringit, asserens (& pessimè quidem) sine iusta causa exerceri non potuisse. Confundit namque tempora per nos proximè, & *sup.* à d. *n.*18. distincta. Nec *tex.* in *l. patri* 20. *cum seqq ff. de adulter.* (à *Vulteio* expensis) quicquam obstant: nam, vt ex eorum serie patet, alio longè diuerso casu loquuntur.

Et his sanè præcognitis, facilè quiuis dignoscet pœnas exponentib. patribus Iure Romanorum impositas.
85 Nam si *legem Romuli* † attendamus (expensam *supr. n.*28. ex *Halicarnasseo lib.*2.) planum est, filias primogenitas, & quosuis filios præter mutilos & mõstrosos (ostensos priùs quinque viris ex vicinia) exponi non potuisse à parentibus, alioquin dimidiæ partis bonorum multa Ærario Publico accidendæ damnandis.
86 Quòd si absolutam † & singularem patriam potestatem Romanorum vitæ, necísque in filios temporibus insequentibus attendas, cum traditis *supr. n.*18. liberam & impunitam fuisse expositionem fateri necesse habebis.
87 At si tempora *Alexandri* † Imperatoris, eiúsque constitutionem in d. *l.*3. *C. de patria potestate*, & concinentia Iurisconsultorum responsa in d. *l.*2. *ff. ad leg. Corneliam, de sicariis*, cum aliis adductis s. perpendas, filij internecionem, & expositionem pœnæ arbitrariæ subesse videbis, ex dictis *suprà* argumento *textus* in d. *l. necare, ff. de liber. agnosc.*

Denique si ad Constitutionem *Constantini* † Imperatoris in d. *l. vnica, C.* 88
de his qui parentes, aut filios occiderunt, animum vertas, exponentem patrem pœna parricidij damnandum morte expositi subsequuta, nemo inficias ibit. Licèt enim ex nostris vnum, aut alterum tantùm inueniamus huius verissimæ sententiæ assertores (hi mihi sunt *Petrus Gregor. lib.*15. *syntagmat. iuris c.*28. *num.*6. *D. Ioan. Vela* Magister meus *de delictis*, d. *cap.* 9. *num.*3. & 7. & nouissimus *Francisc. Pardilla in summa legum pœnalium* 1. *p. c.*27. qui expendere sanè potuissent *textum* expressum huius propositi in *l.*1. *tit.*27. *lib.*11. *C. Theodos.*) hoc tamen ipsum velut certum cæteri Iuris Interpretes supponunt, quando communiter asserunt (& nouissimè *Stephanus Gratianus*, post alios, *disceptat. forens.* d. *cap.*267. *n.* 2.3. & 4.) exponentes † homicidis æ- 89
quiparandos. Idque mirè nobis probat aperta *lex* 3. † *titul.*23. *lib.*3. *Fori: To-* 90
do ome, que desechare niño alguno, è no ouiere quien le tome para criar, è muriere, el que lo echa muera por ello: ca pues el hizo cosa por que muriesse, tanto es como si lo matasse. Et sanè huius legis veram rationem & causam mirè comprobabis ab his quæ in similis alterius illustratione disertissimè edíserit † *Philon in libr. de specialibus legibus*, 91
qui Latinè (Græcisare enim inaniter quid prodest?) ita (ab aborsus crimine, ad expositionem descendens) ait: *Hæc lex etiam grauiùs quidam prohibet expositionem infantium, quæ apud multas gentes propter natiuam inhumanitatem vulgaris est impietas. nam si pro-*

spiciendum est, ne ante præfinitum natiuitatis tẽpus vim patiantur in vtero, quanto magis conseruandi sunt iam editi, & quasi nouelli coloni adscripti cæteris hominibus, vt vna fruantur naturæ donis, quæ in terra, aqua, aere, cælo proueniunt, cælestia contemplationi & spectaculo, terrestria verò vt vsibus seruiãt, & expleãt omnium sensuum desideria: menti quoque famulentur tanquam Regi magno per eosdem sensus, ceu satellites: aut etiamsine horum ministerio, dumtaxat in his quæcunque sola ratione possunt percipi. Hæc tanta bona quisquis adimit pueris, & alimenta statim à natiuitate denegat, sciat se violare iura naturæ, & hoc modo incidere in maxima crimina, libidinosus, immanis, homicida, atque adeò infanticida prolis propriæ; libidinosus, vt qui non liberorum causa, conseruãdique generis cũ vxore congreditur, sed voluptatẽ captans ex coitu more suũ, hircorúmque: immanis autem, quis potiùs censebitur, quam natorum suorum inimicus implacabilis? nisi quis est tam fatuus, vt credat non temeraturum fœdera inita cum exteris, eum qui cognationis iura, & communis generis societatẽ, nodosq. arctissimos ducit pro nihilo: certè homicidæ, infanticidæq. sunt manifestarij, siue scelus id peragunt suis manibus, immaniter elidendo, præfocandóve recentem spiritum: aut in flumen, maréve proijciendo è sublimi, quo celeriùs mergantur, ac profundiùs: siue in deserta loca deportatos exponunt, vt ipsi aiunt, non desperantes de salute, sed re vera vt abiecti miseriùs intereant; nam quæcũque feræ carnes humanas appetunt, accurrunt & auidè fruuntur bellis epulis obiectis sibi à parentibus, qui soli, aut præcipui curatores infantis esse debuerant: atque etiã reliquias eorum carpũt alites carniuoræ, si seriùs veniant. Nam quoties maturè præsentiunt, decertant pro præda cũ terrestribus bestijs. Sed fac alicuius prætereuntis miseratione colligi expositutum, & alimenta cæteráque educationẽ consequi, hoc beneficium quid aliud est, quàm parentum ipsorum condemnatio? Siquidem exteri faciunt horum officium, parentes verò ne eam quidem curam natis impendunt, quã exteri, immensum igitur quanto magis expositionem infantum vetitam innuit, qui auctori abortus infligit pœnã capitis, si fœtus iam formatus erat in vtero: quamuis infantem tantisper dum matrice clauditur, partẽ matris aiunt scrutatores naturalis Philosophiæ, cumque his Medicorum probatissimi, qui paraturã hominis inspexerunt, non foris solùm, verum etiam disectis corporibus, ne quid eius ignoratum in curandis morbis afferret causam ingentis periculi, hanc cõcretionem partus secernit, absoluens animationem, ita vt nil ei desit eorũ, quæ natura humana postulat: proinde sine controuersia homicida est, quisquis infantem interimit, ætate non obstante, cùm lex vindicet iniuriam illatam generi, attamen si ætatis quoque rationẽ haberi placet, maiorẽ indignationem infanticidia mereri videtur, nam perfecta ætas multis modis irritat, offenditque: infantibus vero tũ recens in lucem ac vitam editis, ne falsum quidem crimen licet obijcere propter summam eorum innocentiam: ideò sæuissimi omnium, & immanissimi iudicandi sunt, qui his struunt perniciem, meritò capitalem pœnam daturi legibus. Quæ & lege Thebanorum † irrogabatur, teste Æliano *libr. 2. variæ hist. cap. 7.* ita intelligendo in illis prioribus verbis: *Lex Thebanorum rectissimè & humanissimè posita est, ne ciui Thebano liceat infantes exponere nec in solitudine abijcere capitis supplicio constituto.* Quæ omnia valde miror latuisse, nec summis (vt aiunt) delibasse labris *D. Solorzanum in* sua perquàm eleganti *disputatione de parricidio.* Et hæc de pœna parentibus infligenda expositi morte subsequuta.

Sin autem mors non sequatur, parentes exponentes extra ordinem pœna arbitraria puniendi erant.

Vt

Vt autem Lector, qui iudicandi
munere fungitur, functurúsve est, co-
æqualem immani huic sceleri pœnam
vbique imponat, notare debebit, du-
93 plicem † expositionis speciem, quam
prænotasse video *Iouianum Pontanum*
tomo 1. libr. de immanitate, cap. 7. vt vni
proposita salus esse videatur, alij ve-
rò mors: prioris exempla erunt infan-
tium expositiones, quæ parte & loco
tuto fiunt, vtpotè in loco publico, in
Hospitalibus, & βρεφοτροφείοις ad id
destinatis (qua de re inferiùs agemus)
vel infantibus ad valuas Domus Piæ,
vel illustris in cista, similíve instru-
mento appensis, aut alio quouis mo-
do animum exponentis eum fuisse,
præ se ferenti, vt saluus fieret partus.
Deque ista expositione intelligendus
est *Minutius Felix in Octauio*, dicens:
*Saturnus filios suos non exposuit, sed vo-
rauit*, hoc est, alienæ non committe-
bat humanitati & misericordiæ, sed
imman ter vorabat & deperdebat: &
Sueton. in Claudio capit. 25. dicens: *Si
quis necare quem mallet, quam expone-
re.* Alterius verò immanis expositio-
nis erit præmeditata, vel inconsulta
abiectio in solitudine, aut in flumine,
aut nemore, vt Oedipi, & Paridis (re-
latę à *Natali Comite*, post alios *in My-
thologia lib. 6. cap. 23. & libr. 9. cap. 18. &
Laurentio Rhodomano in epitome Troi-
corum*) aut Remi & Romuli enarratæ
*à Liuio decade 1. dict. lib. 1. Sed nec Dij,
neque homines, aut ipsam, aut stirpem
crudelitate Regia vindicant, Sacerdos
vincta in custodiam datur, pueros in
profluentem aquam mitti iubet.* Et om-
nium maximè Habidis, qui in Regno
Hispaniarum successit Gargori: *Huic
(ait Iustinus lib. 44.) cùm ex filiæ stupro
nepos prouenisset, pudor flagitij varijs
generibus extingui paruulum voluit:
sed per omnes casus fortuna quadam ser-
uatus, ad postremum ad Regnum tot pe-
riculorum miseratione peruenit. Primum
omnium cùm eum exponi iussisset, & post
dies ad corpus expositi requirendum mi-
sisset, inuentus est vario ferarum lacte
nutritus. Deinde relatum domum tra-
mite angusto (per quem armenta com-
meare consueuerant) proijci iubet: crude-
lis prorsus qui proculcari nepotem, quam
simplici morte interfici maluit. Ibi quo-
que cùm inuiolatus esset, nec alimentis e-
geret, canibus primò ieiunis, & multo-
rum dierum abstinentia cruciatis, mox
etiam suibus obijci iubet. Itaque cùm nō
solùm non nocerent, verumetiam quarun-
dam vberibus aleretur, ad vltimum in
Oceanum abijci iussit*, &c. Ex quibus
planum fit, hanc secundam expositio-
nis speciem nullo saluari posse præ-
textu aut excusatione. Vt inde non abs
re sit, prædictas expositiones diuersis
nominibus † nuncupare, vt quæ fit ad 94
mortem appelletur, ABIECTIO:
eam verò cui ex modo exponendi
proponatur salus, EXPOSITIONEM,
vocitemus. Quod quidem de mente
Iulij Pauli fuisse videtur in *d. l. necare,
† D. de liberis agnoscendis*, in illis ver- 95
bis: *Sed & is qui abiecit*: & mox illis:
*Et is qui publicis locis misericordiæ cau-
sa exponit.*

Ab his, quin & à dictis *suprà* ex *Se-
neca, Tertulliano*, & aliis facilè dete-
ges & refelles errorem *Ioannis Bar-
claij † lib. 4. suæ Argenidis*, vbi Polyar- 96
chi simulatam expositionem in biuio
syluæ (solis pastoribus, aut venatori-
bus agnito) enarrans, eum, *inhumana*,
vel *misera* positum manu confixit.
Quibus verbis expositionem *inhuma-
nam* diuersam à *misera* pessimè facit,
cùm sæpè & in misera & ærumnosa
egenorum parentum, vel matris (puta
innuptæ notam vitare curantis) expo-
sitione, dira & inconsulta immanitas
interueniat. Quò fit, vt parum aptè
expositionem diuiserit iste in inhu-
manam & miseram nescius aptioris
diuisionis à *Pontano suprà* adductæ.

Adhæc superuacuè modos exponendi varios intermiscuit, qui solius expositionis in loco non tuto (ac erat biuium illud, ex iam dictis) rationem inibat (à Cyri expositionis norma relatæ à *Iustino* d. *lib.* 1. & aliis, quam imitari destinarat insciè deuians) Tales enim expositiones (similes his quæ de Oedipo, Romulo & Remo enarrat antiquitas, iuxta proximè notata) nullo modo citra immanitatem patrari possunt. Parentes namque quantumuis miseri & egeni, & re familiari indigentes in ipsa expositione filiorum salutem quærunt, cùm eos loco tuto ab incursu ferarum libero collocant, nec humi in sylua sæuè projiciunt, ac Barclaius suum fictum expositum. Videant ergo diserti Lectores, istũ melioris horum notitiæ quàm euidenter ignarum: vt inde clarè discant & percipiant longa interualla inter verborum faustus & veram eruditionem.

Sed ad nostra redeuntes, Ego Iuris professores maximoperè moneo, vt in irrogandis expositionis pœnis super omnibus modum attendant, & an expositio in quæstionẽ deducta priori, secundæue speciei à *Pontano supra* excogitatæ, sit attribuenda. Patres namque aut matres ea conditione, modo & forma liberos exponentes, vt facto ipso quasi demonstrent se velle partus saluos, sospitésque euadere,
97 mitiùs † sanè puniendi sunt, quamuis expositio quid aduersi, imò plurimum reportauerit, vt puta mortem, aut mutilationem membrorum illatam à percutiente noctu, & inconsultò expositum: vel à præcipitantia partus à loco excelso, vbi positus erat, prouenientem. Lenioris etiam pœnæ exemplum sit expositio facta detegendæ
98 propriæ † turpitudinis causa ab ea, quę virgo reputabatur. Quod omni tempore euenisse facilè colliges ex *Plauto in Cistellaria actu* 1. *scena* 3. *& actu* 2. *scena vltima*, & ex *Aristophane*, qui de illa sua Comœdia Νεφελαῶν (quæ multum negotij ei fecisse anteà ratus fuerat) metaphoricè loquutus (vt strenuè prosequitur & notat antiquus Scholiastes) ita ait:

κἀγὼ παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν, κοὐκ ἐξῆν πω
μοὶ τεκεῖν
ἐξέθηκα.

Et ego (namque adhuc eram virgo, nec licebat mihi parere)
Exposui fœtum.

Quinimò casus iste adeò nostris † 99
iustæ excusationis fuit, vt *Iulius Clar. lib.* 5. *Sentent.* §. *final. quæst.* 83. Pallosiam puellam nobilem absolutam adserat ex hoc capite. Quod & probauit *Menoch.* d. *casu* 396. *numero* 6. *D. Ioan. Vela de delictis*, d. *cap.* 9. *numer.* 10. Qui tamen dum absolutionem illam Pallosiæ iustam supponunt, decepti sanè sunt, ex illico dicendis.

Erit etiam excusationi, & mitiori 100
† pœnæ, vel multæ in causa rei familiaris inopia eorum, qui liberis victui necessaria suppeditare non possunt, iuxta tradita à Cardinali *Palæoto de nothis, spuriisque filijs*, d. *cap.* 63. *num.* 4. maximè si expositiones istæ fiant in loco apto & securo, & libero ab incursu canum, suum, & aliarum ferarum, vel alitum carniuorarum. Hos enim excusans *Plutarch. in lib. de amore prolis*, ita ait: *Paupertatem vltimum malorum censent, tanquam grauem & magnum morbum non sustinent suæ proli tradere*, & sensit *Lactant. lib.* 6. *institu.* d. *cap.* 20. Et idem dicendum videtur si fortè calamitosa tempora, velut fames, bellum, & similia eos ad expositionem vrgeant. Aliter verò (vt hæc non omittam) parentes, qui educationi filiorum necessaria aptè subministrare possunt, grauiter delinquunt. Quin & in foro animæ lethaliter peccant, & ad erogatorum restitutionem Hospi-

Hospitali, Ecclesiæ aut cuiuis Operi
Pio vel Publico occurrentibus tenen-
tur, vt optimè l. téque notat & resol-
uit *Pat. Ioan. Azorius 2. par. institution.*
Moral. lib. 2. cap. 5. quæstion. 7. & cap. 26.
quæst. 2.

Sed & prænotatæ causæ, aliæque
101 similes (vnam aut alteram † excipio,
velut metus instantis, imminentis, &
impendentis, *l. 2. & 3.* cum similibus,
ff. de donationibus causa mortis, quæ
matrem Mosis impulit, *Exodi d. capite*
2. & Semiramis, Paridis, Cyríque pa-
rentes: & consimilem Ismaëlis ab A-
gar in solitudine ineuitabili sorte
contingentem, *Geneseos capite* 21.) in
102 totum à pœna iudiciali expositionis
reos non liberabunt. † Nam ea quæ
virgo rei illicitæ operam antea dedit,
ab arbitraria pœna excusari non de-
bet ob expositionem (propriæ præ-
textu turpitudinis non detegendæ)
ab ea in Deum, qui omnia videt, pa-
tratam, Patribus itidem egenis inopia
rei familiaris excusationem omninò
non præstabit, præsertim inter F. de-
les, qui summa egestaté laborantibus
sub reatus æterni pœna subuenire te-
103 nentur.

Nec vllo etiam † tempore defue-
runt, qui operi tam pio (Deo & homi-
nibus perquàm grato) accurrerint in
omnibus peræquè gentibus MISERI-
CORDIA PVBLICA (vt ait *Seneca*
libro 5. dict. controuers. 33.) expositis fa-
uentibus, cóque fouentibus. Theba-
nis enim (teste *Æliano lib. 2. de var. hi-*
stor. c. 7.) lex erat præcipiens: *Parenti-*
bus in extrema necessitate positis filios ad
Magistratus cum fasciis deferre, qui eos
curarent ali publico sumptu ab alio, cum
quo pactum & consuetudines intercede-
bant, vt ex fide infantem aleret, adultúm-
que serui, vel serue loco haberet, sic vt a-
limentum, & educatio seruitute com-
pensaretur.
104 Tempore verò *Constantini*, † cùm
Imperium Romanum tanto Impera-
tori Christiano subesset, *lex* ab eo lata
est (quæ in *Cod. Theodos.* est *d. l. 1. lib. 11.*
tit. 27. de alimentis, quæ inopes parentes
de publico petere debent) ita edicens:
Æreis tabulis, vel cerusatis, aut linteis
mappis scripta per omnes ciuitates Italiæ
proponatur lex, quæ parentum manus à
parricidio arceat, votúmque vertat in
melius: officiumque tuum hæc cura præ-
stringat, vt si quis parens adferat sobo-
lem, quam pro parte educare non possit,
nec in alimentis, nec in veste impertien-
da tardetur, cùm educatio nascentis in-
fantiæ moras ferre non possit, ad quam
rem & fiscum nostrum, & rem priuatam
indiscretæ iussimus præbere obsequia.
Quod alia lege (quæ est 2. d. *tit.* idem
Constantinus ad Prouincias Imperio
subiectas extendit, & Præsides & Ra-
tionales è Fisco, eiúsque horreis neces-
saria ministrari his egenis iussit, notat
optimè *Choppin. de legibus Andium*
lib. 1. cap. 10. num. 5. & 6. Quamuis longè
à vero errauerit, supponens *d. numer. 5.*
Constantinum mancipia Christiana su-
stulisse, quandoquidem, & in causis
expositorum contrarium disposuerit
in *d. l. 1. lib. 5. C. Theodos. titul. 7. de expo-*
sitis.

Sed & alios magnos Principes † 105
ὀρφανοτρόφους esse voluisse ex *Zenora*,
& *Cederno* testatur nouissimè *Ada-*
mus Contzen libr. 7. Politic. cap. 29. § 15.
in fin. Mihi verò omnium maximè ex
hoc capite laudandus *Iustinianus* ab
his quæ facilè constant, vel colli-
guntur ex *rubrica* & *l. illud*, *l. sanci-*
mus, C. de sacrosanct. Eccles. & ex *No-*
uella 7. de non alienand. aut permut. in
præfat.

Et verò licèt apud nos, aliásq; Pro-
uincias Orbis Christiani hodie similis
præuentio & prouisio supremorum
Principum non inueniatur, semper † 106
tamen in his plagis ardenti charitatis
affectione istis recèns natis subuen-

tum videbis è reditibus Hospitalium aliorúmve Piorum Operum vel Locorum: singulariúmve personarum eleemosynis hisce expositis sedulò (quo vigent proximi amore) occurrentium. Vltra quam quòd inopum parentum filij vbique ex publico, si opus fuerit, hodie sunt alendi, ex dicendis ĩ.*n.*135. *& seq.*

Vt inde quàm liquidò appareat, nullam expositionem infantum recèns natorum dari posse à pœna ma-
107 iore, vel minore immunem, excepta † illa quæ fit ineuitabili necessitatis vi, argumento d *c.*21.*Geneseos*: aut mortis inculpato timore exponenti, non vana s spicione, sed iusta aut verosimili caussa incusso, vt prædiximus. Quæ fuit sententia *Glossæ* in *capite finali*, 87. *distinctione*, quam refert & sequitur *Syluester in summa, tit. de expositis, numero* 3.

Dixi autem, exponentem inculpa-
108 tum esse debere: nam † mulier (vt hæc obiter dicam) quæ alienum à matrimonio partum timore mariti, vel filia innupta, quæ metu patris sobolem illegitimam exponunt, cùm rei illicitæ à principio operam dederint, omnium inde subsequentium facinorum iusta excusatio esse nec vlla potest ex *Glossa* & *Syluestro* proximè relatis, & ex dictis ŝ.*nu.*112. Quibus adde *Hieronym. Llamas* ita expressè decidentem *in Methodo spirit.* 3. *parte*.

Adhæc parentes filios exponentes morte etiam non sequuta diuersimodè multabantur.

109 Et primò ex mente *Menochij* † (illico referendi) Senatusconsultum Plautianum (cuius meminit *Vlpianus* in *l.* 1. *&* 3. §. 1. *ff. de liberis agnoscendis*, & nos ŝ. *cap.* 1. *num.* 35.) latum est, in cuius secunda specie, vel parte, maritus partum non agnoscens extra ordinem puniebatur, id est, arbitrio iudicis, vt optimè putauit idem *Menochius de arbitrariis lib.* 2. *casu* 396. *n.* 3. Qui *num.* eodem (iunctis his quæ proposuerat *num.* 1.) id non alia ratione fieri existimauit, quàm quòd pater partum non agnoscens despexisse, & abiecisse, id est, exposuisse, vel necasse eum videretur. Id quod placuisse video disertissimo *D. Ioanni Solorzano in* sua eleganti *disputatione de parricidij crimine, li.* 2. *d. c.* 5. Sed mihi non probatur, qui considero, Senatusconsultum illud Plautianum longè diuersæ rei occurrisse, nec quidquam in exponentes statuisse, sed tantùm in patrem, qui postquam ab vxore diuerterat, filium ex ea natum non agnoscebat: cuius perfidiã pœna extraordinaria id Senatusconsultum insequebatur. Qui enim dici, aut excogitari potuit, illud referri posse ad patrem exponentem, qui partui mulieris repudiatæ interesse noluit, vt supponit dicta *l.* 1. §. *pœna*, *ff. de liberis agnoscendis*. Faciunt quæ de isto Senatusconsulto Plautiano strenuè annotauit *Iacob. Rauardus lib.* 1. *variorum c.* 18. cum aliis per nos adductis ŝ. *c.* 1. *d. num.* 35.

Nec his obstat *l. Nec filium* 9. † *Cod.* 110 *de patria potestate*, cuius verba illa: *Senatusconsulta de partu agnoscendo, ac denunciata pœna*, referri non debent ad Senatusconsultum Plautianum, vt malè putabat *Menochius suprà numer.* 5. sed ad aliud simile factum temporibus Imperatoris *Hadriani*, relatum ab *Vlpiano* in dicta *l.* 3. §. 1. *ff. de liberis agnoscendis*, quo, de partu constante matrimonio edito, agnoscendo, agebatur. Hoc verò (vt quod generalius) casum quemcunque expositionis, vel abiectionis filij comprehendebat, & pœna denuntiata extra ordinem patrem puniebat, dict. *l. nec filium*; *l.* 2. *Cod. de infantibus expositis*: quæ ad prædictum Senatusconsul-

referenda est in illis verbis (superadditis legi 2. *titul.* 7. *lib.* 5. *Codicis Theodosiani*, à qua, teste *Cuiacio suprà*, sumpta est) *Vnusquisque sobolem suam nutriat, quod si exponendam putauerit, animaduersioni, quæ constituta est, subiacebit.*

111 Deinde post istud Senatusconsultum Imperator *Constantinus* † in *l.* 1. dicto *titulo* 7. *lib.* 5. *Codicis Theodosiani*, & Imperatores *Honorius* & *Theodosius* in dicta *l.* 2. *eodem titulo* (quæ forsan est *l.* 2. *C. de infant. exposit.*) nutritores & educatores voluntariè expositorum filiorum (velut alterius cuiuslibet rei pro derelicto habitæ) dominos fecerunt, facultatémque eisdem concesserunt illos sub eo retinere statu, quem apud se recollectos voluerint agitare. Quòd si illos vt seruos suscepissent, patribus exponentibus omnis repetendi, & filios ab hac seruitute eximendi præcludebatur aditus. Idque

112 ita † statutum his legibus rectè arbitratus fuit *Pet. Gregor. lib.* 11. *syntagmat. iur. cap.* 10. *numer.* 3. vt filius expositus seruus effectus non tantùm parentibus esset contumeliæ, sed & consanguineis, quod impiè ob æs modicum permitterent filium vel cognatum mancipari seruituti: cautioréque hoc probro fierent, ne tale quid imposterum sustinerent: cùm ignominia maxima sit generis liberi aliquem in eo seruum inueniri, *l.* 1. *ff. de liberi causa.* Et hoc ferè ipsum apud nos statuebant antiquæ Gothorum Regum Sisnandi & Eurici *leges* 1. *&* 2. dict. *tit.* 5. *lib.* 4. *Fori juzgo antiqui*: nisi quòd pater filium à seruitute redimere cogebatur.

Sed cùm ista magno esset præiudicio, & pœna liberis recèns natis expositis, qui nihil commiserant, vt ita miserè in durum seruitutem redigerentur,

113 *Iustinian*[illegible] † ea [illegible] ns considerans [illegible] *nem* [illegible] *sup aud.* & in d. *l.* 3. *&* 4. *C. de infant. expos.* & in d. *Nouell.* 153. ingenuos, & sui iuris eos fecit: *Vt sibi acquirant, & in potestatem suam, vel extraneos hæredes omnia quæ habuerint, quomodo voluerint, transmittãt*: & vt noua ista filij expositi ingenuitas, & à patriæ potestatis nexibus liberatio ipsa, velut in præmium & solatiũ esset abiectionis paternæ: patri verò, in fraudem, pœnámque suæ crudelitatis. Et hic verissimus sensus est prædictarum constitutionum *Iustiniani*, quem valdè miror non calluisse doctissimum *Petrum Gregorium* d. *c.* 10. *n.* 5. *vers. quanquam*: ibique idem mirè adaptatur Decretali *Gregorij IX.* in d. *c. vnico de infant. expos.* & d. *l.* nostræ Regiæ 4. *tit.* 20. *part.* 4.

Cùm autem ex legibus *Constantini* & *Theodosij*, & ex constitutionibus *Iustiniani* Iure Canonico & Patrio approbatis, varias in patrem exponentem filios recèns natos enumerauerimus pœnas, extraordinariam † & 114 arbitrariam Senatusconsulti temporibus *Hadriani* lati (& relati in dicta *l.* 3. §. 1. *ff. de liberis agnoscendis*) non excludimus: quin potiùs regulam generalem constituendam existimamus, exponentes scilicet, & iisdem opem, vel auxilium præstantes semper extra ordinem puniendos pœna arbitraria, vt prædiximus cum *Menochio* dicto *casu* 396. Qua plectendi veniunt non tantùm qui legitimum, verùm & qui naturalem, spuriúmve filium exponunt, *Aloysius Riccius in praxi resolut.* 28: *Augustinus Barbosa de officio & potestate Episcopi, allegatione* 51. *numer.* 44.

Sed & illi qui legitimam sobolem exponunt indigentiæ prætextu, aut cuiusuis alterius similis causæ patriam potestatem † semper amittent ex *lege* 115 *Iustiniani*, & Canonica, velut in pœnam expositionis: quidquid in contrarium asseruerit *Glossa* verbo *expo-*

situs in dicto *capite fina'i*, 87. *distinctione*. *Stephanus Gratianus* cum relatis dicto *cap.*267. ex *num.*6. Idémque nobis erit attenta d.*l.*4.*tit.*20.*part.*4. eiúsque prioribus illis verbis: *Verguença, ò crueleza, ò maldad mueue à las vegadas al padre, ò la madre*, &c. quæ ad omnem expositionis causam seu prætextum sunt referenda: *maldad* enim, id est, *malitia*, datur in patre egeno, qui de proximorum despera s charitate & pietate partum vtcunque exponit.

116 Sic insuper expositi liberè † poterunt bona sua cuiuis extraneo relinquere, parentibus insuperhabitis, ex d. *lege Iustiniani* 3. *C. de infantib. expositis*, quam ita intelligit *Choppinus de legibus Andium, lib.*1.*c.*10.*nu.*6 ex pluribus ibi per eum adductis, & à *Gratiano* dicto *cap.*267. ex *num.*34. à quibus clarè elicies, filium expositum patri succedere, cùm tamen pater eidem hæres non sit necessarius. Quod ego admittendum puto etsi expositus à patre postea agnitus fuerit, quicquid adstruxerit *Gratianus*, post alios, *s. num.*14. *& seqq.* etenim *textus* in *l. Vxorem* 29. *ff. de manumiss. testam.* cuius decisione isti & alij innituntur, contrarium apertè probat.

At omnia ista iure nostro attento
117 admitti non debent, † cùm ex d.*l.*4. *tit.*20. *part.*4. expositus à patre sciente liber tantùm expositione euadat à patria potestate: at Iure itidem Patrio filij emancipati hæredes etiam necessarij sunt suis parentibus, & è contra, *l.*6. *&* 29. *Tauri*, cum aliis.

118 Sed & eadem lege † Partitæ attenta, & eius pœna (quæ non est extendenda) expositum à patria potestate liberum pater reassumere, & alere tenebitur, & expositus subinde patrem.

Hæc sunt, quæ mihi occurrunt circa pœnas patri exponenti omnibus temporibus Iure Romanorum & Patrio imponendis.

E T eisdem sanè subiacebunt legi- 119
bus matres † exponentes, ex iam dictis: nisi quod & iure antiquo Romanorum, & ante constitutionem *Constantini* in d.*l. vnica*, *C. de his qui filios, vel parentes occiderunt*, matres liberos (in quos vitæ & necis, ac parentes potestatem non habebant) exponentes morte sequuta, vt homicidæ essent puniendæ. Quin & vt parricidæ à tempore *legis Pompeiæ de parricidiis*, *l.*1. d. *§. sed mater, ff. ad leg. Pompeiam, de parricid.* Quòd si sospes euadat proles exposita aliter atque aliter pro modo exponendi, & causis, mulieri pœna infligenda erit iuxta s. tradita à *Quintiliano* ano *declamat.*306. *Calpurnio Flacco* d. *declamat.*49.

Dum tamen notes, matrem (cuius in abiectione & expositione recèns à visceribus enodati maior est immani- 120
tas) maiore pœna † arbitraria (quàm quæ iam hodie patri extra amissionem patriæ potestatis imponenda est) damnari debere: cùm æquè peccans aliàs æquè non puniretur, quod miror nullum ex Interpretibus Iuris annotasse: simúlque mulieres in hisce sæuiores implurimum esse: *Maritus* enim (vt ait *Quintil.* d. *declam.*306.) *nunquam mandat exponendum*. Et sanè istis & consimilibus causis inniti forsan potuit *Constitutio* in Synodali Congressione Constantinopolitana, lata & contenta *lib.*2. *Iuris Orient. tit.* Περὶ τῶν ἐκτιθεμένων τὰ οἰκεῖα βρέφη, *De exponentibus proprios partus*, statuens matres suos filios in templorum aditibus exponentes vt homicidas puniendas, etsi sospites euadant, & ab aliis suscipiantur & educentur, vt notat perquàm optimè *Petr. Gregor. li.*15. *syntagmat. iuris c.*28.*n.*6.

Dèmum extranei † quilibet expo- 121
nentes, vel in expositione cooperantes

tes, vel eidem quoquo modo fauentes pœnas subibunt iuxta leges Ciuiles & Patrias preælatas, & resolutiones iam *supr.* adductas.

Et hæc de pœnis expositioni irrogandis retulisse sit satis, dum tamen ex dictis sequentia inferamus.

PRIMVM, sustineri non posse sententiam *Ioan. de Anan.* in *cap. vni. n. 14. de infan. expos.* quem refert & sequitur *Stephan. Gratian. 2. tom. discept. forens.* d. c. 267. n. 6. dum putat, nil imputandum patri egenti, † qui filium exposuit in Hospitali alendum: nam expositio tenellæ plantulæ periculis varius suppositę impunita remanere non debet, nisi palàm fiat, & bona fide Rectore forsan Hospitalis sciente & cōsentiente, & partum fouente. Nec *Gloss.* in *l. necare*, verb. *exponit, ff de liber. agnosc.* dixit aut sensit quod ei *Anania* & *Gratianus* imponunt.

SECVNDÒ, à prædicta resolutione impunitatem denegāte parti quomodolibet exponenti, facilè elides quæ nouè excogitauit *Iacob. Cuia.* circa d. *l. patrem* 16. † *C. de nupt. in comm. ad tit. C. de infantib. expos.* qui cùm vidisset patrem exponentem, de quo ibi ius patriæ potestatis nō amisisse (vt cuius requiritur consensus in matrimonio filiæ expositæ, iuxta *textū* in *l. paulus, de statu hom.*) coactus fuit supponere & adserere, *textum* illum intelligendum de patre egeno, qui necessitate coactus filiam exposuit, quasi egestas eum liberaret à pœna, & in causa esset, vt patriam potestatem retineret. In quo disertissimus vir verum sensum illius *textus* per nos *supr. n. 38.* traditum non attendit. Nec itidē, post illam *l. patrem* (cuius Auctores fuerunt *Diocletian.* & *Maximian.*) *Constantinum* nouè statuisse in d. *l. 1. tit. 7. de expos. lib. C. Theodo.* expósitos fieri educanteris, & patrem exponentem ius patriæ potestatis ipsa eadem expositione deinceps deperditurum. Sed infeliciùs sanè *textum* in d. *l. patrem* intelligit *Osuald. Hilliger. ad Donel. lib. 2. cap. 26. lit. F.* dum contrarium decisioni d. *l. 1. titul. 7. de expos. lib. 5. Cod. Theodos.* adstruere conatur apertè.

Tertiò, à dictis circa pœnas expositioni à iure inflictas pendet vera resolutio illius quęstionis, An expositus patrem occidens, parricidij teneatur? † In qua communis est resolutio non 124 teneri, *Pet. Gerar. singul. 2. n. 9. Menoch.* cum relatis *de arbitr. lib. 2.* d. *casu* 396. à *nu. 14. Farinac.* post *Tiberium Decian. de homicid. q. 120 nu. 164. & duob. seqq. Stephanus Gratian.* post *Plazam, Carrer.* & alios d. *disput.* 267. *nu. 2. & 3.* Sed mihi contraria opinio (quam video placuisse *D. Solorzano* in d. sua *disputat. de parricid. lib. 2. cap. 5.*) magis arridet. Sed altiore quid in causa à dictis enata: cùm enim iure antiquo ante *Constantinum* patri exponenti indita non esset pœna amissionis patriæ potestatis, eamque in exposito retineret, vt iam *supr.* annotauimus, inde per quàm euidens fit, expositum iure illo, vt verum parricidam damnandum. Idemque dubio procul dicendum est post nouam *legem Iustiniani*, quæ est 3. *C. de infant. expos.* & *Nouell* 153. vbi expositos sui iuris effecit: vnde est, vt eadem sit ipsorum causa, quę emancipatorum, qui licet à nexibus patrię potestatis liberi sint, parricidij tamen pœna à lege indita indubiè tenentur, *l. 1. ff. ad leg. Pompei. de parricid.*

Stat ergo difficultas in expositis post dictam *legem Constantini 1. tit. 7. libro 5. C. Theod.* & ante d. *l. 3. Iustini.* & sanè cùm Iure Romano nulla fuerit inducta fictio (Græcorum abdicationi similis, de qua in *l. abdicatio*, *C. de pat. potest.* cum adductis *supra*) quæ naturalia iura patris ademerit (vt latè annotauimus & probauimus in *cap. 3. §. 3.* argum. *tex.* in *l. 3. ff. de interdict. & releg.*

cum aliis) planè consequimur, tunc etiam expositum *lege Pompeia de parricid.* damnandum, vt qui naturalis in patrem pietatis oblitus, tantam tamque immanem patrauit feritatem, quã *lex* illa vindicat. Non est ergo necessum recurrere ad rationem *D.Solorzan.* cum ait, verosimile non esse filiũ à patre sine magna causa expositum fuisse: nam ea attenta sequeretur expositum à patre extra causam egestatis, periculi imminentis, vel similium, parricidij pœna non teneri, ita vt *lex Pompeia de parricidiis* afficiat expositos à parentibus sine causa, secùs ea data, quod nullus dicet. Maximè cùm nulla causa sit, quæ expositioni iustam excusationem, & ab omni noxia liberam concedat: præter eam quæ ab inuitis, & vi maiore oppressis parentibus fit, vt prædiximus.

Quartò, ex prænotatis quod attinet ad pœnas regulariter exponentibus iniungendas, destruitur error maxi-
125 mus *Osualdi* † d.*c.26.lit.A.* dum putat, expositione infantum patriam potestatem non amitti, sed dominicam tãtùm, & in ista intelligi debere *leges tit.C.de infan.expos.* non enim attendit priora illa verba *l.3.* dicti *tit. Siue ab ingenuis genitoribus puer paruulus procreatus*, quæ clarè præ se ferunt, ante nouam illam constitutionem *Iustinia.* liberos & ingenuos expositos fieri excipientis & educantis, & à patria potestate liberari, quod verbis quidem disertis statuerat *Constantinus* in d.*l.1.tit.7.lib.5.C.Theodos.* ibi: *De domo patris, vel domini,* & ibi: *Qui seruos aut liberos scientes propria voluntate domo recèns natos abiecerint.*

Quinimò ex quo expositorum patriam potestatem à *lege Constantini* patres exponentes amittebant, factũ est vt titulus ille *de infantibus expositis*
126 succedaneus † aliis sit, in quibus de eius amissione agitur, vt optimè annotauit *Cuiacius in princip.comment. ad tit.C.de infant.expos.*

Quintò, ab hisdem infero, quòd cùm exponentis culpa consistat in desertione propriæ prolis, quo tempore magis indiget parentum auxilio, & vitæ amittendæ maius versatur pericu-
lum, si parentes † abiiciant, vel pro de- 127
relicto habeant puerum adultum, animaduersioni vllæ non subiacebunt, quamuis ciuiliter compelli possent filios alere ex propria substantia: leges enim expositioni occurrentes & eam punientes fauore tantùm recèns natorum latæ sunt, d.*l.1.C.Theod.lib.5 tit.7.* in illis verbis: *Ac suis alimentis ad robur prouexerit,* & *l.1.C.de infant.expos. Si qua in alendo eo, vel fortè ad discendum artificium iustè consumpta fuerint,* & in *l.2.Vnusquisque sobolem suam nutriat,* & ibi: *Expositos quodammodo ad mortem,* & in *l.3.Puer paruulus procreatus,* & ibi: *Qui eos nutriẽdos sustulerint,* & ibi: *Eos qui ab initio infantes abiecerunt, & mortis fortè spem circa eos habuerunt, l.4. In ipsis vitæ primordiis aliorum hominum pietati relictos,* & in *Nouella 153.de infantib.expositis,* ibi: *In ipso vitæ principio aliorum hominũ pietati relicti:* facit *text.* in *l.vnica, tit.8.lib.5. C.Theodos. Si quis à sanguine quoq; modo legitimè comparauerit, vel nutriendũ putauerit.* Quæ omnia clarè prę se ferunt expositioni tantùm recèns natorum pœnam inditam fuisse in d.*l.2.C. de infantib.expos.* vel ad summum paruulis septennio minorib. expositis, vti pręsensisse videtur *Iustinian.* dum *rubr. & tit.de expos.li.5.C.Theodos.* addidit in suo *C. & tit.52.de infantib.expos.* quasi diceret, expositionem & abiectionem parentum pœnæ & animaduersioni subiacere, si proles abiecta minor esset septennio, quo tempore primus tantùm gradus ætatis aduenit, quæ infan-

tia

tia dicitur, & puer *infans* nuncupatur. *l. si infanti* 18. *C. de iure deliber. l.* 1. *§. sufficit, D. de administration. tutor.* Quò reducenda sunt quæ ait *Theophil.* in *§. pupillus, institut. de inutil. stipulation.* vbi *infantis* nomen conuenire ait non solùm lactantibus, sed & paulò maioribus; vocat enim infantes τοὺς ἔτι θηλάζοντας, καὶ μικρῷ μείζονας. Et ita in terminis (vt nostri aiunt) annotauit & resoluit *Pet. Gregor. lib.* 15. *syntag. iuris, cap.* 28. *num.* 25.

Dictis superius circa pœnas in foro (vt aiunt) fori exponentibus irrogandas, addimus, in foro poli parentes exponentes grauiter peccare † si commodè expositos alere possunt, vt insinuat *text.* in *cap. vnico*, ibi: *Relegato pietatis officio, de infant. & languid. expos. Azor. instit. Moral. lib secundo, cap.* 26. *quæst.* 2. *Enriq. in Summa par.* 2. *lib.* 11. *cap.* 19. *§.* 3. Sed & vnum esse ex casibus expositionem, quorum absolutio Episcopis reseruetur, optimè comprobauit nouissimus *Barbosa de officio & potestate Episcopi,* 3. *part.* dict. *allegat.* 51. *num.* 147. vbi disertè adstruit, tria debere concurrere, vt casus iste sit de reseruatis. Primum, quòd pater ipse exponat, vel alius eius mandato, siue assensu. Secundum, quòd habeat vnde partum alat. Tertium, quòd sumptus erogatos nolit exsoluere.

Illvd insuper valdè notandum, cæteroquin, nulli ob inopiam vel infamiam vitandam permissum filium exponere, quantumvis prouido, præcautóque modo hoc patrauit, ex his quæ strenuè annotauit *P. Hieronymus de Llamas in sua Methodo spirituali*, 3. *part.* quamuis in foro isti mitiùs essent puniendi, ex dictis *suprà num.* 97. alibíque, & iuxta ea quæ in causa abortus resoluemus *infr.* in *c.* 16.

* *
*

SECTIO II.

De cura in expositos adhibenda.

Svb hæc videamus de cura infantum expositionibus (quæ metu pœnarum arceri non potuerunt) adhibenda. Et sanè hæc vbique † gentium maxima semper fuit. Athenis locus erat, vt refert *Suidas* verbo κυνόσαργες, vbi infantes apponebantur, ait enim: κυνόσαργες, τόπος ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἐν ᾧ τοὺς νόθους τῶν παίδων ἐξετίθεσαν. Addidit & causam, quia templum ibi cõstructum erat Herculi, qui inter spurios reputabatur. 129

Romæ fuit *Ficus Ruminalis* in Comitio, de qua *Plinius lib.* 14. *cap.* 18. *Colitur ficus arbor in foro ipso ac Comitio Romæ nata sacra fulguribus ibi conditis: magísque ob memoriam eius quæ nutrix fuit Romuli & Remi conditoris appellata: quoniam sub ea inuenta est Lupa infantibus præbens rumen, miraculo ex ære iuxta dicato, tanquam in Comitio sponte transisset*, Tacitus *lib.* 13. *Annal. in fine.*

Quæ sanè ficus alia erat (vti ex præcitatis *Plin.* verbis patet apertè) à priore eiusdem nominis, cuius meminit *Liuius decade lib.* 1. *Plutarch. in Romulo* (quidquid cõtra supposuisse videatur *idem Cheronensis Plutarchus de fortuna Roman.* ǰ. expendendus) etenim prima *in proxima* erat Tiberis *alluuie*, vt disertè ait *Liuius* s. isthæc verò in Comitio (à fluuio longè distanti) vbi nunc est tẽplum Divæ Mariæ Novæ, vt ex *Marliano in epitom. Topograph. antiq. Vrbis*, notat *Rosin. li.* 6. *Antiquit. Roman. cap.* 5. At vna alteráque ficus sic dictæ sunt, quia *Prisci* rumen, seu *rumam* (vt ait *Plin. supr. Plutarch. de fortuna Roman. Varro lib.* 2. *de re rustica,*

c.11. *Sextus Pompei. Fest.* eum referens *lib.17.fragm.* & *libr.20. verb. ruminalis*) *vocabant mammam.* Ab his ergo hanc Ruminalem Ficum Comitio exstantem velut expositionibus sacratã quidam putarunt: & Romanos itidem filios suos sub ea exponere consueuisse. Sed ego apud eos, quibus istorum fides est, id scriptum non inuenio. quinimo Ruminalem istam ficum (quæ Romanis magnæ fuit venerationi ex pluribus quibus non immoror) impiis expositionibus eosdem non inquinasse, argumento sunt illa *Plutarchi de fortuna Roman. At Ficum quidem Ruminalem appellant à ruma, id est vbere quam Lupa ibi sese demittens infantibus præbuit. Diu autem loci istius adnolæ hunc morem tenuerunt, vt nihil natum exponerent, sed omnia tollerent atque educarent, Romuli casum & similitudinem venerantes.*

Cùm autem ea quæ de expositionibus sub Ficu Ruminali fieri assuetis, passim circumferuntur, non probamus. Simul vt certissimum in proposito an-
130 notamus Romę LACTARIAM †fuisse COLVMNAM in Foro Olitorio: sic dictam, teste *Sexto Pompeio Festo in libris de verborum significatione*, quòd *ibi infantes lacte alendos deferebant.* Inde *P. Victor in descriptione Vrbis*, *regione* II. *Forum Olitorium: in eo Columna lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt*, notat *Alexander ab Alexandro libr.2. Dierum Genialium, c.12.* & ab eo *Escobar de ratiociniis, cap.25. numer. 46. Gratianus disceptation. forens.* dict. c. 267. *num.*10. Et forsan ad Columnam istam lactariam referenda sunt illa *l. necare, ff. de liberis agnoscendis: Qui publicis locis misericordia causa exponunt.* Nisi verba ista generaliter intelligas, & ad quæuis loca publica in ciuitatibus, his expositionibus destinata, vel apta, referas cum disertissimo *Reuardo in lib. coniect. c.17.* Vbi per quam acutè & verosimili sanè coniectura *Goltzij* numisma *in Fastis* (*fol. mihi 208. in princ.*) ad Columnam istam lactariam refert. In eo enim columna depicta est media inter duas capras cũ infantulo (vt ille ait) & altera parte effigies Iunonis Sospitæ matris Romanorum, cui commendari asserit expositos infantulos, lacte caprino ali solitos. Et hanc suam coniecturam adeò *Goltzio* placuisse refert, vt Indicem posteà rerum in Fastis memorabilium conglutinans, columnam illam *Lactariam* appellare non dubitauerit. Mihi verò (qui ex antiquitate non pauca iam diu recognoueram) ex quo ista in *Reuardo* perlegi, & à *Goltzio in suo Indice* comprobata vidi, suspecta sunt visa, attenta numismatis inscriptione.

Q. LVCRETIVS. Q. F. VESPILLO. Ad quem (re curiosè pensata, & seciriore ductus coniectura) prædicta referenda existimo. Id clariùs eliciam, si primo loco annotauerim è Vespillionum illustri familia (de qua *Stephan. Pighius Annalium Romanorum lib.13. in Epigraphe* ita ait: *Aediles Curules Q. Lucretius, F. N. Flauius qui in hoc Mag.* VESPILLO *appellatus est, quia cùm per seditionem occisorum in Capitolio cadauera tanquam damnatorum in Tiberim insepulta protraherentur. Lucretius Aedilis ipsi sua manu Ti. Gracchi cadauer eiecisset, sicut auctor de Viris illustribus in Ti. Gracchi vita describit. Nec prodnit Lucretium cognominis, quod & liberis reliquit, & in stirpe diu postea remansit.*) Quintum Lucretium fuisse Quinti filium, quem, cùm à Triumuiris proscriptus esset, *Vxor Turia inter cameram & tectum cubiculi abdità vna cõscia ancillula ab imminente exitio, non sine magno periculo suo, tutum præstitit,* vt iisdem verbis enarrat *Valerius Maximus lib.6. c.7.* mox subdens: *Singulari que fide id Turia egit, vt cùm cæteri proscripti in alienis & hostilibus regionibus per*

per summos animi & corporis cruciatus vix euaderent, ille in cubiculo, & in coniugis sinu salutē retineret. Et hoc ipsum, vt memorabile, refert *Appianus Alexandrinus lib. 4. bellorum ciuilium*, & innuit *Dion Cassius lib. 53.* Is ergo Lucretius (Augusto posteà acceptus) Cōsul fuit cū Sentio Saturnino anno Vrbis conditæ 734. vt asserunt *Dio supr. Velleius Paterculus libr. 2. Eusebius in Chronologia, Carolus Sigonius in Fastis Consularibus, Stephan. Pighius Annal. Rom. libr. 18.* Vel anno insequenti 735. iuxta computationem *Onuphrij Panuinij Fastorum lib. 2.* Déque isto Q. Lucretio sunt aliquot Inscriptiones inter plures Vespillionum congestas à *Grutero.* Et is quidem cùm Consul esset dubio procul, memoriæ ergò tanti facinoris à Turia vxore patrati, numisma dicauit Iunoni Sospitæ, hoc est, fidei coniugis, qua media sospes, libérque à tanto periculo euasit. Ideò autem numismate Iunonis imago insculpta est, non tantùm reuersa, sed & priore parte (vbi nuda cum hasta & scutulo, vt in aliis pluribus *Golzij* columna superimposita inspicitur) quia Iuno Dea Pronuba & coniugiorum fautrix erat, *Virg. lib. 4. Aeneidos:*

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ

Et eodem *libro* Veneri Iuno ipsa ait:

Speluncam Dido, Dux & Troianus eandem
Deuenient, adero, & tua si mihi certa voluntas,
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo.

Ouidius *in Epist. Philidis:*

Iunonémque thoris, quæ præsidet Alma maritis.

Indéq; matrimonio, IVNONIS THALAMI, nomen inditum in *Claudiano libr. 1. de raptu, in princip.* & *Statio lib. 4. Thebaidos, versu 527.*

Cur autem dicatur *Sospita*; & cur itidem capræ eidem fuerint dicatæ apertè nobis demonstrat *Pausanias* harum rerum diligens indagator, qui *lib. 3.* Μόνοι δὲ Ἑλλήνων: *E Græcis* (ait) *Lacedæmonij solemne habent Iunonem colere, quam capriuoram Aegophagani nominant, eidémq; capras immolare: Herculem quidem produnt Templum dedicasse, & Deæ capram mactasse. Id illum fecisse, quòd cōtra Hippocoontis filios pugnanti nihil Iuno aduersi obiecerit, cùm proinde, atque in aliis certaminibus contra pugnaturam putasset: Capra verò fecisse, quod alterius generis victima non suppeterēt:* faciūt tradita à *Pierio Valeriano lib. 10. Hieroglyphic. tit. Petulantia domita*, & à *Natali Comite libr. 2. Mythologiæ, cap. 4.* A quibus facilè elicies, quid fuerit in causa, vt Iuno exuuiis caprinis circumamicta (ac est in dicto numismate depingeretur.

Et ab iisdem lucem accipiunt illa *Ciceronis* (prædicta omnia mirè confirmantis) *libro primo de Natura Deorum: Tam herclè quàm tibi illam nostram Sospitam, quam tu nunquam ne in somniis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* Et plura de Iunone *Sospita* à *Liuio, Cicerone, Festo*, & aliis notauit *Rosinus libr. 2. Antiquitatum Romanar. cap. 6.* Vbi & Iunonis meminit *Caprotinæ*. Sed res alia est ex *Plutarcho* & *Macrobio* ab eo relatis. Quibus adde *Marcum Varronem* huius cognominis causam dilucidè demonstrantem *lib. 5.* cùm ait: *Nonæ Caprotinæ, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres sacrificant, & sub sacrificio faciūt, & è caprifico adhibēt virgā.* Subtilis ergo cōsideratio *Rauardi* (quę nobis ita diuagādi per loca deuia & incognita ansam præbuit) ex dictis facilè eliditur, & vera nouáque prædicti numismatis ratio ipsi *Golzio*, aliísque numismatum Descriptoribus incognita imposterū retegitur, ob quæ Lectoré

prædicta non inutilia æstimaturum speramus.

REDEVNTES ad curam publicam circa expositos, subaddo, insequentibus temporibus Pium † Traianum (vt
131 ait *Sabellicus in eius vita*) domum amplissimam in monte Cælio fabricari iussisse, & insigni donatione ditauisse, vbi expositi cum nutricibus integro quadriennio alerentur.

At ex quo tempore CHRISTI SALVATORIS nostri vera Fides, verorum Petri successorum cura in Italia præualuit, & piorum Imperatorum exemplo in Orientali Imperio fuit stabilita, variæ † Brephotrophia in ciuitati-
132 bus fuerunt instituta, & dotata infantibus pauperum nuper natis alendis, & præmaximè expositis, vt colligitur ex *l. illud* 19. *l. sancimus* 22. *C. de sacrosanct. Eccles.* & ex *rubrica tituli subsequentis*, & *Nouella Iustiniani* 7. notat optimè *Petrus Gregorius libro decimoquinto, syntagmatωv iuris, cap. vigesimo octauo, Gothofred. in scholiis ad rubricam Cod. de Episcop. & Cler.*

Temporibus demum subsequentibus, & his nostris præcipuè, magnæ
133 fuerūt, & nunc † existunt amplissimæ domus (quæ communiter Hospitalia nuncupantur) cum ingentibus dotationibus, occurrentibúsve eleemosynis pro his expositis alendis, vt de Gallia testatur *Choppin. de moribus Parisiorum lib. 2. titu. 7. nume. 19.* Et de Italia *Paleotus* dict. *cap. 63. numer. 2. Pontanus tomo 4. lib. 1. de liberalitate, capit. 19.* vbi Neapoli in Hospitali DIVÆ MARIÆ nonigentos expositos vno tempore educari vidisse adserit: & sex decim mille ducatos ibidem quotannis erogari in enutriendis pueris testatur *Andreas Molfesius ad consuetud. Neapol. tomo 1. part. 5 quæst. 3. numero vigesimo quinto.* Quæ nos mirari non possumus, cùm decuplo sumptus, & numerus excedat expositorum, quos hodie fouet & alit in hac Mantua Carpetana Regia sede Hospitale Beatæ MARIÆ DE LA INCLVSA. Eique alia similia apud nos inueniantur: maximè in ciuitate Toletana insigne extat Brephotrophiū sub inuocatione Sanctæ Crucis ab illustrissimo Cardinali & Archiepiscopo Toletano D. Petro Gonçalez de Mendoça magnifica dotatione constructum. Sed præ omnibus Hispalensis Ecclesia (omniū Orbis Christiani in prouentibus, quos *Fabricæ* dicimus, ditior) incredibili expositorum numero nutricum distenta vbera, amplissimo & perenni sumptu subministrat. Sed & multæ aliæ apud nos sunt Domus Piæ & Cōfraternitates pro enutriendis expositis magnis dotationibus erectæ & in dies auctæ.

Quin vbique † gentium innata sit velut videtur pietas & deuotio in expositos (quibus, omnium maximè, *Homo Deus est*, vt vetere Adagio fertur) vt inde *Theodotus in epitome* (post stromata *Clementis Alexandrini*) aptissimè dixerit: Τὰ βρέφη τὰ ἐκτιθέντα τημελούχῳ παραδίδοσθαι ἀγγέλῳ hoc est: *Expositos solicitis, & diligentibus (si fas est dicere) Angelis tradi.*

Vnde est, vt quibus locis Hospitalia, & βρεφοτροφεῖα ista desunt, pietas non defecerit vnquam.

Sed & post nos † multæ sunt Piæ ipsi Domus, & Hospitalia, vbi expositi isti post primos annos fouentur, educantur, instituuntur & diriguntur ad artes & opificia. Quin etiam in re litteraria magnos nominis viros & his nostris temporibus vidimus. Quales & in bellica simul olim fuere: vel fortunatissimi, *Seneca lib. 5. de controuersiis*: *Quanti ex his fortes viri? quanti Tyrannicidæ? quanti futuri Sacerdotes? Ecce ex hac turba origo humanæ gentis apparuit*, cum dicendis *in cap. seq. nume. 9.* & post

post alios prosequitur *Palæotus* d. *cap.* 63.*nu.*4.*&* 8.

Sed & omni æuo plures fuerunt insignes expositi, tam in pace, quàm in bello, vt post alios notat *Palæotus* d. *c.* 63.*nu.*4.*&* 8.*Rojas de successiion.c.*15.*nu.* 18. & alij: qui nimij sunt in expositorum commendatione. Et præ cæteris *Italus* ille paradoxorum suo idiomate conscriptorum *Auctor*, qui primores Orbis homines illegitimos, expositósve suo ductu fecit: at noster *Perez de Lara*, qui *Bartolum* sine causa exposuit, *lib.*1.*de anniuers.*dict.*c.*21.*num.*70. malè percipiens, quæ iste Iuris Ciuilis scientiæ Antesignanus edixerat in *leg. Quidam cùm filium* 132. *numero octauo, ff. de verbor.oblgat.* vbi se tantùm edoctum fassus est primis literis (hoc est Grammatica, Rhetorica & Dialectica, teste *Forstero lib.* 3. *de Historia Iuris Ciuilis Romani, c.* 27.) à Petro de Assisio, qui posteà Venetiis suis sumptibus Domum Pietatis (à quo PETRVS PIETATIS nuncupatus) ad expositorum enutritionem erexit, in eáque insignia charitatis opera in expositos exercuit.

Ad ea verò redeuntes, quæ de Dominibus Piis & Hospitalibus expositorum adducebamus, pro coronide annoto, sustineri nec vllo modo posse, quæ in Loca ista Pia minus piè, & omnium (quos viderim) solus excogitauit *Pater Llmas in sua Methodo,* 3. *parte*, vbi omissam eorum reparationem, & deperitionem velut approbat: & simul subindicat ab eis causam, licentiámque peccandi & exponendi subministrari. Nec enim ob id *pauciores erunt, qui exponent filios* (vt in proposito videtur prænotasse. *Seneca lib.*5.*de controu.* 33.) cùm nullæ sint in corpus peccantes spe futuræ expositionis. Sed & experientia ipsa demonstrat frequentes contingere expositiones, & in oppidis vbi non sunt ista Hospitalia siue brephotrophia, & plerunque fieri in locis parum tutis, magno periculo expositorum, qui in Hospitalibus prædictis securiùs exponuntur, & aptiùs educantur. Et sanè ista omnia agnoscit, vel vt firma certáque supponit Regia pragmatica, seu reformatio anni 1623.§.22. in illis verbis: *I ansimismo mandamos, que no pueda auer estudios de Grammatica en los Hospitales donde se crian los niños expositos i desamparandos, i que los administradores i superintendentes tengan obligacion de aplicarlos a otras artes, i particularmente al exercicio de la Marineria, en que seran mui vtiles, por la falta que ai en estos Reinos de Pilotos.* Quæ quidem clarè demonstrant quantum DEO, hominibúsque grata & accepta sient brephotrophia & Piæ Domus exponendis infantibus à feruenti, laudandáque aliquorum charitate & pietate destinatæ & dotatæ.

Quòd si tanto Operi Pio patrando brephotrophia deficiant, nullúsve è Populo gratis & spontè occurrat, expositus à Republica † (quæ patris vice fungitur, iuxta vulgare illud: *Cui pater est populus, pater est sibi nullus & omnis:* & cui partus nascitur, *l.* 1.§.*& generaliter*, *ff. de ventre in possess.mitten.* & honori est, *l.ciuitatibus* 112. *ff. de legat.* 1.) ali debet ex traditis à *Capola cautela* 2.*Bobadilla lib.*5.*sua Politicæ, capit.* 4. *numer.* 58. vel ab Ecclesia, ciúsve Rectore, vt sensit *Iacobin.de Sancto Georgio, Abbas*, & alij, quos referunt & sequuntur *Molfes.supr.nume.*24.*Surd.de aliment.tit.*1.*quæst.*81.*num.*1. quem & alios refert *Philip.Paschal. de virib. patriæ potestatis* 2.*part. capit.*3.*numer.* 56. Vel à Principe, vel ditionis domino, quæ fuit sententia *Baldi* in *l. si qua illustris, C.ad Orfician.* Vel à communitate, ex eodem *Baldo* & *Boërio* relatis à *Surdo* dict.*quæst.*81.*nume.tertio.* Vel ab his omnibus simul, vt voluit *Anton.* 136

*Thesaur.decis.*118. motus ex d. *Nouella* 153.§.1. (cuius sententiæ nouissimè fuit *Thomas Actius in tract. de infirmitate legali, cap.*48.*nu.*30.) Vel arbitrio iudicum, vt decreuit *Pedemontanus Senatus*, teste *Thesauro suprà*: cuius decisio valdè placuit *Escobar de ratiociniis* d. *cap.*5.*nu.*45.*ad fin.*

Quòd si me mea inter tot diuersas sententias non fallit opinio, ego rem
137 istam iuxta morem † regionis decidédam puto, ex regula *textus* in *l. semper in stipulationibus* 34.cum ibi notatis, *ff. de diuers. regul. iur.* Quòd si mos, & obseruantia subsequuta (vt aiunt Practici) non appareat, valde probo sententiam *Baldi* in dict. *l. si qua illustris*, vt iuxta naturæ legem (de qua in *lege nam hoc natura*, *ff. de condictione indebiti*, cum aliis) expositi alantur à Regibus & dominis, qui bona vacantia aut deperdita suarum ditionum percipiunt, iuxta *textum* in *l.*1. *Cod. de bonis vacant.libr.*10.*& l.*6.*&* 7.*titu.*13.*lib.* 6. *Recop.*

Sin autem deperditorum bonorum (quorum dominus ignoratur) Summus Pontifex distributor est, ex communiore Theologorum & Canonistarum opinione (quam resoluũt, post alios, *Molina de iustitia & iure, tomo*3. *disput.* 746. *Rebellus de obligat.iustitiæ lib.*1.*q.*12.*nu.*3.*Valerius Reginald.in praxi fori pœnitẽn.tom.*1.*lib.*10.*cap.*14.*sect.* 3.*num.*211.*Lessius de iustitia & iure lib.* 2.*cap.*14.*dubitat.*7.*nu.* 49. ducti auctoritate *cap.cùm tu*, 5 *de vsuris*, *cap. sicut dignum* 6.§.*eos, de homicidio*, *c.non sanè* 15.§.*isti* 14. *quæst.* 5. *cap. si quid inuenisti* 6.*quæst.*14.) qui istorum bonorum curam gerunt auctoritate Apostolica (simul cum temporalibus dominis vacantia bona quoque titulo percipientibus) expositorum nutritioni & educationi (illis faciendæ) prouidere iure tenebuntur. His verò deficientibus, Cõmunitates tam Ecclesiasticæ, quàm Seculares: ex dict. *Nouella* 153. *de infantibus expositis*, vbi *Iustinianus* vult his subueniri ab Archiepiscopo, & à sancta Dei sub ipso constituta Ecclesia; id est, omni (vt interpretatur *Thesaurus supr. num.* 4. Fidelium congregatione, tam Laicorum, quàm Clericorum: & ab ipsis etiam Secularibus Magistratibus, cùm ibidem *Iustinianus* Præfecto etiam Prætoriorum Illyrici præcipiat, vt hisce simul opem ferat. Ex quo vno ista vtrique statui Ecclesiastico & Seculari aptiùs mihi incumbere videntur, quàm quod nomine Ecclesię hoc in casu omnes Fideles Laici & Ecclesiastici veniant, vt putauit *Thesaurus.*

His autem quæ de expositorum cura & educatione *supra* notauimus, addo, 138
superstitiosam antiquitatem † longè aliter ista disposuisse: nã vt notat *Ianus Paræus*, eius diligens indagator, *ad electa Plautina*, verbo *natiuitatis*, plerumque expositi gladiatoribus committebantur, qui ad artem suam eos accommodabant & dicabant, si forma essent vulgari. Quòd si venusta, illis oculos eripiebant, eunuchósque alicui Reginæ tradebant: alij verò plures serui suscipientium facti sunt, d. *l.*1.*titu.*7. *de expositis lib.*5.*C.Theod.* Omnium tamen immanissimum erat expositos in solitudinem abiici feris & auibus carniuoris in prædam, *Philo in lib. de specialibus legibus*, loco *supra* citato, Sui-*das* ἐκτιθένται τὰ βρέφη ἀντὶ τοῦ εἰς βορὰν θηρίοις, ἢ καὶ ἄλλοις εἰς διαφθορὰν προτιθέναι ἐπ᾽ ἐρημίαις. *Ouidius Epist.* 11.*Canac.ad Macar.*

Iámq; dare paruum canibus, auibúsque
nepotem
Iusserat, in solis destituíque locis.

*Fab.Quintil.declamat.*306. *Nudum corpus, sub cœlo.inter feras & volucres*: & anteà *declamat.*278. *Illum feræ lacerauerunt, aut aues diripuerunt.* Vel in mare proijci, idẽ *Quintilian.* Declamator.

Velut.

Velut expositos in aliqua solitudine, vel in mare proiectos. Vel strangulari solebant, *Arnobius lib.8. Vos enim*(Romani) *video procreatos filios, nunc feris & auibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere illidere.* Lactantius *lib.5. Diuin.institut.cap.9. Qui nati eos ex se pueros, aut strangulent, aut si nimium pij fuerint, exponant.* Vel demum in cloacas eiici, *Iuuenal. Satyr.6.verb. 601.* iuncta interpretatione antiqui Interpretis:

Transeo suppositos, & gaudia, votáque semper
Ad spurcos decepta lacus.

Ni mauis cũ nouissimo *Bernardo Autumno* ista vltima verba referre ad Vilabrensem (vt ipse ait) paludem, quæ iuxta Auentinum montem. Vel vt ego verius puto, referenda sunt ad proiectos variis lacunis, locisque spurcis, quibus Roma abundabat, ita vt *spurcum* (eodem *Autumno* assseueratore) significet *obscœnum, obscurum, lutulentum, fœtidum*, vbi deferebantur expositi partus, atque proiiciebantur.

At immanitas ista in eos præsertim exercita est, qui mutili & debiles nati erant. Cùm enim antiqui maiorem corporum ad arma idoneorum, quàm animi, aut animæ curam habuerint, inde strangulationes, obiectiones & expositiones istas parentibus indulgebant. Et hac certè innitebatur ratione lex illa *Romuli à Dionysio Halicarnasseo* relata (cuius s. mentionem fecimus) illis verbis iam repetitis: *Nisi aliquid mutilum aut monstrosum statim à partu esset.* Et eam attendit dictum illud *Senecæ lib.1. de Ira: Portentosos fœtus extinguimus, liberos quoque, si debiles, monstrosique editi sunt, obiicimus*, & in *Apuleio lib.5. de Asino: Pater quidam peregrè proficiscens mandauit vxori suæ, vt si sexus sesquioris edidisset fœtus, protinus quod esset editum, necaretur*, & *Seneca* Declamator ante istos *lib.5 controuers.33. Nascuntur* (inquit) *quidam aliqua parte corporis mutilati, infirmi & in nullam spem idonei, quos parentes sui proiiciunt, magis quàm exponunt. Aliqui etiam vernulas, aut omine infausto editos, aut corpore inualidos abiiciunt.* Et fortè omine infausto edi in lucem dixit non tam mutilos & monstrosos (quos iam in præcedentibus & subsequentibus verbis expresserat) quàm illegitimam & vltra connubium habitam prolem, quæ odio & malo habebatur omini, ob idque exponebatur, vt innuit *Strabo lib.5.* vbi de Romuli & Remi expositione loquutus ita ait: *Pueros* RITV PATRIO *exposuit in Tiberim.*

Sed ad partiones mutilas & monstrosas redeuntes, notamus, à dictis facilè colligi, filios & seruos, mutilos & inutiles barbara impietate æquè à Romanis expositos & abiectos fuisse, vt in hoc eos similes inuenias Indis Regni Sophitis (de quibus *Q.Curtius* d. *lib.9.* ait: *Gens, vt Barbari credunt, sapiẽtia excellit, bonisq; moribus regitur. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque, sed eorum, quibus spectandi infantum habitum cura mandata est. Si quos segnes, aut aliqua membrorum parte inutiles notauerunt, necari iubent.*) Et Cathęis & Brachmanibus, qui editum infantem post duos mẽses in publico consilio expectandum exhibebant, vt cuius indoles probaretur, bonis instrueretur disciplinis: si improbaretur, vel in syluas exponeretur, vel statim in conspectu adstantium occideretur, vt narrat *Sabellic. lib.6. Enead.is, cap.4. Petr.Gregor. lib.5. de Repub. c. 1. n.16.* vers. *vnde & moris.*

Sed, ô bone Deus! quantò rectiùs expositis pietas † Christiana occurrit, semper & nunc fauet, eosdémque fouet: videmus enim quosque recens 159

natos Hospitalium & βρεφοτροφείων sumptibus apud nos frequentissimè ali, deinde in aliis domibus piis post primos annos, educari, institui & dirigi ad artes & opificia, quin & ad rem litterariam, vt iam s̃. annotauimus.

SECTIO III.

De sumptuum in expositos erogatorum causa & repetitione.

CVM autem pietate, aut commiseratione quis ductus expositum suscipit & alit, & à parente vel domino, aut ab ipso enutrito sumptus repetere conatur, res diuersimodè termi-
140 nanda est † vario iure super expositorum conditione diuersis vigente temporibus attento.

Ante *legem* enim *Constantini* 1. *tit.* 7. *lib.* 5. *Cod. Theodos.* (quæ expositos omnes educatoris voluntati subiecit, & concessit eis liberè vti, quasi seruis, aut libertis aut filiis) sumptus omnes facti in filio volente, vel inscio patre, exposito ante eius vendicationem ab eo exsoluendi & restituendi erant, vt iam diximus & probauimus ex *Senecæ d. controuers.* 26. & *Quintil.* suo *declam.* 278. alioquin educator interim expositum filium retinebat, & in eo velut quoddam ius dominij aut subiectionis habebat, vt colligitur ex eodem *Seneca l b.* 4. d. *controuer.* 33. ¶ Ab hoc autem nexu pater expositi, vel expositæ filiæ eximebatur, etiam sumptibus non restitutis, si eius annuentis filium filiámve educator propriæ filiæ, aut filio matrimonio collocauerit, d. *l. patrem*, 16. *C. de nuptiis*. Cuius rei ea mihi ratio est, quia cùm ex facto subsequuto declaretur animus præcedens, *l. si seruus plurium*, §. *vltim. D. de legat.* 1. *l. sed Iulianus*. §. *proinde*, *D. ad Senatusc. Maced. Menoch.* post *Tiraq. lib.* 6. *præsumpt.* 33. à *nu.* 23. hinc fit, vt animum repetendi sumptus in educatore isto nó consideremus, quin potiùs eorumdem donationem ab eo (sibi ipsi & filio, filiæue forsan consulenti) factam. Animo verò & spe eiusdem defraudata ex renitentia expositi, vel eius patris, actio vel exceptio ad sumptuum repetitionem, vel nouè enascitur, ex d. *l. patrem*, attenta æquitate, *summáve ratione*. Vel (vt voluit *Gregor. glos.* 5. in d. *l.* 4. *titul.* 20. *part.* 4.) ex capite ingratitudinis. Vel vtiliter, quasi reuiuiscet, vt pluries in iure accidit, *l. eleganter* 24. *D. de pignor. act. l. sed reuocata* 20. *D. de iure fisci.*

In seruo autem exposito aliter res se habebat; nam si sciente domino exponeretur, educatoris fiebat expositus, & ideò de sumptibus nulla erat controuersia, cùm rei vindicatio antiquo domino non daretur.

Cùm autem inscio, aut inuito domino infans expositus esset, tunc sanè dominium eius retinebat, & vindicatio ei concedebatur, restitutis sumptibus nutritori, qui infantem bona fide extulit, vt probat expressa *Alexandri Seueri* constitutio in d. *l.* 1. *C. de infant. expositis.*

Dixi, expositum seruum *bona fide* leuandum ab educatore, qui sumptus vult repetere: nam si inscio, vel inuito domino eius seruus recés natus expositus & subreptus fuerit, partum istum fur subreptor, aut malæ fidei detentor, liberè restituere tenebitur, nullis deductis expensis & sumptibus etiam necessariis, d. *l.* 1. *C. de infant. expositis*, *l. ex argento* 13 *secundo responso*, *D. de cō-dict. furtiua.*

Sed tunc occurrit difficultas magna à decisione & regula *text.* in *l. planè* 8. *cum seq. ff. de pet. hered. l. domum* 5. *C. de rei*

rei vendicat.l.44.tit.28.part.3. quibus cauetur, malæ fidei etiam possessoribus impensarum necessariarum repetitionem dari. Et quidem post Petri, antiqui Iuris Interpretis, & *Accursij in scholijs ad* dict.*l.1.*varias solutiones (quarum quæque suos habet assertores) successiui Iuris Interpretes alias atque alias propositæ difficultati excogitarunt euasiones, quarum omniũ potioribus in medium adductis no-
41 stram sententiam subiungemus.

PRIMA fuit † interpretatio Petri (quem sequitur *Salicet.* in d. *l. domum n.6.*) differentiam constituentis inter impensas necessarias in fundo, domo, similibúsve rebus factas, & erogata in seruorum alimentis, quæ malæ fidei possessores non petunt, vt isti putant: nec dissentit Dom. Præses *Couarruu. in reg. peccatum,2.par.§.6. num.3.* extrà *de regul.iur.in 6.D.Francisc. Sarmiento libro 1 selectar.interpretat.capite* 10. qui sententiam istam noua fulcire conatur ratione, dicens, incrementum adolescentis naturæ non sumptibus alimentorum adscribi debere. Sed eam ex multiplici capite impugnat *Ioan. Garcia de expens.*d. *cap.2.*à *num.*16. licèt in *num.*antecedenti *Sarmienti* sententiam nec sibi probari nec improbari dicat: & demum illam dextrè videtur refellisse *Fachin.lib.5.controuers. iuris,cap.54.*ex eleganti decisione *tex.* in dict.*l.patrem* 16.*C.de nuptijs*, in illis verbis: *Hanc adultam sumptibus & labore tuo factam*, cui adde *l.inficiando* 67.*§.infans,*ibi: *Apud furem adoleuit*, *ff.de furtis*,& d.*l.si ex argento*,ibi: *Si infans subreptus adoleuerit*, id est, creuerit: adolescere enim idem est quòd crescere.

SECVNDA fuit opinio eiusdem Petri, *Cyni*, Pauli, & aliorum, qui impensarum quarumque repositionem furi denegant, vt quas iste donasse videatur, sed eam optimè improbat *Fachin.* d.*cap.54.*qui in aliena subripiente donandi animum non posse considerari rectè deducit à *l.fuit quæstionis* 24.cum aliis, *ff. de acquir.hæredit.*

TERTIA solutio fuit *Glossæ* intelligentis dictam *l.1.*suo casu, hoc est, in fure partum auferente, qui ad æstimationem rei quanti vnquam plurimi fuerit, tenetur, *l.in re furtiuâ* 8.dict.*l.ex argento* 13.*ff. de condict. furtiua, l.penultim.ff.rer.annotar.l.si quis vxori* 52. *§.si quis massam*, d.*l.inficiando* 67.*§.infans,ff.de furtis*, eamque ex pluribus astruit *Pet.Gilken.de impen.2.p.capite* 7. à *numero* 14.post *Ioan.Garc.*d.*capite* 2. *numero* 17.Sed improbat *Barbosa*, post alios in *l. diuortio*, *§.fin.numer.6.ff.soluto matrim.*per *tex.*in d.*l.domum*, vbi agitur de domo per iniuriam occupata, id est, per vim inuasa, vt ibidem sensit *Glossa*,& tamen deductio impensæ necessariæ non denegatur. Quod verò ad illum *textum Menoch. de recup.possess.remed.*15.*num.*616.subaudiebat de occupatione rei immobilis sine violentia facta, iuxta *§.quod autem,instit. de vsucap.* explodit perquàm optimè *Barbosa supra.*

Nec sustineri potest differentia in ratione expensarum à *Gilkenio* excogitata inter furem (de quo loquuntur *Alexander* Imperator & Iurisconsultus Paulus in dict.*l.1.*& *l.ex argento*) & prædonem, cuius mentio habetur in d.*l.planè*: nam etsi cum *Gilkenio* rati fuerimus, *prædonis* verbo Iurisconsultos frequenter vsos, cùm rerum immobilium inuasores, aut quosuis iniustos occupatores denotare voluerunt (quibus *furis* nomen non æquè adaptatur) negari tamen non potest (quidquid *Gilkenius* adstruxerit) verbum hoc PRÆDO latiùs patêre, quàm ipse existimauerat, & ad quemuis furem & rei alienæ detractorem seu detentorem propriè referri, *l.si pignore* 22.*§.si prædo, D.de pignorat. actione*, *l.non solùm*

13.*in fine,ff.de noxal.action.l. ſi ex ſtipulatione* 5.*l. Pomponius* 13.§.*ex facto,D. de acquiren.poſſeſſ. Cicero pro Domo: Omnium temporum,atque tectorum totiuſque Vrbis prædo*:facit *l.ſi pupilli 6. §.ſed ſi quis* ibi:*Prædandi cauſa accidit, D.de negot.geſtis,l.ſed ſi lege* 25.§.*de eo*, ibi: *prædonio more,ff.de petitio.hæredit.* Demus *prædonis* nomen ad furem referri non poſſe, vt *Gilkenius* voluit, adhuc ſecurè tenendum eſt æquo lance in furibus ac prædonibus cauſam & rationem d.*l.planè ſupr.* expenſam procedere, maximè cùm nulla ſit Iuris Ciuilis diſpoſitio, quæ in materia impenſarum iſtos diſcernat: vt ex hoc ſolo capite idem in vtriuſque ſit obſeruandum,*l.hoſtes* 118.ibi: *Cæteri latrones, aut prædones ſunt,ff.de verbor. ſignific.* Sed & furem neceſſarios ſumptus deducere diſertis verbis aſſeuerarunt *Mieres* & *Gutierrez*, quos refert *Barboſa ſupra n.*61.*Fachinæus libro* 1.d.*cap.*54.

QVARTA fuit eiuſdem *Accurſij* ſententia,exiſtimantis, Imperatorem *Alexandrum* in d.*l.*1.egiſſe de ſumptibus & expenſis,qui tolli,abradíve non poſſunt,& ideò nec repeti: *l.ſi autem*, 27.§.*fin.verſ.ſed ſi puerum*, *D.de rei vend.* At iſta (quæ valdè placuiſſe video *Anton.Fabro lib.*2.*coniect.cap.*1.) pluribus diſplicent, maximè verò *Ioanni Garciæ de expenſis & meliorat. cap.*2.*num.*10. *Fachin.*d.*cap.*54. qui rectè ea quæ de abraſione circunferuntur ad expenſas tantùm vtiles referunt.

QVINTA enodatio fuit *Menochij de recuper.poſſeſſ.remed.*15.*num.*515. ſibi ſuadentis, differentiam conſtituẽdam inter rerum immobilium malæ fidei poſſeſſorem,& mobilium furem, qui cùm ad quadruplum rei ſubtractæ teneatur, meritò ſumptus repetere non poteſt.Sed improbat *Fachin.* qui prædoni repetitionem impenſæ neceſſariæ concedi ait in d.*l.planè*, *D.de petit.hæredit.* & ſimilibus: vt inde furi non debeat denegari, iuxta proximè dicta.

SEXTA reſponſio fuit *Ioan.Garciæ* d *cap.*2.*num.*18. aſſeuerantis, impenſas neceſſarias furi non conſeruari in d.*l.* 1.& d.*l.ex argento*, vt quæ factæ in re aliena,in infante ſcilicet recèns nato expoſito, quo caſu educator ſumptus amittit,ac ille qui in alieno ſolo ſcienter ædificat,*l.adeò*,§. *cùm in alieno ſolo*,iuncto §.*ex diuerſo,ff.de acquirend. rer.domin.* Sed hanc ſolutionem meritò vt inſulſam, & parum aptam impugnauit *Gilkenius de impenſ.*d. *capite* 7.*nu.*9.

SEPTIMA fuit annotatio *Barboſæ ſuprà*, qui dictam *l.*1.& *l.ex argento* intelligit in expenſis,quæ non ſunt in rerum natura,velùt factæ in puero enutriendo, vel quæ à re ſeparari non poſſunt,vt cælatura, de qua in d.*l.ex argento*:id quod medio quodam apto confirmaſſe videtur,dum ait, in his iuribus reſpectu furis cauſam impenſæ neceſſariæ & vtilis adæquari: at expenſa vtilis tunc deducitur, cùm abradi poteſt, dicta *l.domum*, *d. in fine,l.vtiles* 39.*ff.de petit. hæredit.* d. *l.*44 *tit.*28.*part.*3. neceſſaria ergo impenſa alimentorum, quæ vel non extat,vel ſeparari non poteſt, à fure deduci nequit. Et ſubdit, in odium furum hæc ita ſtabilita, vt homines magis ab hoc delicto arceantur: ſicuti & pleraque alia inueniuntur ſpecialia in condictione furtiua, *l.*1.*l.in re furtiua* 8.*in princ.*& in §.1.*l.fin.D.de condict.furtiua*, & alibi. Sed nec iſta *Barboſa* ſuſtineri poſſunt,eis namque admiſſis fieret,vt impenſæ neceſſariæ, quæ à re furtiua,aut inuaſa ſeparari nequirent (vt quæ fiunt in fulcienda naui,& reparanda domo vel inſula) deduci non poſſent à fure, vel prædone,contra dictam *l.planè*, & d.*l.vtiles*.

tiles sequent. dict. *l. domum*, & d. *l. si autem, §. fin. ff. de rei vendicat.* His adde, *Barbosæ* ratione satis non fieri propositæ difficultati: si enim odio furis impensæ illius, quæ à solo separari non potest, deductio non datur, cur & eiusdem odio non denegatur impensæ, à re separandæ, restitutio? Maximè si rei furtiuę æstimatio facienda est quanti plurimi res etiam facto & sumptu possessoris quocunque tempore fuerit, iuxta decisionem *tex.* in *l. in re furtiua* 8. *§. 1. ff. de condict. furtiua*, & probat quidem ipse *Barbosa supr.* à d. *l. ex argento.*

OCTAVA demum consideratio fuit *Fachinei* d. *lib. 1. controu. iur. c. 54.* vbi à *Celso* in d. *l. inficiando, §. infans. ff. de furtis* (qui infantis furtum fieri docet, & quo tempore apud furem adoleuerit) deducit, sumptus necessarios ei non deberi, cùm non possit actionem ex ea causa consequi, ob quam alteri obligatur, *l. sine hæreditaria, ff. de negot. gest.* Sed hæc futilia sunt, & ea meritò irridet, & ex pluribus impugnat *Gilkenius de impensis 2. par.* d. *c. 7. ex n. 12.*

VNDE ego ista salebrosa, omniúmque Iuris Ciuilis asperiore via aliorsum rectiùs, securiúsque (ni fallor) iter agendum existimo, aliquibus conclusionibus, seu præmissis adhibitis.

PRIMVM sit, quemcunque malæ fidei possessorem, siue fur, siue prædo, siue inuasor, aut iniustus detentor is sit, omnia ἐμπονήματα elaborata & impensa in re aliena summo iure amittere, quamuis mediis sumptibus ab eo factis res sustineatur & conseruetur (quo casu, omnium maximè, expensæ dicuntur necessariæ) Earum tamen ex æquitate deductio datur in d. *l. planè* (quæ vtrumque mirè probat) ibi: *Planè in cæteris necessariis, & vtilibus impensis posse separari, vt bonæ fidei possessores has quoque imputent: prædo autem de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit: sed benignius est in huius quoque persona haberi rationem impensarum: non enim debet petitor ex aliena natura lucrum facere*, &c. Quæ vltima verba & furi conueniunt comprehenso, vel saltem denotato in prioribus sub dictione *prædo*, ex traditis §. contra *Gilkenium*. Cùm autem fur ob dolum & culpam pœnis *lege xij. Tabular.* constitutis, & aliis sequentibus temporibus in eum latis obnoxius esset, *l. 4. ff. ad leg. Aquiliam, l. si pignore, § furem, ff. de furt. l. si calluit* 233. *§. telum, ff. de verb. sign. c. 3. de homicid. l. 18. titul. 14. part. 7. l. 7. & 9. titul. 11. lib. 8. Recopil.* similíque modo aliorum prædonum, seu inuasorum, aut raptorum audaciam vindicari videamus, *legibus titulorum, ff. de vi bonorum raptorum*, & *de vi armata*, & *C. vnde vi*, & alibi, nil certè impedimento esse debet furi, raptori & similibus, qui debitas, & à iure constitutas pœnas luunt, quominus ex ratione naturali dict. *l. planè* necessarias impensas damno suo, & domini lucro in re aliena factas subducant.

Sed & huic naturali æquitatis rationi aliam iuris strictiorem facilè addere potes, ductam à dispositione *l. si quid possessor, §. sicut autem, ff. de petit. hæreditat.* vbi malæ fidei possessori culpæ annumeratur, si sumptus necessarios iure non fecerit. Cùm ergo quod facere debuit, perficit, nil est quod ei imputetur, & per consequens saluum semper habebit istorum sumptuum deductionem, iuxta tradita à *Gilkenio de impensis, 1. part. cap. 2. numer. 14.*

SECVNDÒ constituo eam cessare, vbi cessat naturalis ratio d. *l. planè*, id est, vbi non datur domini lucrũ cum

simultanea furis iactura: vno namque istorum deficiente impensarum deductio, seu imputatio cessat. Et ideò si ab expensis necessariis à fure, vel malæ fidei possessore factis lucrum dominus non sentiat, earum cessabit deductio. Idémque erit ex contrario si res fructuosior, pretiosiórve facta fuerit sine iactura furis, alteriúsve malæ fidei possessoris. Et hi sanè sunt casus dictæ *l.1.* & dictę *l.ex argento, in 2.parte.* Ex alimentis namque datis seruo per dominum vindicato, nil pretiosius, aut fructuosius ei obuenit cum iactura iniusti detentoris; quæ simul cum lucro domini impensarum deductioni causam præstare solet dict. *leg.planè*, cum proximis dictis.

Nec obiicias, expositum seruum, de quo in d. *l.1. C.de infantib.expositis*, & in d. *l.ex argento, ff.de condict.furtiua*, alimentis & sumptibus necessariis à furę ei subministratis adoleuisse, maiorí que æstimationis ob id effectum, & per consequens ex dictis sumptibus lucrum domino accidisse damno educatoris. Nam verius est nullum ab impensis possessoris eius damno factis, lucrum domino obuenire quocunque tempore seruum (eo inuito vel inscio expositum) vindicet. Si enim hoc fiat intra quinquennium, seruus infans (cuius in ea ætate nullæ sunt operæ, *l. fi.§.si minor, ff.de oper.seruorum*, cum aliis illicò referendis) pretiosior, fructuosiórve dici non potest. Síeque lucrum hoc casu & tempore dominus non habet ex sumptibus & impensis cum seruo suo factis. Quod si post eam primam ætatem vindicetur à domino, cùm iam operę officiales, vel artificiales (de quibus in *l.6.& 9.* & alibi sæpe, *ff.de oper.libertor.*) considerantur in seruo, d. *l.fi.§.si minor, l.vt iusiurandi 7. §.dabitur, ff.eod.tit.de operis libertor. l. fi.§.fi. ff.de liberali causa, l.quòd si artificem 32.ff.de rei vendicat.* iuxta felicem *Cuiacij* emendationem *lib. 9. obseruat. cap.38. ad finem*, qui pro *vicesimum quintum annum* legit *quintum annum* (ab ista enim ætate seruus vel histrio esse potest, vel nomenclator* d.§.*dabitur*, & d. *l.fin.§.final.ff.de liber.causa*) tunc duo sunt casus considerandi. Primus, cùm seruus nullas pręstitit operas ante rei vendicationem domini. Secundus, cùm operas exercuit seruiles in potestate furis, aut alterius malę fidei possessoris. In primo casu etsi seruus subripientis, vel iniustè possidentis impensis adolcuerit, quin & ab ægritudinibus liber euaserit, cùm tamen re vera fructus, id est, operas nullas dederit, fructuosior non reputatur, ac fundus sterilis qui sumptibus ferax, fructuosiórque redditur, aut nauis fracta, quę impensis nauigationi & naulis apta denuò efficitur. Etenim incrementum serui nullas operas pręstantis propriè & pręcipuè sumptibus tribuendum non est (vt accidit in fundo & naui) sed naturę, vt optimè dixit *Sarmient.* relatus s. Cuius dictum verissimum in casu (quem persequimur) diiudico. Nec quicquam obstare dictam *l patrem, C.de nuptiis*, d. *l.inficiando, §.infans, ff.de furtis*, d. *l. ex argento, ff.de condict.furtiua*, in verbis sumptibus expensis. Nam quod illis iuribus exprimitur, illud vnum est, sumptibus seu impensis furis infantem ab eo subreptum adolescere, id est, infantiam exuere, & adolescentię, vel prope annos contingere, natura, temporisque cursu eam pręcipuè subministrante. Hoc autem fieri potest seruo fructuosiore non reddito. Quòd si mediis sumptibus non tantùm adoleuerit, sed & operas pręstiterit, quo solo casu (qui secundus ex propositis) fructuosior efficitur, tunc sanè res aliter pete-

* Is erat qui nomina seruientium salutantium vel dominorum suggerebat. Seneca li. 2. epist. 19 & li. 3 epist. 27.

peragenda est. Nam cùm fructus propriè hi in iure dicantur, & re vera sint, qui supersunt deductis expensis, *l. fructus 7. ff. soluto matrimon. l. quod in fructus 46. ff. de vsuris, l. 1. C. de fruct. & litium expensis*, cum aliis (nulla enim ratio est, siue interuenire potest, quę hoc genus deductionis impediat, *l. fundus qui dotis 51. ff. familiæ ercis cun.*) hinc est, vt fur (qui cùm bonus possessor non sit, & inde operas serui subrepti suas facere non potest, *l. acquiritur 10. in princip. l. liber homo 19. l. qui bona fide 23. ff. de acquir. rerum domin. l. qui fundum 7. §. liber homo, ff. de vsucap. pro emptore, l. liber homo 20. ff. de stipul. seruor. l. 1. C. de rei vendicat. princip. institution. per quas personas cuique acquiritur, §. 1. institution. per quas pers. nobis obligat. acquir.*) ab impensis (per verum dominum omnino restituendis) sumptus hoc casu deducat; ex quo operę seruorum fructus sunt hominis, *l. fructus 4. ff. de operis seruorum:* & semper intelliguntur, & restituuntur expensis deductis, d. *l. fructus in fin. l. fin. in fin.* ibi: *Deductis impensis necessariis fiet æstimatio*, *ff. illo tit. de operis seruor.* d. *l. f. §. fi. ff. de operis libert.* vbi *Neratius* dicentè in proposito ait: *Non solum liberdum, sed etiam alium quemlibet operas edentem, alendum, aut satis temporis ad quæstum alimentorum relinquendum*. Cùm ergo dominus seruum eo inuito vel inscio expositum vindicat à fure, vel quouis iniusto detentore, impensarum ratio habenda est in restitutione operarum. Quòd si nullę fuerint operę aut impensis minores, eas, quantumcunque necessarias dominus non restituet, d. *l. 1. C. de infant. expos.* d. *l. ex argento in secundo responso, ff. de condict. furtiua.* Quorum quidem iurium decisio in hoc differt à resolutione & regula *l. planè, ff. de petitione hæreditatis, l. domum, C. de rei vendicat.* quod in illis citra rationem operarum nulla est deductio, ni mauis retentio impensarum: in his verò agitur de sumptibus citra causam fructuum factis aliàs deducendis, vt optimè hoc vltimum annotauit *Gilkenius de impensis*, 1. *parte*, d. *c. 2. n. 12.*

Vtrarumque verò legum eadem est causa & decidendi ratio: nam expensæ necessarię (vt iam annotauimus à d. *l. planè*) tunc tantùm deducuntur, cùm factę fuerunt cum damno & iactura malę fidei possessoris, & lucro domini: iactura verò nulla furis est in d. *l. 1.* cùm ab operis (si quę fuerunt serui) sumptus deducit, vt prędiximus, nec lucrum est domini, cui in operarum restitutione sumptus imputantur, d. *l. 4. ff. de operis seruor.* cum aliis s. adductis.

Adhęc impensę necessarię eam semper rationem habendam fore existimo, vt si ex ea plus pretij fundo accesserit, solùm quod impensum est, reddatur, vulgari *l. in fundo 38. ff. de rei vend.* Et inde est, vt si in vineto vel oliueto, aut plantariis ex cura & cultura, irrigationéque apta, & suis temporibus commoda plus pretij accedat, solam expensam possessor imputare possit. Hanc verò imputat fur in casu d. *l. 1.* & d. *l. ex argento*, cùm operas deductis prius sumptibus necessariis restituit, iuxta d. *l. fructus*, cum similibus. Non est ergo cur ratione expensarum, quibus seruus coadiuuante natura creuit & adoleuit, idem aliquid exigere possit à vero domino, & hoc demum est quod *Alexand. Seuerus* denegat in d. *l. 1.* & *Paulus* in d. *l. ex argento*, 2. *parte.*

Ex quibus omnibus quàm euidentissimum est, primam solutionem *Saliceti* post *Petrum* s. relatam ad d. *l. 1. C. de infant. expos.* (quę differentiam constituit inter sumptus alimentorū

& aliarum rerum) verissimam in se esse & tenendam, ex singulari ratione & causa per nos demonstrata, quàm isti, *Couarr.* & *Sarmiento* s̃. relati non calluerunt.

Ex dictis insuper facilè percipies, quid in causa fuerit Imperatori *Alexandro* & Iurisconsulto *Paulo*, vt vtiles & necessarios sumptus in seruo exposito à fure, vel malæ fidei possessore factos coæquarint, cùm aliàs eorum diuersa ratio constitui soleat, d.*l. domum, l.vtiles 39.ff.de petit.hæred.t. l. impensæ 79.ff.de verb.signif. l.1.ff.de impensis in res dotales fact.* cum aliis: nam cùm eorundem quod attinet ad malæ fidei possessorem stricto iuris rigore eadem sit causa, & denegata deductio (ex æquitate tamen diuersimodè concessa, dict.*leg.domum*, dict.*l.planè*, 38. iuncta d.*l.19.ff.de petit.hæred.*) hinc fit, vt æquo lance vtriusque expensæ causa pensitetur in d.*l.1. C.de infantib. expositis*, & in d.*l.ex argento, ff. de condictione furtiua.* Ita vt quemadmodum in illis iuribus expensæ necessariæ (quæ nulla est citra causam fructuum & operarum, ex proximè dictis) deductio non datur, ita etiam & vtilis denegetur, vt puta quę fit in curanda serui eruditione, quæ euelli quidem non potest, cùm sit habitus animæ inseparabilis, καὶ δυσκινητότερος vti ex *leg. sin autem, §.fin.vers.sed si puerum*, disertè notat *Cuiacius lib.9.obseruation.cap.38. Ioan.Garcia de expensis cap.5.n.3.* Nulla autem subesse potest æquitatis ratio, cur dominus iniusto possessori vtiles sumptus in erudiendo seruo factos restituere aut imputare teneatur: *Nisi* forsan *eum* illico *venalem habeat, & plus ex pretio eius consequuturus* sit *propter artificium.* Aut si *ante denuntiatum sit actori, vt impensam solueret, & eo dissimulante posita sit doli mali exceptio*, ratione impensæ vtilis post denuntiationem factæ, *l.nisi 29.cum sequenti, ff.de rei vendicatione.* Vbi hi duo casus summæ æquitatis excipiuntur, quos optimè prosequitur *Cuiacius* dict.*c.*38. Quamuis in principio capitis malè asseruerit, dominum qui aliunde satisfacere potest sumptus à bonæ vel malæ fidei possessore factos, eos teneri soluere, quod indistinctè quidem verum non est, ex traditis *suprà.*

Sed prędictis omnibus per nos nouè excogitatis grauiter obstare videtur re & effectu impensarum & sumptuum necessariorum in alendo seruo deductionem dari, cùm verè subducantur ab operis restituendis & earum æstimatione: vt inde nominalis (vt aiunt) nostra videatur interpretatio ad d.*l.1.* & *l.ex argento.* Id quod fortiùs vrgere videtur, si aduertamus, in dicta *l.ex argento*, vtiles impensas (quę abradi non possunt, velut cęlatura) & necessarias in seruo à fure subrepto factas, coæquari, vti prędiximus. Cùm ergo vtilium quę sine rei damno ab ea separari non possunt, nulla omnino detur deductio aut repetitio, planè idem videtur dicendum in impensis necessariis, vt quemadmodum pręcipuè & seiunctim à fure infantis peti non possunt, ita nec incidenter retineri, cùm eius operas vero domino restituit. Sed respond. rectè Imp. *Alexandrum* & Iurisconsult. *Paulum* in pręcitatis sępè legibus absolutè prędictarum impensarum repetitionem furi denegasse, cùm non repetat quęcumque prioribus quinque infantis annis erogauerit, ex dictis s̃. nec insuper impēsum in eo deinceps alendo & curando, medico & pharmacis in mala valetudine adhibitis. Finge subreptū à fure seruum à quinquennio suę ætatis perpetuo laborasse morbo animi seu corporis vsque ad vindicationem domini, & operis prestandis toto illo tépore ineptum inde fuisse, sanè fur impensas

pensas istas necessarias non deducet, ex generali dispositione d.*l.*1. & *l. ex argento*. Quòd si seruus congrua ætate operas præstiterit, & eas dominus à fure repetat, tunc certè necessarias impensas in eo alendo & curando subducet, ex ratione d.*l. fundus qui dotis, ff. familiæ erciscundæ*. Sed hæc alia res est, & longè distans (iuxta tradita s.) à deductione impensarum, de qua agitur in d.*l. planè, cum sequenti, ff. de petitione hæreditatis*, & in d.*l. domum, C. de rei vendic.* cum similibus. Vt ab his clarè itidem elicias, *Paulum* in d.*l. ex argento* (dum vtilium expensarum inseparabilium, & subinde necessariarum in infante à fure subrepto, eandem fecit causam) intelligendum de impensis necessariis, citra causam operarum, non deducendis: non tamen inde negasse earum rationem habendam, cùm de operis serui quinquennio maioris restituendis dominus egerit.

Hæc prosequuti latè sumus necessaria existimantes, ad elucidationem & conciliationem d.*l.*1.*C. de infantib. expositis*, & d.*l. ex argento*, cum d.*l. domum, C. de rei vendicatio.* & similibus: amplius verò in materia ista (quæ latiùs patet) vltráque metas vagari nobis non detur.

Vidimus de sumptibus in expositis cuiusque conditionis ante *legem Constantini* (quæ est *l.*1.*tit.*7.*lib.*5.*Codicis Theodos.* ab educatore factis: nunc 142 ex ordine inquirendum est de sumptibus in eosdem post eam *legem* † ante nouiorem *Iustiniani* (quę est *l.*3.*C. de infantib. expositis*, & d.*Nouell.*153.) collatis. Et sanè filio vel seruo, inscio vel inuito patre, aut domino expositis id ipsum dicendum est, quod ante *legem Constantini* in solo seruo exposito constituerat *Alexander* Imperator in d.*l.* 1.*C. de infantib. expositis*, iunctis his quę in eius elucidatione annotata remanent, simul cum traditis à *Surdo de alimentis, tit.*6.*quæst.*19.*nu.*1. *&* 2. Quòd si volente patre aut domino expositio fiat, cùm omnis eis aditus repetendi filij & serui sit præclusus, d.*l.*1.*titul.*7.*lib.*5.*C. Theodos. & l.*2.*eod. tit.* cum *l.*2.*C. de infantibus expositis*, non est cur de sumptibus ab educatore in re propria factis disputationem inutiliter ineamus.

Svb hæc oportet, vt sumptuum causam post illam *l.*3.*Iustiniani*, † *C. de* 143 *infantib. expositis*, & d.*Nouellam* 153. disquiramus, & certè filio vel seruo infante exposito, inscio patre vel domino (quo casu patria potestas & dominium conseruatur post has etiam constitutiones, vt ex earum serie clarè patet) idem tenendum est & obseruandum, quod statuerat *Alexander* Imperator in dict.*l.*1.*C. de infantib. expos.* cùm hoc casu nihil innouauerit *Iustinianus* suis constitutionibus (quibus concordat *l.*4.*titul.*20.*part.*4. vbi hoc suppletur, & apertè deciditur in verbis paulò j. referendis) Si verò patris, dominíve voluntate expositio fiat, nulla in eos educatori actio dabitur, nec in educatos ipsos, quamuis ad opulentiam peruenerint fortunam, ex quo enim nutritori constare debeat expositum, ipsa expositione liberum & ingenuum omnibus modis fieri in odium & pœnam patris vel domini, dict.*l.*3.*Cod. de infantibus expositis*, cum dicta *Nouella* 153. & traditis s. consequens fit, alimentorum præstationem pietatis gratuitæ causa videri factam, & sine vlla spe repetitionis sumptuum: *Pietas* enim (vt egregiè ait *Cuiacius in commentariis ad titulum C. de infantibus expositis, ad finem gratuita est, & officium sequitur, non factum.* Et hæc de sumptibus in exposito factis attento Iure Ciuili & nouioribus Imperatorum constitutionibus.

DEMVM superest, videre quid Iure
144 nostro † circa sumptus istos statutum fuerit, & sanè ex dict. *l.1.tit.5.lib.4. del Fuero juzgo*, pater qui expositum filium agnouit, educatori seruum loco filij dare tenentur, vel eius æstimationem.

Ex *lege* verò *2.tit.23.lib.4.Fori*, si inscio patre vel domino filius aut seruus expositus fuerit, educatori debentur sumptus in exposito facti vsque in decimum ætatis suæ annum, à qua Iure isto, & antiquioris Fori juzgo in *l.3.titul.5.libr.4.* operæ seruiles (quæ post quintum annum Iure Ciuili imputabantur, *l.final.ff.de oper.seruorum*, cum aliis s. traditis) incipiunt considerari, *Villadiego* in d.*l.3.in fine*. Ab illo verò tempore reputat alimenta cum operis eidem ab exposito præstandis. Quod velim intelligas in nutritore, qui bona fide expositum excepit & educauit, non in fure: vt ita vites correctionem d.*l.1.C.de infant.expos.* & d.*l. ex argento 13.ff.de condict.furtiua:* & sanè in hoc sensu decisio d.*l.2.Fori* conuenit cum dispositione d.*l.4. tit. 20. p.4.* in illis verbis: *Fueras ende si otro alguno los echasse sin su mandado, è sin su sabiduria, cà si los demandassen luego que lo supiessen, dezimos, que ge los deben dar, tornando le el padre, ò la madre las despensas à aquel, ò aquellos que lo criaron, si las quisieren demandar.*

Sed dubitant Iuris Interpretes, &
145 meritò, quando educator velle † videatur expensas cum exposito factas habere, vt earundem repetitioni locus sit, iuxta præcitata verba *legis partitæ*? Et mihi certè in proposito omnium melius distinxisse videtur *Abbas* in *cap. vnico, numer. 2. de infantibus expositis*, dum ait, vel alimenta fuisse præstita ab Hospitali, vel Ecclesia, quę expositos communiter alit, & deduci non posse, *c.sacrorum 10. quæst.2. l.alimenta, C.de neg otiis gestis*, aut præstita sunt à consanguineo, qui non fuit protestatus, & ait donationem præsumi, *l.Nensenius*, cum ibi notatis, *ff.de negot.gestis*, aut non erat consanguineus, & tunc ait, repetitioni impensarum locum fore, si educator pręuia protestatione indemnitati suę prouiderit, d.*l.Nensenius*: si verò non fuerit protestatus, & homo liber & liberalis sit, aut ex aliis coniecturis apparet non habuisse animum imputandi, tunc deductio non dabitur. Quò reducenda sunt quæ latè tractat *Surd.* post alios, *de alimen.tit.6.d. quæst.19.num.6.& 12.& seqq.* & iterum *num.17.* *Gregor.* in d.*l.4.tit.20.part.4. glos.5.*

At in æstimatione harum impen- 146
sarum ineunda, † quibus casibus exsoluenda sunt, plurimum arbitrio iudicis tribuendum est. Quid enim si ob celandam turpitudinem parentum illustrium eis insciis, aut nolentibus filius extra matrimonium habitus expositus sit, & ex iniuncto consanguineorum mandato & ordine ab eo educatus, qui parentes non ignorabat, & vti eorum filium instruxit expositum, & bonis disciplinis erudiit, cùm dedecori esset eidem & parentibus alij inseruire, & operas officiales, fabrilésve exercere? Et sanè huic nutritori omnes sumptus in alendo & erudiendo puero bonus iudex integrè restitui iubebit, ex doctr. in d.*cap.final.87.dist. Abb.* optimè in dict.*cap.vni.numer.2.de inf. exp.* iunctis his quæ post alios tradit *Surd. de alim.* dict. *quæst.19. numer.8. Greg.gloss.4.* in d.*l.4.titul.20.p.4.* quæ isto in casu intelligenda & admittenda sunt iuxta tradita à *Bart.* in *l.de bonis, §. non solùm, ff.de Carbo.edict.* Quid si ignotum expositum & infimæ (vt implurimum accidit) conditionis educator artibus liberalibus imbuit, aut Medicinam

dicinam, aliasve scientias magnis sumptibus discere curauit? Certè patri opifici misero, vel ex ima plebe illos nō imputabit, sed impensam tantùm in alendo filio necessario factam. Sumptuum enim illorum in erudiendo erogatorum donatio in educatore presumenda potiùs est, cùm expositum (quo tempore fabro ferrario, vel lignario, vel alij opifici tradere debebat, vt fabrile disceret officium) bonis litteris erudijt, ex *Bartoli* doctrina in d. §.*non solùm*. Quid si educator nec ad artes liberales, nec mechanicas expositum prouexerit? Tunc sanè si bona fide & pietate ductus eum fouet & alit, animo repetendi alimenta à patre expositionis inscio, ea certè omnia eidē integrè persoluentur ob primæ quinque annorum ætatis expositi enutritionem iuxta ius commune, de quo in d.*l.si.*§.*fin.ff.de liber.cau.* cum similibus *supr.* adductis: vel decem annorum attento nostro Regio d.*l.2.tit.23.li.4.Fori*, cum aliis *supr.* citatis. Dum tamen cū alimentis compenset quæcunque pretiosa, velùt aurum, gemmas, & similia, vase, cistave expositionis inie cta. Vt moris fuiss. apud Antiquos constat ex *Terent.in Heautontim.act.4.sc.1.*

Cùm exponendam do illi de digito annulum
Detraho, & eum dico, vt vnà cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers patris esset de nostris bonis.

Et plura huius propositi congessit *Thomas Dempser.ad Rosim lib.1.d.ca.1.* quorum bonam partem desumpsit ab *Heliodoro* diuersis locis, & *Ezechielo* expositionem Mosis decantante. At subsequenti ætate iam operis præstandis apta educator ab earum restitutione sumptus deducet: & cætera peragentur, qua norma latè annotauimus *supra nu.141.*

Et sanè ad ista reducenda sunt, quæ lato sermone prosequitur *Surd.de aliment.ti.6.*d.*q.19.Gratia.tom.2.*d.*discep.267.à num.41.*post *Gloss.*in d.*c.fin.87.d.Abb.*in d.*c.vni.de inf.ex.* post alios ab istis relatos agentes de alimentorum expositis subministratorum deductione, repetitione, & æstimatione, vel quantitate.

Sed pro exactiore tractatione eorum, quæ de partu exposito inscio patre, & sumptibus ab educatore in eo factis diximus, annotandum censemus, in dubio † filium præsumendum ignaro patre expositum fuisse, & in hoc standum esse eius assertioni iuratæ, vt nobis probat expressà *l.2.tit.23.lib.4.Fori*, & notat ibi *Montaluus* hanc præsumptam ignorantiam ex pluribus adstruens. Sed vix hoc in praxi (quæ ad legum fori obseruantiam præcisè requiritur) obtineri posse puto, vel saltem resolutionem *Montalui* super d.*l.2.*ego indistinctè non admitterem; nam si maritus tempore partus suæ vxoris cum ea cohabitaret, quis non videt partum eo inscio exponi non posse? (vt enim in proposito disertè ait *Quintil.* auus *declar.278. Si in ciuitate fuisti, & præsens eras cùm honoraretur filius, vt nunc est res, tuus: interrogo, cur non petieris? nam vt non acceperis, sufficit hoc, quod non petisti)* Debet ergo maritus tunc temporis in loco distanti abesse, vel aliquid aliud simile præsupponi, quo inniti possit similis præsumptio ignorantiæ: ita vt *Montalui* opinio terminos exigat habiles & aptos prædictæ præsumptioni inducendæ. Quibus datis mihi valdè arridet, cùm pro ea stet præsumptus naturalis amor paternus, & regula iuridica doli, seu delicti (qualis est expositio) præsumptionem quoad fieri posset sempervitans, *l.meritò, D.pro socio*, *Menoch.*post alios, *libro 4.præsumption.161.numero 26.* 147

Quid autem pater (filium expositum vendicare conatus ab educatore, aut alio quouis detentore reluctante) probare debeat, eleganter descripsit idem *Quintilian. declamat,* 338.dicens: *Aduersarius multa probare necesse habet, habuisse se vxorem: concepisse vxorem suam: peperisse marem eo tempore, quod ad ætatem eius, de quo litigamus congruat: peperisse: exposuisse: vixisse expositum.*

Demum hoc casu noto, patrem si-
148 mulatque † notam filij recèns nati expositionem habuerit, eum vindicare debere, & expensas educatori exsoluere, alioquin expositus liber erit à patriæ potestatis nexibus, ex dict. *l.*4. *titul.*20. *part.*4. in verbis illis iam *supr.* relatis: *Ca si los demandassen luego que lo supiessen, dezimos, que ge los debē dar, tornandole el padre, ò la madre las despensas à aquellos que lo criaron,* expensa dictione illa, LVEGO, Latinè *illicò statim, continuò, mox, protinus, confestim, repentè, celerrimè, ocyssimè, è vestigio, sine mora*: quæ omnes particulæ præcisæ sunt, & natura sua moram & dilationem excludunt, *l.*1.*§.cùm adijcietur, ff.de verbor.obligat. l. litigatoribus, C.de appellat. l.fin. C. de bonis quæ liberis, glos.* verbo *statim*, in *ca.cum excommunicato* 11.*q.*3. *Tiraquel.* in *l.si vnquam* verb. *reuertatur, num.*109. *C.de reuocan. donation. Cened.* post alios, *quæst. Canon.* 36.*num.*23.

Sed non vsque adeò pater animo & facto rem istam illicò persequi debet, vt incontinenti post habitam notitiā filium petat, & sumptus in eo factos offerat: quid enim si distet à loco vbi educator cum exposito degit? aut bellum, vel epidemialis morbus accessum impediat? Quid si patri desint necessaria ad sumptus persoluendos, & in perquirendis mutuo pecuniis, vel rei familiaris distractione tempus aliquod impendit? Sanè his & similibus casibus ei indulgendum est tempus competens, boni viri, siue iudicis arbitrio, ex singulari decisione textus in *l.continuus* 137.§.*cùm ita*, ibi: *Et magis est, vt totam eam rem ad iudicem, id est, ad virum bonum remittamus, qui æstimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere possit, quod facturum se promisit,* & in dicta *l.si domus* 71.§.*in pecunia, D. de legatis* 1. cum traditis à *Cuiacio de diuersis & temporalibus præscriptionibus & terminis, capite vltimo.* Non obstante illa dictione, *luego*, *legis partitæ*, quæ ex causa moram temporis aliquam intercapedinem recipit, *lege final.C.de iudic.* ibi: *Illicò autem, id est, intra triduum proximum, sine vlla dilatione, leg.*1.*C.de relation.* iuncta *lege* 1.*titulo* 30.*de appellation. libro* 11.*Cod.Theodos.* quæ eundem habent Auctorem *Constantinum* Imperat. Is autem *consultationis exemplum* (quod in dicta *l.*1. *C.de relation. illicò litigatoribus edi apud acta*, præcipit) in dict. *l.*1.*de appellation. in Cod. Theodos. intra decem dies edi iubet*: vt inde quàm manifestissimum fit, verbum *luego*, de quo in dict. *l.*4.*partitæ*, ciuili (vt nostri aiunt) modo intelligendum esse; dato aliquo interuallo iudicis arbitrio. Et ita resoluit *Menochius de arbitrarijs lib.*2 *casu* 30. & facit textus in dicto § *cùm ita*, in illis verbis: *Vt qui Ephesi daturum se spoponderit, neque diplomate diebus ac noctibus, & omni tempestate contempta iter continuari cogatur, nec tam delicatè progredi debeat, vt reprehensione dignus appareat, sed habita ratione temporis, ætatis, valetudinis, &c.* Et sanè congruum dilationis tempus in plurimum erunt decem illi dies *Consilij Vasensis*, cuius verba expendimus *supr. num.*45.

*

SECTIO

SECTIO IV.

De sanguinolentis.

VLTIMO loco, & pro complemento dictorum de expositis noto, longè differre filios & seruos
149 expositos ab his † qui à sanguine legitimè comparati, vel ad nutriendum suscepti proponuntur in *l* 1.*lib*.5. *Cod. Theod.titul*.8. *de his qui sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperint:* qui positus est post titulum de expositis, in quo agitur de his qui exponuntur voluntate patris vel domini: at in d.*tit*.8. tractatio diuersa initur, de his scilicet qui à sanguine legitimè comparantur, vel nutriendi suscipiuntur, quos rubrica illius *tituli* 8. *sanguinolentos* appellat, & *Iustinianus in* 2.*parte rubricæ C.de infantibus expositis, liberis vel seruis,& de his qui sanguinolentos nutriendos susceperunt*, & *Constantinus* in *l*.2. *C.de patribus qui filios distraxerunt: Si quis propter nimiam paupertatem, egestatémque victus causa filium, filiámve sanguinolentos vendiderit.* Hi verò erant recèns nati, & vt ait *Iuuenalis Satyra* 7.

—*Modò primos incipientes*
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentes.

Quos inde nostri, aliíque boni Auctores *sanguinolentos* appellant: vti *Iulius Capitolinus in Claudio Albino, post principium. Prudentius contra Symmachum: Quos sanguinolentos edendi mos iuuat, Donatus in Andria: A matre sanguinolentum non pulchrum, sed scitum pronuntiat:* conferunt tradita à *Couarruu.li.*3. *variarum,c.*14.*nu*.4.& à *Rauardo lib*.1. *conjectur.c.*17.post *Cuiacium*, quem refert, & malè putat huius veræ acceptionis primum demonstratorem post glossas *Azonis*, & aliorum, quos referunt *Couarruu*.d.& *August.Barbosa de officio & potest.Episc.* 3. *p.allegat.*51.*nu.* 141.

Dicuntur autem sanguinolenti † 150
legitimè comparati in d.*l*.1.*tit*.8.*li*.5.*C. Theodos.* filij recèns nati à parentibus ob nimiam egestatem venditi. Quo solo casu ex lege emptio & venditio procedebat, & filius emptoris efficiebatur seruus, d.*l*.2.*C.de patrib. qui filios distraxer.* iunctis his quæ egregiè notat Domin.Præses *Couar*.d.c.14.*n*.4.*in princip.* Et idipsum eueniebat, cùm filius extraneo tradebatur nutritori, qui inde etiam eius efficiebatur dominus, dict.*l*.1.*C.Theodos.* & *l*.3.*vers.sed neque his,C.de infant.expos.* Et ideò pater, qui non spontè, sed necessitate coactus, vel filium vendidit, vel nutriendum tradidit, si post seriem annorum eum ad libertatem & ingenuitatem primam reduci desideret, alio seruo præstito, vel pretio exsoluto, audiendus erat, dict.*l*. 1. & dict.*l*.2.*Cod.de patribus qui fil. distrax.* quæ eundem habent Auctorem Imp.*Constantinum*: ita vt egestas patris, de qua in illis iuribus, patri facultatem prædictam filij repetendi concederet, quæ sanè denegabatur patri filium voluntariè exponenti: etenim simili expositione ius omne, quod in filio habebat, tunc temporis amittebat, omni repetendi aditu præcluso, *l*.1.& 2.*tit*.7.*lib*.5.*C.Theodos.l*.2. *C. de infant. expos.*

Vt inde velut euidens fiat, d *l*.1.† *C.* 151
Theodos d. his qui sanguinolentos emptos,vel nutriendos accipiant (dum loquitur de seruo sanguinolento vendito, eiúsque repetitione domino concedenda alio mancipio dato, vel pretio oblato) intelligendam de domino, qui inopia coactus seruum recèns natum vendidit, vel nutriendum dedit, alioquin dominus (seruo sanguinolento vendito, vel exposito) eum repetere non poterit, ex præcitatis legibus.

152 Sed cùm *Iustiniani* temporibus† miseranda filiorum venditio ex causa etiam inopiæ in vsu non esset ex *constitutione Valentiniani, Theodosij* & *Arcadij* (quæ est *l. vnica lib. 3. C. Theodos. tit. 5. de patribus qui filios distrax.*) inde effectum est, vt in *2. p. tit. 52. lib. 8. sui C. de infant. expos.* &c. demptum fuerit verbum *emptos*, quod positum erat in d. *tit. 8. lib. 5. C. Theodos.*

153 Qua verissima ratione attenta, cessat anxius labor *Iacobi Cuiac.*† *in comment. ad* d. *tit. C. de infant. expos. ad fin.* in inquirendo, qua parte illius tituli actum fuerit de sanguinolentis emptis; & euidenter conuincitur eius assertio, dum putat de his agere *Iustinianum* in d. *l. 3. in princ.* vbi certè nihil tale excogitauit. Quinimò tractationem istam consultò omisit tam in rubro (vt nostri aiunt) quàm in nigro, ex prędicta causa: quam mirum est *Cuiacium* disertissimum virum non præuidisse. Et multò magis nec verba dictæ rubricæ *de infantibus expositis liber. & seruis, & de his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt*, vbi deest (vti prædiximus) dictio *emptos*, posita in *tit. 8. li. 5. C. Theodos.* quia de emptis nullum est verbum in *titul. Iustiniani*, qui tempore promulgationis dictæ *l. 3.* inuenit ius in filiis à sanguine ex causa inopię vendendis correctum per dictam constitutionem *Valentiniani* & *Sociorum*, vt proximè notauimus. Et ita animum tantùm appulit ad emendandam & corrigendam *Constantini constitutionem*, & statuta piorum Principum (ab eo relata in d. *l. 1. tit. 8. lib. 5. C. Theodos.*) quod attinebat ad sanguinolentos, qui nutriendi tradebantur, & ante eundem *Iustinianum* educatoris fiebant, d. *l. 3. §. sed neque his*: eorum enim causam reduxit ibi ad terminos *l. 2. C. de ingenuis manumis.* cuius Auctor est *Gordianus*, qui imperauit ante *Diocletianum*, & multò ante *Constantinum*. Malè ergo *Cuiacius* causam emptorum à sanguine *tit. C. de infantib. expositis* inserit, & vtrorumque eandem esse putat.

154 Nec minus deceptus fuit idem *Cuiacius* † *in fin. commentar. ad tit. C. de infantib. expositis*, dum generaliter definit, ingenuam alimentorum causa educatori addici non debere, hoc enim tantùm procedit iuxta tempora dictæ *legis 2. C. de ingen. manum.* à *Gordiano* multò antè latæ, quam *Constantinus* odio filios suos exponentium eos educatoris fecisset in d. *l. 1. tit. 7. libr. 5. Cod. Theodos.* Id quod & postea *Iustinianus* emendauit, ad iuris anterioris terminos causam ingenuorum expositorum reducens in d. *l. 3. C. de infantib. expositis*. Quæ clarè comprobabis ex his, quæ s. circa istorum expositorum conditionem latiùs diximus.

CAPVT QVINTVM.

DE PARTV SVPPOSITO.

SYNOPSIS.

1 *Partus suppositione naturæ fraus fit.*
2 *Suppositio est falsitas.*
3 Legi Corneliæ de falsis *plures insuperadditi sunt falsitatis casus.*
4 *Et inter alios suppositi partus causa ex lege* Antonini.
5 *Sed & ante* constitutionem Antonini *partus suppositio puniebatur.*
6 *Ea antiquissimis temporibus usitata fuit.*
7 *Ratio cur in Comicis adeò frequens sit suppositi partus mentio.*
8 *Regna etiam & magna Imperia media suppositione acquisita.*
9 *Ordinum dignitas, familiarumque ex suppositione confunditur.*
10 *Facilitas peccandi magis coercenda.*
11 *Crimen suppositionis capitale fuit. Et nu.13. hodie deportationis est, quæ augetur & minuitur ex accidentibus iudicis arbitrio terminandis. Et num. 15.16.& 18. Et idem de Iure Regio n.17.*
12 *Antiquitùs cuiusuis falsi pœna capitalis erat.*
14 *Obstetrices pretio corruptæ partus supponentes mortis pœna damnandæ.*
19 *Participes huius criminis eadem pœna puniuntur.*
20 *Quæ se grauidam asseruit, cùm non esset, fraude etiam ad effectum non deducta, arbitrio iudicis punitur, & infamia notatur.*
21 Lex Romuli, *quæ uxorem partum supponentem dimittere permittebat, declaratur.*
22 *Suppositus hæreditate priuatur.*
23 *Actio de supposito partu particularis est, non publica.*
24 *Filius matrem de partu supposito accusare non potest.*
25 *Partus suppositi institutio nulla est. Et distinctione demonstratur, ad quē hæreditas pertineat. Et n.26.27.& 30.*
28 *Substituti filio supposito legitimis hæredibus & fisco sunt præferendi. Et n. 29. hoc limitat in substitutione conditionali, vel ex die facta.*
31 *Hæres legitimus substitutus institutioni suppositi partus consentiens, non remouetur ab hæreditate ex sententia* Signoroli; *sed contrarium est verius.*
32 *Suppositus partus à possessore maioratus vocatus impedimento esse non potest aliis legitimis successoribus.*
33 L. aufertur, ff. de iure fisci, *cum aliis à dictis in numeris præcedentibus declarantur.*
34 Cuiac. *indistinctè asserens hæreditatem à supposititio partu fisco auferendam refellitur.*

SECTIO I.

35 *Partus accusationem nulla temporis præscriptione depelli qualiter intelligendum. Et n.36. impugnatur* Fornerius.
37 *Accusatio suppositi partus, quæ illicò post mortem mariti non instituitur, suspiciosa efficitur.*

38 *Quamuis suppositi partus accusatio vicennio concludatur, bona tamē, mala fide possessa, omni tempore legitimis successoribus sunt deferenda. Et n.40. hoc declaratur.*

39 *Accusatio suppositi partus institui potest post mortem matris in alios.*

41 *Partus suppositi accusatio in tempus pubertatis non differtur. Et nu.43.& 44. declaratur.*

42 L.1.§.fin.ff.de Carbo.edicto, *declaratur, & interpungitur cum* Cuiacio.

45 *Partus suppositio an & quando probetur per testes commodum ex suis depositionibus reportantes?*

46 *Tractat, An probetur per complices?*

47 *An stetur secundæ testis depositioni spreta anima? Et n.48. limitat & declarat.*

49 *Filij contra parentes in partus suppositione legitimi testes ex aliquorum sententia, sed contrarium est verius.*

50 *Iudex in partus suppositione potest, vt quidam putant, informare animum ad sententiam etiam extra processum: sed contrarium verius.*

51 *Partus suppositio coniecturis probatur. Et nu.89. in arbitrio iudicis residet, quanta fides coniecturis sit adhibenda.*

52 *Partus suppositio regulariter non præsumitur.*

53 *Plenè probanda est partus suppositio in iudicio criminaliter intentato. Et n.55.*

54 *In ciuili secùs ex sententia* Bossij *& aliorum, de qua dubitat* Auctor.

55 *Probatio suppositi partus regulanda est à dispositione* l. vbi falsi, C. ad leg. Corneliam de falsis.

SECTIO II.

56 *Arbitraria est, & coniecturis supposita suppositi partus probatio.*

57 *Partus suppositi magna coniectura est extraiudicialis matris confessio. Et num.58. non plenè probat, nisi fiat in articulo mortis ad conscientiæ exonerationem. Et num.59. hanc limitationem impugnat. Et num.60. eam sublimitat, quo casu alia concurrunt indicia.*

61 *Etiam in foro (quem aiunt) poli filius qui suppositus arguitur, assertioni matris stare non tenetur. Et nu.62. limitat, nisi quo casu aliæ concurrunt coniecturæ.*

63 *An mulier partum supponens teneatur in foro conscientiæ hoc propalare, marito decepto? tractat remissiue.*

64 *Quæ diu antea sterilis fuit, partum supposuisse præsumitur, ex aliquorum sententia, cui* Auctor *non assentitur.*

65 *Si mulier grandioris sit ætatis, vel maritus senio affectus, an præsumatur suppositio. Et n.67.68.& 69.*

66 L. si pater, §. in arrogationibus, ff. de adopt. *declaratur.*

70 *Cùm maritus impotens, vel ineptus est generationi, partus præsumitur suppositus.*

71 *Quæ pannos, vel culcitram gestabat quo tempore se prægnantem asserebat, suspecta est de supposito partu.*

72 *Et quæ se inspici, custodirive passa non est.*

73 *Et quæ tempore partus honestas adhiberi matronas non siuit.*

74 *Et quæ eodē tempore ab vrbe recessit, & rus se contulit, vbi peperisse affirmat.*

75 *Et quando constat ex alia natum puerum asserenti sese peperisse traditum.*

76 *Et quæ sine obstetrice peperit.*

77 *Et quæ diu post mortem viri tacuit. Sed hoc non probat* Auctor.

78 *Et cùm partus parentibus non assimilatur. Quod alij improbant.*

79 *Et cùm fama stat contra partum, qui sup-*

suppositus arguitur.

80 *Et cùm mulier tempore partus tria lumina adhiberi non permisit. Et nu.*81. *notat* Auctor *huic coniecturæ alias similes elicitas ex* l.1.§.de inspiciendo, ff.de inspic.vent. *superaddi posse.*

82 *Et cùm mulieri, quæ se peperisse ait, lac non superuenerit.*

83 *Et cùm is, qui recèns natus dicitur, sanguinolentus non est.*

84 *Et cùm mulieris indusium & reliqua tempore partus sine sanguine apparent.*

85 *Et cùm eodem tempore mulier trepidans & turbata est.*

86 *Et ab odio in assertum filium superueniente suppositio arguitur.*

87 *Et cùm mulier tempore assertæ grauidationis cum mulierculis & vilibus personis conuersabatur.*

88 *Coniectura quælibet, vel indicium suo genere plenè probandum.*

90 *Plura indici occurrere possunt coniecturas suppositi partus elidentia.*

91 *Tractatus & quasi possessio filiationis, & similia non integrè excusant eum, qui suppositus arguitur.*

92 *Suppositi partus præsumptio cessat, vbi nulla datur, aut inuenitur causa supponendi.*

93 *Sed & inculpata ante acta mulieris vita suppositi partus coniecturam extenuat.*

94 *Et cùm accusata spontè coram iudice venit.*

95 *Regulam constituit* Auctor *generalem ad exclusionem suppositi partus.*

96 *Probatio grauidationis coniecturas suppositionis excludit.*

SECTIO III.

97 *Matre de suppositione conuicta pupillus à successione illicò excluditur. Et n.*98.*hoc declarat, &* l.1.§.fin.ff.de Carbon.ed. &.*interpretatur.*

99 *Cohæres, vel legitimus hæres non probantes suppositionem, vt indigni multandi.*

100 *Antiquitùs non solùm tempore partus, sed & in maiore ætate suppositiones fiebant.*

101 *Imperator* Antoninus *omnium primus apud Romanos natalium professiones ad vitandas partuum suppositiones adinuenit.*

102 *Professiones variæ fuerunt apud Romanos: & iura de his loquentia expenduntur & illustrantur.*

103 Enricum Salmatium *refellit* Auctor, *& fastum garrulitatémq; Grammaticorum notat.*

XPOSITIONIS immanis scriptioni superiori capite enodatæ, velut succedanea est tractatio dolosæ suppositionis, simúlque detestandæ immanitatis veros partus à se abdicantium.

PARTVS suppositio fraus est naturæ † facta. Nam qui partum subiicit, δοκεῖ (vt aiunt Græci Interpretes in *l.1.C.ad leg.Corneliam de falsis*) τὴν φύσιν αὐτὴν πλαστογραφεῖν, i. *naturam ipsam fallere videtur*, ita vt partus suppositus & falsus idem sint. Ob idq; de terra spem agricolarum defraudante dixit *Catullus carmine 68.in fine:* 1

Falsum mendaci ventre puerperium.

Et *Ouid.lib.3.amor.Eleg.9.*

Irrita decepti vota colentis erunt.

Et *Sex.Aur.Propert.lib.2.Eleg.15.*

Terra priùs falso partu deludet arãtes.

CVMQVE suppositio partus falsitas † sit, inde est, vt in generalem falsi definitionem incidat, vt optimè notat *Cuiac.in comment.ad l.1. C. ad leg.Corneliam, de falsis.* Vbi ex *Paulo lib.5.Sententiarum, tit.25.* definit falsum, *Quidquid in veritate nõ est, sed pro vero asseueratur,* & ex *Augustino: Quod ad similitudinem alicuius est accommodatum.* 2

neque id tamen eſt, cuius ſimile apparet. Et hoc eſt quod ex ſententia *Epicuri* dixerat *Sextus Empyricus aduerſus Mathematicos, tit. An ſit aliquod verum?* ψεῦδός ἐστι τὸ οὐχ οὕτως ἔχον, ὡς λέγεται ἔχειν, *Falſum eſt, quod non ita ſe habet, ac dicitur.* Quibus omnibus partus ſuppoſitio, ac quæque alia falſitas, aptiſſimè conuenit. Nec enim in propoſito attendi debet (ex *Cuiacio ſupra*) falſi deſcriptio adducta ab eodem *Paulo* in *l. quid ſit falſum* 23. *ff. ad leg. Cornel. de falſis*, dum ait: *Falſum eſſe imitari alienum chirographum, vel libellum, vel rationes intercidere, aut deſcribere:* quibus verbis Conſultus non tam definit, quàm diſtinguit falſum à mendacio, cuius tractationem ibidem paulò pòſt iniuit.

Prædicta apertiora fient animaduertenti, duobus capitibus *legis Corneliæ de falſis* (quorum primum erat de falſis teſtamentis, *l. 1. ff. ad leg. Cornel. de falſis*, ſecundum de falſa & adulterata moneta, *l. quicunque* 8. *cum ſeq. ff. illo tit.*) additos †fuiſſe alios plures falſitatis caſus, eadem legis pœna coercendos ex variis Senatuſconſultis, quorum mentio habetur in *leg. ſi quis legatum* 6. *l. de eo* 10. *l. filius emancipatus* 14. *l. Diuus* 15. *§. item Senatus*, *l. cùm quidam* 17. *l. impuberum* 22. *§. 1. §. item, verſ. imò magis*, & *§. fin. ad legem Cornel. de falſis*. Quæ congerit, & ad quatuor dexterrimè reducit *Cuiac. in comment. ad tit. C. ad leg. Cornel. de falſis*, verſ. *primum, & ſeqq.* Sed & alios varios caſus addiderunt Imperatores, contentos in 24. *legibus tituli, C. ad leg. Corneliam de falſis*, & in *tit. 19. libr. 9. C. Theodoſ.* & in *l. 4. §. inde Diuus*, & in *l. nullo modo* 7. *l. ſi pater* 11. *§. 1. l. Diuus Claudius* 15. *in princ.* & in *§. & quatenus, l. ſi quis obrepſerit* 29. *l. Diuus Pius* 31. *l. hodie* 32. *§. 1. ff. ad legem Corneliam de falſis.*

4 At inter cæteros †eminet contentus *Conſtitutione Antonini* in d. *l. 1. C. ad legem Cornel. de falſis*, qui (omnium primus) partus ſuppoſitionem *leg. Cornelia* puniendam ſtatuit: id quod poſteà proſequuti ſunt Iuriſconſulti *Paulus* & *Modeſtinus*, ille in *l. qui falſam*, *§. accuſatio*, iſte in *lege Cornelia* 30. *§. de partu ſuppoſito, ff. illo titu. ad leg. Cornel. de falſis*, & Imperatores *Diocletianus* & *Maximianus* in *l. cùm ſuppoſiti* 10. *C. eodem tit.* Et inde communiter noſtri Iuris Interpretes *inferius* referendi (quamuis iſtam temporum & rerum ſeriem non attenderint) partum ſuppoſitum *falſitatem*, vel *ſpeciem falſitatis* rectè nuncuparunt.

Sed etſi nouè ex *conſtitutione Antonini* partus ſuppoſitioni indita fuerit pœna *legis Corneliæ*, non ideò intelligas †partum ſuppoſitum anteà inter 5
delicta nec connumerari, nec iſtud mali ſceleris committentes impunitos euadere: etenim totum contrarium vel probant, vel ſaltem ſupponunt Iuriſconſulti in reſponſis ſuper partus ſuppoſitione emiſſis, maximè *text.* in *l. 1. ff. de liber. agnoſcend.* & in *l. 1. §. de inſpiciendo*, verſ. *quæ intus*, & verſ. *tria lumina*, & in *§. ſed etſi ſeruus, ff. de ventre inſpiciendo*, & in *l. cùm tabulis* 16. *ff. de his quæ vt indign. l. hi tamen* 12. *D. de accuſationibus, l. quidam* 15. *ff. de probat. lege idem fiet* 26. *§. autem, ff. de teſtamentar. tutela*, *lege auferitur* 16. *ff. de iure fiſci, l. extraneo* 17. *§. de quæſtione, l. vnius* 18. *§. iudex, ff. de quæſtion.* dicta *l. qui falſam, §. 1.* & dict. *l. lege Cornelia* 30. *ff. ad leg. Corneliam de falſis*, *l. 1. §. final.* cum *lege ſeq. l. 3. §. ſi mater. ff. de Carboniano edicto.* Et Imperatores in *l. querela* 12. *C. ad legem Corneliam de falſis, l. ſuper ſtatu* 9. *C. de quæſtionibus, l. non nudis* 16. *C. de probationibus*, & in *l. ſi pater* 4. *C. de hæredibus inſtituendis, l. neque profeſſio* 5. *C. de teſtamentis.* Et Pontifices in *cap. officij* 9. *de pœnitent. & remiſſion.* & in *cap.*

efferte, de præsumption. Et nobis est *l.3. titul.7. part. 7.* & *l.17. titul.6. part.6. l.final. titul.7. eadem part.* & *l.3. titul.6. lib.3. Fori.*

NEC mireris, si tot, tantisque legibus partus suppositioni occurratur; ea
6 quippe passim, & ab antiquissimis † etiam temporibus vsitata fuit, & sanè ipsam respiciunt illa *Sophoclis* apud *Stobæum in Florilegio tit.76.*

Παῦσαι, καταρκεῖ τοῦ δὲ κεκλῆσθαι πατρός,
εἴπερ πέφυκά γ᾽, εἰ δὲ μή, τίς ἂν βλάβη,
τὸ γὰρ νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρατεῖ.

Tace, mihi illo patre censeri sat est:
Siue ille pater est, seu minus, refert nihil.
Res credita & recepta plus vero valet.

Quibus adde pleraque similia expendenda in *cap. finali.*

Ab his *Aristophanes* in Θεσμοφοριαζούσαις suppositiones istas inter delicta communia & passim obuia connumerat. ¶ Nec aliter in Comœdiis antiquorum (à quibus ritus, vsus & abusus temporum deducuntur, ex traditis à *Diuo Augustino lib.2. de Ciuitate* Dei *cap.9.*) frequens earum esset mentio, technarum, quibus scelus illud patrantes vti solent; & præ cæteris *Aristophanes* in prædicta *Comœdia*, ita Latinè ait:

Alteram verò noui, quæ dicebat dolores
partus habere mulier
Per decem dies, donec emit infantem.
Maritus autem obibat vrbem medicamenta celerem partum facientia emens,
Intulit autem anus in olla infantem,
Vt ne clamaret cerula obturatum.
Deinde, vt annuit capite anus quæ ferebat, vxor statim clamat,
Abi, abi, iam enim, ò vir, mihi videor
Paritura esse, imum ventrem enim infãs calcibus percussit.
Et hic quidem lætatus cucurrit, hæc verò traxit
Ex ore infantis cerulam, ille verò clamauit.
Deinde scelesta anus, quæ ferebat infantem,
Currit ridens ad maritum, & dicit:
Leo, leo tibi natus est ipsa effigies tua,
Et reliqua omnia, &c.

Plautus verò in *Truculento actu 2. scena 5.* introducit Phronesium meretricem lucri causa decipientem supposito partu Dinarchum adolescentem, adscito puero supponendo, aientem:

--Quæ ausa sum tantùm clam dolum aggrediri.
Lucri causa, auara probrum sum executa, alienos dolores
Mihi supposui.

Et mox:

Quæ me grauidam esse assimilaui Militi Babylonio.
Eam nunc malitiam accuratam miles inueniat volo.
Iste hîc haud multò post credo aderit: nunc priùs præcaueo sciens:
Eúmque gero ornatum, vt grauida quasi puerperio cubem,
Date mihi hic stactam, atque ignem in aream, vt venerem Lucinam meam.
Hîc apponite, atque abite ab oculis. Eho Pithecium?
Soleas mihi dato: pallium inijce in me hùc Archillis:
Face vt accumbam, accede, adiuta: sic decet puerperam.
Vbi est Astaphium? fer huc berbenam mihi, thus & bellaria.
Date aquam manibus. Nunc è Castor venerit miles velim.

Et scena sequenti:

----ASTAPH. *Miles*
Tibi adest Stratophanes, nunc tibi opu'st ægram vt te assimules.
PHRO. *Tace*
Quur adhuc eho tu mala? me mones? rustica: me maleficio vincere est?
ST. *Peperit mulier, vt ego opinor.*
AS. *Vi'n adeas hominem?* PH. *Volo.*
ST. *Euge; Astaphium eccam: it mihi*

aduorsum; salue ecastor, Strato-
phanes:
Venire saluum. St. *Scio, sed peperítne,*
obsecro, Phronesium?
As. *Peperit puerum nimium lepidum.*
St. *Ecquid mihi simil'st?* As. *Rogas.*
Quin vbi natu'st, iam macheram, & cly-
peum poscebat sibi.
St. *Meus est: scio iam de argumentis:*
nimium quidem simil'st papæ?
Iam maius est? *iam ne lectat legiones,*
quas spoliare velit?
As. *Here nudius quintus natus quidem*
est. St. *Quid tunc postea?*
Inter tot dies quidem hercle iam actum
aliquid oportuit.
Quid illi ex vtero exitio est, priùs quàm
poterat ire in prælium?
As. *Consequere: atque illam saluta, &*
gratulare illi. St. *Sequor.*
Ph. *Vbi illanam obsecro est? quæ me hîc*
reliquit, atque à me abstitit?
Assum: adduco tibi exoptatum Strato-
phanem. Ph. *Vbi is est, obsecro?*
St. *Mars peregrè aduenìens salutat Ne-*
rienem vxorem suam.
Cùm tu rectè prouenisti: cúmque est au-
cta liberis,
Gratulor: cùm mihi, tibíque magnum de-
disti decus.
Ph. *Salue, qui me interfecisti penè vita,*
& lumine.
Quíque vim magni doloris, mihi per vo-
luptatem tuam,
Condidisti in corpus: quo nunc etiam
morbo misera sum.
St. *Eia haud ab re, mea voluptas, tibi*
obuenit istic labos:
Filium peperisti, qui ædes spoliis opplebit
tuas, &c.

Sed & *Terentius* multus est in partus suppositítij detestatione, aut nota, vt videre est in *Andria actu* 5. *scena* 1. *&* 2. variis locis. *Et actu* 4. *scena* 5. (vbi illa: *Verum vidi cantharum suffarcinatum,* intelligenda sunt de suppositione iuxta modos ab *Aristophane* & *Plauto* *suprà* annotatos, aut similes, non de expositione, vt malè sentit *Tom. Dempster. ad Rosini lib.* 1. *de Antiq. Roman. c.* 1. & *actu* 5. *scena* 1. Et in *Hecyra actu* 3. *scena* 3. *&* 4. Et sæpè *actu* 4. *scena* 1. & sæpiùs *scena* 4. eiusdem *actus;* & *actu* 5. *scena* 1. *&* 2.

Hæc autem Comici velut mysticè † proponebāt, vt quiuis suppositi partus dolos & thecnas subterfugeret.

Quas certè non vitabit Lector suppositionis Reginæ Timandræ à *Ioanne Barclaio libr.* 4. *suæ Argenidis* siccè nimis & insulsè descriptæ; simul cum adductione veri partus: quam itidem valdè inconcinnè disposuit. Cùm enim Sicambre montanæ mulieri infantem (morti aliàs obnoxium (inter tumultum asportandi prouincia esset demandata, vt iste ait, nescio quo malo & in verosimili fato motus confixerit Sicambrem à Regina detentam, & iterata madentis filij suauitatione, & colloquio inter eam & Reginam inito: & eiusdem in filium exclamatione, simul cum præcedenti infantis nudi oblatione & signorum in ceruice & crure dextro rubentium ostensione, attrectatione, vel tactui (cui ex dicendis *infrà c.* 9. ex *numero vigesimo sexto,* cum *Iulio Scaligero* & aliis, velut à natura vagitus inest, quem præ parturitionis doloribus Timandram præcauisse & timuisse paulò iste asseuerarat.) Quæ certè omnia à re celerrimè peragenda (ac iste supposuerat) valde aliena sunt & à veri (quod fabula imitari debet) similitudine omnino deuia.

Sed ad præallegatos Comicos redeuntes, dum fraudes suppositi partus prædemonstrant, eos itidem puto Rempublicam velut monuisse, & Magistratus docuisse modos & dolos suppositarum parturitionum eruendi vt ita alienarum familiarum

8 miliarum vitarent intrusiones. Quas etiam Regna † & magna Imperia hoc malo medio passa sunt, vt de PERSEO à Satrice quadã Argolica nomine *Gnatenia* sublato ab vxore Philippi Macedoniæ Regis testatur *Plutarchus in Æmilio.* Quin & COMMODVM à Faustina M. Antonio suppositum multi ferunt, vt testatur *Iulius Capitolinus in vita M. Antonini.* Et Eutropiam Syram vxorem Maximiani Herculij Imperatoris, cùm maritum sibi deuinctum curaret, subiecisse sibi MAXENTIVM asserunt *Sextus Aurelius*, & *Cuspianus in Imperatoribus.* Et *Albertus Cranteius libro septimo Metropoleos, ca.* 38. FREDERICVM II. Ecclesiæ persecutorem suppositum fuisse affirmat. Idémque Stratoniæ Regis Deiotari vxori, eo non inscio, accidisse ab aliis enarrat *Petr. Ærodius libr. 9. rer. iudicatar. cap. 8. in fine.*

Sed & ex partus suppositione alia multa sequuntur mala; nam ordinum

9 † dignitas familiarúmque confunditur, *d. l. 1. §. sed si seruus, ff. de ventre inspic.* Et alienæ fortè, & sordidæ stirpes natalibus ingenuis audent subrogari, *dict. l. super statu, C. de quæstion.* ¶ Déque horum, & expositorum simul summa fortuna illustribus familiis inserto.um, *Iuuenalis Satyra 6. versu 601.* ita appositè ait:

Transeo suppositos, & gaudia, votáque sæpè
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorúmque nomina falsò
Copore laturos, stat fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus, hoc fouet omneis
Inuoluítque sinu, domibus nunc porrigit altis.
Secretúmque sibi minimum parat, hos amat, his se
Ingerit, atque suos ridens producit alumnos.

Et nobis ista notauit *Morotius*, post alios, *responso 99. numero decimo octauo. Et quantum* (vt ait *Petr. Gregor. libr. 14. de Republ. cap. 1. nume. octauo,*) *turbata fuerit sæpè Respublica ab his qui infimo loci nati clarissimis familiis mendaciis se inserere conati sunt, longum esset recensere, cùm etiam sufficere possint exempla quæ retulit Valer. Maximus lib. nono capite decimo sexto. Cùm hoc aliud malum, vt per suppositionem partus siue per adulterij generationem, siue per suppositionem infantis alieni adimantur filiis naturalibus & legitimis, vel aliis proximis defunctorum per supposititios hæreditates & bona*, &c. repetit idem in *cap. sequenti numero secundo*, prosequitur nouissimè *Pater Adam. Contzen libro quarto, politicor. capit. 3. §. 8.* vbi improbans atrocissimum fœminarũ scelus (dum proprium sanguinem contemnunt & vendunt, suppositioni ansam præbentes) ita ait: *Quàm facile enim fuerit nutriculam ingentis mercedis præmio corrumpi, vt nobili partui rusticanum supponat? & clarissimis familiis seruiles sordes inserat? ita sanè Artabano Macedoni contingit, cuius filium infida nutrix permutauit, & deinde adulto, iam vero & supposititio filio sceleratius furtum euulgauit, quàm fecit, magna in Regni clade vterque concurrerunt, atque vna die occubuerunt.* Facilitas ergo † peccandi, & tantum scelus commit- 10
tendi mediis & modis omnibus coërceri debet, ex *Petro Gregor. d. cap. 1. numer. 9.*

Ob hæc dolosum istud crimen Iuris Interpretes falsitati non solùm ex iuribus *supr.* adductis addixerunt, & velut eius speciem † constituerunt, *A-* 11
zo in summa titul. ad leg. Cornel. de fals. nu. 5. Hostiensis in summa tit. de crimine falsi, Anton. Gomez in *l. vltima Tauri, n. 12. Menoch.* post alios, *lib. 5. præsumpt.*

24.*num.*1.*Farinac. de falſitate & ſimu-
lat.quæſt.*150.*part.*10.*num.* 239.*Polydor.
Ripa de nocturno tempore,cap.*162.*nume.*
1.*Petrus Ærodius libr.*9.*rer. iudicatar.*
dict.*cap.*9. *in princip.* verùm etiam ca-
pitale eſſe aſſeruerunt ex dicta conſti-
tutione *Antonini* in *lege prima, Cod. ad
leg. Cornel.de falſis*, id diſertis verbis
comprobante, ibi : *Cauſa capitalis in
tempus pubertatis pueri deferri non de-
buit*,& ibi : *Cùm periculũ capitis ſubeat*,
quæ fuit ſententia *Gloſſæ* verbo *capita-
lis, Angeli, Marſilij, Beßij, Afflictis, Pe-
tri Gregorij*,& aliorum, quos refert *Fa-
rinaceus* dict. *quæſtion.*150. *numer.* 240.
& ſeq. Ioannis Griuelli deci. Dolana 150.
*nu.*5.*Anton.Fabri in ſuo Codice lib.*9.*tit.*
13.*definit.*6.

Quod Iure quidem antiquo proce-
debat, quo attento criminis falſi pœna
12 capital s † erat, dict. *l. falſi quidem* 5. *l.
vbi falſi* 22.*Cod. ad leg. Cornel.de falſ.
Cyprianus epiſt.*2.*ad Donatum : Hic te-
ſtamentum ſubijcit, ille falſum capitali
fraude conſcribit:* poſteà verò deſiit ca-
pitalis eſſe, dict. *l. vbi falſi.* Tempori-
bus verò Iuriſconſulti *Martiani* Au-
ctoris *lege prima, ff. ad leg. Cornel. de
falſis* (qui fuit poſt Imperatores *Anto-
ninum* & *Alexandrum* Auctores dict.
legis primæ & quintæ, C. de falſis) & ſub-
ſequentium Imperatorum *Diocletiani*
& *Maximiani* in *l. tranſigere* 18.*Cod.de
tranſactionib.*& *Iuſtiniani* in dict. *l. vbi
falſi* 22.& in *§. item lex Cornelia de fal-
ſis inſtitution.de public.iudiciis*, capita-
lis eſſe deſiit in homine libero & in-
genuo; qui ob crimen falſitatis depor-
tabatur bonis publicatis, dict. *l.*1.*§.fin.
ff. ad leg. Cornel.de falſis, Iulius Paius li.*
2.*ſententiarum.* dict. *tit.*25.*in princ.* dict.
§. item lex Cornelia, cum traditis à *Fa-
rinacio*, poſt alios, d. *q.*150.*numer.*242.&
nobis hoc ipſum probat, *l.*3.*titul.*7.*p.*7.
*iuncta l.*26.*tit.*11.& *l. fi. tit.*16.*p.*3. Vt inde
meritò veniant notandi *Griuel. ſupr.*&
Ludouicus Peguera, qui putant hodie
in ſuppoſiti partus crimine pœnam
mortis irrogandam : & multò magis,
idem *Peguera*, qui nec in arbitrio iu-
dicis eſſe ait huic pœnæ temperamen-
tum adhibere.

Melius tamen dixiſſent deportatio-
nis regularem pœnam, de qua in dict.
*§.fin. lege prima, ff. ad leg. Cornel. de fal-
ſis*,& in d. *§. item lex Cornelia*, ex cauſa
augeri † vel minui arbitrio iudicis, & 13
ad mortem vſque in ſuppoſitione iſta
extendi poſſe, ex *Paulo libr. ſecundo ſen-
tent. titu.*24.*§.fin.* cuius illa verba: *Obſte-
tricem quæ partum alienum attulit, vt
ſupponi poſſit, ſummo ſupplicio affici
placuit*, ad conſtitutionem Imperato-
riam ſpecialem (denotatam per ver-
bum *placuit*, iam alibi per nos expen-
ſum) referri debent, vt ius ſingulare in
obſtetricibus conſtituant, prout in-
nuere videtur *Petrus Gregor. libro trige-
ſimo ſexto, ſyntagma. iuris, cap.*3.*numer.*
5. melius *Radulph. Forner. libro primo,
rerum quotidian. cap.* 20.*ad fin.* Neque
enim ad ius commune trahi poſſunt,
vt voluit ibi *Cuiac.* qui malè velut ſi-
milem allegat decisionem *Martiani*
in *l.*2.*ff. de Carboniano edicto*, cùm is Iu-
riſconſultus *Paulo* poſterior) ille ipſe
fuerit, à quo ſimul didicimus partus
ſuppoſitioni inditam tantùm pœnam
deportationis cum bonorum publica-
tione.

Nec nouum eſt in iure reſpectu ac-
cedentium vel contingentium cauſam
principalem (quæ *circunſtantias* no-
ſtri appellant) pœnas augeri: & ne mul-
tum in horum probatione diuagemur,
exemplo ſit cauſa ipſa falſitatis, quæ a-
deò grauis eſſe poteſt, vt eius magnitu-
dine attenta falſarius vltimo ſuppli-
cio & capitali veniat puniendus, *l. vbi
falſi*, ibi : *Supplicio capitali ſi id exigat
magnitudo commiſſi, Cod. ad legem Cor-
nel. de falſis*, vbi *Angelus nu.* 2. *Baiard.
ad Clarum* in *§. falſum, numer.*249. *Ber-
nard. Diaz. in practica Canonica, cap.*
117. *Aſ-*

117. *Afflictis decis.*21. *numero octauo,& 404.numero decimo septimo*, *Caballus casu* 206.*Farinac*.dict.*quaestion*.150.*nu*. 24.*Anton.Faber in suo Codice, sub titu. de falsis, definit*. 13. & ego vltra omnes quos viderim, expendo pro ista sententia *Paul.lib*.5.*sententiar.tit*. 25 §.*Vlt* ibi: *Conuicti pro modo delicti, aut relegantur, aut capite puniuntur*: loquitur autem *Paulus* de specie illa falsitatis, quae ex fucosis suffragationibus resultat, de qua Imperatores in *l. quod explicandi* 10.*Cod. de accusat*.& *Sidonius Apollinar.lib*.5. *Hi* (inquit) *sunt qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, iudicanda dictant*, notat *Cuiac*.in dict.§.*fin*. Idque ipsum dicemus *infr.c*.16.*in* §.*fin*. de abortu immaniter patrato ad terminos *text*. in *l.Cicero,ff.de poenis*.

Et fortè an constitutioni à *Paulo* denotatae in dict.§.*fin.tit*.25.*libr*.5.*sententiarum*, causam praebuit obstetricum
14 magna † licentia & vsitata calliditas in partuum suppositionibus, iuxta tradita à *Petro Gregorio de Republica libro* 14.*cap*.2. *numer*. 2. Et quia pretio vel premio corruptae peccabant, quod valdè grauat delictum, iuxta ea quae de Milesia relata in dict. *l.Cicero* annotabimus in dict. *capit*.16. Et quia hoc iniquo medio obstetrices familiis splendidis cum maxima iactura proximorum, alioquin successorum, alienas soboles inserebant, *Petrus Gregorius suprà*.

15 Quod si magnitudo sceleris † adeò grauis non sit, sed maior quàm in occurrentibus & passim contingentibus falsitatibus aut suppositionibus, tunc mitior poena quàm vltimi supplicij, maior autem deportatione irrogabitur, vt aquae & ignis interdictio, de qua in *l.fin.ff.ad legem Cornel.de falsis*: & in metallum damnatio, de qua in *l.si quis aliquid*, 8.§. *qui viui, ff.de poenis, Iulius Paul.lib*.5.*sententiar.titu* 25.§.5.

Poena demum augebitur vel minuetur pro personarum † conditione & 16
qualitate, dict.*l*.1.*§. fin.ff.ad leg.Corneliam, de falsis, Iulius Paulus* dict. *tit*. 25. *in princ*.& in dict.§.5.*&* §.*si quis instrumenta* 6.§.*instrumenta* 7.§. *qui falsis instrumentis* 8.§. *qui insignibus* 10. adeò vt humiliores in crucem tolli consueuerint, *Iulius Paulus* dict.*titul.vigesimo quinto, in princ. Iulius Firmicus libr*. 9. *Matheseos*: *Facient in falsi crimine comprehensos in crucem tolli*.

Et inde facilè percipies (vt haec obiter dicam) cur & Iure nostro Regio 17
† falsum committentibus diuersae etiam imponantur poenae, *l*.26.*titul*.11.*l. fin.titul*.6.*l. fin.titul*.19.*part*.3. *l*.1.*titul*. 7. *part*.7.*lege septima*, *eodem titul*. in qua litteras Regias vel Pontificias falsas fabricantes vltimo supplicio puniuntur.

Ergo in punitione suppositi partus conditio personarum, & magnitudo delicti (ex re ipsa, & eidem accedentibus metienda) considerari debent Iure Communi attento & eius dispositionibus relatis *suprà*. Quin & Iure
† Patrio, ex dict.*l.tertia, titulo septimo*, 18
part.7. Quae cùm de partu supposito loquatur, posita est sub *tit. de las falsedades* quarum *& legibus partitae* diuersae sunt poenae iuxta qualitatem delicti & personarum infligendae, vt modò praediximus ex legibus id comprobantibus, iam citatis.

Participes † verò huius criminis 19
(velut parentes filium sanguinolentum suppositioni patrandae subministrantes: mulierculae asportantes, obstetrices in lectum alium inducentes: & aliae personae consimilia committentes) puniuntur eadem poena qua principales malefactores, *Crauetta cons*. 178.*nu*.3.*Mascard.concl*.1147. *Menoch*. dict.*praesumptio*. 24. cum aliis, quos refert & sequitur *Ioan.Bapt. Costa de facti scient. & ignorant.centur*. 1. *distinct*.

87. nu. 15. & probatur apertè in d. *l. 2. ff. de Carbon. edicto.*

Sed & illa quæ vt partum supponeret prægnantem se asseruit,
20 † cùm re vera non fuisset, etiam ad effectũ fraude non deducta, arbitrio iudicis punietur, & infamiam incurret, *l. notatur 15. ff. de his qui notantur infam. Valençuela consi. 96. numero vigesimo quinto, & 26.* iunctis his quæ latè diximus *cap. 2. §. 2.*

His omnibus pro complemento ad-
21 de † *legem Romuli* silentio non prætermittendam) cuius meminit *Plutarchus in Romulo*, vbi ἔθηκε δὲ (ait) καὶ νόμους τίνας, ὧν, σφοδρὸς μέν ἐστιν, ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβάλλειν φαρμακείᾳ, τέκνων ἢ κλειδῶν ὑποβολῇ: καὶ μοιχευθεῖσαν: quæ sanè verba pessimè vertit, & penitus euertit *Lapus Florentinus*; nec integrè Latinitati donauit *Hermanus Cruserius*; nec aptè Latina fecit *Francisc. Conan. lib. 1. commentar. Iur. Ciuil. cap. 12.* Ego verò ita ad verbum verum sensum elicio: *Leges autem nonnullas* Romulus *tulit, quarum illa dura est, quæ vxori maritum relinquere vetat: marito verò ab ea diuertere concedit ob veneficium, filiorum & clauium suppositionem, & adulterium*: ab his enim quattuor, VENEFICIO scilicet, PARTV SVPPOSITO, FVRTO & ADVLTERIO, ex *lege Romuli* viro permissum erat vxorem dimittere (etenim clauium suppositio κλειδῶν ὑποβολῇ furtum denotat, vt ex Græcis Grammaticis optimè notat *Conan. suprà.* Et horum sanè tribus notatur à *Dinarcho* adolescente Phronesium meretrix in *Truculento Plauti actu 4. scena 2.*

** Quadrupis nomine notabatur adultera.*

Iam herclè apud omnes Magistratus famo erit nomen tuum,
*Postidea ego te manum injiciam * quadrupes, venefica,*
Subpostrix puerum.

Demum in proposito nota, eum † qui 22 suppositus fuerit exclusione & priuatione tantùm multari hæreditatis & bonorum eius cuius filius fictè & subdolè anteà dicebatur, *Socin. Iunior cons. 90. volum. 2. Decius cons. 342.* quos & alios refert *Costa supra nu. 7.* Et hæc de pœna huius falsæ suppositionis.

CVM AVTEM ex simili delicto familia in quam supposititius partus inductus est, & veri successores patris conficti principaliter lædantur, vt iam notauimus, hinc factum fuit, vt partus suppositi actio popularis, siue publica 23 † non fuerit, imò soli parenti concedatur, illíve cuius interest, cùm de eius successione fuerit actum, *l. lege Cornelia 30. §. de partu supposito, ff. ad leg. Corneliam de falsis*, vbi *Glossa* verb. *parentes*, & verb. *vt publicam*, *Cuiac.* optimè *in commentar. ad titu. Cod. ad leg. Corneliam, de falsis*, dict. vers. *etiam notandum*, *Farinac.* post plures, dict. *quæst. 150. num. 265.* & nobis probatur in dict. *l. 3. tit. 7. part. 7.* in illis verbis: *Et al falsedad como esta puede acusar el marido à la muger, è si el fuesse muerto, puedenla acusar ende todos los parientes mas propinquos, que fincaren del finado, aquellos que ouiessen derecho de heredar lo suyo, si fijos non huuiesse.*

Sed hoc limitatur † in filio, qui li- 24 cèt prohibitus non sit de facto matris quæri, si dicat suppositum ab illa partum, vt injustum cohæredem haberet; cam tamen ream *lege Cornelia de falsis* facere nullo modo potest, *l. hi tamen 11. §. 1. ff. de accus.* & probatur in dict. *l.* ... *part.* cuius verba illa: *Bien podrian acusar à aquel que los dio la madre pro hermano*, interpretari debent, ita vt ciuiliter tantùm contra suppositum agatur, vt clarè probatur ex verbis illis subsequentibus: *E probando lo que an- si fuera puesto, non debe auer ninguna parte de la herencia del que dize que era*

era su padre, ò su madre. & ita verbum illud, *acusar*, correspondebit verbo, *queri*, d. §. 1.

Ab his tamen non inferas à contrario (vt aiunt) sensu, filio vero & naturali in suppositum querelam non instituente, ambos ad hæreditatem admittendos: si enim tale quid eueniat, successio fisco defertur, quandoquidē priuata persona facere non potest, vt actus à iure prohibitus & detestandus (qualis est suppositio partus) efficiatur licitus.

Vt autem hæc penitùs percipiantur, præmittenda est illa firma iuris conclusio, quæ docet partus suppositi
25 institutionem nullam † esse ipso iure, *l. aufertur*, iuncta *Glos. fin. ff. de iur. fisc. l. si pater*, cum ibi notatis, *C. de hæred. instituend.* facit *text.* in *l. neque professio*, *C. de testam. l. nemo*, *§. fi. ff. de hæredib. instituen.* quas Doctores pro hac sententia communiter expendunt. Quæ sanè mihi apertiùs probatur in *l. 1. §. fin. ff. de Carbonian. edicto*, in illis verbis: *Si suppositum partum apparuerit, actiones hæreditariæ puero denegandæ sunt, omniáque perinde habenda, ac si heres scriptus non esset*, *l. neque*, ibi: *Quod patrem tuum voluisse facere, dicis irritum sit*, *Cod. de hæred. institut.* & clariùs in *l. post legatum* 5. §. 1. *D. de his quæ vt indign.* in illis verbis: *Tamen si is eius conditionis fuerit v. sus, vt obtinere hæreditatem non possit, & iure intestati ad eos cognatos pertinet, petere hæreditatem ipso iure poterunt*, & ita tenet *Bald. cons.* 134. *num.* 2. *volum.* 1. & iterum *cons.* 437. *ad fin. lib.* 5. vbi sentit, portionem quæ relinquitur filio supposito, haberi pro non scripta, ac si diceret, relictam censeri mortuo ante testamentum, iuxta terminos *l. vnicæ*, §. *& cum triplici*, *Cod. de caducis toll.* Etenim pro nō scripto illud propriè dicitur, quod mortuis relinquitur, *l. si quod tempore* 4. *D. de his quæ pro non scriptis habentur*: idem tenent alij plures, quos refert & sequitur *Surd. decis. Mantuana* 83. *num. primo. Cuiacius in commentar. ad tit. Cod. de hæredib. instituend. pag.* 4. *in princip.* Vbi enim in institutione mētio fit filiationis (vt ita loquar) aut consanguinitatis, ea videtur fuisse causa finalis, & ideò ea apparente falsa, institutio vitiatur, *l. nemo §. primo*, vbi *Gloss. Bartol. & alij*, *D. de hæredib. instituend.* dicta *l. si pater*, *Cod. eodem titul. Lara*, post alios, in *l. si quis à liberis*, §. *si vel parens*, *numero quadragesimo primo*, *D. de liberis agnoscendis*, cum aliis quos refert & sequitur *Surdus* dicta *decisio. Mantuan.* 83. *num.* 1.

Accedit his, quòd testator ignarus filium suppositum hæredem instituens errans hoc facit, nihil verò consensui tam contrarium est, quàm error, *l. nihil* 116. *D. de diuersis regulis iuris*: & inde est, nihil filio supposito prodesse præsentem fuisse quo tempore eum testator instituit, vt notauit *Iacobin. de Sancto Georg.* in d. *l. si pater*. His enim omnibus fallitur testator, & cœco errore procedit. Et ab hoc etiam fit (vt ait *Ruynus cons.* 63. *n.* 8. *vol.* 2.) quòd testatoris Iurisperiti legitimis hęredibus institutio suppositi partus ab eo inscio facta non obsit, cùm legum & Iuris peritia differat à notitia qualitatis hæredis instituti: quod mirè comprobatur ex adductis ab *Angelo* in *l. eam quā C. de fideicommissis*, & ab *Anton. Petra* cum referente, *de fideicommis. qu.* 11. ex *num* 197. de Doctore adoptante aliquē vt filium, & adoptione nulla existente, cum hæredem tanquam filium postea instituente.

Nec mirum est institutionem hæredis ex capite erroris defuncti ad nihilum redigi, cùm hoc ipsum eueniat in contractibus, vt optimè notat *Alexander* in dict. *l. si pater*, *C. de institutionib. & substitutionib. num.* 1. per

textum notabilem in *l. cùm hic ſtatus, §. final. D. de donat. inter virum & vxorem*, & in *l. ſi ea voluntate, Cod. eod. titul.* & notauerat ante Bald. in *l. eam quam, num. 22. Cod. de fideicom.* & ex pluribus probat *Surd. deciſ. Mantuana* 144. *num.* 4.

Quòd ſi obiicias, nec falſam demõſtrationem (vt in *l. demonſtratio* 17. *l. falſa* 23. *l. nominatim* 34. *l. quibus* 40. *§. dotalem, D. de condition. & demonſtration.* nec falſam cauſam diſpoſitionem vitiare, dicta *l. demonſtratio, §. quod autem, l. cum tale* 72. *§. falſam cauſam, D. de condition. & demonſtration l.* 2. *l. finali, in fine, D. de falſa cauſa adiect. leg. l.* 1. *C. eodem titul.* quia vt ait *Conſultus* in d. *§. falſam*, ratio legandi legato non cohæret (omiſſa ſententia *Gilkenij* in d. *l. ſi pater, numero vndecimo*, qui ab hiſce malè putat validam eſſe inſtitutionem partus ſuppoſiti, ab eo tamen vt indigno auferri hæreditatem, & fiſco applicari.) Reſpondendum eſt, longè differre falſam demonſtrationem aut cauſam, ſiue rationem inſtitutionis aut legati, de qua loquuntur prædicta iura, ab errore in perſona hæredis vel legatarij; non quod dicitur in illis iuribus, cauſam non vitiare legatum, intelligendum eſt de cauſa impulſiua, vt patet ex exemplis adductis à Iuriſconſulto *Gaio* in dicta *l. demonſtratio, §. quod autem*, vbi *Bartol. num.* 13. quem cæteri ſequuntur. Nos autem ſumus in cauſa finali diſpoſitioni cohærente, quæ ſi falſa ſit, diſpoſitionem vitiat, ex *Gloſ. Bart.* & aliis in d. *l. ſi pater*, idem *Bart.* in dicto *§. quod autem*, dicto *numer.* 13. vbi malè putat, dictam *l.* 1. *C. de falſa cauſa adiecta legato*, intelligendam de cauſa finali, cõſtituens differentiam (quæ nulla eſt) inter dictam *l.* 1. & *l. cùm tale* in dicto *§. falſum*: vtrobique enim non ſolùm requiritur probatio erroris in cauſa inſtitutionis, vel legati, ſed etiam teſtatorem aliàs non ita diſpoſiturum, vt patet ex dicto *§. falſam*, ibi: *Si probetur alias legaturus non fuiſſe*, & ex dicta *l.* ibi: *Niſi liquidò probari poſſit, eum non liberari debitorem voluiſſe, ſed errore lapſum ſolutam ſibi pecuniam exiſtimaſſe*, quæ clarè demonſtrant vtrumque *textum* intelligendum eſſe de cauſa impulſiua, niſi liquidò probetur eam pro finali teſtatorem habuiſſe, iuxta noſtram interpretationem & diſtinctionem cauſæ impulſiuæ à finali, pro qua facit *textus in lege cùm in corpus, trigeſima ſexta, D. de acquirendo rerum dominio*, cum ſimilibus.

Prædicta planè procedunt in teſtatore inſciè ſuppoſitum filium hæredẽ inſtituente, in eo vero qui inſtituit quem ſuppoſitum ſciebat, † aliter ſe 26 res habet, ſiquidem inſtitutio, aut legatum valet, & ſuppoſito defertur, ex notandis paulò ĩ.

Dum priùs conſtituamus in priore caſu † inſtitutionis erroneæ ſuppoſiti 27 partus hæreditatem ſuccedentibus ab inteſtato deferri, d. *l. ſi pater* 4. *Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* quam ita intelligit dict. *l. finalis, tit.* 7. *part.* 6. in illis verbis: *Et aun dezimos, que ſi el teſtador eſtableciere por ſu heredero à alguno cuidãdo ſin duda ninguna que era ſu fijo, que ſi deſpues de la muerte del teſtador fueſſe ſabido en verdad que no lo era, perderia por ende el heredero tal heredad, porque non la merece de auer, pues que ſabido es verdaderamente que non es ſu fijo del finado: pero tal herencia como eſta non ſeria de el Rey, mas de los pariẽtes mas propinquos del teſtador, ſi los ouieſſe: mas ſi parientes non ouiſſe, entonces deve ſer nel Rey*: notat *Azo in Rubr. C. de his quæ vt indignis, num.* 1. verſic. *tertius eſt*, & omnes in dicta *l. ſi pater*, vbi *Bartol.* ait: *licet talis filius ſit indignus, non capit fiſcus, neo aufert ab eo hæreditatem, ſed venientes ab inteſtato, quia non ſuo facto*

eu

aut culpa, sed ignorantia testatoris institutus est: quod *nota & tene menti perpetuò*: idem *Bart.* in *l. neque professio, C. de testamentis*, & in *l. falsa, ff. de condition. & demonstration.* Et *Bald.* in dicta *l. si pater num.* 3. ait, nil testatori imputandum post cuius mortem detectus fuit error, qui prius erat occultus, *Corneus ibidem num. 9. & 7.* Et quòd isto in casu hæreditas deferatur legitimis hæredibus, tenet post alios *Afflictis in tit. quæ sint Regalia*, verb. *& quæ, num. 12. &* 13. *Peregrin. de iure fisci, libr. 2. tit. 2. num. 4. in fin. Farinac. in fragmentis, tit. fisco quando appl. numero* 22. *Petr. Gilken.* post alios plures in d. *l. si pater, numero* 10. notatur communiter per *textum* ibi in *l. cùm falsi*, iuncta *Gloss. C. de falsis*: & facit *text.* in *Authent. de mandat. Princ.* quæ est *Nouell. 17. cap. 12.* in illis notabilibus verbis: *Oportet autem te & in hoc omnem ponere prouidentiam, cùm aliquis dignus apparuerit pœna, illum quidem punire, res autem eius non contingere, sed sinere eas generi & legi*: & conferunt quæ in proposito disertè annotauit *Cephal. cons. 410. nu. 39. & seqq. lib. 3.*

Sed cùm dicimus, hæreditatem hæredibus legitimis, & à lege vocatis deferri, substitutionem filio supposito ab ignaro patre factam non excludimus.
48 Quinimò substitutos † hæredibus ab intestato dubio procul præferendos putamus, ita vt dum dicta *lex si pater* (iuxta communem intellectum) & d. *l. fin. tit. 7. part. 6.* disertis verbis filio supposito excluso hæredes legitimos admittunt, intelligantur deficientibus substitutis iuxta celebre consilium *Signoroli de Homodeis* 111. & aliud *Capræ autem tertia difficultas, lib. 3. Cardin. Parisius cons. 44. num. 18. libr. 3.* & *Cardin. 2. num. 20.* & *Socin. cons. 92. vers. succedit Tusch. tom. 6. concl. 109. num. 1.* quorum sententia mihi apertè comprobatur in *l. 1. ff. de his quæ pro non scriptis hab.* facit *text.* in *l. nec apud 7. C. de hæredibus instituendis.*

Sed ista limitanda sunt cum *Baldo cons. 339. numer. 2. volum. 2.* quem refert & sequitur *Cardinal. Mantica de coniectur. vltim. volunt. lib. 4. tit. 7. num. 8.* in substitutione post temporis interuallum † vel implementum alicuius con- 29
ditionis vires sortitura; nam medio tempore hæredes legitimi videntur quasi vocati, & grauati restituere conditione impleta, iuxta decisionem *tex.* in *l. eam quam 14. C. de fideicom.* Et hæc de primo casu suppositi filij hæredis instituti à testatore inscio.

In secundo verò casu † *suprà* pro- 30
posito, testatoris scilicet filium suppositum scienter hæredem instituentis, institutio quidem mero iure valet, vt prædiximus, aufertur tamen hæreditas instituto tanquam indigno, & fisco applicatur, dicta *l. aufertur, ff. de iure fisci* (ita intelligenda iuxta titulum sub quo posita est, vt optimè notat *Gilkenius* in dicta *l. si pater, nu. 11. in principio, & post medium*) ita vt nec substitutis, nec hæredibus ab intestato ius aliquod in simili hæreditate competat, vti in institutione partus suppositi ab ignato testatore facta, quæ pro non scripta habetur, ex traditis *supra*, & substitutorum & hæredum ab intestato causam conseruat, dicta *l. 1.* & *l. 3.* (quæ in proposito est singularis) *ff. de his quæ pro non scriptis habentur.* Est enim generalis & notissima illa Iuris regula, quæ habet, hæreditatem vel legatum indigno delatum fisco applicandum, *l. 1.* cum pluribus aliis, *D. de his quæ vt indig. Peregrin. libro 2. de iure fisci, titulo 2. per totum, & titulo 5.* Et ita in terminis partus suppositi à testatore non ignaro ad hæreditatem inuitati tenet *Additio* ad *Glossam*, verbo *auferendam* in *l. si pater 4. C. de hæredibus instituen.* vbi *Bartol.* & *Fulgos. num. 2. Corneus nu.*

6.& 7.*Signorol.*d.*conf.*111.*nu.*12.*Tusch.* d.*concl.*109.*n.*1.*Ioan.Bapt.Costa de iur.* & *facti ignorant.*d.*distinct.*87.*cent.*1.*nu.* 10.& 11.Et quamuis ibidem ex *Albano consf.*787.*vol.*4. contrarium in praxi pręualere dicat,ego de ea valdè & meritò dubito attentis iuris veris & certis resolutionibus in contrarium.

Sed & ista limitanda videntur ex sententia *Signoroli* d. *cons.*111.*num.*15. & 16. quem refert & sequitur *Tuschus* d. *cons.*109.*n.*3. in substituto(aliàs
31 hærede legitimo)† à testatore,suppositum filium instituente,qui etsi fraudis particeps fuerit, non priuabitur successione, errore detecto, cùm in his contra se solùm egerit:& quia pœna deportationis afficietur, *l.*1.*ff.ad legem Cornel.de falsis*, quæ longè differt à successione. At ego limitationem istam non probo, qui regulariter ob partus suppositionem simul cum deportatione videam bonorum omnium publicationem in principales,& reos & participes inditam in d. *l.*1.*in fin.ff.ad legem cornel.de fals.*cum aliis adductis *supr.*

Illud autem constitutissimum est, patrem scienter & subdolè filium suppositum instituentem & vocan-
32 tem ad bona maioratus † vel fideicommissi perpetui, aut temporarij (quem nostri gradualem vocant)obesse non potuisse cæteris vocatis,& quoad eos nullam esse institutionem & vocationem,& pro non scripta habendam,vt inde ad bona ista vinculo vel fideicommisso obnoxia omnis fisco aditus præcludatur, vt innuit *Ioannes Bapt.Costa* d.*distinct.*87.*num.* 8.ita vt hoc solo casu nulla sit differentia inter institutionem aut legatum in fauorem suppositi filij à testatore ignaro vel inscio suppositionis factam, in aliis secùs ex præhabita distinctione.

Qua admissa cessat anxius labor Interpretum Iuris circa enodationem
& conciliationem d.*l.aufertur* † cum 33
d.*l.si.pater.*4.*C.de hæred.inst.*& facilè refellitur opinio *Glossæ* in dictis iuribus (quam probant *Bart.* & alij relati à *Gilkenio* in d.*l.si pater,n.*11.*in princ.*) dum putat,dictam *l.aufertur* eo casu intelligendam cùm nullus hæres ab intestato existeret,quam meritò vt diuinatoriam & nimis coarctantem illius *textus* dispositionem improbat *Fulgos.*in d.*l.si pater nu.*2. Et vitantur plures aliæ allucinantes conciliationes illorum iurium, quas comminiscuntur *Cynus*,*Alberic.Salicet.* *Angel.* & *Fulgos.*relati à *Petro Gilkenio supra:* qui *Fulgosio* tandem assentit,dum prędicta non perpenderit.

Et demum destruitur generalis *Cu-*
iacij † sententia *in commentarijs ad titulum C.de hæredib.instituend.* 34
vbi indistinctè asserit, à supposititio partu quasi indigno hæreditatem fisco auferendam,si à testatore substitutus datus non est:in quo sanè confundit casus diuersos, quos *supra* distinximus. Et contra omnes, quin & contra iura aperta,nulla omnino institutione existente,hęreditatem à fisco auferendam asserit.

SECTIO I.

De specialibus partus suppositi.

His velùt in genere pręsuppositis, si ex ordine nos facturos puto, si ea quæ huius criminis ἴδια *propria*, seu specialia dicuntur, disquiramus: prosequentes & examinantes, quę in proposito comminiscuntur *Decius consil.* 342.*in princ.* *Hippolyt.de Marsil.ad l.*1. §.*accusatio,ff.ad legem cornel. de fals.* *Bossius in praxi titul.de partu supposito* exam...

ex num.1. vet.Greg.lib.36.syntagm.iur. c.3.à num.4.Farin.d.quæst.150.à num.1. Ex quo enim partus suppositio tot mala infert, & facilè committitur, vt prædiximus, factum est vt in eius detestationem, & vt homines à similibus confictionibus arceantur plura singularia à iure præcauta & disposita fuerint, ex communi Interpretum assensu plures casus dinumerantium speciales. Quorum omnium nec vllus sanè nobis probatur, & meritò, vti sequentia attentè inspicienti clarè demonstrabunt.

Aiunt enim nostri primo loco magnum & præcipuum suppositionis partus speciale in eo versari, quòd
3 suppositi partus accu'atio *nulla temporis præscriptione depellatur*, † *l. qui falsam* 19. §. *accusatio*, *ff. ad leg. Corn. de fals.* facit *l. Constantini* 2. *tit.* 19. *lib.* 9. *Cod. Theodos.* ibi: *Nullis clausa temporibus*, *l. cùm suppositi*, iuncta *Glos.* verb. *id probat*, *C. ad leg. Cornel. de fals.* *Hippol. de Marsil.* post *Gloss.* in d. §. *accusatio*, *n.*1. *vet. Greg. lib.* 6. *syntagm* d. *cap.* 3. *numer.* 5. *Renat. Choppin. ad leges Ænd. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 8. *Bapt. Costa* s. d. *dist.* 87. *nu.* 4. Quod sanè intelligendum est de præscriptione ordinaria & temporaria, non tamen de ea quæ longioris est temporis, puta viginti an..oru m:omne enim crimen falsi vicennio finitur, id est, accusatione intra viginti annos non instituta, vt disertè ait *Cuiac.* illicò referendus: & ideò post id tempus accusationem cuiuslibet falsitatis institui prohibuerunt *Diocletian.* & *Maximian.* in d. *l. querela* 12. vt inde verba illa d. *l.* 2. *C. Theod.* *Nullis clausa temporibus*, interpretari debeant, id est, *ordinariis*, & ad præscribenda delicta regulariter sufficientibus, velut crimen adulterij (quod quinque annorum præscriptione clauditur) peculatus, & similia, vt optimè notat *Cuiac. lib.* 4. *obseru. c.* 14. & in *comment. ad tit. C. ad leg. Cornel. de fal.* vers. *etiam notandum*, *Gothofred. in schol. ad* d. *l. qui falsam*, & ad d. *l. querela*, *vet. Ærod. lib.* 9. *rerum indicat.* d. *capite* 8. vbi *ex Sueton. in Tiber. capite* 49. & *Tacito libr.* 3. *Annal.* probat, P. Quirinium, quòd Lepidæ vxori repudiatæ infensus post vigesimum annum eam ex capite suppositi partus incusauerit (quando omnis criminis accusatio, vno excepto crimine perduellionis, finita est) repulsam ob id passum, quamuis aqua & igni Lepidæ interdictum fuerit, quia adulterij & veneficij rea declarata fuit.

Ab his etiam facilè resolues quæstionem *Choppini* s. *num.* 9. & deprehendes inaniter eum tempus & operam perdidisse, dum instabat accusationem suppositi partus à patruo (cuius intererat) institutam ante vigesimum annum admittendam non fore ductus decreto Augusti in fauorem Tectij infantis, cuius meminit *Valer. lib.* 7. *c.* 7. & exemplo defensionis, quã Virginius in causa filiæ (quam Marcus Claudius post quindecim annos natam ancillam suam asserebat) fecit. Quæ certè ad decisiones causarum trahi non debent, nec euertere possunt leges & constitutiones expressè rem generali dispositione terminantes, qualis est d. *l. querela* 12. Vnde rectè Senatus causam illam agendam declarauit contra *Choppinum*, vt ipse ibidem testatur.

Negari tamen non potest, quo casu iste loquitur (de eo scilicet qui à patre decem annis vt filius habitus & procreatus fuit) accusationem suppositi partus post mortem patris institutam doli præsumptionem secum afferre, quæ nisi plena suppositionis probatione excludi non poterit, iuxta ea quæ *Choppinus* adducit dict. *num.* 9. ferè per totum, & nos j. annotabimus.

Ex dictis verò perquam euidens fit, nil speciale inueniri in supposito partu, cum vicennio, vt quælibet alia falsi querela, præcludatur, d. *l. querela*: cóque reducēdam esse communem *Hippolyti* & aliorum s̃. relatorum sententiam securè affirmamus.

Quicquid nouè in *Cuiac.* s̃. relatum,
36 adstruere conatus fuerit *Forner.* † *lib. 1. rerum quotidian.* vbi crimen suppositi partus perpetuum esse contendit, nullóque temporis spatio finiri, velut læsæ Maiestatis, nixus generali illa ratione dictæ *l. qui falsam*, §. 1. *ff. de falsis*: *Accusatio suppositi partus nulla penitus præscriptione depellitur*, & addens in Græco quodam iuris vocum indice suppositi partus querelam in hoc ab alia quaque falsitate differre, quòd falsitatis accusatio vicennio finiatur, partus verò suppositi perpetua est, quod clarè probant illa verba ab eo expensa: Σβέννυται τῇ εἰκοσαετίᾳ, οὐ κινεῖται δὲ περὶ γυναικός, ἀλλὰ κατὰ γυναικός, μάλιστα δὲ περὶ ὑποβολιμαίου πυβλίκως καὶ ἄλλα περὶ μόνων τῶν γονέων, καὶ οὐδὲ ἐκβάλλεται χρονίᾳ περιγραφῇ. Et subdit id denotasse Imperatores in dicta *l. querela 12. C. ad legem Corneliam de falsis*, in eáque ideò addidisse particulam *ferè*, vt exciperent à regula crimen suppositi partus, & Maiestatis, quorum vtrumque perpetuam habere causam contendit, & tandem concludit, quòd cùm publicè intersit non subiici partus, vt ordinum dignitas familiarúmque sit salua, *l. 1. § sed et si seruus*, *ff. de ventre inspiciendo*, *l. 1. cum sequenti*, *ff. de liberali causa*: *Æquum fuit huic rei discutiendæ longiorem* (melius ab his dixisset *nullum*) *præscribi terminum*.

Ego enim ista non probo, nec à proposita interpretatione *Cuiacij* discedendum vllo modo puto: quæ (ni fallor) apertè comprobatur ex d. *l. 2. titul. 19. lib. 9. C. Theodos.* in illis verbis: *Cùm in præterito is mos in iudiciis seruaretur, vt prolatis instrumentis, si ea falsa quis diceret, à sententia iudex ciuilis controuersiæ temperaret, eóque contingeret, vt imminens accusatio nullis clausa temporibus petitorem, possessorémve deluderet*, quæ sanè edicunt regularem falsi accusationem nullis téporibus circumscribi, & tamen vicennio finiri, nullus est qui negare audeat, contra d. *l. querela*. Verba ergo illa: *Nullis clausa temporibus*, intelligi debent cum *Cuiacio* de ordinariis non de longioribus: vt inde quàm euidenter appareat, dictam *l. qui falsam*, §. 1. ibi: *Accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur*, nullam specialitatem continere, in dictáque recidere, ita vt ordinario temporis cursu, id est quinquennio, non excludatur.

Et hunc eundem sensum ex *Cuiacio* s̃. necessariò respiciunt verba illa *l. fin. ff. ad leg. Pomp. de parric.* *Semper accusatio permittitur*, & *l. in cognitione 13. ff. ad Senatusc. Syllania*. *Namque eos qui parricidij pœna teneri possunt, semper accusare permittitur*. Licèt enim *D. Ioannes Solorzanus in disputatione de parricidio lib. 2. quæst. 20.* (communiore persistens opinione existimantium parricidij accusationem nullis temporum curriculis præcludi) pro ea expendat vocem illam, *semper*, quâ vsi sunt *Paulus* & *Venuleius* in præcitatis iuribus, perpetuitatémque & continuitatem, accusationis præ se ferre dixerit, ex *l. 1. ff. soluto matrimonio*, & *l. Gaio Seio 13. §. Imperator Antoninus*, *ff. de alimentis & cibariis legatis*, adhuc ego *Cuiacij* sententia persistendum reor: nec enim dictio *semper*, vbique sumi debet sine temporis præfinitione, vt probatur ex *Cicerone de Oratore.*: *Semper ego à genere hoc toto sermonis refugi*, & eliciatur ex dicta *leg. 1. ff. soluto matrimon.* cum:

cum ibi notatis per omnes. Ad hæc in d.§.*Imperaior.*dictionis istius nulla est mentio,sed alterius illius,*perpetuò*, quæ fortiùs omne tempus futurum afficit, idem *Cicer.in Famil.Statueram in perpetuum tacere*,&tamen apud Iurisconsultos & Imperatores sæpe & sæpius tempore præcluditur, *l.prætor ait* 20.§.6. hoc interdictum perpetuò durat,*ff.de noui oper.nunt.* & perpetuæ vocantur actiones quæ triginta vel quadraginta annorum curriculo finiuntur ad differentiam temporalium, quæ breuiori termino excluduntur.à *Iustinian.* post alios,*in tit.instit.de perp.& temp.act.* & clarè comprobatur ex pluribus iuribus(ita intelligendis)vt in *l.miles*,6.§.*fin.*iudicati actio perpetua est, *ff.de re iud. l.si quis missum* 17.§3. Actio ista,quæ in factū est,perpetuò dabitur,*ff.de damno inf.l. final.§.hæc iudicia,ff.nautæ, caupon. & stabul.l.*3.§.1.*ff.de vi & vi armata, l.itaque* 28.§.*sed vtique* cum *l.sequent. ff.de dolo,l.Macedoniani, in fin. Cod.ad Senatuscons.Macedon.l.sicut* 3. *C. de præscript.trig.vel quadrag.annor.* cum aliis.

At Græcus iuris index à *Fornerio* expensus non debet tantæ esse auctoritatis, vt rationem vincat, & verum legum sensum,maximè cùm Græculorum proprium sit in Iure Romanorum cæcutire.

Demum in *Fornerium* noto,dictionem *ferè* (quâ vsi sunt Imperatores in *d.l.querela*)referendam ad illa priora, *temporalibus præscriptionibus* (vt sit sensus, falsi querelam non ac cætera ferè crimina temporalibus præscriptionibus quibusque, sed vicennali tantùm excludi) non verò ad illa: *Viginti annorum exceptione*, vt volebat *Fornerius*. Idque euidentius fiet consideranti plura esse delicta, quæ quinquennio vel breuiore tempore excluduntur, quàm quæ vicennio, vt patet ex legibus, quin & criminibus *suprà* relatis: & inde necessum esse fateri, verba illa generalia subsequentia dict. *l.querela: Sicut cætera quoque ferè crimina*, ad ea quæ ordinariis præscriptionibus finiuntur (de quibus in initio legis) referenda,non ad ea quæ vicennio terminantur: structura autem verborum, quibus Imperatores vsi fuerunt,id effecit,vt prædicta (ad prima referenda) vltimo loco collocarentur.

Ex quibus omnibus verissimam diiudico *Cuiacÿ, Gothofredi & Ærodÿ suprà* relatorum sententiam, & partus suppositi accusationem sub dispositione dictæ *l.querela* contineri.

Quinimò ex contrario hoc speciale
† dari videtur in hoc crimine,vt accu- 37.
satio partus suppositi regulariter post mortem mariti illicò sit instituenda, vt innuit dict.*l.1.Cod.ad leg. Cornel. de falsis*, & dict.*l.1.§.final.ff.de Carbon.edicto*, & probat *Farin.de falsit.quæst.* 150.*numer.*243.*in princip.* Alioquin si post multum temporis interuallum proponatur à vero filio defuncti,eiúsve fratre,aut alio proximiore & legitimo hærede in filium (qui denuò suppositus arguitur) ego certè exactiores exigerem probationes ab eo qui magis dolosè versari videretur: maximè si eum suppositum diceret, quem pater aluit,educauit & fouit vt suum, iuxta ea quæ adducit *Choppinus de legibus Andium* 1.*part. capite* 44.*numer.* 9.*in princip.* Quod ergo dicemus de querela suppositi partus intra vicennium liberè prosequendâ, intelligendum est cum sua causa, ita vt simul ac detecta fraus fuerit intra prædictum tempus accusatio proponi possit,& probatio regularis suppositi partus(de qua ÿ.agemus) sufficiat;secùs si fraude, vt creditur, patefactâ querelâ differatur,quo casu plenioribus pro-

bationibus morosus actor doli præsumptionem excludere tenebitur.

Illud demum in proposito annotandum † superest, quòd etsi suppositi
38 partus accusatio viginti annis concludatur, ex d. *l. querela*, hæreditas verò, aut quæuis bona, quia & cognationis, seu familiæ alterius fama à filio supposito scienter & iniustè occupata, & iniustè possessa, his ad quos pertinent iudicio ciuiliter intentato sint restituenda omni tempore, vt quæ res furtiuæ sunt, vsucapionis regulis nullo modo subiectæ, *l. sequitur* 4. *§. quod autem, cum seq. l. vbi lex* 24. *non solùm* 33. *ff. de vsucap. l. si* 1. *ff. de vi bonor. raptor. l. si partem* 5. *cum sequ. C. de vsucap. pro empt. §. furtiuæ, instit. de vsucapion. l.* 4. *in fi. cum seq. tit.* 29. *p.* 3. *l.* 5. *tit.* 15. *li.* 4. *Recop.* Dom. Præses *Couarruu. in reg. possessor,* 2. *p. §.* 9. & in *reg. peccatum* 3. *par. in init. Conan. lib.* 3. *comment. iur. c.* 15. *num.* 11. Id quod in alio quouis furto cum falsitate patrato dicendum est: nam etsi falsi querela finiatur vicennio, ex d. *l. querela*, fur tamen vel eius hæres post id temporis, vt iniustus possessor ad rei furtiuæ restitutionem cogi poterit. Et hoc (à nemine eorum quos viderim, excogitatum) magni faciendum existimo, & notatu dignum in causa suppositi partus, vt quod pluries euenire poterit.

39 Secundum speciale est † ex mente Doctorum in accusatione suppositi partus (vicennio finienda) quòd intra illud omnino duret, & possit institui etiam post mortem matris, d. *l. qui falsam, §. accusatio*, in illis verbis: *Nec interest, decesserit necne ea quæ partum subdidisse contenditur*, & ibi omnes, *Salicetus* in d. *l.* 1. *C. de falsis*, *Bossius in praxi crimin. tit. de partu supposito, nu.* 2. *Pet. Gregor. lib.* 36. *syntagm. at.* d. *ca.* 3. *numer.* 5. *vers. nec interest*, *Cuiac. in commentar. ad l.* 1. *§. fin.* cum *l. sequ. ff. de Carbon. edicto*, & *in comment. ad tit. C. si pendente appellat. mors intercess.* post medium, *Farinac.* d. *quæst.* 150. *n.* 244. Sed hæc ita intelligi oportet, vt accusatio quidem duret in complices & participes sceleris, quod verò ad mulierem attinet morte extinguatur, velut quodlibet aliud crimen (excepto perduellionis, *l. fin. ff. ad legem Iuliam Maiest.*) quod clarè probatur in d. *l.* 2. *ff. de Carbon. edicto*, in illis verbis: *Licèt mulier, quæ partum subiecisse dicitur, decesserit, si tamen participes maleficij sint, in præsenti cognoscendum est*: notat *Bossius* in d. *tit. de partu supposito, n.* 2. *Petrus Gregor.* d. *c.* 3. *num.* 5. *vers. nec interest*, *Farinac.* d. *quæst.* 150. *numer.* 244. Vt inde facilè euincas, specialitatem nullam dari isto in casu, quandoquidem omni iure, criminis consortes, seu participes ex propria culpa veniant incarcerandi & damnandi, adeò vt pro absentibus præsentium defensio non admittatur, *Farinac.* latè *quæst.* 99. *nu.* 135. nouissimè *Hieronym. Buccaronius de differentiis inter indicia ciuil. & crimin. differ.* 139. *nu* 3.

Tertium speciale sit, † vt mota quæ- 40
stione in iudicio petitorio contra filium, qui suppositus arguitur, is præscriptione triginta annorum & amplius sese tueri non possit, quominus detecta suppositione eidem hæreditas confictì patris auferatur, vt post *Benedictum Capram cons.* 2. *num.* 20. resoluit *Mantica de coniectur. vltimar. voluntat. lib.* 4. *titul.* 7. *numer.* 5. *in fine.* facit text. in d. *l.* 5. *tit.* 15. *lib.* 4. *Recop.* vbi absconditæ res nullo tempore præscribuntur. Sed ego & de specialitate ista valdè dubito: nec video cur is, qui simul cum bona fide longissima filiationis & bonorum paternorum possessione iuuatur, possit in iudicium post triginta annos vocari, contra regulam *l. omnes*, cum similibus, *Cod. de præscription. triginta vel quadraginta annorum*: & post viginti annos. Iure nostro

nostro attento in *l.60.Tauri*, quæ est *l.6.dict.tit.15.libro 4.Recopil.* Nec obstabit rem furtiuam vel absconditam vsucapioni vel prescriptioni non subiacere, hoc enim intelligendum est data mala fide possessoris, & scientia iniustæ possessionis, vt diximus *supra numer.38.*

41 Quartum speciale † ex sententia Doctorum in eo versatur, vt non differatur partus suppositi accusatio in tempus pubertatis pueri, *l.1.dicto §.fin.ff. de Carboniano edicto*, d.*l.1.C. ad legem Corneliam, de falsis*, ex illis *textus* verbis: *Nec enim verosimile est, eam quæ arguitur non ex fide causam suam defensuram cùm periculum capitis subeat*, quasi diceret *Antoninus* Imperator, cùm mater suppositi partus rea postulatur, causa (quæ filio præiudicio erit, ex dicendis *infrà ad finem huius capitis*) illicò agenda est, cùm verosimile sit à matre totius viribus causam defendendam, ne periculum capitis subeat. Et

42 his concinit ratio tradita ab *Vlpiano* in d.§.*fin.* † ibi: *Cùm verò mater rea postulatur vtique integra fide, & maiore constantia causam defensura, recenti tempore dubium non est cognitionem fieri oportere*: quæ verba ita distinguenda & interpungenda dixit acutè Cuiac.*libro 20.obseruat.cap.24.* & *in commentarijs ad titul. Cod.ad legem Cornel. de falsis, ver.verùm exponere*, vt post dictionem *defensura* interpunctio ponatur, & sequentia illa, *Recenti tempore dubium nō est cognitionem fieri oportere*, vno ductu & spiritu legantur. Et ibidem verba illa, *recenti tempore*, disertè interpretatur, id est, *præsenti tempore*, vt in *l.2.ff.de Carboni.edicto*, & in *l.si diutino 29.ff. de pœnis l.si creditores, §.planè, ff. de bonis auctorit.iudic.possid.* alias *l.16.ff. de priuileg.credit.*

Quæ verò *Glossa* & *Doctores* comminiscuntur in d. *l.1.* eius decisionem ampliantes & restringentes, vno verbo † comprehendes, & resolues (quod attinet ad querelam partus suppositi illicò peragendam, vel in tempus pubertatis filij differendam) si annotaueris, cùm suppositi partus accusatio in mulierem instituitur, & ipsa principaliter arguitur causam illicò repræsentandam, instruendam & finiendam ex ratione dictæ *l.1. C.de falsis*, & dictæ *l.1.§.fin.ff.de Carbon.edicto.* Cùm autem principaliter agitur de statu pupilli, & illi in maioratus aut fideicommissi, hæreditatisue defuncti successione opponatur eius verè filium non esse, tunc sanè quæstio differenda est in tempus pubertatis: quod mirè comprobatur ex *l.si ventris 8. ff. de ventre in possess.mittend.* vbi muliere ventris nomine in possessionem missā accusatio adulterij differtur, *ne quod praiudicium fieret nato*: quod ideò factum ibi fuit, quia principalis quæstio erat de bonis patris, in quæ mulier vētris nomine missa fuerat, vt post *Cuiacium* in *l.1.§.fin.ff.de Carbon.edicto*, & in *comment.ad titul.Cod.de falsis*, vers. *nec obstat*, notauit *Gothofred.in schol.ad d.l.si ventris.* Alioquin enim accusatio adulterij in mulierem principaliter instituta ob pupillarem ætatem vel infantiam filij non differretur, *l.Litia 15.D.de Carboniano edicto*, vbi *Paulus* Consultus hac nostra vtitur ratione in illis verbis: *Si ei pupilla, de qua quæritur, bonorum paternorum quæstio non moueatur, sine causa tutores desiderare adulterij quoque quæstionem in tempus pubertatis pupillæ deferri, l. mulier 11.§. defuncto*, vers. *quæ propter*, vbi rationem eandem in effectu expendit *Papinianus* illis verbis (mirè ista comprobantibus) *Nam non vtrique crimen adulterij quod mulieri obijcitur infanti præiudicat, cum possit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse*, quasi secùs sit mota principaliter quæstione super bonis, & hæreditate paterna in-

44 fanti aut pupillo † delata. Hæc vt obiter dicam) quæ de differenda accusatione adulterij in tempus pubertatis filij, vel illicò peragenda dicta sunt, iure nostro attento (de quo in *l.1. tit. 7. lib. 4. Fori*, quæ est *l.1. tit. 20. l.b. 8. Recop.* vbi sola accusatio adulterij marito datur) non procedunt, nisi quo casu maritus accusatione instituta, & lite contestata, imò adulterio probato decesserit, ex his quæ resoluit *Barbosa* in *l.2. in princ. 1. part. numer. 116. ff. soluto matrimon.* cuius resolutionem admittit *Azeued.* in d. *l.1. Reçop. numer. 9.* attento Iure Regni Portugalliæ, non ita in his Regnis Castellæ, ex præcitatis legibus, nec prosecutionem accusationis permittentibus, ex *Gregorio Lopez,* quem refert & sequitur *Azeued.* s̃.

45 Quòd si æquè principaliter † causa instruatur in mulierem criminaliter & in filium ciuiliter, vt accidit in casu discusso per *Choppin. ad leges Andium lib. 1. d. c. 44. numer. 9.* tunc causa mulieris illicò agitabitur, causa verò filij differretur in tempus pubertatis eidem bonorum possessione Carboniana addicta, vt decisum fuisse in suo Senatu testatur is *Auctor.* A dictis verò manifestum fit, nil in proposito casu speciale esse.

46 Quintum speciale erit † in crimine partus suppositi, vt probetur etiam per testes, qui ex depositionibus suis commodum in consequentiam reportant, vt resoluit *Mascardus de probation. concl. 147. num. 41.* vbi multa adducit, quæ sanè huius propositi non sunt, & tantùm procedunt in testibus deponentibus in fauorem vniuersitatis, & modicum commodum ex depositionibus adepturis. Vnde ego hanc, quam nostri putant, specialitatem simili tantùm casu admitterem, cùm scilicet testes deponentes in partum expositum, consequenter commodum minimum reportarent: & ita expresè resoluit *Decius cons. 342. nu. 4.* vbi hoc solo casu excepto stat (& rectè quidem) contra dicta à *Mascardo* s̃. Non tamen inficior similes depositiones aliis adminiculis adiutas plenam posse inducere probationem in re ista arbitraria, & difficilis probationis, ex dicendis ĩ. ita vt quique testes aliàs minùs idonei aliis concurrentibus plenè probent: & hoc casu procedant quæ de sententia aliorum resoluit *Farinac. de testib. quæst. 62. n. 28.* & magis in terminis *Decius* d. *cons. 242. nu. 1. & seqq.* At hic exceptis his, quæ ĩ. refellemus, nihil speciale est in supposito partu, vt vidisti.

Sextum speciale sit, † vt probetur 46
crimen istud suppositi partus per complices & socios criminis, vt ex pluribus latè probat *Decius* d. *cons. 342. num. 2. & 3.* vbi rationem illam reddit, quia iste est de casibus in quibus ex natura negotij & criminis veritas per alios verosimiliter & regulariter probari non potest, & ideò socij criminis testes sunt idonei, *l. consensu, C. de repud. c. veniens in 2. de testib. cap. etsi Christus, ad finem, de iureiurando,* sequuntur *Socin. Iunior cons. 90. lib. 2. Aymon Crauetta cons. 178. numer. 3. Mascard. d. concl. 1147. ex num. 30. Menoch. de arbitrariis lib. 2. casu 16. numer. 7. & de præsumptio. lib. 3. presumpt. 24. numer. 2. & cons. 996. numer. 2. lib. 10. Baiard ad Clarum in §. falsum à num. 192. additio ad Bertazol. cons. 172. littera B. volumin. 1. Criminalium.* Sed ista mihi in totum non probantur, dum considero, & memini vidisse suppositionem probatam per testes, qui ei non interfuerunt, quorum alij de confessione extraiudiciali mulieris deposuerunt: alij in maiore ætate constituendam quæ partum supposuit, declararunt: alij vberibus

cius

eius lac post suppositionem non superuenisse firmarent: alij vetulam infantem sanguinolentum exportantem vidisse, & vagientem audiuisse asseuerarunt: & plura similia: quæ clarè concludunt ex natura facti veritatem in partu supposito aliter quàm per complices probari posse. Fateor per istos probari regulariter, quin & aptiùs & faciliùs, vnde eorum depositiones magnifaciendas existimo, cùm iudex suppositionis probationes perpenderit, ita vt socij huius criminis cum alia quauis coniectura aut præsumptione vehementi plenè illā probent. Sed hoc casu nihil speciale est in supposito partu; quod cæteris criminibus difficilis probationis non possit aptari.

47 Septimum speciale est, † quod statur secundo dicto testis sese corrigentis, & emendantis quod prius deposuerat pro partu supposito, *Mascard. d.conclus.*1147. *num.*42. Sed ego eius resolutionem non admitto, cùm videam ab isto tradita in eius comprobationem à proposito aliena, & omnino deuia; nam quod ait ex *Baldo* in *l. de quibus, ad fin. ff. de legibus* (& sumpsit a *Decio* illicò citando) dicta testium esse adimanda, non calumnianda, vel admitti non debet, vel omni casu euincit, secundum dictum testis priori præferendum, quod dici non potest, vt mox videbimus. Nec *Decius d. cons.*342. *num.*4. & 5. dixit quod ei imponit *Mascardus*, imò ex proposito ibi saluare conatur testis contrariam depositionem, & conformem efficere, & tandem *numer.*6. ait sustinendam, quia variatio in nouissima non fuit super facto principali, sed in

48 accessoriis quibusdam. Vno sanè casu ego admitterem à *Mascardo* tradita, id est, cùm testis primò extraiudicialiter se nihil circa suppositionem scire assereret, posteà verò super ea in iudicio præstito iuramento deponeret, tunc enim secundum dictum esset attendendum, hoc autem nihil speciale contineret, imò regulare est in iure, *capite sicut nobis, de testib. cap.* 1. *in princ.* vers. *si enim, lib.*2. *feudor. titu.* 2. *Quid sit inuestitura, Glossa* in *capite cùm causam, de testibus.* vbi testem hunc liberum à pœna falsi esse ait *Bar.* in *l. eos, C. de falsis. Couarruu. libr.*2. *variar. cap.*13. *nu.*7. & 8. *Farinac.* latè post alios, *de testibus, quæstione* 66. ex *num.* 193.

Octauum speciale † partus suppositi in eo (vt nostri putant) versatur, quòd filij (aliàs testes non idonei in suos parentes etiam spontè deponentes, *l. parentes, C. de testibus, Antonius Gomez tom.*3. *variar. cap.*12. *de probat. delict. num.*12. vers. *quod est verum, Farinac.* post alios, *de testib. quæst.*54. *num.* 170.) plenè probent contra matrem & suppositum fratrem: quæ fuit sententia *Philippi Decij* dict. *cons.*342. *num.*1. vers. *secunda ratione*, & ex multis probare conatur *Carol. Ruyn. cons.*158. ex *n.*18. *volum.*5. *Mascard.* (hos referens) d. *concl.*1147. *num.*54. Sed ego specialitatem istam valdè dubiam, imò nec admittendam censeo, cùm non videam regulam *l. parentes* limitatam in his quæ difficilis sunt probationis, sed eo tantùm casu, quo aliter veritas haberi non potest (à quo iste differt ex *supra* traditis) *Farinac. vbi suprà nu.* 171. & 172. & conferunt quæ à *l. hi tamen* 11. §. 1. & à *l.*3. *tit.*7. *p.*7. tradidimus *supr. nu.*24. 49

Adhæc vix dari poterit casus, in quo filium in matrem & fratrem suppositū deponat, ex quo commodum non reportet: quî ergo dici poterit, duo ista simul insuper habenda testem filium, & ad commodum propriū deponentem admittendū in matrem. Et quamuis propriæ vtilitati renunciauerit, vel nihil commodi ex depositione laturus

ſit filius, eius depoſitionem non admittendam putarem, & admiſſam fidem non facere, ex d. *l. parentes*, & d. *l. hi tamen*, §. 1.

5 Nonum ſpeciale eſt † in partu ſuppoſito, quòd iudex (vt volunt *Abbas* & *Felinus* in *cap. adferre, de præſumpt.*) poteſt informare animum ſuum ad ſententiam etiam ex præſumptionibus extra proceſſum ab illo *textu*. Sed ego iſta non probo, & ſuo ſolùm caſu admittenda exiſtimo, hoc eſt in iudicio Principis, vel ſuperioris Senatus, qui gerit eius perſonam, *l. quiſquis, C. ad legem Iuliam Maieſt. Caſſador. lib. 11. epiſtola 9. Redin. de Maieſt. princip.* verſ. *ſed etiam legibus num. 103. Valençuela*, poſt alios, *conſ. 70.* à *num. 60.* & iudicat ſecundùm conſcientiam, iuxta tradita à *Surdo*, poſt alios, *deciſ. Mantuan. 91. num. 4.* Et ita in caſu noſtro ſentire videtur *Boſſius de partu ſuppoſito nu. 37.* ex *Bart.* in *l. 1. C. vt quæ deſunt aduocatis ſupr. iud.*

51. Decimum denique ſpeciale † eſt in partu ſuppoſito, quòd coniecturis & præſumptionibus probatur, d. *c. adferte, de præſumpt.* cum ibi notatis, *Socin. Iun. conſ. 90. n. 17. vol. 2. Boſſius in tit. de partu ſuppoſito num. 13. Maſcar. de probation.* d. *concluſ. 1147. num. 2. & 3. Menoch de arbitrar. libr. 2. caſu 116. num. 7.* & *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 24. num. 2. & ſeqq.* & iterum ex *num. 29. Farin.* d. *quæſt. 150. numer. 245. Ioan. Bonifacius in tract. de furtis, §. corporalis num. 44.* verſ. *quomodo autem, Polydor. Ripa de nocturno tempore, cap. 162. num. 1. & 2. Ioan. Baptiſt. Coſta in tract. de facti ſciẽtia & ignorant. cent. 1.* d. *caſu* 87. *nu.* 14. At *Farinac. ſupra* poſt *Boſſium*, quem ibi refert, iſta intelligit, cùm de partu ſuppoſito ciuiliter agitur, ſecùs ſi criminaliter, tunc enim exactam probationem requirit, & eam quæ ex coniecturis non plenè concludentibus elicitur, reiicit.

Hæc vt exactius percipiamus, & quid in partus ſuppoſiti probatione tenendũ ſit, euidentiùs eruamus, prætermittere oportet, partus ſuppoſitionem (vt quæ ſpecies eſt falſitatis) regulariter nõ præſumi, † quemadmodum nec ſi quæuis alia falſitas confictióve in alterius detrimentum, *Menoc.* poſt alios *de præſumption. lib. 5. præſumpt. 20. num. 1.* & d. *præſumpt. 24. num. 1. Farinac.* d. *q. 150. num. 265.*

Inde eſt, quòd quamuis difficilis ſit probationis ſuppoſitio, vt quæ clàm & occultè fit, cùm tamen agitur criminaliter, plena † & exacta probatio ſi requiri videatur, *Boſſius in praxi titul. de partu ſuppoſito, num. 13. & 14.* & iterum *num. 30. 31. & ſeqq.* Qualem iudico eam, quæ fit teſtibus plenè & exactè deponentibus de ſuppoſitione partus, iuxta tradita à *Maſcardo concluſ. 1147. numer. 33.* & à *Menoch.* poſt alios, *libro 5. præſumpt. 24. num. 3.* Item & eam quæ ex coniecturis concludentibus, & à iure approbatis elicitur, iuxta tradita à *Menochio* d. *præſumptione 24. numero 2* & *de arbitrar. iudic. libr. 2. caſu 116. num. 7. Maſcard. de probation. concluſ. 1147. num. 1. & 2. Pacian. in eo. tract. volum. 1. cap. 14.* ex *num. 8.* Similes namque coniecturæ expreſſo & patenti æquiparantur in iure, *l. quamuis, C. de impuber. & alijs ſubſtitution. Bald.* poſt *Gloſſam* in *lege item quia, D. de pactis, l. final.* cum ibi notatis, *C. de nouation. Menoch. conſ. 562. libr. 6.* & *1141. numero 13. libro 12.* & *libro 3. præſumption. 134. numero 36. Antonius Faber libr. 3. coniect. iur. cap. 3.*

In ciuilibus autem † non adeò exactam requiri probationem ſuppoſitionis partus latiſſimo ſermone probare contendit *Boßius vbi ſupr.* quem ſequitur *Farinacius*, vt prædixi, d. *quæſt. 150. num. 245. Menoch.* poſt alios *conſ. 996. num. 2. lib. 10.* Sed vix hoc in praxi obtinebis odio mulieris & eius famæ, & ple-

plerumque cum exclusione sobolis à successione paterna iam delata. Prę-maximè si is qui suppositus esse dicitur, habitus & susceptus est constante matrimonio, eúmque prædefunctus pater verum filium reputauit, & vti talem aluit, fouit & educauit: etenim pręsumptio quę stat pro matrimonio, extenuat probationem partus suppositi, ex indiciis & coniecturis non concludentibus resultantem, *l. Imperatores* 19. *in fin.* (quę singularis est) cum *l. seq. ff. de probation.* notat *Menoch.* d. *præsumpt.* 24. *n.* 29. vers. *Quintò diluitur*, *Polydor. Ripa de nocturno tempore*, d. *cap.* 162. *n.* 55. Qui *nu. seq.* ex *Angelo* in *l. liberorum, in princ. ff. de his qui notantur infam. Paleoto de nothis spuriisque filiis, c.* 22. *in fine*, *Mascard. cons.* 789. *num.* 11. & aliis hoc tunc maximè locum habere ait, quando post mortem patris habitus & tractatus quis fuerit à populo tanquam filius defuncti. Vel cùm filius esset in quasi possessione filiationis, ex adductis ab eodem *Ripa* post *Bonifacium*, quem refert, s. *n.* 49.

Probatio ergo suppositionis partus quæ falsitas est) regulis generalibus *l. fi. C. de probation.* & similium non sub-
55 iacet, † vt voluerunt prædicti Practici, distinguentes, an agatur criminaliter, an ciuiliter, sed indigo in ea fieri debet (vt docuit *Constantin.* Imperator in d. *l. vbi falsi* 22. *C. ad leg. Cornel. de falsis*) argumentis, testibus, aliísque vestigiis veritatis: quæ iudex cautus præuidere debet, & obseruare in hoc crimine comprobando & iudicando d. *l. vbi falsi*, vers. *sed inter vtramque*, *Oldendorpius regula* 20. *de probation. Damhouderius* in sua eleganti *practica rerum criminal. c.* 124. *n.* 12. Sicuti in quauis alia falsitatis specie. Vt inde facilè elicias, nil itidem hoc casu speciale inueniri in causa suppositi partus, eiúsque probatione.

Hinc fiet, vt omnes probationes suppositi partus resultantes ex coniecturis (quas dinumerant, & latè prosequuntur post *Socinum, Ruynum, Cravetam*, & alios *suprà* relatos. *Mascard. conclus.* 1147. *n.* 4. *vsque ad* 25. *Menoch.* d. *lib. præsumpt.* 24. *per tot.* *Farinac.* d. *q.* 150. ex *nu.* 247. vsque ad *nu.* 261. *Polydor.*
Ripa d. *c.* 162. per totum) in arbitrio † 56
iudicis resideant; simúlque subiaceant dispositioni generali dictæ *l. vbi falsi.* Et sanè ab ea certam, firmámque recipiunt resolutionem, quæ lato sermone prosequuntur Iuris Interpretes in æstimandis coniecturis partum suppositum inducentibus.

SECTIO II.

De coniecturis suppositionis partus.

SED cùm tractatio ista coniecturarum partus suppositi nostræ scriptionis proprior sit, quam quæ propriissima, non aliter nostris me factu rum satis apertè video, nisi ista sigillatim (quo tamen præcisiore fieri possit stylo) percurram. Tradita præcipuè à præcitatis Doctoribus prosequutus, & pro viribus ingenij coniecturas suppositionis partus, quas ipsi maximè expendunt pensitans atque diiudicans.

Et quidem omnium prima † & potissima à mulieris confessione extraiudiciali prouenit, ex his quæ de aliorum sententia notant *Mascard.* d. *conclus.* 1147. *numer.* 21. & 22. *Menoch.* d. *præsumpt.* 24. *numer* 23. & 24. *Farinac.* d. *quæst.* 150. *numer.* 247. *Ripa* d. *cap.* 162. *num.* 47. ab his enim, quæ quis extraiudicialiter dixerit, probatur animus, aut veritas animi, vt argumento *text.* in *l. Pamphilo, §. propositum, ff. de leg.* 3. notat *Ruynus consil.* 63. *libr.* 2. *Petra*

de fideicommiss. quæst. 11. *n.* 335. facit *text.* in *l. quoniam, C. de fideicomm.* ita vt in istis, quæ pertinent ad expressionem animi quælibet confessio extraiudicialis sufficere videatur, etiam absente parte facta: in hoc limitata regula *tex.* in *l. certum*, *§. si quis absente*, *ff. de confessis.*

Quinimo & testes super diuersis confessionibus extraiudicialibus deponentes videntur hoc casu plenè probare: testes namque singulares singularitate, quam nostri vocant *adminiculatiuam* semper probant, *Guidon Papæ q.* 544. *Felin.* in *c. cùm Ioannes, de fide instrument. nu.* 49. *Afflictis decis.* 12. 364. & 375. *Craueta de antiquit. tem.* 4. *par.* vers. *sed enim*, in paruis, *Mascard. de probation. q.* 9. *n.* 24. & 25. *vol.* 1. *Farin. de testib. q.* 64. ex *n.* 112. *Canalcan. decis.* 19. à *numer.* 13 *p.* 1. & in *addition.* verb. *testes singulares.* Et in terminis partus suppositi ita tenent *Mascard.* & *Farin.* s. relati post *Bossium*, quem citant *Petra de fideicommiss. quæst.* 12. à *numer.* 555. Quod in quorumcunque actuum singularium adminiculantium probatione (quod attinet ad partum suppositum) admittunt *Felin.* & *Craueta supra, Ioseph. Ludouic. decis. Perusina* 9. *n.* 14. distinguentes cum *Baldo* in *l. de quibus, ff. de legibus.* inter singularitates *obstatiuam, diuersificatiuam* & *adminiculatiuam*, vt ista postrema in his quæ tractum habent successiuum, plenè probet.

Sed his non obstantibus, veriùs diiudico, matris confessionem extraiu-
58 dicialem, nec plenè probare, † nec filio præiudicio esse posse, vt optimè docuerunt *Bart.* & *Paulus* in *l. filium, definimus, ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris*, ex *l.* 3. *§. si quis, ff. de Carbon. edicto*, iunctis his quæ latè prosequitur *Menochius lib.* 6. *præsumpt.* 53. *n.* 6. cum *septem seqq.* vbi ex pluribus optimè adstruit, neque matris, neque patris (aliàs asserti) neque vtriusque confessionem filio domi suæ nato posse præiudicare.

Ab his nostri communiter excipiunt matris confessionem ad exonerationem conscientiæ factam, *cap. officij* 9. *de pœnitent. & remis.* cum ibi notatis: maximè in articulo mortis: nam regulariter credendum est morituro, *Mancinus*, ex pluribus, *de confes. cap.* 8. *num.* 33. præsertim in facto proprio, & cùm ex confessione nullum confitenti commodum resultat, *l. hac consultissima*, *Rota Auinionens.* 91. *num.* 12. vbi *Romanus* & *Alexand.* vterque numer. 6. *C. de testament.* Et in terminis (vt aiunt) ex sententia *Felini* & aliorum ita tenet *Mascard.* dict. *conclus.* 1147. *n.* 21.

Sed ego & de limitatione ista valdè
59 dubito † attenta generali dispositione tex. in *l. si quis graui*, *§. si quis moriens*, *ff. ad Senatusconsult. Syllanianum*, & notanda decisione *textus* in *l. qui testamentum* 27. *ff. de probation.* cum ibi traditis per ordinarios, & à *Bursato cons.* 32. *numer.* 1. *volum.* 1. Cùm enim filio ex tali confessione resultet præiudicium tam in legitima paterna, quàm materna (sibi omni iure debitis) inde consequens fit, similem confessionem filio obesse non debere, *Alexand. cons.* 18. *in fine, lib.* 4. *Bursat. supr. Menochius* post alios, *cons.* 39. *numer.* 49. *li.* 1. *Mancin. de confess.* d. *cap.* 8. *numer.* 30. vbi ex *Mascardo conclus.* 359. *numer.* 18. ista procedere aut etiam in confessione iurata in præiudicium legitimæ filiorum emissa. Videant ergo quanto scelere animæ suæ periculo subiiciant, quæ ex adultero grauidæ fiunt; vel vacuæ partum supponunt: quos duos casus tam in iustitia, quàm in conscientia Doctores iisdem definitionibus decidunt.

Prædicta tamen confessio matris, imò & quælibet alia extraiudicialis sub-

sufficientem præstabit suppositionis partus probationem, si cum ea concur-
60 rat † fama, vel indicia, vt post *Baldum* & alios notat *Surd. decis. Mantuana* 83.*nu.*8. Qui *nu. antecedenti* ex *Anchar-rano*, *Alciato* & aliis id ipsum tenet, quando cum confessione matris coincidit assertio veri patris. Et generaliter admittendum erit quandocunque cum matris confessione conueniunt alia indicia, vel adminicula, ex his quæ post *Alciatum* resoluit *Mascard.* in hoc demum pedem figens s. *num.* 23. & 24. *Farinac.* d. *quæst.*150. *num.*247. *Ioan. Gutierr. lib.*1. *Canon. quæst. cap.*38. *n.*33.

Sed & quod prius generaliter resoluimus, tenendum est in foro (quod
61 aiunt) Poli: † non enim filius fidem adhibere tenetur matri asserenti eum suppositum, vel ex adulterio natum, cùm talis assertio elidatur contraria præsumptione, resultante ex educatione, & quasi possessione filiationis, ex *Glossa* communiter recepta, verbo *deneganda*, in d. *cap. officij, de pœnitent. & remiss.* vbi *Abbas* *n.*4. & cæteri ferè Canonistæ, *Gloss.* in *l. etiam, ff. de probation.* *Bart.* in *l. filium, ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris*, *Couarru. in reg. peccatum in* 1. *parte relectionis*, *num.*6. vers. *secundò illud est obseruandum*, *Mantica de coniectur. vltim. voluntat. lib.*2. *tit.* 14. *nu.*8. & 27. *Petra de fideicommiss. qu.* 11. *num.*335. *Gutierr. lib.*1. *quæst. Canonicar.* d. *cap.*38. à *numer.*30. *Didacus Perez* latè in *l.*2. *titul.*15. *lib.*8. *Ordinam.* vers. *quibus coronidem*, cum pluribus aliis relatis à *Cenedo collectan.*75. *ad Decretales nu.*3.

Quòd si matris assertioni aliæ acce-
62 dant coniecturæ, † præsumptiones, aut indicia, tunc filius in conscientia ei assentiri tenetur, iuxta tradita à *Syluestro* s. & à *Menochio* & *Dominico de Soto*, *Medina*, *Castro* cum aliis, quos refert & sequitur *Gutier.* d. *c.*8. *nu.*13. cum *tribus seqq.* & in hoc sensu & casu iustè procedunt quæ dixit *Butrius* in d. *c. officij*, *num.*5. quòd *filius matri non acquiescens habet conscientiam satis fortem*, & *Abbas nu.*3. quòd *habet fortem animum*.

Cæterę quæ † Doctores in proposi- 63
to passim & latè comminiscuntur de vxore partum supponente, vel ex adultero filium procreante, an teneatur marito isthæc propalare? prętermittēda duxi, quamuis à proposito nostro non aliena, vt quę exactè tractantur ab Auctoribus s. relatis, præmaximè à *Gutierrez* d. *c.*38. qui cùm casus occurrerit, consulendus erit simul cum nouissima eorum (quos *Summistas* vocant) turba.

SECVNDA partus suppositi conie-
ctura † est, quando mulier quę pepe- 64
risse dicitur, antea multis diebus fuisset sterilis, *Bossius*, post alios, *in titul. de partu supposito n.*12. vers. *& ita videtur*, *Mascard.* d. *concl.*1147. *num.*9. *Farinac.* hos & alios referens d. *q.*150. *num.*149. *Polydor. Ripa* d. *ca.*162. *num.*10. *& seqq.* Sed hanc coniecturam debilem & nullius momenti esse ait *Menoch.* dict. *lib.*5. *præsumpt.*24. *num.*11. & rectè quidem, cùm sæpissimè eueniat, & experientia quotidie doceat, mulierem multis diebus, quin & annis (antea generationi ineptam) inopinatò & prẹter spem concipere, vt notauit *Plin. lib.*7. *natur. histor.* d. *c.*13. pluribus adductis exemplis mulierum, quæ cùm in iuuenta steriles fuissent, fœcundæ postea sunt effectæ, vel à Natura, vel à Medicina impedimento sublato. Et hoc ipsum dicendum est in ea quæ cū priore marito diu fuit sterilis, & ex secundo concepit: nam vt ait *Plin.* d. *cap.*13. in princ. *Est quædam priuatim dissociatio temporum: & inter se steriles, vbi cum aliis iunxere, gignunt*, & ita tenet *Polydor. Ripa* d. *cap.*162. *num.* 8. Qui *numeris antecedentibus* inaniter quærit

& diſputat, An partus ſuppoſitio poſſit præſumi in ea quę diu ſterilis fuit cum primo viro, poſtea nupta filium habuit? niſi adeò grauidę ſit ætatis, vt omnino inepta ſit generationi, ex dicendis ꝧ. malè ergo *Farinac.*d.*numer.* 249. hanc coniecturam magnifecit: vnde ſe ipſum ſtatim corrigens, ait, eam coniecturam ſimul cum aliis aliquid operari, quod nec nos negare poſſumus.

65 TERTIA coniectura erit, † ſi maritus adeò ſenio confectus fuerit, vt generare non poſſit, vel mulier adeò grandioris ætatis, vt concipere non valeat, nam vt ait *Ariſtotel. in opuſculo de longitudine & breuitate vitæ, capite* 3. ſenectus frigida & ſicca eſt humidi & calidi (ad generationem apti) expers.

Sed meritò noſtri poſt Philoſophos & Medicos dubitant, à quo tempore maribus & fœminis ineptitudo ad generandum & concipiendum contingat? Et communior eſt reſolutio, in maribus hoc contingere poſt ſexageſimum annum, in fœminis poſt quinquageſimum, ex *Ariſtot.lib.*7.*de hiſtor. animal.cap.*6. *Plinio lib.*7.*capite* 14. in principio, ídque probari contendunt (quoad mares attinet) in *l.ſi pater* 15.§. *in arrogationibus, ff.de adoptionibus,* & quoad fœminas in *l. ſi ſterilis* 21. in princip.*ff.de action.empti.* & in *l.ſi maior,C.de legitim.heredib.*Et in huius rei comprobationem multa adducit *Tiraq.de legib.connubialib.l.*6.*num.*12. & alij, quos refert & ſequitur *Menoch. de arbitrar.*d.*caſu* 89.*nu.*55.*& ſeqq.* idem *Menoch.lib.*5.d.*præſumpt.*24.*nu.*4.*&* 5. *Farinac.de falſitate,* d.*quæſt.*150.*nu.*152. *Polydor.Ripa* d.*c.*162.*n.*4. Sed profectò quod attinet ad viros coniectura iſta admitti nequit, cùm ſexagenarios & vltra paſſim & vbique generare in comperto ſit, & ita ſentit *Philoſophus,* qui *lib.*7.*de hiſtor.animal.*d.*c.*6.inquit, mares etiam ad ſeptuageſimum vſque poſſe generare: & de Maſiniſſa Rege ait *Plin.lib.*7.d.*c.*14. *poſt octuageſimum-ſextum annum generaſſe filium, quem Mithymathnum appellauit: & Catonem Cenſorinum octogeſimo exacto è filia Salonij clientis ſui:* & ſubdit alios à maioribus ſexaginta annis genitos: & idipſum de Maſiniſſa teſtantur *Valerius Maxim.lib.*8.*ca.*14. & *Lucius Florus c.* 50. & de Catone *Plutarch in eius vita.* Quinimò & nonagenarios filios habuiſſe ex veterum monimentis teſtatur *Federicus Bonauent. de octomeſtri partu lib.*7.*c.*32. Ex quibus planum fit, admitti non debere communem Interpretum aſſenſum exiſtimantium in ſexagenario partus ſuppoſiti præſumptionem ſubeſſe, ex his quæ poſt *Menoch.de arbitrar.lib.*2.*caſu* 89.à *num.*55. notat *Farinac.*d.*q.*150.*n.*252. Nec communiter fauet d.*l.ſi pater* 15. §.*in arrogationib.* † *ff.de adoption.* ibi enim tantũ prohibetur arrogatio in ſexagenario, quia maiore iam ætate expeditus liberorum procreationi ſtudere nó poterit: hoc autem diuerſum eſt à vera & naturali generatione, de qua ibi nec vllum verbum. Quinimò dum *textus* ille ait, ſexagenarium poſſe arrogare coniunctam ſibi perſonam ſupponit in eo facultatem generandi, quandoquidem adoptio naturam ſemper imitatur, §.*minorem,inſtitut.de adoption.* In dubio ergo generandi potentia in marì ſemper, & quacunque ætate præſumitur, ex traditis à *Surdo* d.*deciſ.*83.*nu.*5. quidquid ipſe poſtea reſoluerit *n.*9. & 22.

At in fœminis ex euentibus rerum res aliter † notanda & definienda eſt, & cùm ferè nunquam accidat quinquagenariam concipere, aut ita raro contingat, vt mirabilis is partus appelletur à *Iuſtiniano* in d.*l.ſi maior, C.de legitim.*

gitim.hæred. *Glos.& Bart.* in d.*l.si sterilis*: vt inde in ea quæ maior quinquaginta annis peperit, dubio procul detur præsumptio aut vehemens suspicio suppositi partus, ex præsumptione iuris, de qua in d.*l.si sterilis*, *ff.de action. empti*, & ex miro & raro euentu d.*l. si maior*. Et hęc est Doctorum communis opinio, quam post *Bossium titul.de partu supposito, n.*15. resoluit *Mascard.* d.concl.1147.à *num.*14. *Menoch*.d.*casu* 89.à *num.*58. & d.*præsumpt.*24.*num.*10. *Farinac*.d.*quæst.*150.*nu.*252.*Ripa de nocturno tempore*, d.*c.*162.à *nu.*4.*D.Valençuela Velazquez* optimè d.*cons.*96.à *n.*19. Vt inde non immeritò dubitauerint nostri, maximè *Ripa* in *l.*1.*numer.*124.*ff.soluto matrimon.* *Gama*, post alios, *decis.*321. an quinquagenaria denuò nubens dimidiam superlucratorum bonorum constante matrimonio partem acquirat? cùm ea videatur concessa ob partus, & eorum pericula, & liberorum educationem, argumento text.in *l.assiduis*, *C.qui potior.in pign. hab.*

68 Hinc euenit, vt Henricus VI. Imperator † vxorem Constantiam quinquagenariam publicè parere Federicum successorem in Imperio voluerit, vt omnem partus suppositi notam & suspicionem dilueret, vt asserit *Baptista Egnatius in vita huius Imperatoris*, & alij plures rerum Italicarum Historici, quos refert *D.Valençuela* s.*num.*16. & ex nostris *Angel.* in d.*l si maior*, *Tiraquell.in legibus connubial.l.*6.*num.*32. *Menoch.* s.cum aliis relatis à *Polyd.Ripa n.*7.

Qui *numeris antecedentibus* in ea fuit opinione (post *Menoch.* quem refert d.*præsumpt.*24.*nu.*10.*in fine*) vt existimauerit, ex sola conceptione mulie-
69 ris, † partúve in quinquagesimo ætatis suę anno contingente non induci pręsumptionem, aut coniecturam suppositi partus, nisi aliæ concurrant, cùm fieri possit, quin & eueniat, vt mulier huius ætatis pariat, d.*l.si maior*: sed limitatio ista communem aliorum opinionem penitùs destruit, & pręsumptionem quę stat contra partum. Vnde ego rem istam componerem, vt quinquagenaria, quę citatis his, quorum interest, peperit, vel coram pluribus integrę fidei, omnem sinistrę suppositionis præsumptionem eludat, quę verò nulla adhibita diligentia, aut citatione facta, & forsan clàm, nullis aut domesticis adhibitis testibus, tale quid patrauerit, suspecta inde reddatur valdè, & in ea procedat communis opinio. Quòd si mulier adeò inculpatæ vitę, & integrę famæ esset, vt de ea nil tale excogitari posset, iudicis arbitriũ certè non ita arctarem, vt communi omnino eum opinioni adhęrere debere putarem: sanè in his omnibus coniecturis, quas prosequimur, saluum semper remanere debet boni viri, id est iudicis arbitrium, d.*l.vbi falsi, C.ad leg. Cornel.de falsis*, *Bossius in* d.*titul. de partu supposito, nu.*37. cum dicendis *inferius*.

QVARTA coniectura erit suppositi partus, quando constat maritum impotentem † & ineptum omnino generationi esse ex causa infirmitatis, alióve naturali impedimento, quę clarè probatur in *l.filium* 6.*ad fin.ff.de his quæ sunt sui, vel alieni iuris*, in illis verbis: *Sed mihi videtur, quod & Scæuola probat, si constet maritum aliquandiu cum vxore non concubuisse infirmitate interueniente, vel alia causa, vel si alia valetudine paterfamilias fuit, vt generare non possit: hunc qui in domo natus est, licèt vicinis scientibus, filius non esse*: *Bossius in practic.titul.de partu supposito, numer.*12. *Cardinalis Parisius consil.*29.*numer.*80.*lib.*2. vbi resoluit, filium ab eo generatum non præsumi, qui calculum habebat in vesica: *Mascardus concl.*788.*num.*42. *Menochius* 70

dicto *casu*89.*n*.53.*Farinac*.hos & alios referens,dict.*quæst*.150.*n*.251. At casus iste in impotentia naturali coëundi ex defectu testiculorum; vel abscisci membri genitalis, aut qua simili in euidentem transit demonstrationem: quòd si impedimentum perpetuum non fuerit, res iudicis arbitrio subiacebit.

QVINTA subinde erit coniectura,quando constaret testibus eo tempore quo se prægnantem mulier asse-
71 rebat,pannos † vel culcitram ventri adhibuisse, vel eius regione decidisse, *Azo* optimè *in summa ad titulum C. ad legem Corneliam de falsis*,*Bossius* dicto *titulo de partu supposito, numer*.10. vers. *quod eò maximè, Mascardus* dicta *conclus*.1147.*numer*.15. *Menochius* dict.*præsumpt*.24.*numer*.18. vbi optimè notat,hanc coniecturam facilè excludi posse à muliere asserenti ob ventris dolorem vitandum pannos, vel culcitram superimposuisse. Esse tamen hanc coniecturam efficacem, si testes de his deponentes simul adderent,ventrem vacuum, & à tumore liberum (ex quo panni ceciderunt) apparuisse, & mulierem paulò pòst enixam asseruisse,sequitur *Farinacius* dicta *quæst*.150.*numer*.248. *Polydor.Ripa* dict.*cap*.162.*numer*.30. Qui *num*.32.disertè notat pannorum qualitatem & quantitatem, & temporis stationem attendendam, si enim subtilis lintei tela decidat à ventre mulieris,præsertim tempore hyemis, nulla certè ex hoc inducetur coniectura,secùs si Vere decidisset culcitra ex pluribus linteis consuta ad similitudinem ventris prægnantis efformata:talis enim coniectura, vel in terminis à *Menochio* annotatis parum à rei euidentia distaret.

SEXTA coniectura, & quidem satis concludens, suppositi partus erit, cùm mulier, quæ se prægnantem asserit,nec custodiri,† nec ventrem inspi- 72
ci passa est,*l*.1.& per totum *ff.de ventre inspicien*.*l*.1.§.*sed etsi maritus*, *ff.de liber.agnoscend*. *Socin.Iunior* optimè d. *cons*.90.*num*.21.*lib*.1. *Craueta* post *Paul*. & *Corneum cons*.134.*num*.29.*Mascard*. d.*conclus*.1147.*numer*.12.& 13. *Menochius* d.*præsumpt*.24.*num*.15.*Farinac*.d. *quæst*.150.*num*.250.*Polyd.Ripa* d.*numer*.19. Qui *numeris seqq*.friuolè ista sublimitat, dum adsit qui vellet inspicere & custodire, & cuius id intersit, fieri, quæ certè suppositiones per se stant,nec est cur debeant ab vllo ignorari.

Nec magis feliciter *Menoch*. d.*nu*.15.hanc coniecturam limitauit,vel interpretatus est, ita vt operetur tantùm quoad decernendam vel denegandam bonorum possessionem nato ex muliere quæ nec custodiri, nec inspici ventrem passa est,*l*.1.§.*si cui*, iuncto d. §.*sed si seruus*, *ff.de ventre inspic*. nam rescriptum Imperatorum, de quo in dict.*l*.1.& §§.*seqq*. & Edictum Prætoris de quo in §. *de inspiciendo* eiusdem *l*.1.ex interpretatione *Vlpiani* non tantùm ventris custodiam attendunt, in eáque vtuntur cautelis, & præcautionibus ibidem annotatis (quod attinet ad causam bonorum possessionis defuncti) sed & ad eruendam veritatem & vitandam suppositionem in partu, vt clarè probat dict. *l*.1. §.*sed si seruus*, in illis verbis: *publicè enim interest partus non subiici, vt ordinum dignitas familiarúmque salua sit*. Etenim quod ad bonorum possessionem defuncti attinebat satis res præcauta erat Edicto Carboniano, & amplius ex Edicto *de ventre in possession. mitten*. (de quibus in *titulis*.9.& 10.*lib*.37.*Digestorum*) vt disertè notauit *Gloss*. verbo *omnium* per *textum* ibi in *l*. *sed & is* 5.§.*an autem*, versicul. *nec nimirum*, *ff.de Carboniano edicto*, *Bossius de partu supposito*,*numer*.10. Stat ergo firma conie-

coniectura ista in mulieres, quæ nec
custodiri, nec inspici ventrem sinunt;
præcipuè considerantibus mulieres
implurimum magnifacere se prægnã-
tes esse & videri, *l. quæritur* 14. §. 1. *D. de
ædilitio edicto*, vbi *Vlpianus* disertè no-
tat, *maximum ac præcipuum munus fœ-
minarum esse concipere, & conceptum
tueri.*

Septima coniectura præcedenti
proxima erit, si mulier quæ peperisse
asserit, tempore partus adhiberi ho-
73 nestas † matronas non permisit, quæ
de partus editione testarentur, vt col-
liges ex *Terentio in Andria act. 3. d. sce-
na* 2. & *in Hecyra act. 5. d. scena* 2. & no-
tauit *Bossius* d. *tit. de partu supposito, nu.*
12. *Mascard.* d. *conclus.* 1147. *num.* 12. &
18. *Menoch.* d. *præsumpt.* 24. *num.* & 20.
qui hanc præsumptionem debilem ap-
pellat, & meritò: sequitur *Farinac.* d.
quæst. 150. *num.* 254.

Octava erit coniectura, cùm
74 mulier partui proxima ab vrbe † re-
cessit, & rus se contulit, sine obstetrice
& aliis rebus in partu adhiberi solitis,
Masc. post. alios, d. *concl.* 1147. *num.* 10.
Menoch. d. *præsumpt.* 24. *n.* 16. vbi opti-
mè coniecturam istam non multum
vrgere subdit, & sequitur *Farinac.* d. *q.*
150. *num.* 253. *Polyd. Ripa* d. *cap.* 162. *nu.*
22. & 23.

Nona coniectura suppositi par-
tus datur, cùm constat paulò antè ex
75 alia natum † puerum, & hunc tradi-
tum alicui familiari personæ, vel con-
iunctæ illius mulieris, quæ se postmo-
dum peperisse affirmauit *Bossius* d. *tit.
de partu supposito, num.* 16. *Mascard.*
post alios, d. *concl.* 1147. *num.* 11. *Menoc.*
d. *præsumpt.* 24. *num.* 17. *Farinac.* d. *quæst.*
150. *nume.* 256. *Polydor. Ripa* d. *cap.* 162.
numer. 25. Nec enim nouum est mulie-
res filios suos aliis ad suppositionem
vltrò vel pretio concedere, d. *l.* 1. §. *de
inspiciendo*, *vers. custodes*, d. *l.* 3. *tit.* 7. *p.* 7.
vers. E quando allegan. Et licèt *Me-
noch.* hanc cõiecturam & præsumptio-
nem elidi facilè asserat ex assertione
suscipientis recèns natum, & dicentis
illum exposuisse in Hospitali, aut alio
loco Pio ad contegendam infamiam
matris: *Farinac.* sanè mihi meliùs sen-
sisse videtur, qui hanc excusationem
bono viro & iudici non probandam
censet, maximè data amicitia & fa-
miliaritate sese excusantis cum asserẽ-
te ex se denuò filium natum. Vt inde
partu illius, quæ prius enixa fuit non
apparente, non rectè *Polydor. suprà n.*
26. & 27. affirmauerit, varia requiri ad
fundandam istam præsumptionem &
coniecturam, & inter alia constare
debere, partum prioris mulieris ad
domum ementientis, & cum suppo-
nentis fuisse delatum & ibi deten-
tum, vel nesciri vbi sit translatus:
quòd certè vehementissimam & ferè
insuperabilem generaret præsumptio-
nem.

Decima coniectura sit in mulie-
re enixa sine obstetrice, † vel adhibita 76
muliercula vili & abiecta, *Bossius* dict.
tit. de partu supposito, num. 12. *Mascard.*
d. *concl.* 1141. *numer.* 10. post *Socinum*, &
alios, *Menoch.* d. *præsumpt.* 24. *num.* 20.
Farinac. d. *quæst.* 150. *n.* 255. *Polyd. Ripa*
d. *c.* 162. *n.* 36. Qui *num. seq.* ex *Menoch.*
hanc coniecturam debilem esse ait,
cùm multoties mulieres sine obstetri-
cibus pariant, ob celerem & improui-
sum partum eis contingentem. Et ad-
dit *num.* 38. hoc tunc maximè proce-
dere, cùm mulieri mota non fuerat
quæstio super partu, & enixa fuisset
nocturno tempore, quo omnes diffi-
culter à domo extrahuntur. Quòd si
intercapedine temporis data, vel om-
ni detentionis causa in obstetrice ces-
sante, mulier sese peperisse asserat, tunc
sanè vrgens instat coniectura suppo-
siti partus, ex *Farinacio suprà*, ita com-
ponendo cum *Menochio*, & *Polydoro
Ripa.*

VNDECIMA coniectura erit, si mu-
77 lier diu post mortem viri tacuit, † nec
dixit se prægnantem esse, etenim mu-
lierum est omnia sua dicere, & coniun-
ctis affinibus vel affectis communica-
re, vt inde ex reticētia in hoc casu præ-
sumptio desumatur suppositi partus,
Mascardus, post alios dict. *concl.* 1147.
nume. decimo septimo, *Menochius* dict.
præsumpt. 24. *numer.* 19. *Farinac.* dict.
quæst. 150. *nume.* 260. *Polydor. Ripa* dict.
cap. 162. *numer.* 33. facit *textus* in *l.* 1. §. *si
mulier*, cum §. *sequenti*, *ff. de liberis a-
gnoscend.* At *Menochius*, qui in harum
coniecturarum examine præ cæteris
persistit, hanc coniecturam leuem in-
dicat, & meritò, dum ait, & post eum
Valençuela dict. *cons.* 96. *num.* 4. plures
ex imprægnantibus quotidie falli, &
inde causas tempore suspectæ, aut du-
biæ grauidationis impunè subiicere.
Quinimo vera in hisce matris negli-
gentia præiudicio non debet esse filio,
maximè nulla ei super dubio partu
mota quæstione, aut interpellatione.
Addit *Polydorus Ripa suprà*, partui as-
suetas hoc negligere, vel obticere so-
lere ob eius fastidium & auersionem;
prima verò vice grauidas & statui pri-
mo virginitatis proximiores erubes-
cere, nec id palàm asserere in plurimũ
ausas, ne tempore rem aliter demon-
strante, deceptrices existimentur, aut
leues, quæ omnia & similia hanc con-
iecturam nullius ferè ponderis faciũt.
Præsertim si consideres, veritatem ab
istarum assertione nō pendere, & ideò
inspici, & custodiri in *tit. de ventre in-
spiciendo*, vt optimè notat *Valençuela*
dicto *cons.* 96. *numero quarto*, faciunt in
proposito à nobis *suprà* tradita in *ca-
pite primo.*

DVODECIMA coniectura proue-
78 nit à dissimilitudine † recèns nati cum
assertis parentibus, *Mascardus*, post a-
lios, dict. *conclus.* 1147. *nu.* 19. Sed hanc
reiicit *Menochius*, ex pluribus *de ar-
bitrar.* dict. *casu* 89. *num.* 97. & dict. *præ-
sumptio.* 14. *num.* 9. quem sequitur *Fari-
nac.* dict. *quæst.* 150. *num.* 258. *Polydor. Ri-
pa*, post *Ruynum*, & *Paris.* dict. *cap.* 162.
nume. 39. & 40. & dictis à *Menoch.* alia
addit *nu.* 41. Sed de his videnda sunt,
quæ latissimo & exacto sermone pro-
sequimur in *capit.* 17. & *vltimo* ad hunc
casum, & alios in causa similitudinis
occurrentes decidendos, & ab eis pla-
nè elicies, hanc coniecturam non esse
omnino contemnendam.

DECIMAMTERTIAM coniectu-
ram suppositi partus subministrat fa-
ma † iuxta tradita à *Socino* dict. *cons.* 79
90. *num.* 16. *lib.* 2. *Ruyn. cons.* 158. à *num.* 23.
lib. 5. *Bossio* dict. *titu. de partu supposito*,
nu. 20. & 21. *Mascard.* post alios, dict.
concl. 1148. *num.* 20. *Menoch. de arbitr.* d.
casu 89. *n.* 88. & dict. *præs.* 24. *nu.* 22. *Fa-
rinac.* d. *q.* 150. *nu.* 257. vbi se refert ad ea
quæ in materia famæ latè pertractauit
q. 47. à *nu.* 91. *Polydor. Ripa* d. *cap.* 162. *nu.*
42. Qui *numeris seqq.* ait famam publi-
cam esse debere, & à fide dignis perso-
nis originem ducere, aliàs enim nul-
lius est momenti, & opinio dicitur, etsi
per mille personas probetur, ex tradi-
tis à *Socino* & *Ruyno supr.* iunctis his
quæ de multorum sententia in propo-
sito optimè notat & resoluit *Ceuallos*
4. *p. commun.* *q.* 900. ex *n.* 9. Sed & fama
legitimè probata vix est vt mihi per-
suadere possim ex ea plenam partus
suppositi induci, ne dicam probatio-
nem (vt voluit *Farin. sup.*) imò nec cō-
cludentem coniecturam, maximè si or-
ta fuerit post motam quæstionem: fa-
cilè enim esset cuicumque maledico
famam notare cuiusuis honestissimæ
matronæ, & in vulgus spargere confi-
ctam suppositionem, eámque assertio-
nibus fide dignorum, & ad credendum
facilium comprobare: faciunt tradita
à *Polyd. Ripa supr. num.* 45. & 46. Sed ab
his excipe casum, quem disertè anno-
tauit *Bossius supr. nu.* 21.

DECIMA-

DECIMAQVARTA coniectura erit, quam *Polyd. Ripa supr. numer. 52.* deducit ex dict. *l. 1. §. de inspiciendo*, vers.
80 *tria † lumina, ff. de ventre inspiciendo*, quando mulier nocturno tempore enixa tria lumina non adhibuit ad normam illius *textus* disposita, sed hoc intelligendum est stantibus terminis d. vers. *tria lumina*, hoc est, antea in mulierem prægnantem mota quæstione, ex quo vel quinquagenaria, vel sterilis arguebatur, vel alia ex annumeratis, aut illico referendis coniecturis notabatur *Polydorus Ripa supr. numer. 53. & 54.*

Et sanè huic coniecturæ ita acceptæ & declaratæ plures aliæ addi possunt
81 † eiusdem generis ex defectu cuiusuis ex requisitis positis, & exactè enumeratis in dicto *§. de inspiciendo*, quem (vt prædiximus in *cap. 1.*) transcripsit *l. 17. titul. 6. partita 6.* Ita vt quæ prægnans ante trigesimum diem se parituram non denuntiauit. Vel quæ in conclaui, in quo peperisse ait, plures aditus habuit. Vel quæ cùm parturire incipit, non denuntiauit his quorum interest, aut eorum procuratoribus, &c. partus suppositi suspicionem & coniecturam subeat.

DECIMAQVINTA coniectura partus suppositi sit, si mulieri quæ se pe-
82 perisse asserit, lac † non superuenerit, vt naturaliter omnibus parientibus accidit, iuxta notata per nostros in *l. alimenta, Cod. de negotijs gestis*, & in *l. nec filium, Cod. de patria potestate*, iunctis his quæ adduximus in *cap. 1.* & quæ tradunt *Peregrinus de iure fisci lib. 3. tit. 18. num. 62. Bossius in titu. de partu supposi. à num. 8.* Quibus & per nos dictis in dict. *cap. 1.* nunc addo ex *Aristot. lib. 4. de animal. ortu. cap. 8.* his fœminis, quæ animal intra se generant lac vtile ideò tempore tantùm partus fieri, quia natura id alimentis externi gratia animalibus recèns natis parauerit: ὡς' ἐλλείπῃ (vt iste ait) αὐτὸ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ οὐθὲν, οὔθ' ὑπερβάλλειν οὐθέν: quæ verba malè vertit *Theodorus*, dicens sic: *Vt nec deesset tempore debito, nec vltra id tempus superesset*, cùm experientia videamus lac duobus, tribúsve annis, imò & plus nutricibus durare, meliùs sanè vertit *Georgius Trapezuntius* post veterem Interpretem, *Vt in hoc tempore lac non deficiat, nec abundet*, ita vt natura prouida lac conueniens parturientibus illo tempore subministret. Quę ergo tempore adserti partus vbera distenta & lacte plena non habent, quin potiùs arida & sicca, magnam quidem naturalem suppositi partus coniecturam prę-stant.

DECIMASEXTA coniectura præcedenti affinis est, si is qui recèns natus dicitur, & in terra, vel manibus obstetricis, cecidit, sanguinolentus † non 83
est, id est, menstruo sanguine madens, ex his quæ argumento *text.* in *l. fin. C. de pat. potest.* & ex *tit. 8. lib. 5. Cod. Theodos.* & aliis annotauimus *superiori capite, sectione 4.* Etenim recèns natus (qui paulò antè matris, aut eius viscerum portio dicebatur, dicta *lege prima, §. ex hoc rescripto, ff. de ventre inspiciendo*, cum pluribus adductis in *capite secundo*,) ab vtero lautus & siccus nunquam exiit.

DECIMASEPTIMA coniectura eiusdem generis erit, si mulieris indusium, & panni lintei lectuli mundi sunt † & sine sanguine tempore asserti partus, ex dictis in superiore coniectura.

DECIMAOCTAVA † sit, si eodem 84
tempore mulier trepidans & turbata appareat, quando hilaris & bono animo esse debebat, maximè si masculus sit qui domi recèns natus dicitur, *Præpos. in cap. transmissa, num. 9. qui filij sint legitimi*, vbi *Alexand. de Nouo num. 19. Alexand. Raudens. de analogis lib. 1. ca.*

30.*nu*.60.*Petra de fideicommiss. quæst*. 11.
quod hisce mulierculis maximè acci-
dere solet in præsentia mariti, ex tradi-
tis à *Bossio* dict. *tutul. de partu supposito*,
facit *text*. in *l. de minore, §. plurimum, ff.*
de quæstion.

DECIMANONA coniectura resul-
86 tat ex odio † posteà mulieri superue-
nienti in filium, vel ex malo eiusdem
animo in matrem, argumento *text*. in
l. congruentius, Cod. de patria potestate,
l. si superstite, C. *de dolo*, cum traditis à
Dom. Præside *Couarru. in cap. Raynu-*
tius, in princip. num. 14. vers. *Sextò filius,*
de testamentis, post *Albericum* in *l. cum*
qui probabilem, C. *de Episcopis & Cle-*
ric. Felin. in cap. afferte, nume.1. in fin. de
præsumption.

VIGESIMA demum coniectura e-
rit, si tempore assertæ grauidationis, &
87 partus cum mulierculis † vilibus &
abiectis, & malæ famæ secreto con-
uersabatur quæ peperisse asserit ex no-
tatis per *textum* ibi in *l. ædiles* 21. *§. hoc*
autem, ff. de ædilitio edicto, & in dicta *l.*
cum qui probabilem, *Cod. de Episcopis*
& Clericis, & in *cap. ex studiis*, *de præ-*
sumptionibus. iunctis his quę tradit *Ti-*
raquellus in *l. connub. glossa*. 1. *num*. 10.
Sed istas & duas proximas coniectu-
ras, solas per se, nisi aliis adminiculis
iuuentur, perfunctorias existimo.

Vidimus coniecturas, quas nostri
Iuris Interpretes considerarũt in par-
tus suppositi probatione inducenda,
cum aliis per nos additis & annotatis,
nunc duo super omnibus remanent
notanda.

PRIMVM, quamcumque ex his in
mulierem oppositam plenè † testibus
88 probandam, iuxta tradita à *Mascardo*
concl. 894. *per totam* & d. *concl*. 1147. *nu-*
mer. 31. *Farinac*. dict. *quæst*. 150. *numer.*
261. *Polydor. Ripa* dict. *cap*. 162. *numer.*
29. Quod intelligendum est, dum agi-
mus de probando indicio vel conie-
ctura, secùs verò, si de probanda præ-
sumptione agitur, quæ etiam ab vno
solo teste oriri potest, *Mascard*. dict.
concl. 1147. *n*. 32. *Bossius de partu supposi-*
to, nume. 36. & ita distinguenda & intel-
ligenda sunt quæ intricato stylo tradi-
dit *Farinac*. d. *quæst*. 150. *num*. 245.

SECVNDVM, in iudicis arbitrio re-
sidere † qualis quantáque fides adhi-
benda sit probationi quæ ex dictis cō-
iecturis resultat, iuxta ea quæ annota-
uimus *suprà* ante primam coniecturam
à *n*. 51. & in tertia coniectura *ad finem.*

At iudici plura † occurrere possunt, 90
quæ coniecturam suppositionis par-
tus vel elidant, vel penitùs excludant,
vt puta, cùm quis diu perseuerauerit
in quasi possessione filiationis, iuxta
tradita à *Menochio* dicta *præsumpt*. 24.
nume. 29. *Polydorus Ripa* dicto *cap*. 182.
numer. 55. cum iam dictis *supr*. Quin
idem *Ripa*. *numer*. 56. ex *Angelo, Mas-*
cardo, Menochio & aliis idem esse ait,
quando is qui denuò suppositus asseri-
tur, tractatus fuit vt filius prædefuncti.
Et *nume*. 57. ex doctrina *Alexandri ad*
Bartol. Cardinal. Paris. hoc extendit
ad filios illegitimos & spurios in simi-
li quasi possessione constitutos. Sed
ista mihi non probantur, & quod atti-
net ad partum suppositum verius mul-
tò diiudico, nec possessionem, quam
nostri vocant filiationis, nec nomina-
tionem, tractatum, aut educationem
quidquam ei prodesse, † qui suppositi 91
tus arguitur: quinimò suppositi par-
tus querela, aut iudicium petitorium
ista omnia ferè semper diluit, & suc-
cessionem aufert ei, qui vt filius insti-
tutus est hæres, *l. aufertur, ff. de iure fis-*
ci, l. si pater 4. C. *de hæredibus instituen-*
dis, l. finali, titu. 6. partita 6. Id ipsum
accidit ei, qui vti filius alimenta susce-
pit, *l. 1. ff. de liberis agnoscend. l. fin. Cod.*
de Carboniano edicto, vel vt filius ha-
bitus & tractatus est, *l. nec professio* §.
C. *de*

Cod.de testamentis, vulgari *l.non nudis*, *Cod.de probationibus*: & ita ex aliorum plurium sententia resoluit *Petra de fideicommissis, quæst.11.numer.478. Surdus* post *Cynum, Baldũ, Decium*, & plures *decis.Mantuana* 83.*nume.* 21.& *cons.* 423.*numer.*40.*libr.*3.*Bossius* dict.*titu.de partu supposito,num.*22 & 27. *Mantica* ex sententia *Capræ*, *de coniecturis vltimarum voluntatum,libr.*4.*cap.*7.*nu.*5.*in fin.Farinac.*dict.*quæst.*150.*nume.*246.facit text.in *l.*1.*C.si de momentan.possess.*in illis verbis: *Vt integra omnis proprietatis causa seruetur*, & celebris *Glossa magna* in *l.*1.*Cod.quorum bonorum*, cum traditis à *Natta consilio* 473.*à nume.*11. *Parisio cons.*10.*ex nu.*30.*l.b.*2. Sed hæc intelligenda sunt, dum tamen de partus suppositione integrè & plenè, constet, ex iam dictis *suprà*.

Item suppositi partus præsumptio
92 excluditur, cùm nulla datur, aut inuenitur causa † eũ supponendi; ferè semper enim suppositio partus ob causam fit, eámque magnam, dict. *cap.officij, de pœnitent. & remission.* in illis verbis: *Timens ne viri possessio deuolueretur ad alios*, vbi *Ioannes Andreas*, *Abbas* & *Cardinalis*, per quàm optimè notant *Bossius* dict.*titu.de partu supposito,num.* 16. *Petrus Gregor. libro trigesimo sexto, Syntagmat.cap.*6. *Mascardus* dict.*conclus.*1147. *numer.*28. *Menoch.* dict.*præsumpt.*24.*numer.*25. Aut cùm magnum lucrum, spésve eius ex suppositione resultat, *Menoch.supr.num.*26. Vix enim inuenies partus suppositionis technis Pauperes vnquam vsos, ego verò, nec
93 vidi, nec audiui.

Sed & inculpata mulieris vita, † eiúsque integritate partus suppositi coniecturam extenuari dixit idem *Menoch.supr.num.* 27.

Qui *nu.*28.hoc ipsum affirmat, quando mulier de crimine isto accusata
94 spontè coram iudice † comparuit, vel in carcerem sese ipsam coniicit, animo eluendi notam & querelam suppositi partus.

His autem addere poteris varias alias excusationes falsi in genere † præ- 95
sumptionem elidentes, ex eodem *Menoch.* quæ & assertæ partus suppositioni possunt adaptari.

Demum nota partus suppositi coniecturas, pœnásque omnino cessare, vbi grauidationis plena † probatio est: 96
probatio námque vera & directa omnes destruit coniecturas, ex traditis à *Surdo* dict.*decis.*83.*numer.* 21. Qualis est quæ inducitur ex depositione testium, qui viderunt mulierem peperisse, vt diximus *suprà*. Vel cùm obstetrices fidei & artis approbatæ super hoc ante partum deponunt modo & forma quam annotauimus in *cap.* 1. & prosequitur ex aliorum sententia *Farinac.* (videndus cùm casus occurrat) dict.*quæst.*150. ex *numer.* 267. vsque in finem quæstionis.

SECTIO III.

Quibus noceat res iudicata super partu supposito, & alia.

SVB HÆC in materia ista suppositionis illud summopere annotari debet, mota quæstione partus suppositi in matrem, eáque conuicta, & damnata *pupillum excludi † à bonis de-* 97
functi, vt ait Consultus in dicta *l.* 1.*§.finali,ff. de Carboniano edicto.* In quo certè §. iste pugnare videtur cum illa iuris regula trita, quæ habet, rem inter alios actam aliis nec nocere, nec prodesse debere, *l. sæpè*, cum aliis, *ff.de re iudicata*: quæ tanti fuit apud *Accursium* & *Bartolum* in hac *leg.prima*, & in dicto *§.finali*, vt existimauerint, rem

hoc casu iudicatam cum matre filio præiudicio non esse, sed falluntur & refelluntur apertè (cum alijs quos refert & sequitur *Aloysius Leo* in dicta *l. 1. num. 9.*) ex dicto *§. finali.* Vnde e-missis his quæ in proposito disputant Doctores in dicta *l. 1.* & *Bossius* in dicto *tit. de partu supposito, num. 7.* veritati propiùs accedere videtur *Iacobus Cuiacius in commentar.* ad dictam *l. 1. C. ad legem Cornel. de falsis, ad fin.* cùm ait, dictam *l. sæpè* varias distinctiones & limitationes recipere, & earum vnam esse rem iudicatam cum matre in iudicio suppositi partus nocêre etiam filio, quia ex eo palàm fit suppositum eum fuisse. Quæ verò manifesta fiunt, præiudicium generant, vt quæ nec effugere possumus. Sed hæc responsio rē dubiam reliquit, adhuc enim quærimus, cur iudicium cum alia persona noceat filio non citato contra regulā d. *l. sæpè?* Quod si *Cuiacij* ratio tenêret, id est, quia manifestum fit ex iudicio cū muliere inito filio suppositum fuisse, & ideò ad defuncti hæreditatem non admittendum, certè eadem ratione & causa re discussa cum quolibet ex litigantibus æquale ius habentibus ex victo; res iudicata manifestam rem faceret in alium, & præiudicium, siue rei iudicatæ emptionem pareret, quod dici non potest contra *l. 1.* cum alijs, *D. de except. rei iud.*

Vnde ego rem ita componendam
58 puto, † vt existimem; rem iudicatam cum matre super partu supposito filio nocêre in d. *1. §. fin. D. de Carbon. edicto:* quia causa ibi principaliter cum matre agitata fuit, à qua filij ius deriuatur: at sententia lata contra eum, qui principale ius fouet, & ad quem litis defensio primo loco spectat, ceteris ab eo causā habentibus præiudiciū generat, *l. fin. ad finem, C. de petitione hæreditatis:* vbi sententia lata contra hæredem in causa falsi testamenti omnibus nocet, *l. Papinianus, §. si ex causa, l. qui repudiantis 17. §. si suspecta, D. de inofficioso testamento, l. si in fraudem, C. de legatis, l. à sententia 5. l. si perlusorio 14. D. de appellation. l. si superatus 3. D. de pignoribus.* Et inde est, vt sententia lata contra possessorem maioratus cæteris successoribus non vocatis præiudicet, ex traditis post *Tiraquellum in tract. de iure primogen. questio. 35. num. 17. Molina lib. 4. cap. 8. nume. 3.* argumento *textus* in *l. 1. §. quānuis, vers. denuntiari, D. de ventre inspiciendo, l. ex contractu 44. D. de re iudicata, l. si patroni 55. §. finali, D. ad Senatusconsultum Trebellianum.* Idemque accidit in causa ingenuitatis, in qua sententia lata contra eum, ad quem principaliter spectat causæ defensio, ius facit quoad omnes, *l. ingenuum 25. ff. de statu hominum, l. Diui 27. §. 1. ff. de liberali causa, l. 20. tit. 22. p. 3.* Et vt propiùs ad terminos nostræ quæstionis accedamus, hoc ipsum videmus in causa filiationis in *l. 1. † fi.* cum *l. 2. & 3. ff. de liber. agnosc.* vbi sententia super filiatione cum principali contradictore lata quoad omnes alios ius facit: agebatur enim in illis iuribus, causa inter patrem & filium, vnde res discussa cum patre legitimo, & principali contradictore (à quo causa filiationis in omnes deriuatur & procedit) cæteris etiam non vocatis meritò præiudicat, vt rectè notat *Glos.* in *cap. penult. de sentent. & re iudicata,* vbi cæteri Canonistæ, *Alexand.* in *d. l. sæpè, num. 60. ff. de re indic. Iason. in rubr. D. eodem tit. Decius post Bart.* & alios *d. cons. 342. num. 7. Gregorius* verbo *contra el padre,* in *d. l. 20. tit. 22. part. 3. Couarruu. in pract. cap. 13. n. 3.* Cùm ergo causa suppositi partus cum matre disceptatur, quæ omnium principalior & legitima contradictrix est, ad eamque primo loco spectet defensio, vt de cuius capite & fama (bonis omni-

nis omnibus anteponēda) agitur, hinc fit, vt res cum ea iudicata noceat & prosit filio, qui ab ea causam habet, quod certè innuit dict. *l.* 1. §. *final. D. de Carbon. ano edicto*, vbi *Vlpianus* distinguit causam status motam contra matrem & eius famam à causa status mota in filium & bona defuncti: hanc differens in tempus pubertatis, vt quæ principaliter cum filio ventilatur: illam (quæ matrem præcipuè respuit, consequenter præiudicium filio generat) illicò decidendam statuens: ex ratione à nobis tradita: quam etiam verè comprobabis ex d. *l.* 1. *C. ad leg. Corneliam, de falsis*, in illis verbis: *Cùm pe-*
99 *riculum capitis subeat.*

Secundo loco noto, † cohæredem filio dato, vel legitimum alias prædefuncti heredem eum de supposito partu arguentes, nec id probantes, & obtinentes, vt indignos hæreditate priuandos; cohæredem delata, legitimū, ex re iudicata ipsi aliàs deferenda, vel obuentura, vt probat apertus *textus* in *l. cum tabulis* 16. *ff. de his quæ vt indignis* & notauit *Pet. Gregor. lib.* 36. *syntagmatum iuris cap.* 9. *num.* 6.

TERTIÒ demum noto, suppositio-
100 nem antiquitùs non solùm tempore partus, sed etiam in maiore ætate † constitutis euenisse, dum sese aliquì dolosa industria inserebant illustrioribus familiis, vt pluribus exemplis comprobat *Valer. Maxim.* d. *lib.* 9. *cap.*
101 16. Ob hæc itaque & alia similia vitāda Imperator M. Antoninus † Philosophus omnium primus (teste *Iulio Capitolino in eius vita*) professiones parentum de origine & statu liberorum adinuenit: ni mauis à Græcis mutuatum, iuxta ea quæ ex *Demosthene*, *Hesychio & Harpocratione* notat *Ioan. Meursius lib.* 4. *Atticar. cap.* 32. de consimili professione nominis & populi paterni. Verba autem *Capitolini* (ad varia *inferiùs* dicenda profutura) sic se habent: *Inter hæc liberales causas ita muniuit, vt* PRIMVS *iuberet apud Præfectos Ærarij Saturnini vnumquemq; ciuium natos liberos profiteri intra tricesimum diē nomine imposito: per Prouincias tabulariorum publicorum vsum instituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarij, vt si fortè aliquis in Prouincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret: atque hanc totam legem de assertionibus firmauit.* Quæ verba clarè præ se ferunt, vel saltem innuunt, similes professiones ab *Antonino* inuentas ad præcauendas filiorum suppositiones. Et clariùs probatur ex Impp. *Valerij* & *Galieni* constitutione quæ est *l.* 6. *C. de testam.* in illis verbis. *Neque professio, nec asseueratio nuncupātium filios, qui non sunt, veritati præiudicat, & quæ vt filiis testamento relinqūuntur, iuxta ea quæ à Principibus constituta sunt, nō deberi certi iuris est*, quasi dicerent Imperatores, professionem natalium (quę aliàs aptam eorum solet probationem præstare, *l. nec natales* 10. d. *l. non epistolis* 13. *C. de probatiōn. l. statum tuum*, *C. de fide instrument. l. omni* 6. *C. qui bonis cedere poss.*) dolo mulieris partum supponentis subiacere, qui si probetur, hæreditas vel legata supposito relicta pro non scriptis habenda sunt, ex iam traditis & enucleatis *supr.* ex *num.* 25. & iuxta constitutiones (quæ non exstant) Imperatoris *Antonini* (Auctoris prædictę professionis) & *Veri*, indubitabili signo demonstratorum per illa verba: *Iuxta ea quæ à Principibus*, &c. (tēporibus enim *Valeriani* & *Galieni* eius filij, qui *Diocletiano* & *Maximiano*, *Valenti* & *Valentiniano*, & reliquis similib. Imperatoribus anteriores fuerunt, PRINCIPES tantùm appellabātur *Antoninus* & *Verus* eorū antecessores) idem probatur in *l. non nudis* 16.

(ab istis lucem accipiens) *C. illo tit. de probation.* ibi : *Non nudis asseuerationibus, nec ementita professione (licèt vtrique consentiant) sed matrimonio legitime concepti, vel adoptione solemni filij Ciuili Iure patri constituuntur*, id est, si à matre partu supposito professio ex *lege Antonini* facta ementita fuerit hæc veritati non nocebit, etsi ab vtroque coniuge fuerit confictè asserta, vt accidit Regi Deiotaro & eius vxori, iuxta notata *hoc cap. num.*8. Et inde concludunt Imperatores, suppositionibus & ementitis assertionibus natalium nil probari, veritate detecta, sed conceptione vera matrimonio legitimo aut adoptione solemni: quæ, ni vera ratio est & interpretatio horum iurium, quam nec nouiotes *Iacob. Cuiacius, Hugo Donel. Dionys. Gothofred. Pet. Gilken.* & *Anton. Mornat.* sunt assequuti in *commentar.* ad dictas *leges*, vbi multa aliena immiscent, ne addam futilia, velut *Ant. Mornatij* animaduersio in d. *l.*16. ad nomen *filiatio*, ab Interpretibus Iuris dicendi gratia adinuentum.

Sed de his (quæ de professione à *M. Anton. Pio* Philosopho omniū primo inuenta notauimus) obstare videtur *Celsi* filij respōsum in *l. cùm de ætate 13. ff. de probatio.* in illis verbis : *Cùm de statu ætatis alicuius quæreretur, & diuersæ professiones proferūtur*, &c. Quę verba planè indicant, professiones vsitatas fuisse tempore *Celsi*, qui fuit Cōsul sub Hadriano (qui Antoninū istum adoptauit anno Vrbis conditæ 865. vt post alios probat *Valentin. Forster. lib. 2. de Histor. Iur. Ciuil. Rom. cap.66.*) Nec difficultatem effugiemus, dicentes, *Celsum* istum etiam temporibus *Antonini* iuris sciētia polluisse, & Cōsulem iterum factum, ex *Forstero supr.* anno Vrbis conditæ 881. qui fuit salutis nostræ 140. in quo *Antoninus* imperare cœpit, vt deduces ex *Baronij Annalibus* : quo tempore, vel subsequenti (constitutionis *Antonianæ* cōscius) respondere potuit, contenta in dict. *l. cùm de ætate.* Quandoquidem ex contrario rectè asseuerabitur, & obiicietur harum professionum apud alios antiquiores Iurisconsultos rationem haberi, maximè *Scæuolam in leg. Imperatores 29. §. primo, ff. de probation.* & in *Cicerone pro Archia Poeta, Virgilio* (qui *acta tabularia* vocat *libr. secundo Georgic.*) *Iuuenali Satyra 9.* (qui *libros actorum* appellat) quibus addēdus est *Capitolin. in Gordiano* (vbi hanc *professionem vsitatam* ait apud Romanos & passim apud Iurisconsultos & Cæsares eius mentio habetur, vt patet ex *l.3. in princip. l.4. §. in seruis, D. de censibus, l.2. §.1. de excusation. tutor. l. etiam 16. ff. de probation. l.1. Cod. si minor se maior. dixerit.* 101

Vnde ego, † vt ista rectiùs componantur, animaduerto, plures apud Romanos fuisse professiones. Quædam, & forsan antiquior, ea fuit, quæ pro vectigalibus fiebat, teste *Tertul. in Apologetico, cap.42.* & *lib.5. aduers. Marcion. in initio.* Et hæc vel ad tributum reale (*l.2. D. de censib. l. final. C. sine censu vel reliquis fund. compar. non posse, l. censualis 7. Cod. de donation. l. final. C. de rei dom. vel templ. vend. temp. præs. submoueatur*) vel personale exsoluendum fiebat in dicta *l.3. & 4. §. in seruis, D. de censib. l. vnica, Cod. de capit. ciuil. lib. 11. l. vnic. C. de colonis Thracensib. eod. lib. l.1. C. ne rusticani ad vllum obsequium deuot. eodem libro.* Quæ vltima CAPITATIO dicebatur, quia capiti, siue personæ magis quàm rebus aut facultatibus imponebatur, *l. fin. §. siue autem, D. de muner. & honorib. l. sacrosancta 8. C. de sacros. Eccles. l. in Ecclesiis 11. & l. quisquis 16. Cod. de Episcop. & Cleric. l. vltima, C. de annon. & tribut. lib.10. l.2. titul.12. de immunit. Eccles. lib.11. Cod. Theodos. l.1. tit.9. de fugi-*

fugitiuis colonis libr.5. eiusdem Codicis, Bodin.lib.6.cap.2. Paul.Montan.de tutel.cap.3.ex num.14.Iust. Lipsius lib.2.de magnitudine Roman.cap.3.Iacob.Bornitius post Brisson.libro 6.de ærarij redit. cap.2. & conferunt quæ in proposito disertissimè, nouéque annotauit ff.Laurent. Ramirez de Prado in sua fœlici Tessera legum, fol.19.

Et ad hanc professionem referri debet illud Lucæ capite 2.vers.3. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem: quin & præcedentia illa eiusdem cap. Vt describeretur vniuersus orbis, & illa: Descriptio prima falsa est à Præside Syriæ Cyrino: nam vt optimè notat disertissimus Francisc. Lucas, in his omnibus Græcum exemplar eodem vtitur verbo, ἀπογράφειν vel ἀπογραφὴ.

Professio namque ista non tam vana curiositate ab Augusto facta fuit, vt quidam rentur, & innuit Suidas verbo Αὐγοῦστος, quam vt faciliùs & aptius tributum inditum, vel proximè indicendum exigeretur: nam profiteri se aliquem & liberos nihil aliud erat quàm se & familiam nuntiare & testari ad tributum capitis pendendum. Quemadmodum profiteri merces apud Publicanos idem erat quod edere speciem & numerum mercium, pro quibus vectigal pendi deberet, l.interdum in principio, & in §.quoties, ff.de publica. & vectigal.

Dum autem doctissimus Franc. Lucas (vt hæc obiter dicam) in dict.vers.3. existimat, tributum, de quo ibi, pro familiis & earum facultate pendendum, ei non assentior, nam contrarium Iudæorum lege statutum erat, Exodi cap.30.vers.12.& libr.2.Reg.c.15. vers.15. Sed & cùm tributum illud ab his ex Imperatorum Romanorum edictis exigebatur, vniforme erat, vt colligitur ex Appiano in Syriacos, & ex Dione in Vespasiano lib.66.in princip.& Ioseph. libr.7.de bello Iudaico cap.28.in principio. Sed & rationem reddit Appianus suprà, dicens: καὶ διὰ ταῦτα ἐστὶ Ιουδαίοις ἅπασι ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος, Iudæis grauius capitis tributum impositum à Romanis, quia sæpiùs rebelles fuere.

Et hoc sanè tributum (vt disertè notat Bulengerus de Imper. Rom.lib.9. cap.17.) à CHRISTO Rege Regum, & Domino Deo nostro ob vitandum scandalum exsolutũ videmus, Matth. cap.17.ad fin. Apud Romanos itidem capitatio ex præcitatis legibus semper vniformis fuit, & ab omnibus viritim exsoluta: à viris ab anno decimoquarto, à fœminis ab anno duodecimo vsque ad sexagesimumquintum, ex Vlpiano in d.l.3.ff de censibus. Ex quibus velut per transennam dictis, ista dignosces & distingues, quæ nutans & hæsitans tractauit Lipsius lib.2.de magnitud.Roman.cap.3. vbi optimè notat capitationis vniformitatem manifestam iniustitiam continuisse.

Alia fuit professio ætatis recèns natorum, quæ παιδογραφία, natiuitatis scriptura dicebatur, cuius meminit Celsus in d.l.cùm de ætate 13.ff. de probation. Modestinus in dict.l.2.§.1.ff.de excusat.tutor. Terentius Clemens in l. etiam 16.ff.de probation Imperator Alexand. in l.1.C. si minor se maior.dix. Ælius Lamprid. in Antonino Diadumeno, paulo post princip & hæc implurimum à parentibus fiebat ex dictis iuribus, aliquando verò & ab obstetricibus, l.3.§.quæ autem ff.de Carbon.edicto: & notus est Apulei locus Apolog. 2.Nec quemquam latet professionem istam ætatis causam etiam fisci respicere, & ea media notum fuisse, à quo tempore quisque censum esset pensurus, d.l.3.ff.de censibus.

Alia demum fuit professio status ab Imperio M Antonini (qui primus eã Romanis constituit, ex Iulio Capitolino

relato *suprà*) quæ statum & conditionem cuiusque ciuis continebat, dict. *l. Imperatores* 29. §. 1. *ff. de probationibus*, ibi: *Mulier grauida repudiata filium enixa absente marito, vt spurium in actis professa est, l. statum, C. de fide instrum.* in illis verbis: *Statum tuum natali professione perdita, mutilatum non esse certi iuris est, l. nec natales* 10. d. *leg. non epistolis* 13. dict. *l. non nudis, C. de probation.* (quæ eosdem habent Auctores *Diocletian.* & *Maximian*) dict. *l. nec probatio* 6. c. *de testamen.* Et professio ista apud Præfectos Ærarij ad normam præcedentium fiebat, ex *Capitolino supra*, & notauit *Duaren. ad titul. ff. de probationibus, post med.*

Ex his facilè dilues obicem *suprà* positum; nam quæ leges, aut bonorum Auctorum loca professiones ad censum vel tributum pendendum institutæ, vel professionis ætatis mentionem faciunt, ad professionem status nouè adinuentam ab *Antonino* (quæ res diuersa est à nemine nostrûm, quos viderim, annotata) referri non possunt.

Quòd si replices, ex his non fieri satis dictæ *l. Imperatores* 29. §. 1. *ff. de proba.* quæ loquitur de professione status, & Auctorē habet *Scæuolam*, qui multo tempore præcessit *Antoninum*. Facilè respondeo, quatuor fuisse insignes Iurisconsultos huius nominis, *P. Mutium Scæuolam* coætaneum & amicum Ciceronis, *P. Mutium Scæuolam* Augurē, & *P. Mutium Scæuolam* Summum Pont. (quos disertè distinguit *Forster. libr. 2. de Histor. Iur. Ciuil. cap. 32. & 33.*) & demum *Cerbidium Scæuolam* (qui præfatorum gentilis fuisse dicitur, & forsan malè, ex dictis in initio *cap. 3. n. 23.*) & isto quidem in sanciendis legibus, & in consilio Imperator *M. Antoninus Pius* vsus est, vt ex *Capitolino in Antonino* notat *Ioann. Bertrand. de Iurisperitis, tit. de Cerbidio Scæuola, Forsterus supr. cap. 75.* & is ipse fuit Auctor d. *l. Imperatores*, vt patet ex illis prioribus *legis* verbis: *Imperatores Antoninus & Verus Augusti Claudio Apollinari rescripserunt in hæc verba, &c.* quæ à nullo ex tribus aliis Scæuolis multò anterioribus proferri potuerūt. Cæteræ verò leges de professione status loquentes posteriores multò fuerunt professione eadem status ab *Antonino* nouè instituta, & iam vsitata tempore *Gordiani* ex *Capitolino* relato *suprà in eius vita*.

Quòd autem *Antoninus* in Capitolini præcitato loco, nouam professionem, eamque natalium & status constituerit, probatur apertè in illis verbis iam expensis: *Liberales causas muniuit*, & illis: *Legem de assertionib. firmauit*, quin & illis: *profiteri nomine imposito*: quę dubio procul referenda sunt ad nomen familiæ in vnoquoque differendo excogitatum, quo gens cognosci cōsueuit: vt inde *gentilitium* dici eonsuerit: plus enim nomen quàm prænomen, cognomen aut agnomen familiam afficit, clariusque demonstrat, quod facilè comprobabis ex traditis à Noetericis in §. *si quis in nomine, institution. de legat.* & in *l. 4. C. de testam.* & à *Conano lib. 2. commentar. iur. cap. 11. nu. 3. & 4.* Et ab his facilè refelles nouissimam emendationem *Hērici Salmasij* † *in scholijs ad Capitolinum, fol. 84.* qui putat delenda verba illa: *Nomine imposito*, tanquam otiosa, vel legēdum: *A nomine imposito*: quę omnia magnā iuris inscitiam præseferunt: & satis demonstrant, eos qui tantùm humaniori (vt aiunt) litteraturæ operam nauant (quos vulgus insigniore vocabulo *Grammaticos* appellat) percipere aut callere eos ipsos Auctores, quos præ manibus habent, nō semper posse, nec veram populi Romani historiam, sanctiones, ritus, moresve perfectè assequi;

qui. Horum enim omnia: ἀδόλεσχα καὶ γραμματικῆς ἀδολεσχίας πλήρη ἐστὶ, inepta & grammaticæ garrulitatis plena sunt, vt disertè ait *Sextus Empyricus aduersus Grammaticos lib.1.cap.5.* vbi & alibi in Grammaticorum fastum, instanciam, insectationem, miserámque inscitiam plura notanda adducit. Quî ergo isti docti & eruditi esse possunt, vt haberi volunt, cùm quiduis aliud potiùs sint: vt qui in rebus ipsis minutis (quas solas profitentur) pluries cæcutiant, & sæpè allucinentur.

CAPVT SEXTVM.

DE GENERALI PARtus ratione, & obiter de edito execto ventre.

SYNOPSIS.

1 *Partionum humanarum diuisio: verúque insuper earum traditur constitutio.*
2 *Partus naturalis plures adducuntur definitiones.*
3 *Quid partus* naturalis, *seu* legitimi *nomine intelligant Iurisprudentes, & quid insuper apud eos sit* perfectus *partus.*
4 Maturus *&* perfectus *partus idem sunt apud Iuris professores.*
5 *Maturitas est causa partus ex* Hippocrate, Aristotele, *& aliis pluribus.*
6 *Medici (qui maturitatis causam effugientes eam ab vteri angustia, aut alimenti defectu, & aliis huiusmodi causis confingunt) ab* Auctore *refelluntur.*
7 L. quod certatum *interpret.*
8 L. quod dicitur 12. §.1. ff. de lib. & posthum. *declar.*
9 D. Cornejo *existimans, non integrum hominem à successione repelli, notatur.*
10 *Qui sint partus maturi & immaturi demonstratur.*
11 *In dubio partus maturus & perfectus præsumitur.*

SECTIO I.

12 *Execto ventre natus an sit partus naturalis latè discutitur.*
13 *Cæsones semper successionis capaces fuere.*
14 *Si execti fuerint tempore legitimo & ad nascendum apto. Et nu.17.*
15 L. Anniculus, §.1. ff. de verb. sign. *declar. cum aliis.*
16 Paulus *&* Vlpianus *contrarij fuerunt in causa partus execti.*
18 *Cùm duo masculi execto ventre prodeunt, quid tenendum in successione primogenij. Et n.19. Et iterum nu.21. in successione Regni rem resoluit* Auctor *contra* D. Molinam.
20 *In vna sola lege Septem partiti Iuris mentio habetur particularium Hispaniæ primogeniorum.*

STENDIMVS in duobus capitibus præcedentibus quid Ius Ciuile, Patriúmque in EXPOSITI & SVPPOSITI partus speciebus disposuerit: quod itidem Antiquitas, & omnis ætas hisce præordinauit. Vnde proposito intenti omnia disputandi, quæ in iure inueniuntur tractata, aut delibata in cæteris partus speciebus seu causis: cúmque in ea NATVRALIS, seu LEGITIMI partus frequens sit prę cęteris sermo, appositè rem prosequendam existimamus, si hoc *c.6.* NATVRALIS partus rationem in genere priùs discusserimus: & in capitibus sequentib. eius velut species: postea à *c.16.* tractaturi de partu NON NATVRALI, id est, *abortiuo* & *monstroso*, déque NATVRALI INSOLITO, *multiplici* scilicet, & *superfœtato.*

Principio constituo partionum, si-
1 ue partuum, quosdam † naturales esse & vitales, vt editi à septimo decimum vsque mensem, *l. septimo mense, ff. de statu hominum, l. intestato, § fin. ff. de suis & legitimis hæredib.* quosdam non naturales nec vitales, vt abortiui i. tempestiuo tempore editi, vel quicunque mortui nascuntur, *l. qui mortui 129 ff. de verborum significat.* aut monstrosi, vel prodigiosi, *l. non sunt liberi 14. ff. de statu homin. l. quod certatum 3. C. de posthumis hæredib. instituend.* & notatur in *l. quod dicitur 12. §. 1. ff. de liber. & posthum.*

Ex triplici verò capite partus dicitur *naturalis*, siue *contra naturam.* Primo ex parte *parturientis.* Secundo ex parte *fœtus editi.* Tertio ex parte *modi.* Et sanè primo ex his capitibus attento, nullus partus naturalis propriè dicitur, ex notandis j. *c.20.* Secundo verò modo partus naturalis est, qui debita maturitate & perfectione suæ naturæ commoda, & ad exercendas actiones vitales debita constat; & certè ad istam perfectionem *non solùm requiritur partium delineatio* (vt strenuè dixit *Andr. Laurent. lib. 8. de histor. anatomica, cap. 9. quæst. 29.*) *sed etiam earundem robur, & παχύτης corpulentia, quam cùm ante septimum mensem non assequatur puellus, nullam ante septimum mensem fœtus exclusionem partum appellare regulariter licebit, sed aut abortum, aut effluxum.* Quæ sanè declaranda & intelligenda sunt iuxta tradita j. *c.9.*

Quòd autem tertio loco diximus de partu naturali, vel contra naturam ex parte modi, multipliciter sanè contingere potest, vt notant Philosophi, Medici, & Dissectores. Sed inter omnes idem *Andreas Laurentius s.* tria requisiisse videtur. Primum, vt par sit contentio fœtus, & fœtæ. Grandior enim, & calidior, copiosiore alimento & spiritu egens, manuum, pedúmque crebra impulsione membranas disrupit: vterus verò nimium grauidatus (sarcinam deponere exoptans) totus contrahitur ad fœtus exclusionem: itaque ex pari fœtus & fœtæ contentione partus editur κατὰ φύσιν. Quòd si vtriusque, aut alterius desideretur conatus, partus non erit naturalis. Nam si puerperæ totum opus relinquatur, laboriosus erit, & difficilis partus; id autem contingit, dum aut debilis est, aut exsolutus aut mortuus puellus, vt ait *Hippocrat. libr. 1. de morbis muliebr.*

¶ Secunda conditio est, vt ea figura in lucem prodeat, quæ secundùm naturam est, *Hippocr. d. lib. 1. de morb. mulieb.* & *lib. de octomestri partu*, vbi *puerum ferri in caput*, ait, *si modò secundùm naturam prodeat:* & rationem illam (qua itidem vsus est *Aristot. lib. 4. de generat. animal. c. 9.*) reddit quia puelli grauiores sunt partes superiores ex vmbilico appensæ tanquam è statera quadam, & ea quidem adamussim posita, itaque celerius voluitur. Addit idem

idem *Hippocrates de octomestri partu:*
Flexiles corporis partes impedimento nõ
sunt puero in caput exeunti, sed si in pe-
des prodierit, obturamenta contingunt,
id est, si in caput prodeat puellus, cùm
eius partes cereę sint, ac flexiles, eidem
foras exeunti impedimento esse ne-
queunt, at si in pedes prodeat, extendi
possunt brachia, & ita dilatari, vt reli-
quo corpori aditum intercludant. Et
his alia addidit *A. Gellius*, ex *Varrone*,
lib.16. Noct. Attic. c.16. Indéque *Plinius*
lib.7. c.8. Antiquus (inquit) *mos fuit, vt*
mortui pedibus primis efferrentur, quia
mors vitæ contraria est, vt ergo in lucem
editur homo capite primo, ita debet etiam
mortuus pedibus primis efferri. Nati er-
go alia quaque figura partus naturales
non sunt (omnes autem figuras expres-
sit *Hippocrates lib.1. de morb. mulieb. &*
lib. de natura pueri) vbi ait: *Periculo-*
sum est in pedes prodire, sæpe enim eo par-
tu, aut mater extinguitur, aut puellus, aut
ambo simul. Huius autem periculi de-
precandi gratia, *aræ olim structæ sunt*
Romæ duabus Carmentibus (vt ait *A.*
Gellius s.) *quarum altera* POSTVER-
TA *nominata est*, PROSA *altera: à re-*
cti, peruersique partus potestate & no-
mine. Hos partus AGRIPPAS vocat
vulgus, quasi ægrè partos, vt ex *Plinio*,
Solino, & eodem *A. Gellio* latiùs suo
loco annotabimus. ❡ Tertia de-
mum conditio est, vt partus sit ve-
lox, facilis, & sine symptomatum ve-
hementia, ex dictis à *Laurentio su-*
prà.)

Præhabitis partionum in genere
distinctionibus, succedit naturalium
2 definitio. † Est autem *partus naturalis*
(vti ex prædictis facilè elicitur) *fœtus*
perfecti à matrice emissio. Vel: *Geneti in*
vtero infantis, atque iam perfecti editio,
vti notauit *Bonauentura*, post alios, *de*
partu octomestri lib.3. cap.16. *Andreas*
Laurent. optimè *de historia anatomica,*
lib.8. c.9. quæst.29. Quas sanè definitio-
nes miror doctissimo *Petro Garsia*
non placuisse, & alias illas *in lib. de lo-*
cis affectis, disputat.75. cap.1. excogitas-
se; vt partus sit *fœtus ab vtero quo exit*
localis motus (quæ sanè & abortiuo
partui conuenit) Aut: *Egressio fœtus*
extra vterum secundùm conditiones re-
quisitas, quas cùm non expresserit, rem
sanè obscuram, indecisámque reli-
quit.

His sic constitutis circa partus di-
stinctiones & definitiones (quorum
omnium cognitio & prosequutio
propria est Philosophorum & Medi-
corum) annotandum censeo, nos Iuris
professores in partus naturalis & legi-
timi constitutione (LEGITIMVM e-
nim appellamus qui suo tempore pro-
dit, ILLEGITIMVM qui ante, vel post
diem vterum erumpit) ad secundum
tantùm membrum propositæ diuisio-
nis attendere debere. Etenim apud Iu-
risconsultos & Imperatores (qui so-
los partus naturales, & legitimos suc-
cessionis capaces esse voluerunt) hoc
nomine, *naturalis & legitimi partus* il-
le veniet cohonestandus, qui sit † *per-* 3
fectus, maturus, iusto tempore editus, vi-
uus totus prodiens, ad nullum monstrum,
vel prodigium declinans: quorum prio-
ra illa: *Perfectus, maturus, iusto tempore*
editus, synonima nobis sunt. Licèt e-
nim apud Philosophos & Medicos
verbum, *perfectus partus* (aliàs tran-
scendens, & aptum comprehendere
cæteras omnes in præcitatis verbis
partui legitimo assignatas conditio-
nes, vt patet ex traditis ab *Horat. Au-*
gen. lib.1. de homin. part. capite 12.) pro-
priè aliquam singularem perfectio-
nem à reliquis partui naturali acce-
dentibus distinctam denotet; quo in
sensu à maturo secerni potest, si per-
fectum intelligas in quantitate, vel
perfectionem in actu nascendi consi-
deres (aliud est enim perfectè nasci,
quo casu verbum *perfectè*, cadit super

actu naſcendi, aliud perfectè natum, in quo refertur ad editum & natum) tamen apud nos, vt prædixi, verba *perfectus, maturus, iuſtus partus*, idem omnino important, & ad naturalem & legitimum partus tempus referēda ſunt (inſuperhabita aliquorum ex noſtris ſubtilitate, qui partum perfectum à maturo diſtinguunt) *perfectus namque partus* Iuſtiniano (in d. *l. quod certatum* in illis verbis: *Si viuus perfectè natus eſt)* idem eſt quòd *maturus*: nam *perfectè natus non dicitur* (vt ait *Tiraq.* in *l. ſi vnquam*, verb. *ſuſceperit liberos, num.* 168. *C. de reuocand. donation.)* qui ita *intempeſtiuè, atque immaturè natus eſt, vt viuere non poſſit*, quod iiſdem verbis dixit *Mantica lib.* 11. *de coniect. vltim. volunt. tit.* 6. *nu.* 10. *Æmilius Gallus de exception.* 3. *par. tit.* 1. *except.* 2. *nu.* 9. nouiſſimè *Emundus Merillius in expoſitione ad deciſiones* 50. *Iuſtiniani, cap.* 28. *Hadrianus Neguſantius in ſylua reſpōſorum, q.* 400. *nu.* 34. & probatur apertè in *l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum*, in illis verbis: *Septimo menſe naſci perfectum partum, iam receptum eſt.* Vt meritò veniant improbandi ordinarij Interpretes qui poſt *Gloſ.* in *l. quod dicitur, ff. de liber. & poſthum.* verba illa *Iuſtiniani* deuiè interpretantur, & omnium maximè *Albericus*, qui *perfectè naſci*, idem eſſe ait quòd *matris corpus exire.* Et quod magis mirandum, nunc eodem perſiſtit errore *Franciſc. Linglois ad* 50. *deciſiones Iuſtiniani, deciſ.* 28. *q.* 1. *n.* 1.

4 Quòd autem *maturus partus* † idem apud nos ſit quòd *perfectus*, & tempore apto natus (ſeptimo implurimū nobis menſe cum tribus ſequentibus, ex dicendis in *capitib. ſubſequentibus*) vel ex eo facilè dignoſces, quòd ante natiuitatem (ſic liceat loqui doctrinæ gratia) cùm fœtus ab exerementis liber euaſit, & omnia à ſe expulit, quibus depoſitis perfectior in propria temperie redditur, inſignem quandam acquirit maturitatem, & ſimultaneam perfectionem, quibus mediis lucem appetit, & alio externo alimento, velut vti deſiderat. Ita vt ſola iſta perfectio in cauſa ſit naturali partus editioni, vt clarè & appoſitè demonſtrant *Hippocrates* (ſiue *Polybus* eius diſcipulus, vel coætaneus, vt vult *Clemens Alexandr. libr.* 6. *Stromatων)* in *libro de octimeſtri partu*, his verbis: *Vt autem fructus eorū quæ naſcuntur è terra, cùm maturitatem ſunt aſſecuti, ſecernuntur, ac decidunt ea parte, qua pediculo arbori adhærent: ſic etiam pueris maturis ac perfectis vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur: reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia ſuſcipiant, & exortus habeant ſecundùm naturam, quibus neceſſe eſt viuentes vti.* Hanc veritatem eodem ſimili addu cto, acutè Stoici inſpexerunt, teſt. *Plutarcho lib.* 5. *de placitis philoſophorum, c.* 15. (relato ſ. *c.* 2. *in princip.)* cùm infantem qui in vtero eſt, ventris eſſe partem, non animal, aſſeuerarunt; & vt fructus, qui pars ſunt arboris, ſimul atque maturiunt, defluunt, ſic & fœtum cùm ſuam adeptus fuerit maturitatem in lucem prodire exiſtimarunt. Nec ab Stoicorum ſententia in his (ac aliis) diſſenſit Peripateticorum Princeps *Ariſtoteles*, dum *lib.* 4. *de generat. animal. c.* 8. dixit, temporibus præſcriptam eſſe animalium generationem propterea quòd cùm præ magnitudine, non ſatis præterea fœtui eſt alimentum, quod per vmbilicum miniſtratur, lac verò vtile ad alendum euadat, item per vmbilicum alimentum non ſubeat, tum ſe venæ ipſæ comprimunt, circa quas tunica eſt, quæ *vmbilicus* vocatur, ac his de cauſis foris prodeat infans. Iſta enim Philoſophus à Præceptore *Hippocrate* deſumpſit in *lib. de natura pueri, circa fin.* ita dicente: *Cùm puer increuit, id eſt, mater ei ſufficiens alimentum amplius ſuppeditare nō poteſt,*

praest, plus itaque alimenti quàm quod adsit foetus postulans sese iactando membranas disrumpit, simulque vinculis solutus foras prodit. Cùm ergo *Aristoteles* alimentum quod per vmbilicum subministratur foetui satis non esse prae magnitudine dixit, simul suppo-suit, & cum *Hippocrate* subintellexit tunc foetum plenum, perfectum & maturum esse, & maturitatem † partus ediri in causa simul esse. Quae fuit etiam sententia *Galeni lib. 2. de symptomat. causis, c.3.* cuius illa verba Latini Interpretis: *Absoluto in ipsis foetu ad eius expulsionem se parant*, non planè correspondent originalibus: τελειωμένων ἐν αὐταῖς τῶν κυομένων, &c. integram, & omnibus numeris absolutam denotantibus perfectionem ibi: τελειωμένων (à quo τελείωσις) Vt in *Ptolemaeo* (qui cū eiusdem esset sententiae, ita ait *lib.3. de concept. c.1.* Τῆς φύσεως, μετὰ τὴν τελείωσιν πρὸς τὸ ὁμοιότυπον κατάστημα τῷ κατ᾽ ἀρχὰς διαμορφώσαντι, μερικῶς τὴν ὁρμὴν τῆς ἐξόδου πολοιουμένης, id est, *Natura (postquàm foetus maturus ac perfectus fuerit in simili situ, quem habuit constitutio, quae à principio conformauit) peculiarem impetum exeundi tribuente.* Et demum huius sententiae fuit *Cicero li. 2. de Natura Deorum*, qui (cùm conaretur probare à Luna vim effluere, quâ & animantia aluntur, augescunt, & putrescunt, maturitatémque assequūtur) ita ait: *Adhibetur autem ad partus, quòd hi maturescunt, aut septem nonnunquam, aut plerumque nouem Lunae cursibus, qui quia mensa spatia conficiūt, menses nominantur*, iunctis his quae in horum elucidatione, & enodatione annotabimus ĩ.c.12.§.5. Maturitas ergo, & foetus vltima perfectio in causa est, vt vitalis & naturalis sit partus, ex dictis, & aliis annotatis à *Laurentio Operario lib.2. Anatom.c.16.q.37. Federico Bonauent. de partu octomestri, lib.9. c.12.*

Et ab his omnibus (vt haec obiter dicam) facilè percipies, quàm longè aberrent à vero † Medici, qui maturitatis vnicam causam partus effugientes, eam ab angustia vteri, aut alimenti defectu, aut grauitate, aut euentationis maioris indigentia prouenire contendunt, mentem *Hippocratis*, & *Aristotelis* non callentes, qui in locis š. relatis magnitudinem foetus, alimenti inopiam, & caetera consimilia, accidentia tantùm esse sentiunt, eidem cum maturitate obuenientia. Vt enim de aliis taceam, quî dici, aut excogitari ab istis potuit, vteri angustiam partui esse in causa? quandoquidem qui ista asserit, necesse est fateatur hanc causam velut naturalem locum semper habere. At sensuum externorum fide experimur, & verè percipimus eandem mulierem eisdem mensibus foetus magnitudine dissimiles, & modò grandiores, modò minores emittere. Idémque euenire mensibus disparibus, vt quae nono mense corpulentiorem parit, septimo post mense diminutiorem foetum reddat: dici verò non potest, vterum, qui capacior antea fuerat, dein angustiorem factum fuisse. Adhaec, si magnitudo partui in causa esset, sequeretur foetum angustia vteri reprimi, nec maior & grandior fieret, & indè debitam magnitudinem, maturitatem, & perfectionem recipere nequiuisse, & per consequens ante perfectionem edi, & praeter naturam. Quid quod vteri angustia aborsus causam praebet ex *Hippocrate in libello de superfoetation.* vnde est, vt ab angustia partus naturalis procedere nequeat, qui tantùm à maturitate & perfectione prouenit, ex praedictis, & pluribus aliis in proposito consideratis à *Petro Garcia de locis affectis, disputat.73. ex capite 2.*

Quae sanè omnia clarè demonstrant

quid apud nos importet nomina illa:
Partus maturus & perfectus, & quid
denotare voluerit *Iustinianus* in dict. *l.*
7 *quod certatum*, † in verbis illis: *Si viuus*
perfectè natus est, quibus nouũ ius con-
stituit, vt probabimus *infr. cap. 9.*

At *partus legitimus* non solùm no-
bis, verùm & Medicis (iuxta tradita à
Petro Garsia supr. num. 1.) dicitur suo
tempore editus.

Illa verò verba: *Viuus totus prodiens*,
actum ipsum nascendi præseferunt, &
quantitatem (quam Logici appellant
continuam) innuunt, & totius corporis
ex vtero egressum tempore apto &
commodo, vt *suprà* annotauimus; ita
vt abortionem excludant, quemad-
modum & superiora illa: *Maturus &*
perfectus (ex dicendis etiam in *cap. 17.*)
non tamen denotant fœtum aliqua
parte mortua enatum naturalem non
esse, vt dicemus paulò *inferiùs*, & an-
notabimus in scoliis ad *leg. 13. Tauri*,
verbo *Nacio viuo todo.*

Demum illa: *Ad nullum declinans*
monstrum, vel prodigium, ad figurã hu-
manam referuntur; & partum simili-
tudinem habentem canis, vrsi, & alio-
rum animalium (iuxta tradita à *Laui-*
no Lemnio de occultis naturæ miraculis,
lib. 1. cap. 15. cum aliis pluribus anno-
tandis in d. *cap. 17.*) excludunt.

Et ab his venit intelligendus *Vl-*
8 *pianus* in d. *l. quod dicitur*, † *§. 1. ff. de li-*
ber. & posthum. vbi non integrum ani-
mal editum cum spiritu testamentum
rumpere ait; etenim per verba illa:
Non integrum animal, membra ipsa fœ-
tus & partus denotare voluit, & dis-
cretam (vt aiunt Philosophi & Medi-
ci) quantitatem, quasi diceret non in-
tegrum animal, hoc est, vno tantùm
pede, vel brachio, vel è contra tri-
bus natum, successionis capacem es-
se, cùm homo verus sit corpore, &
anima rationali constans; iuxta tra-
dita per Canonistas per *textum* ibi
in *ca. in quadam 8. de celebratione Mis-*
sarum. Errant ergo toto (vt aiunt) cæ-
lo, qui putant, *Iustinianum* in dicta
l. quod certatum, C. de posthumis here-
dibus instituendis correxisse decisio-
nem *Vlpiani* in dicta *l. quod dicitur, §.*
1. cùm idem ambo disponant, vel fal-
tem supponant & sentiant: monstro-
sum scilicet & prodigiosum partum
à successione arcendum, mutilum
verò non ita: id quod disertè firma-
uit *Iulius Paulus libr. 4. Sententiarum,*
tit. 9. §. 3. & 4. vbi ista distinguens ita
ait in §. 3. *Mulier si monstrosum ali-*
quid, vel prodigiosum enixa sit, nihil
proficit: non sunt enim liberi, qui contra
formam humani generis conuerso more
procreantur, & in §. 4. *partum, qui mem-*
brorum humanorum officia ampliauit,
quia aliquatenus videtur effectus, matri
prodesse placuit.

Sed omnium maximè à vero de-
uiauit tramite † *Doctor Cornejo, qui* 9
in additionibus ad Antonium Gomez
auum suum super *l. 13. Tauri ad nume-*
rum 1. existimauit, ea lege attenta
non integrum hominem à successio-
ne excludendum, quod quidem legi
imposuit, & *Matienço*, & *Velazquez*
de Auendaño ibidem relatis, id tan-
tùm asserentibus, fœtum (ad suc-
cessionem admittendum) totum nas-
ci debere viuum: nam si capite & cor-
pore forsan medio egressus priùs quã
in mundum totus viuus, id est, totus
cum vita prodiret, vagiens in angu-
stiis matris exspirauit, etsi baptizatus
fuerit (vti fieri potest, & debet hoc
imminente periculo, *Innoc. in cap. de-*
bitum, in fi. de Bapt. Lap. alleg. 103. Fran.
Marcus decis. 752. part. 1. & 168. part. 2.
Marius Giurba post *Tusch. in consuet.*
Messan. 1. p. c. 1. gl. 4. num. 13.) & viginti
quattuor horas vixerit, nec succedet,
nec testamentum rumpet, ex dicta *l.*
13. Tauri, in illis verbis: *Quando nacio*
viuo todo, quæ respiciunt illa dictæ

legis

legis quod certatum: Si viuus ad orbem totus processit. Quorum argumento hoc ipsum tenet *Tiraquellus*, post alios, in *l. si vnquam*, verbo *susceperit liberos, nu.* 138. *C. de reuocandis donationibus*, *Sfortia Oddus cons.* 28. *num.* 17. & 18. *Horatius Carpanus ad statuta Mediolan. cap.* 298. *n.* 47. *volum.* 1. cum aliis, quos refert *Marius Giurba in consuetudin. Senatus Messanensis, cap.* 1. d. *gloss.* 4. *n.* 12.

Nihergo noui hoc casu (vt *Corneio suprà* putabat) nobis exstat decisum à dicta *l.* 13. *Tauri*, quæ id tantùm dispositioni dictæ *legis quod certatum*, addidit, nouéque requirit: vt partus (maturus perfecto tempore editus viuus totus prodiens, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium) simul viuat, & communem respiret aërem vigintiquatuor horas, & sacro Baptismate ab originali culpa abluatur.

10 Ex quibus omnibus † satis in genere demonstratur, qui partus nobis naturales & legitimi sint, & successionũ capaces tam Iure Communi, quàm Patrio.

Et ab iisdem dignoscitur, qui partus perfecti & maturi non sunt, quiue ad monstrum, prodigiúmve declinent, & à successionibus veniant excludendi, vt qui pro hominibus, vel filiis generantium reputari non possint, ex *Paulo* Iurisconsulto in dict. §. à quo desumpta est *lex non sunt liberi* 14. *ff. de statu homin.*

Plura alia ad interpretationem *textus* in dicta *leg. quod dicitur, in principio*, & in §. 1. & ad *l. quæret aliquis* 135. *ff. de verborum significatione*, cum aliis prosequimur *infra cap.* 9. & latiùs in *capite* 17. & 18. vbi tractationis istius propria sedes est, & non naturalem partum latè describimus, eiusque causas; nunc sufficiat, velùt per indicem naturalem ab abortiuo, monstroso, vel prodigioso secreuisse, & hunc successioni ineptum ostendisse, illum verò tantùm eius capacem demonstrasse.

Dum simul annotemus, partum in dubio maturum, suóque tempore editum † præsumi, vt notauit *Socinus* 11
Iunior consilio 35. *numer.* 24. *libr.* 2. cum aliis, quos refert & sequitur *Menochius de præsumptionibus, lib.* 6. *præsumptione* 52. *num.* 24. *Mascardus*, post *Alciatum*, quem refert *in tractatu de probationibus tomo* 3. *conclusione* 1146. *numero* 1. Vnde qui asserit, partum vitalem non esse id probare tenetur, vt optimè adstruit *Decius consilio* 713. *in fine*, cum aliis in proposito adductis à *Menochio* dicta *præsumptione* 24. ex *numer.* 2. & per nos adducendis *infrà* d. *cap.* 7.

Probatio verò partus naturalis & non naturalis ab assertionibus iuratis Medicorum & obstetricum desumenda est, & ab aliis quæ tradit *Mascardus*, de multorum sententia, *de probationibus*, *conclusione* 1084. ad quem in casu occurrenti recurrere: & dictis ab eo adde notata ab *Horatio Augenio lib.* 1. *de hominis part. cap.* 12. vbi partum maturum & perfectum tunc præmonstrari ait, quando infans papillam mammæ ori eius inditam confestim suis labris constringit, & protinus buccis dilatatis succum attrahit, dein curuata lingua in fauces propellit, perinde ac si multò antè tempore didicisset: & simul recurre ad tradita per nos *infrà* d. *cap.* 17.

SECTIO I.

De partu qui execto ventre lucem vidit.

ILLVD autem valdè controuersum † est inter Iuris Interpretes, quin & inter ipsos Iurisconsultos, An

is qui editus est matris execto ventre, reputetur partus naturalis, legitimus, & successionis capax? Et quidem prima facie similis partus naturalis dici nequit, dum lucem magis ope hominis, quàm naturæ videat, vt inde merito dixisse videatur *Paulus* in *l. anniculus* 132. §. 1. *ff. de verborum significatione*: *Falsum esse, eam peperisse, cui mortuæ filius exectus est*: cuius *textus* decisionem mirantur, & valdè commendant post *Glossam* in *l. etiam ea* 41. *D. de verborum significatione*, *Angelus*, *Paulus*, *Alexander*, *& Iason* in dicta *l. quod dicitur, ff. de liberis & posthumis.* Et eius argumento tenent, legatum quo casu mulier pepererit relictum, non deberi filio post mortem è ventre execto, quod antea dixerat *Baldus* in *l. Arethusa, ff de stat. homin.* idemque tenent *Angelus*, *Paulus*, & alij, quos refert *Tiraquell.* in *l. si vnquam*, verbo *susceperit liberos numero* 140. *Cod. de reuocandis donationibus*, *Mieres de maiorat. 2. parte*, *quæstione* 9. *num.* 15. nouissimè *Hadrianus Negusantius in sylua responsorum, quæst.* 400. *num.* 37.

Ista comprobari posse videntur ex notatis à *Ioanne Gutierrez libr. 2. practicarum quæstionum, quæstione* 101. *nu.* 3. ita edisserente: quando aliquis præter naturæ ordinem exit de ventre matris, hoc est, vbi constat non propria virtute, sed violenter egressum abortiuus dicitur, & matrem abortum fecisse, nulla habita distinctione, quanto tempore in vtero extitisset, *cap. Moyses* 32. *quæstione* 2. ibi: *Abortum fecerit, capite sicut ex literarum, de homicidio*, ibi: *Abortiuit*, *l. si quis aliquid* 30. §. *qui abortionis, D. de pœnis*, *l. si mulierem*, *ff. ad legem Corneliam, de sicarijs*, ibi: *abigeret*. Ex quibus inferri videtur, fœtum etiam maturum & perfectum, qui à ventre matris in puerperio decedentis extrahitur, abortiuum dici debere, vt qui ope humana, non naturali editus est. Licèt enim cæso matris vtero ab eius visceribus euulsus viperæ instar in lucem proserpat, ac quasi simili naturali parricidio gignatur, ex *Apuleio Apolog.* 2. *Guilielmo Ranchino de successionibus ab intestato*, §. 5. *num.* 8. *Osualdo Hilligero in Donello enucleato lib.* 9. *cap.* 2. *in notis*, differunt tamen in eo, quòd viperæ partus naturalis est, & naturæ operibus tribuendus, exectio verò ventris opus est hominis, ad artem, non ad naturam referendum. Vt inde partem negantem propositæ quæstionis meritò astruxisse videantur, *Paulus Castrensis* in dicta *l. quod certatum* vbi *Iason* & *Iacobus de Sancto Georgio Codice de posthumis hæredibus instituendis* *Curtius Iunior consilio* 329 *numero* 61 *& 7. libr.* 3. *Socinus Iunior consilio* 35. *libr.* 2. *Purpuratus consil.* 158. *numero* 4 *libr.* 1.

Sed contrariam sententiam (quæ mihi probabilior est) probarunt magni nominis Auctores illicò referendi, & ante eos *Vlpianus* in dicta *l. etiam ea* 141. *D. de verborum significatione*, ait: *Etiam eam mulierem credidistum habere, quæ exciso vtero edere possit*, & clariùs in *l.* 1. §. *sed etsi matris, D. ad Senatusconsultum Tertulianum*, dixit, execto ventre editum ad legitimam matris hæreditatem admittendum, & institutum secundùm tabulas, & ab intestato *vnde cognati*, & multò magis *vnde legitimi* bonorum possessionem petere posse. Et hoc vltimum repetit idem *Vlpianus* in *l.* 1. §. *si qua prægnans. D. vnde cognati*. Sed & in *l. posthumus* 6. versiculo simili modo, cum qui post testamentum matris factum execto ventre extractus est, posse queri dixit. Et demum is idem *Vlpianus* in dicta *l. quod dicitur, D. de liberis & posthumis*, execto ventre editum testamentum rumpere

allegue;

asseuerauit: ergo ex sententia *Vlpiani* eadem ratio eius est, qui ab incisso ventre extractus est, quæ & partus legitimo & naturali tempore nati, & à natura producti, ita vt nihil ab eo differat. Quæ fuit etiam sententia *Vlpij Marcelli* in *l.2 ff. de mortuo inferendo*, & doctissimi Theologi *Tertulliani in libro de anima*, vbi, *Possumus* (inquit) *filios illos quoque recogitare, qui ab execto matris vtero viui aerem hauserunt*. Et omnium deinde antiquorum Iuris Interpretum optimè comprobauit *Baldus* sibi (vti assolet) contrarius *consilio 128.* paulò ante finem, *lib.1.* & *consilio 113. lib.5.* idem *in rubrica num.10.* extrà, *de causa possessionis & proprietatis*, & in *c. contingit, nu.2. de dolo & contumacia*, & in *l. vltima, C. de suis & legitimis hæredibus*, *Paulus* (qui hoc in quauis materia, quantumuis odiosa, locum habere ait, in d. *l. quod dicitur*: & post alios plures idem firmat *Tiraquellus* in d. *l. si vnquam*, verbo *susceperit liberos, num.141. & duobus sequentib.* & alij plures relati ab *Hadriano Negusantio d. quæst. 400. à num.39.* & ex nostris ita tenent *Gregorius Lopez* in *l.2. tit.15 part.2. glossa 10. quæstione 2. Palacius Rubios* in *l.13. Tauri. num.4.* vbi *Antonius Gomez numer. etiam 4.* & *Castillo* verbo *nascio viuo*, *Mieres de maioratibus, 2. parte, quæstione 9. num. 15.* in nouiore editione, *Ioannes Gutierrez*, post *Pelaez & Matienço, libr.2. practicarum*, dicta *quæst.101.* ex *num.4. Giurba*, post alios, *in consuetudin. Senatus Messanensis cap.10. glossa 1. num.10. Christophorus de Paz* (qui cum *Gregorio*, *Mieres* & aliis in causa maioratus loquitur) *de Tenuta, tractatu 2. cap.68. n.33.*

Et in *feudo* idem resoluit *Iacobus Ardiz in rubrica tituli de successione feudi*, *Curtius Iunior in tractatu feudorum, 2. par. quæst.14. n.36.*

Et in *emphyteusi* pro se, & liberis nascituris relicta hoc ipsum post *Ardiz* tenet *Baldus* in d. *l. vltima, C. de suis & legitimis hæredibus*, vbi asserit, ita consuluisse in ciuitate Lucana, eúmque sequuntur plures alij relati à *Tiraquello* dict. verbo *susceperit liberos, n.141.*

Et ibidem ex mente *Socini* resoluit natiuitatis conditionem (quæ vt quæuis alia adimpleri debet, vt aiunt nostri, in specifica forma) verificari in eo, qui execto ventre editus est.

Sed & in statutaria societate bona coniugum communicante, acquisitiua, vt aiunt, filiorum natiuitate, iuxta tradita à *Raudensi decisione Pisana 1. num.8. Mastrillo decisione 57. numer.10.* idem firmarunt *Intrigliolus lib.1. singulari 269. Nepit. ad consuetudines Caten. tit.3. numer.56. Marius Giurba in consuetudin. Messanen. capite 1. glossa 4. numer.25. part.1.* Quinimò & in omni successione statutaria natis deferenda, vel delata (quamuis statuta sint strictè interpretanda, iuxta communem Doctorum adsensum, quem memini me improbasse *suprà cap.2.* adhuc exectus esset admittendus, iuxta tradita à *Galganeto*, post alios, *de conditionibus & demonstrationib. 1. par. ca. 12. num.35. Carpano ad statuta Mediolani, statuto 298. num.41. parte 1. Menochio de arbitrariis in additionib. ad casum 401. num.5.* Quibus contrariam sententiam malè imponit *Giurba in consuetudin. Messanen. cap.8. glos.2. n.1. par.1.*

Etenim iam ferè apud omnes constitutissima resolutio est, exectum ab vtero materno æquiparari in omnibus verè nato, & à natura producto, adeò vt quemadmodum iuris præsumptione omnis partus tempestiuus præsumitur, ex traditis *suprà*, ita & extractus incisso ventre superuicturus præsumatur, vt ex *Purpurato*, &

Ioſepho de Ruſticis reſoluit *Giurba* in *conſuetudines Meſſanenſ.*d.*cap.*8.*gloſſa* 2.*numer.*1.& *cap.*1.dict.*gloſſ.*4.*num.*29. Niſi ſtatim vt lucem vidit,moreretur, quo caſu pro non nato, aut extracto haberi debere dixit *Giurba ſuprà* ex *Mantica libr.*11.*coniecturarum, titul.*6. *numer.*11. cum aliis ibi per eum relatis & adductis. Quibus adde, quòd quemadmodum perfectus homo dicitur,qui ſine manibus, pedibúſve naſcitur, dum anima rationali, & reliquo corpore conſtet, ex dictis *ſuprà* circa interpretationem dictæ *l. quod dicitur, ff. de liberis & poſthumis*, ita & perfectus homo dicetur, qui extractus eſt aliquo membro inciſſo, quod fortè eruptioni impedimento erat, etſi moriatur illicò, vt ex *Corneo*, & aliis firmat *Tiraquell.* in d.*l. ſi vnquam*, verbo *ſuſceperit liberos*, *numer.* 160.

Sed quæ omnes iſti parum ſibi conſtantes & confusè reſoluunt, tu diſtingue, concilia, & reſolue ex notatis ſ. *n.*14.

Nunc autem ex iam dictis clarè colligo valdè deuiam à vero tramite fuiſſe contrariam ſententiam *Pauli* in d.*l. quod certatum*, *Curtij Iunioris* & *Socini Iunioris* cum *Purpurato ſuprà* relatorum, nec attendentium eandem in execto admittendo militare rationem quæ in filio perfectè & legitimo tempore nato, ex his quæ de *Baldi*, & aliorum plurium ſententia optimè notat *Tiraquellus* dicto verbo *ſuſceperit liberos*, *numer.*142. ¶ Quibus adde mirandas & notandas infantum diſſectiones congeſtas paſſim ab Anatomicis, & aliis rerum Medicarum obſeruatoribus, maximè *Franciſc. Roſſet. in tractatu de partu Cæſareo* (quem *Gaſpar Bauhinus* Latinitati donauit) *Ioan. Schenki. lib.*4.*tit. de fœtib. obſeru.* 12, *& ſeqq.*

Quod in cauſa eſſe debet (hæc obiter dicam) vt admittere non debeas (quod attinet ad iura ſucceſſionis) *Baldi* à *Tiraquello ſuprà* relati diſtinctionem inter filium aut extraneum ab vtero exectum: & intelligentis dict. *l. anniculus* §.1. in extraneo, quod manifeſta ſanè diuinatione laborat, & ſuperuacua ſimul ex dicendis ſ.

Sed & ipſe *Baldus* apertè contrarium ſentit dicto *conſilio* 128. *ad finem*, *lib.*1. (quem ſequitur *Lancellotus Politus in tractatu ſubſtitutionum in materia vulgaris*, 7. *quæſtione principali*) dum tenet & docet, exectum à ventre admittendum ad inſtitutionem, vel ſubſtitutionem de filio maſculo, quem aliqua pepererit factam; & quidem rectè, nam quod attinet ad teſtatoris affectionem, vt realitatis (vt loquitur *Baldus*) effectum, eadem in vtrouis caſu militat ratio. Vnde eſt, vt habito effectu non curemus de modo, *l. ſi mater* 3. *C. de inſtitutionib. & ſubſtitutionib.*

Et ſanè effectum attendit *Vlpianus* in dicta *l. quod dicitur*, *ff. de liberis & poſthumis*, quando exectum ab vtero materno *natum* appellat: & verborum ſolam proprietatem, cùm idem *Vlpianus* cum *non natum* dicit in d. *l. ſi ego*, §. *partus*, verſic. *idem eſt*: in quorum iurium conciliatione plus debito hæſitauit *Tiraquellus* (cùm iſta agnouiſſet) dicto verbo *ſuſceperit liberos*, *nu.* 143.

Sit ergo omnium prædictorum firma concluſio, cauſam partus execto ventre editi ex iure etiam Digeſtorum eandem eſſe quæ & partus naturalis, etſi quod attinet ad modum (attentis his quæ diximus in initio huius capitis) naturalis non eſſet.

Quinimò & ſemper æqualem fuiſ-

ſa-

ſe cauſam natura editi, & arte exe&cti credendum eſt, ne concedamus cæſo-ʒnes † omnes (quos vidit & agnouit Antiquitas, & hoc nomine voluit cohoneſtare, quia cæſo matris ventre aërem hauriebant, & lucem videbant, *Plinius lib.7. naturalis hiſtoriæ, c.9. Sextus Pompeius Feſtus de verborum ſignificatione*, verbo *cæſones, Seruius* & *Titus Probus*; eum referens) ſucceſſionis paternæ incapaces fuiſſe. Et inter eos primum Cæſarem: qui à cæſo matris ventre hoc nomen habuit, vt optimè notauit *Accurſius*, Iuris Ciuilis Interpretum κορυφαῖος in præfatione Digeſtorum, & Inſtitutionum ſuper verbo *Cæſar*. Quem inſulsè nec minus incautè aliqui irrident, putantes Cæſarem dictum à *cæſarie*, vel ab Elephante occiſo, qui Phœnicibus *Cæſa* dicebatur. Nam etſi denominationes iſtas approbauerint aliqui boni Auctores, allata tamen ab *Accurſio* damnanda non eſt, vt quæ inter alias probatur *Ælio Spartiano in Ælio Vero*, ita dicente: *Cæſarem vel ab Elephanto (qui lingua Maurorum* CÆSA *dicitur) in prælio cæſo eum qui primus ſic appellatus eſt, doctiſſimi & eruditiſſimi viri putant dictum: vel quia mortua matre cæſo ventre ſit natus: vel quòd cum magnis crinibus ſit vtero parentis effuſus: vel quòd oculis cæſiis, & vltra hominum morem viguerit.* Quin *Solinus in Polyhiſtor. capite 4.* & diſertiùs *Plinius dicto capite 9.* eius tantùm meminit, quam *Accurſius* approbauit, cùm ait: *Scipio Africanus prior natus, primúſque Cæſarum à cæſo matris vtero dictus*, *Diuus Iſidorus lib.9. Etymolog. cap.3. Cæſar* (inquit) *dictus quòd cæſo mortuæ matris ſuæ vtero prolatus, eduĉtuſque fuerit:* quamuis iſta paulò inferiùs ad Iulium Cæſarem contra *Plinium* in verbis *ſuprà* relatis referat, ſicuti *Accurſius* ad Octauianum Cæſarem.

Sed nec feliciùs *Plinius* Scipioni Africano iſta tribuit, attentis his quæ eo loci annotauit *Hermolaus Barbarus in caſtigationibus*, aſſerens, ante bellum Samnitum fuiſſe quendam Claudium Cæſarem. Sed certè verba *Plinij* ita legi & intelligi poſſunt, vt ſalua Latini ſermonis & orationis ratione ad alium, & quidem priorem Cæſarem referantur, dum ea ita interpungas: *Scipio Africanus prior natus, primuſque Cæſarum à cæſo matris vtero dictus*, quaſi diceret, Scipionem maiorem natu, & omnium ſuæ familiæ primum, Cæſaris nomine cohoneſtatum à cæſo ventre, velut alij: indéque Cæſares dicti, vt diſertè notauit *Tiraquellus de iure primogenitur. capite 18. numer. 2.* Vtcunque verò ſit communior Cæſarum deriuatio à cæſo vtero prouenit, ita vt nomina *Cæſar*, & *Cæſo*, velut probro eos indicent, qui matres tanquam viperas enecant, vel mortem præmaturam infligunt.

Ab his etiam facilè dignoſces, reiicienda quæ prolixè circa denominationem iſtam enarrauit *Conſtantinus Manaſſes in Annalibus Politicis*; dum ita cecinit:

Ἄλλοι δὲ πάλιν λέγουσι τῆς κεφαλῆς τὴν
  κόμην
Ῥωμαίους λέγειν Καισάρην, καίσαρ γ' οὕτω
  ἐπεκλήθη
Γάϊος ὡς εὐπλόκαμος, ἢ μᾶλλον ὡς δασύ-
  θριξ.
Ἕτεροι δὲ. Ῥωμαϊκὰς γράφοντες ἱστο-
  ρίας,
Φασὶν ὡς τούτου προγονεὺς τοῦ Καίσαρος
  Γαΐου
Τειχεσιεὺς ἀναφανεὶς, ὅτε Καρχηδο-
  νίοις
Ῥωμαῖοι συνεπλέκοντο, καὶ δόρατι γεν-
  ναίως
Βάλλων τὸν ἀντιγονιστὴν καὶ κατατραυμα-
  τίσας
Ἐλέφαντος ὀχούμενον ἄνωθεν εὐρυστέρνου.

Αὐτῷ πρὸς γλῶ, κατεκώγκεν ἐλέφαντι, κ' ἀντεῦθεν

Ἔσχεν ἀρχὴν τῦ Καίσαρος λαμπρὰν προσωνυμίαν

Καίσαρες γὰρ ἐλέφαντες τοῖς Φοίνιξι καλῦνται

ἐκ τῦ προγόνυ τοίγαρ σὺν τῷ προηκειστέντος

Καίσαρες ἀπεκλήθησαν τοὺς προγόνους ἐκείνω

Τιμὴν μεγίστην ἑαυτοῖς ἐντεῦθεν προξενῦντες.

Is enim Latinarum dictionum, *cæsus, a, um*, & *cæso, onis*, vim & proprietatem non calluit, & ideò prædictam *Plinij* denominationem omisit. Sed & illa, quam à *cæsarie Spartianus*, & alij deduxerunt, planè errauit, dum *comam*, & *cæsariem* pro eodem malè vsurpat, vt notat *Ioannes Meursius in Glossario Græco-barbaro*, verbo Καισάρης. Et apertè demonstrant illa Latina *Leunclauij* (præcitatis *Constantini* respondentia) *Alij volunt comam capitis apud Romanos cæsariem appellare, Caiumque Cæsaris nomen habuisse, quòd pulchra, densáque cæsarie præditus esset. Denique nonnulli sunt rerum Romanarum Scriptores, qui memoriæ prodiderunt fuisse quendam Caij Cæsaris Gentilem, qui præclaris facinoribus editis eo tempore quo Romani & Carthaginienses bellum inter se gerebant, etiam lethali hastæ vulnere aduersarium elephanto insidentem vnà cum ipsa bellua in terram prostrauerit, indéque gloriosum Cæsaris cognomentum acceperit. Nam eo vocabulo Pœnis elephantos appellari. Ab hoc igitur cæteros Gentiles atque posteros ipsius Cæsaris fuisse dictos, honores ab eodem non parum consequutos.*

Hæc vltra notata à *Tiraquello de iure primogeniorum*, dicta *quæst.*18. & à nouioribus, maximè *D. Pichardo* 1. *tomo institutionum*, in ea quam vocat *Epigraphes proœmij explicationem, numer.*7. nobis annotasse liceat *Accursij* sententiam propugnantes, & quæ nostri sunt θήματος propria prosequuti.

Prædictis omnibus, quæ ex sententia *Vlpiani* in d. *l. etiam ea, ff. de verborum significatione*, cum aliis post plures Iuris Interpretes resoluimus, addo eo intelligi debere, dum tamen 14
† execto ventre editus legitimi temporis fuerit, & apti partui naturali, ita vt naturaliter viuere possit (quis autem is sit, dicemus in *sequentibus capitibus*) alioquin ope hominis ab vtero diuulsus, melioris esset conditionis, quàm natus & productus à natura, quod dici nequit. Et hoc sensu sunt percipienda, quæ tradunt *Alexander* in d. *l. quod dicitur, nu.*6. *Decius in l. posthumo, numer.*4. *C. de bonorum possessione contra tabulas* (vt contradictionis notam, qua sinistrè istos inurit *Negusant.* d. *quæst.*400. *numer.*39. omnino vites) *Purpuratus* optimè *consil.* 481. à *numer.*11. *lib.*2. *Alciatus consil.*23. *numer.* 2. *libr.*9. *Chassaneus cons.* 19. *numer.*6. *vers. & etiam isto casu*, quos & alios refert *Negusantius* dicto *numer.*39. vbi ista satis confuso sermone pertractauit.

Iure verò nostro, & dispositione d. *l.* 13. *Tauri* attenta simul requiritur, quòd extractus iste vixerit vigintiquatuor horas illius legis, vt optimè notat *Antonius Gomez* s̃. relatus, & post eum reliqui, maximè *Gutierrez* d. *quæst.*101. *nu.*5. & 6. Sed hisce adde quæ de partu successionis capace dicturi sumus in *c.*9.

Et ne huic veriori (pro nunc) resolutioni obstet *textus* in d. *l. anniculus*
† 132. §.1. *ff. de verborum significatione.* 15
Haloander in eius *notis* legit *mortuus* pro *mortuæ*, ita vt *Paulus* dixerit, falsum esse eam peperisse, cui *mortuus filius*

filius exectus est. Sed certè hac interpretatione admissa nulli dubio decisio ista deseruiret. Vnde tu facilè *Paulum* ibi cum *Vlpiano* in dicta *l. etiam si ea mulier*, 141. *eod. titulo*, & aliis iuribus *supra* relatis ex communiori Interpretum assensu concilia, vt *Paulus* mulierem, de qua ibi, *non peperisse* tantùm dixerit, *Vlpianus* verò mulierem credi *filium habuisse*, & *successionis capacem* esse affirmauerit, quæ sunt longè diuersa, vt post alios optimè notat *Iacob. Cuiacius in commentar. ad dictam l. etiam ea.* Sed adhuc scrupulus subest, nam etiam attenta ista interpretatione (quam verissimam reputat *Antonius Faber in Rationalibus ad legem si ego, §. idem est, ff. de Publiciana in rem actione*) *Paulus* propositum dubium aliter resoluit. Vt inde ego, qui vanã Religionem existimantium, & mordicùs tenentium nullam in Digestis & Constitutionibus Codicis dari antinomiam semper irrisi;
16 facilè mihi persuadeã † *Paulum* & *Vlpianum* contrarios fuisse in causa partus execti, & his quæ *Vlpianus* pluribus locis *supra* relatis pro eo resoluerat, *Paulum* eodem ferè tempore contrarium sensisse, ea motus causa, quod falsum sit eam peperisse, cui mortuæ filius exectus est; & *falsum* sanè dixit, dum sese aliorum opinioni opponeret. Hæc autem diuersitas vel ex eo dignoscitur, quòd *Paulus* legem Iuliam & Papiam commentatus, vt patet ex inscriptione dictæ *l. anniculus, §. 1.* falsum esse, ait, matrem filium ab eius vtero extractum peperisse, quasi hac ratione vsus, vt filius iste ad vitandas pœnas illius capitis, legis Iuliæ & Papiæ (cuius meminit *Sozomenus lib. 1. Historiæ Tripartiæ cap.* 10. *Duarenus libr. 1. disputationum, cap.* 40. *D. Ioannes Pareja*, hos & alios referens, *in otio quadrim. 2. parte, num.* 11.) non prodesset: *Vlpianus* verò in interpretatione *eiusdem legis* (vt patet ex inscriptione dictæ *l. etiam ea mulier*) contrarium existimauerit, ea innixus causa, quòd ea mulier creditur filium habere, à cuius vtero scisso filius extractus fuit: *Tribonianus* ergo sententiam *Pauli* abolere conatus, eam à libris Digestorum alienam fecit, & *Vlpiani* contrariam diuersis locis *suprà* expensis inseruit, rationes verò desidentium sententiarum *Vlpiani* & *Pauli* inconsultò in Digestis, & vno eodem titulo, & parum distantibus capitibus introclusit.

Quòd si prædictam *Pauli* rationem prætermitteret, vt debebat, qui *Iustiniano* nullam in Digestis antinomiam reliquisse pollicitus fuit, Interpretibus Iuris (vt credere par est) ansam non dedisset dubitandi & asserendi, quæ *suprà* ex *Glossa* in d. *l. etiam*, & ex *Angel.* & aliis annotauimus: & indubia inconcussaque esset sententia *Bald. Pauli*, & aliorum plurium *supr.* relatorum, vt quę pluribus *Vlpiani* decisionibus, & legitimis rationibus *suprà* expensis innititur.

Quæ clarè elidunt tradita ab *Angelo, Alexandro* & *Iasone* in *l. quod dicitur D. de liberis & posthum.* & à *Guilielmo Benedicto* in dict. *cap. Raynuntius* relatis *suprà*.

His autem quæ ex *Ioanne Gutierrez* anteà † expendebamus, respondeo, cum 17
eodem d. *quæst.* 101. *num.* 8. intelligenda esse suo casu iam per nos *supr.* animaduerso, is est cùm mulieri, ante editionem filij in puerperio iusto, & naturali tempore obuenienti, filius extractus est; abortus namque (de procurato loquor) fit ex malo medicamine prægnanti adhibito, vel percussione, ictúve intempestiuo tempore incusso. Vnde vltra omnes (obiter) nota, quòd si mulieri naturalis partus doloribus oppressæ vis aliqua inferatur, quò celeriùs fœtum eiiciat, vel alia via id eue-

niat ex ictu vel percussione, si sospes, salu úsque euadat partus, iustus & naturalis dicendus sit filius, non abortiuus.

Demum, qui modos, formásque extrahendi fœtus viui vel mortui videre desiderat, adeat *Ambros. Paræum* ista exactè tractantem *lib.23. capite 26.* & *Guillemaum* per 28. *capita in lib. de regimine prægn.* & præ cæteris *Franciscum Roscium* Regium Medicum doctissimum, qui librum super hisce edidit variis historiis & rationibus illustratum, qui inscribitur *de partu Cæsareo,* iam s̃. relatum, & præ omnibus istis *Galen. in lib. de dissectione vuluæ, capite 1.2.3.4.5.6. & 7.* vbi de magnitudine, figura, venis, arteriis, tunicis, ceruicéque vuluæ disertissimè disputauit.

18 SVB HÆC discutienda venit quæstio † illa, quam mouit *Francisc. Aretinus* in *l. ex duobus, ff. de vulgari & pupillari substitut.* cùm duo masculi excisso matris vtero simul sunt editi, quis præferendus in primogenio, vel indiuiduo fideicommisso: Et quidem Auctor iste hoc sortis iudicio dirimendum putat, vt accidit in rebus dubiis, in *l. si quæ sunt cautiones 5. ff. familiæ erciscundæ,* in *l. sed cùm ambo 14. ff. de iudiciis, l. generaliter 24. §. quid ergo si plures, ff. de fideicommiss. libertat. l. fi. in principio, C. commun. de legat. 2. C. quando & quibus quarta pars debeatur, lib. 10. §. optionis, institution. de lega. Nouella 162. c.3. in fin. Cicero lib. 1. Officior. in princip.* Prosequitur multa cumulans *Tiraqu. de iure primogenior. q.17. opin. 1. per 102. numeros, Mynsinger. centuria 4. obseru. 37. Martinus Delrius Disquisitionum Magicar. li.4. c.2. q.7. sectione 3. & 4.* & *c.4. quæst. 2. Thomas Sanchez in Summa tom. 1. lib. 2. c.38. à nu. 57. Torreblanca li. 2. de Magia, c.32. per totum.* Sed vix obtineri posset, vt primogeniorum Hispanorum causæ sorte dirimātur, quin potius in ipsa incertitudine inquirendum obnixè sit vter ex exectis prius lucem viderit, iuxta tradita à *Mieres de maioratib. 4. part. q.20. nu. 195.* vbi ad ea quæ impius *Molineus* resoluit, sese refert.

Quòd si daremus gemellos (quos Græci διδύμυς appellant) eodem ictu 19 † ex tempore lucem vidisse (vti posse contingere, facilè comprobabis ex dicendis in *c.18.*) tunc sanè ex duodecim opinionibus (in casu simili *relatis à Tiraquello de iure primogeniorum d. q. 17. per totam* præferenda esset quarta, quā ipse elegit, & bona maioratus inter vtrumque æquè essent diuidenda, argumento *tex.* in *l. ex duobus, ff. de vulgari & pupillari substitutione, l. qui duos, ff. de reb. dubiis,* quam nobis approbat expressus *textus* in *l.12. tit. 33. pag. 7.* Cuius decisione attenta in his Regnis cessant omnino quæ latissimè Iuris communis Interpretes anxiè disquirunt, vt strenuè aduertit *Gregor. Lopez* in *d. l.12.* verb. *ambos. D. Molina,* post *Palacios Rubios, Gifuentes* & *Antonium Gomez,* quos refert in *libr. 3. de Hispanorum progeniis, cap. 1. num. 20.* vbi disertissimè notat, solam † illam *legem 12.* 20 in toto Septem-partito nostro Iure inueniri disponentem circa particularem primogeniorum successionem, cùm *lex 2. titul. 15. part. 2.* & cæteræ aliæ leges (ex quibus argui aut inferri solet ad quæstiones primogeniorum) de sola Regni successione disposuerint.

Illud autem absque nota præteriri non potest, quod *D. Molina* † *ex Ti-* 21 *raq.* tenet s̃. *num. 22.* Regna scilicet in casu proposito inter gemellos diuidēda, quod neutiquam admitti deberet, si casus occurreret: est enim diuersa ratio Regni quæ primogenij (diuidendi ex proximè dictis) attenta insigni dispo-

dispositione d. *l.2.tit.15.15.part.2.* maximè ibi: *Los omes sabios è entendidos catando el pro comunal de todos, è conociēdo que esta particion no se se podia hazer en los Reinos, que destruidos no fuessen segun nuestro Señor* IESV CHRISTO *dixo, que todo Reino partido seria estragado) tuuieron por bien, que el señorio del Reino no lo huuiesse sino el fijo mayor* Etenim ex omnibus Imperij generibus Monarchicum semper aptius, meliúsque visum est *Aristot. lib.8. Ethicorum cap.10. Plutarch.* latè *in libello de Monarchia, Polybius* optimè *libr.6. in princip. Pet. Gregor. de Republica libr.5. cap.3. per totum, Adam Contzen lib.1. Politic. cap.15. & sequentibus*: vbi optimè & radicitus euertit contrarià sententiam improbi *Machiauelli.* Naturænamque regulis Monarchia conuenientior est, vt pluribus admirandis exemplis demonstrat *Aristotel. libr.7. de historia animalium cap. 8. per totum, Cicero libr.2. de Natura Deorum, in principio, Virgilius libr.4. Georgic. Seneca lib.1. de Clement. cap.4.* Qui & *in Epistolis* ita appositè ait: *Mutis gregibus, aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima: non præcedet armenta degener taurus: elephantorum gregem excelsissimus ducit*: quod & de gruibus annotat *Cicero suprà.* Monarchia itidem discordias vitat, *quas materia communionis* (vt disertè ait *Papinianus in l. cùm pater 77. §. dulcissimis, ff. de legat.2.*) *solet excitare*: vnde *Tacitus lib. 1. Histor. Pacis interest omnem potestatem ad vnum conferri, & discordantis sæpe patriæ non alíud remedium fuit, quam si ab vno regeretur*, idem *Tacit. lib.1. Annal.* ita ait: *Suspectum Senatus Populique Imperium ob certamina potentium, & auaritiam Magistratus*: quę verba cùm eruditus *Lipsius* interpretetur in Mon tis & Exemplis ad *cap. 1. lib.2. suæ Politicæ*, ita ait *Monito 4. in fine*: *En duas assiduas ibi pestes certamina & factiones, & exitum, sine exitium, ciuilia deinde bella, auaritiam, & sunt nudationes, rapinæ, corruptelæ in Magistratibus, in Prouinciis, in iudiciis.* Hæc autem omnia mirè perstringit, & comprobat *D. Chrysosto. homil.34. ad ca.13. epist.1. ad Corinthios*, dicens: *Quod est par honore solet pugnam inducere, vnde nec Deus siuit populare esse Imperium, sed Regnum.* His accinit illud *Homeri lib.2. Iliados*, quod refert *Stobæus sermone* 45. post alia *Hesiodi, Euripidis & Platonis*:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς.

Polycratia pessima: vnus enim dominus, vnicúsque Rex siue Imperator esse debet.

A quibus omnibus velut euidenter elici videtur, diuersam in Regno ac in primogenio rationem proposito casu militare à verbis d. *legis 2. partitæ* eruendam. Idq; annotauit ipse *Molina* dict. *cap.1. numer.21.* etsi *num. seq.* destiterit, in contrariam inclinans sētentiam, debilibus quidē innixus mediis: nam quod ait in electione vtriusuis è gemellis timendum ne scandala, tumultus, & alia inconuenientia succedant Regno in diuersas factiones diuiso, facilè diluitur considerāti hoc casu populum (à quo omnis potestas in Principem translata fuit antiqua lege REGIA, teste *Iustiniano* in *l.11. §. sed & hoc studiosum, C. de vetere iure enuclean. §. sed & quod Principi, instiut. de iure natur. gent. & ciuili*, cum traditis per nos latè *suprà cap.2. §.1. numero 246.*) iusto titulo, vel prætextu auctoritatem cessam reassumere; ita vt Regnum gubernandum tradi oporteat vni ex gemellis æqualibus, quem populus eiusque proceres elegerint, hoc casu insolito, & omisso, & legibus non prouiso. Neque est quod queri possit frater posthabitus, nec indignari in Populum velut suo iure vtentē. Quin

& contra *Molinæ* ſententiam ſcandala & tumultus præuenientis maximè vrget illa cõſideratio, quòd electionem, prælationémque Populus facere deberet è gemellis recèns natis, quo tempore, æquè ac in ſorte (*Molinæ* poſt *Tiraquellum* probatæ) nullus inuidiæ locus eſt: nec in arma & diſcordias, tumultúſve proruptionis timor in Populo maiore ex parte in electum conueniente. Vt ab his potiùs inferamus Populi iudicium (quod iſto in caſu tantùm attendimus & exigimus) eius quieti & tumultibus, ſcandalíſque vitandis commodiùs futurum.

Neque prædicta perturbat ſecundum medium, quo ſuam ſententiam obfirmare curauit *Molina* d.*cap.* 1. *nu.* 22. vſus argumento ab exemplo, quod à feudis deſumit, in quibus (aliàs natura ſua indiſſolubilibus) diuiſio admittitur, ob vitandum ſcandalum iuxta tradita ab *Alexandro conſ.* 7. *n.* 11. *libr.* 5. cũ *Ruyno* & *Tiraquello* relatis à *Molina*. Nam quæ ratio in Regno datur hoc caſu (iam *ſuprà* per nos aſſignata & illuſtrata) in feudo non militat, velut nec primogeniis Hiſpaniæ, iuxta ea quæ iam reſoluimus.

Demum quod velut in terminis à Romanorum Imperatorum, quin & noſtrorum Regum hiſtoriis adducit, aſſerens plùries duos ſimul fuiſſe Imperatores (poſſet & tres dicere) & duos itidem in Hiſpania Reges, alia res eſt: nam illud eueniebat, cùm quis ſocium aut ſocios Imperio ſibi vni à debito aſſumebat, aut charum filium, aut amicum, quem ſucceſſorem exoptabat: aut ex cauſa dabatur, ſicuti nouiſſimè in Hiſpania accidit tempore veræ Reginæ & Dominæ noſtræ Ioannæ, cum qua ſimul regnauit eius filius inuictiſſimus Carolus V. Imperator nunquam pro meritis ſatis laudandus. At in caſu quem perſequimur coadiutor non petenti aut conſentienti, nec iuri ſuo expreſsè, vel ex cauſa renuntianti daretur in Imperio.

Reaſſumetur ergo à populo in caſu iſto ita dubio: illico transferendum in vtrumuis gemellorum elegerit: Non ita in alium quemque: quod ſanè fraudi eſſet iuri quæſito, & à patre vel matre, Principe & Regina, eiúſque prædeceſſoribus in gemellos iſtos deriuato, iuxta regulam, *lege quoties, C. de donationib. quæ ſub modo*, *lege ſeptima*, (quæ amplius omnibus inpoſterum vocatis prouidit) *titulo quarto part.* 5. cum traditis à *Molina lib.* 3. *cap.* 14. *nu.* 3. *&* 4.

Demum his quæ de exacto ventre ſum proſequutus, finem faciam cum *Franciſco Marco deciſ* 950. 1. *part.* alleuerante, ventris inciſſionem viua muliere neutiquam permittendam, etſi venter manifeſtè pereat & ſuffocetur, quod ex lege Catholica eſt, & praxis admittit, & certiſſimum eſt, quàm quod certius.

CAPVT SEPTIMVM.

DE BIMESTRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Argumentum ab enarratione partium frequens est in iure, firmum & validum.*

2 *Latè vagantur philosophi & Medici, quin & Iuris professores in assignãdis terminis partus naturalis.*

3 *Cur Auctor bimestribus disputationem inierit?*

4 *Dubitari potest attento iure Digestorum an bimestris animatus successionis capax sit?*

PROPOSITA in initio capitis præcedentis prosequentes, & ab enumeratione 1 † partium, vt aiunt Rhetorici, vel ab inductione secuntùm Logicos argumentum desumentes (quod in iure frequens est & validum, vt ex *l. patre furioso, ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris*, cum aliis annotauit *Euerardus in Topicis loco 51.*) & per menses discurrentes (in quibus partum obuenire posse quidam rentur) euicturi sumus, quis sit naturalis, maturus, perfectus & legitimus, quis verò abortiuus, & successionum incapax.

Huius rei disquisitione latè vagan-2 tur, † & variant Philosophi, Medici (præsertim Neoterici) quin & Iuris aliqui Interpretes, qui non tantùm semestres, & quinquemestres, verùm & quadrimestres, & adhuc trimestres fœtus naturæ tribuunt, ex dicendis in capitibus sequentibus: vt inde à gemino (vt aiunt) ouo deducenda videatur partus naturalis ratio.

DISPVTATIO ergo ista, vt propositum argumentum vires obtineat, desumenda & ineunda est, à quo † tem- 3 pore omnibus in confesso sit, nullum partum vitalem & naturalem esse posse, vt inde per vlteriora tempora nobis procedentibus appareat, quis à natura partui naturali præfixus forsan fuerit terminus, & quibus mensibus, vel ocyùs, vel seriùs contingere possit; vt vltra metas temporis à natura constituti (est enim naturæ congruum tempus aliquod dari breuius, intra quod, & longius, vltra quod partiones vel incipiant, vel non progrediantur, vt annotabimus in *capite nono* ex *Sperone*, *Bonauentura*, & aliis ibi adducendis) partum quemque obuenientem possimus securè abortiuum appellare, & à naturali discernere: ac fecit *Quintilianus libro tertio institut. oratoriarum, capite decimotertio*, in ea quæ, cùm anno à morte mariti transacto pareret, adulterij rea facta est: quo casu & tempore (extra omnem naturalium rerum fluxum posito ex mente huius Oratoris) litem nullam esse posse, nec defendendi, negandíve locum dari ait: *Atqui quædam sunt* (inquit) *quæ nec negari, nec defendi, nec transferri possunt; adulterij rea est, quæ cùm anno vidua fuisset, enixa est: lis non erit:*

quare illud stultissimè præcipitur, quod defendi non poßit. Et prædicta certè in causa sunt, vt caput istud bimestribus demus, qui ex mente omnium Iurisprudentium, Philosophorum & Medicorum partus naturales & vitales esse nequeūt, maximè si fœminei sint, vt qui tam exiguo tempore nec animati sint, nec vltimam intra viscera materna contingentem articulationem & perfectionem accipere potuerint, ex iam dictis in *cap.*1.

Adhuc tamen dubium est, an viri-
4 lis † fœtus bimestris animatus successionis capax sit, attenta decisione textus in *l. quod dicitur* 12. §. 1. *ff. de liberis & posthumis*, & Sabinianorum sententia relata à *Iustiniano* in *l. quod certatum* 3. *Cod. de posthumis hæredibus instituendis*, cuius quæstionis resolutionem trademus in *cap. nono*, vbi omnia huius propositi congesta videbis. Sat nunc sit dixisse bimestres partus naturales non esse, vt quos nunquam vitales vidimus, nec audiuimus: quod enim nunquam fuit, secundùm naturam esse non potest, ex *Aristotele*, & aliis adducendis & notandis in dicto *cap.* 9.

CAPVT OCTAVVM.

DE TRIMESTRIBVS ET QVADRIMESTRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Causam assignat* Auctor *cur de trimestribus & quadrimestribus tractationem ineat.*
2 Iacob. Concenat. *trimestres successionum capaces existimauit. Et numer.* 3. *contrarium clarè probatur ex* Esdræ cap. 2. libr. 4. *Et num.* 6. *ab aliis.*
4 *Augustus Cæsar ab iniusta nota vindicatur.*
5 *Lenæ quidam miser irridetur.*

Breviter annotata in *capite præcedenti*, iustam dubi-
1 tandi † causam subministrant, & discutiendi, An partus trimestres & quadrimestres naturales sint & vitales? Horum enim mentionem fecit, & rationem habuit (vt à nostris incipiam) nouissimus † Iacobus Concenatius *libro secundo*, *singular. quæstionum iuris*, *quæst.* 4. *num.* 4. vbi intrepidè ausus fuit asserere, trimestrium & quadrimestrium legitimum partum esse, & successionis capacem, ea motus causa, quòd ex *Aristotele lib.* 7. *de animalium historia*, *cap.* 4. & *Plinio lib.* 7. *natural. historiæ*, *capite quinto*, cum aliis per nos adductis in *prolegomenis*, tempus nascēdi homini incertum est. Idque comprobari posse videtur ex traditis post *Auicennam libro primo de animalibus*, *cap. fin.* à *Cardano Contrad. Medic. libr.* 1. *tract.* 3. *Contrad.* S. *Horatio Augenio*

Augenio in tractatu, Quòd homini non sit certum tempus ad nascendum, lib. 1. Et in specie de quadrimesti ita firmat *Victor Trincauellius* in verbis expensis à *Federico Bonauent. de octomestri partu lib. 7. cap. 42.*

Sed hæc futilia sunt, & à natura, eiusque successibus deuia, & trimestres, aut quadrimestrésve partus abortiuo dici debere, non naturales, facilè (vt alia omittam) comprobatur
3 *Esdræ* † *lib. 4.* (cuiusque sit actoritatis) *cap. 2.* in illis verbis: *Prægnantes immaturos parient infantes trium & quattuor mensium, & viuent:* quod ibi miraculo, prodigio tribuitur, & inter alia signa vniuersalis iudicij enumeratur; à qua verissima consideratione eludes sumptam à *Concenatio supra* ex d. *cap. 2.* quam irridet *Zacchias in Medico-legal. tit. 2. quæst. 2. n. 7.*

Et sanè ab his irrisus est partus trimestris Liuiæ Drusillæ Augusti vxoris, Græco illo versiculo (qui in prouerbium abiit, teste *Dione in Octauiane, lib. 48.* & *Constantino Manasse in Annal. lib. p. 49.* id tamen improuidè Iulio Cæsari tribuenti:)

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία

Benè fortunatis sunt etiam trimestres liberi.

Quem attendisse videtur *Suetonius in Augusto ca. 63.* dicens *immaturum* partum Augusto *editum.*

4 At tu certiùs & veriùs (obiter) † dices cum *Dione lib. 48.* Augustum Liuiam prægnantem Tiberij Neronis abduxisse, cùm de partu concepto constaret, & à Pontificibus responso accepto id sibi licere: quod an iure factum, ex dictis in *ca. 13.* facilè deduces.

5 Veriore autem, & certiore causa, & velut leno † patientissimus notatus & delusus est emptor ille cunnarum prouerbiali sententia passim circumlatus, qui (vxore secundo vel tertio à nuptiis mense bellum pariente infantulum) quinas vel senas coëmit cunnas in prouisionem annuam pro totidem infantibus, si fortè eos deinceps bimestres, aut trimestres vxor parere pergeret, vt post alios notant *Boëtius Epo in l. Gallus, in princip. n. 85. ff. de liberis & posth. Henric. Salmut. ad Pancirolum tomo 2. memorabil. tit. 10.*

Partus ergo isti trimestres, aut quadrimestres nullo † modo naturales 6
sunt habendi, cùm sint verè abortiui, & ita non succedent, nec testamenta paterna rumpent, quamuis aliquo tépore vixerint, dum huius ætatis fuisse comprobetur, iuxta ea quæ resoluit *Iason in l. quod dicitur, ff. de liberis & posthumis, Afflictis decisione 236. nu. 4. Socinus in eleganti cons. 35. nu. 12. lib. 2. Mantica de coniecturis vltimarum voluntatum, lib. 11. tit. 6. nu. 10. Clarus in §. in testamentum, quæst. 45. n. 3. Menoc. de arbitrariis casu 89. n. 38. & cons. 880. n. 12.* cum aliis pluribus, quos refert & sequitur *Giurba in consuetudin. Messanen. Senatus cap. 1. glossa 4. n. 11.* & nobis probatur apertè in *l. 13. Tauri* (quæ est *l. 2. tit. 8. lib. 5. Recop.*) in illis verbis: *Pero si por el ausencia del marido, ò por el tiempo del casamiento claramente se probasse que nascio en tiempo, que no podia viuir naturalmente, Mandamos, que aúnque concurran en el hijo las calidades dichas* (id est, nasci totum viuum & perfectum, & viuere viginti quattuor horas, & sacro fonte lauari) *que no sea auido por natural i legitimo*, notant *Matienço in dicta l. 2. tit. 8. lib. 5. glos. 5. Azeued. numer. 11. & 12.* post Commentatores dict. *leg. 13. Tauri.*

* *
*

CAPVT NONVM.

DE QVINQVEMESTRIBVS, ET SEMESTRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Expenduntur* Ferdinandus Mena, & Franciscus Vallesius *insignes Medici, existimantes certo tempore non praecludi pariendi actionem: & quinquemestres & semestres naturales esse posse. Et nu.2. pro ista sententia citatur* Baldus *cum aliis pluribus. Et nu.7. ratio traditur. Et ex* Hippocratis & Aristotelis *simul dictis praedictam sententiam comprobat* Auctor *num.8.9. & 10. & iterum nu.50. & 51.*

3 *Communis Philosophorum, Medicorum & Iurisconsultorum assensus stat contra quinquemestres & semestres. Et nu.4. probatur ex dictis ab* Speron Speroni. *Et nu.5. à pluribus adductis à* Bonauētura, *quae* Auctor *latè & exactè refert & discutit. Et nu.6. causam adducit. Et nu.48. eis satisfacit.*

11 *Circa tempora partus Iuris professores distinguere debemus inter Ius Digestorum, & Codicis Iustinianei, & leges patrias Septem Partiti Iuris, & Tauri.*

12 *Digestorū Iure hac in re magna fuit controuersia inter Proculianos & Sabinianos. Et nu.36.*

13 *Sabinianorum attenta scientia, quilibet partus in lucem viuus prodiens reputatur successionis capax.*

14 *Partus imperfectus & mutilus, cui spiritus inest, testamentum rumpit & succedit.*

15 *Plura in laudem* Masurij Sabini *cumulat.*

16 L. quod dicitur, ff. de liberis & posthum. *interp.*

17 L. intestato, §. fin. ff. de suis & legitim. haeredibus, & l. septimo mense *declaratur. Et nume.19.20. & 22.*

18 L.2. Cod. de posthum. haered. instituendis, *elucidatur.*

21 L. fin. Cod. de diuersis rescriptis, *interpr.*

23 L. quod certatum, C. de posthum. haered. instituend. *intellig. Et nu. 24.25.37 & 38.*

26 Proculianorum *sententiam à Iustiniano improbatam defendit, & ex pluribus comprobat* Auctor.

27 L. 17. & 18. titulo secundo de success. libr.4. legis Gothorum (*quae sunt* l. 17. & 18. titul. secundo, libri 4. Fori juzgo) *illustrat. Et numer.32.*

28 L.3. titul.6. lib.3. Fori *expendit. Et nu.40.*

29 L.4. tit.23. part.4. *explicat. Et nu.33. 40. & 52.*

30 L.13. Tauri *interpr. Et nume. 31.34. & 40.*

35 *A dictis infert ad resolutionem illius quæstionis, An natus illicò decedens succedat? Et plures refert Auctores.*

39 *Quinquemestres mero Iure Ciuili faciunt deijcere conditionem, si sine liberis.*

41 *Mulieres quinto, sexto, & vndecimo mense parientes tanquam adulteræ damnari non possunt: at filij legitimi non sunt reputandi. Et num. 42. l. mittatur, quod attinet ad amissionem dotis marito ciuiliter accusanti debitæ. Et num. 43. quod maritus ab his causis poterit ab vxore diuertere. Et nu. 44. hoc maximè locum habere annotatur in pariente vndecimo mense ab absentia, vel infirmitate mariti. Et nu. 45. quid dicendum de fœmina honestis moribus prædita tractatur remissiuè.*

46 *Iuris Interpretes distinctè excludentes quinquemestres & semestres improbat* Auctor. *Et num. 47. Torreblancam refellit.*

49 *Mulieribus (quæ ex sententia* Auicennæ *& aliorum quinquemestres & semestres filios ediderunt) lac vtile obuenisse eodem tempore supponendum est & credendum.*

DICTIS in *cap. præcedenti* consectaria est quinquemestrium & semestrium partionum tractatio & disquisitio, An partus isti legitimis & naturalibus, an abortiuis sint ascensendi? Et certè partem aientem † duorum ex nostris insignium Medicorum comprobat opinio, *Ferdinandi et Menæ*, & *Francisci Vallesij*, quorum primus super *libro de septimestri partu Hippocratis* (quem refert & sequitur *Delecamp. ad Plin. lib. 7. ca. 5.*) monet omnes, ne seducantur & putent numero certo, & constituto tempore præcludi hanc variam in homine Naturæ actionem, quæ post operationem absolutam partum in lucem sine præfinitione aliqua tẽporis profert. Dein *Vallesius commentar. super libris Epidem.* non dissimili propositione asserit, naturam in suis actionibus non præfiniri ex necessitate numeris quibusdam determinatis. Quibus concinunt quæ de quinquemestri quodam partu idem tradit in *lib. de sacra Philosoph. capite octauo.* Et hoc ipsum sensit postea *Petrus Peremato in libr. de hominis procreat. capite octauo.* & post alios *Ioan. Schenkius tom. 2. obseruation. Medicarum, libro quarto, tit. de partu vitali, obseruat. 152.* Et in semestribus hoc indubium asserunt *Speron Speronius* Italus in *Dialogo erudito de tempore partus* (à Medicis nouioribus non parum commendato) *Hieronym. Cardan. lib. 1. contradic. Medic. tract. 5. contradict. 8. Ioan. Brodæus* (qui & quinquemestres admisit, ratos tamen agnoscens) *lib. 10. cap. 11. Iacobus Segarra ad Galenum de facultatibus naturalib. lib. 3. cap. 5. Henricus Salmuth. ad Pancirol. tomo 2. rer. memorabil. capit. 10. Horat. Augen. de partu homin. lib. 1. ca. 14. & 21. Claudius Giardinus in libello de partu dier. 171. Schenkius lib. 4. d. titul. de partu obseruat. 2. & 3.* Et sanè istorum sententia comprobari videtur *Auicennæ* auctoritate, qui *lib. 9. de nat. animal. ca. vltimo*, se vidisse testatur puerum sexto mense natum. Sed & nobis Hispanis quinquemestrium partionum in hac Mantua Carpetana, & in oppido de Guadalupe editarum, testes sunt *Ferdinandus Mena*, & *Peram. supr.* qui simul cum *Vallesio d. cap. 8.* illustrissimæ fœminæ editionem naturalem & mirandam in initio mensis quinti à conceptu contingentem enarrant. Et sanè istorum dicta respexit *D. Sancta Cruz de Hippoc. philosoph. super textu 71.* illis verbis: *Quinto mense editum in Hispania cognouimus.*

Adhæc (nostraque tractantes) sententiam istam amplexi videntur †*Baldus consil.*113. *numero quinto volumin*.5. *Angel.*in *l.quod certatum,Cod.de posthum. hæred. instituend.* dum affirmant natos sexto, vel octauo mense,quamuis illico decedant,testamentum rumpere : quibus adde *Philipp. Corneum,* & *Decium*, *Felin.Roland. Bursat.Sfortiam,*& *Cardin.Albanum* relatos à *Peregrino de fideicommis. art.*43. *numero* 29. & *inferiùs* suo loco iterum referendos.

2

Sed disertiùs quinquemestrium vitalem existentiam , & successionis capacitatem defendit *Renatus Choppinus* (arresto Curię Parisiensis pro quodam quinquemestri expenso) *de priuilegiis rusticorum,libr.tertio, capit*.8. *numer*. 5. quem refert & sequitur *Gothofredus in scholiis ad* dictam *l,quod certatum*, & *ad Nouellam*39. *de restitut*, *& ea quæ parit*, *cap.primo*, & ante istos *D. Ferdinand. Menchaca de successionũ creatione lib*.2.§.20. *numer*.115. idque intrepidè affirmat *Torreblanca in sua epitome*, *seu opere de Magia libro secundo*, *capit*.43. *numer*.27. *&* 28. ,& in *numer*. 39. improbans *Vlpianum* & *Paulum* Auctores *l.inuestato*, 3. *D.de suis & legitim. hæred.* & *l. septimo mense*, *D.de statu homin.* dum asserunt , vel supponunt , à septimo mense partus naturales,legitimos & vitales incipere: *nam in his quæ ad naturam attinent*, *aut naturales eius operationes* , *Iurisperitos* (ait) *non sequor*,*sed Philosophos ac Medicos* , *cùm omnia quæ ipsi Iurisconsulti hac in parte laude digna protulerint* , *ab ipsis Philosophis & Medicis accepta palam fateantur* : & idem (ab isto multa mutuatus,& eius nomine suppresso) tenet nouissimè *Robles Salzedo de repræsentat. libro primo,capite* 12. *numero* 24. Demum *Ioann. Aloysius*, *Riccius in additionibus ad Mascard.super numer*. 1. *conclus.* 1146. refert *Rotæ decisionem in causa Aximana alimentorum*, quæ anno 1620. partus quinquemestres & semestres naturales & vitales declarauit ex *Auicenna* , *Francisco Vallesio*, & *Horatio Augenio suprà relatis*.

At contra ista stat communior † & receptior assensus Philosophorum, Medicorum, Iurisconsultorum, & Iuris Interpretum. Sed omnium primus , præcipuusque huius sententiæ assertor (vt à Medicis incipiamus) fuit *Hippocrates in lib. de septim.partu*, vbi à septimo mense initia partus vitalis & naturalis desumit,& quintum, sextumque ei ineptos vt firmissimum supponit : & hoc ipsum testatur *Galenus* quisve quis Auctor est *comment. seu opusc. de septimest. partu* , vbi ante 182. dies (qui sex mensium spatium egrediuntur , ex dicendis latiùs in *ca.* 12.) partum non nasci vitalem affirmat. Et *Auicen. lib.*3.*Fen.*21. *tract.*2. *capit*.1. in proposito ita ait : *Et scias inde* , *quòd mensis septimus est primus mensis*, *in quo parit ipsum*: quibus concinunt insignes nostri Medici *Franc. Vallesf.* & *Ludouic. Mercad.* ille *libr. secundo controuers. cap.*11.*&* 18. iste *lib.* 4.*de morbis mulier. cap*.1. latissimè *Federic. Bonauent. lib*.7.*de octom.partu*,*c.* 24.*& seqq.*

His adde ex Philosophis *Aristotelem* principem *lib*.7. *de historia animalium cap*. 4. ante septimum mensem nullum fœtum vitæ compotem nasci asseuerantem , *Plinium lib*.7. *naturalis historiæ*, *capite quinto* , *Plutarchum* (ex *Polybio Hippocratis* discipulo) *lib*.5.*de placitis Philosophorum*, *cap*.18. *Marcum Varronem lib*. 1. (qui inscribitur *Hebdomades*) *cap*.10 (ab *A. Gellio* relatum *lib*. 3. *Noctium Attic.capit*. 16.) ita dicentem : *Illum quoque vim numeri huius obseruatam refert* , *quòd ante mensem septimum masculus nec fœmina salubriter* , *ac secundùm naturam nasci*

nasci possit) *Cælium Rhodigin.lib.22.lection.antiq.cap.13.*

Et verò ex Iurisconsultis *Vlpianus* idem videtur sensisse in d.*l.intestato* 3. *§.fin.ff.de suis & legitimis hæredib.* dicens: *De eo autem qui centesimo octogesimosecundo natus est, Hippocrates scripsit, & Diuus Pius Pontificibus rescripsit iusto tempore videri natum, nec videri in seruitutem conceptum, cùm mater ipsius ante centesimum octogesimum secundum diem esset manumissa:* quę fuit etiam *Pauli* sententia in *l.septimo* 12.*ff. de statu hominum*, vbi ita ait: *Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, & ideò credendum est, eum qui ex iustis nuptijs septimo mense natus est, iustum filiũ esse.* Ex quibus verbis planè deprehenditur, *Vlpianum* & *Paulum* à iusti & naturalis filij nomine quinquemestrem & semestrem exclusisse: & ita eorum sententiam percepêre *Bart. Bald. & Orosc.* post alios, in d.*l.septimo mense, Paul. & Alexand.* in *l.quod certarum, C.de posthum.heredibus instituend. Cumanus & Iason* in *l. quod dicitur.ff.de liberis & posthum. Socinus* in *l.cùm aues, num.* 110.*ff.de condition. & demonstrat.* vbi in casu contingenti ita consulisse firmat, *Decius* in *l. posthumo, num.4.Cod.de bonor.possess. secundùm tabulas*, & in *cap. de causis, num.42.de officio Delegati, Mantica de coniect.vltimar.volunt.libr.*11.*titul.6. num.*10.*Raudens.de analogis cap.30.nu.* 25. *Peregrin.de fideicommis.art.43.num.* 29.*vers.sed contra, Clarus in §.testamentum, quæst. 45.num.3.Menoch.cons.*288. *numer.2.lib.3. Paul.Zacchias in quæst. Medico-leg.tit.2.quæst.2.* à *numero* 12. (vbi ex *Aristotele, Plinio, Galeno, Curtio*, nostróque *Tiraquello*, & aliis tenet partus istos velùt abortiuos, vel non natos habendos) *Negusantius in sylua responsorum, quæstione* 400.*numero* 31. *Azeuedo* in *l.2.titul.8.libr.5. Recopilationis, num.2.* cum pluribus aliis relatis à *Giurba in consuetudin. Senatus Messanensis, 1.parte cap.1.gloss.4.numero* 35. Qui & ab eis citati plures possent paginas implere, quod superuacuum duco, cùm præter vnum aut alterum (ex *suprà* relatis, qui causæ quinquemestrium, aut semestrium fauent) cæteri Iuris Interpretes eam impugnent.

Huius autem communioris sententiæ, Iurisprudentibus, Philosophis, & Medicis veram causam *Spero Speronij* (contrariæ propugnator in dicto suo *Dialogo*) † velut assignasse 4
videtur, dum supponit, rationi consentaneum esse partionis tempora à Natura ita esse præfinita, vt detur terminus breuior INTRA QVEM & longior VLTRA QVEM partus egredi nequeat.

Rationem verò, vel elucidationem rationis, cur terminus breuior *intra quem* à septimo mense incipiat, & ante eum partus non sit naturalis & vitalis, expressit *Bonauentura* (qui omnia, licet peruerso & indigesto ordine prosequitur) dum *libr.7.de octomestri partu, capite* 27. ait, maturescendi fœtus tempora pendere à temperamento speciei: & subdit, proprium esse speciei humanæ (ob causas ab eo assignatas *libro 3. & 6.* ex *Hippocrate & Aristotele*) vt diebus 182. annive dimidio exacto (in diem enim ista recidunt) & ineunte septimo mense, non anteà, partus humani maturescant, vt inde quotquot ante istud tempus lucem videat, illegitimi sint censendi, & præter naturam geniti.

Huius causæ ipse † *Bonauentura* eodem *libr.7.cap.34.in principio*, duplicem rationem constituit. Primam à Natura ac temperamento sub initium septimi mensis humanæ speciei contingente: aliam à cælestis periodi

poteſtate:ambaſque inuiſſe *Hippocratem* aſſerit in initio *libri de ſeptimeſtri partu*. Nã cùm dixit, ſeptimo menſe naſci puerum vitalem (quod ſeptimeſtre ſpatium anni ſolaris dimidio conſtat) rationem ſecundam aperuiſſe ait à cæleſti ſumptam periodo: & apertiùs paulò infrà *eodem libro*, dicendo: *Ex quo menſis in corpore peculiarẽ habet poteſtatem, inde ſeptimũ menſem, id eſt, anni ſolaris dimidium exactum fœtui in vtero conſtituio afferre perfectionem.* Idque confirmat iſte Auctor ex *Ariſtot. lib. 2. de ortu & interitu, & lib. 4. de gener. anim.* edocente, res omnes ſublunares cæleſtium motu tanquam periodo menſurari. Primam verò rationem à Natura & temperamento humanæ ſpeciei prouenientem denotaſſe eod. *libr. Hippocr.* ait, cùm docuit, fœtum ad hoc tempus prouenientem in principio perfectionis conſtitui. Neque enim Naturæ lege fieri poteſt partum eſſe vitalem, niſi principium habeat perfectionis & maturitatis, humanę verò ſpeciei naturam ac temperamentum breuiore dierum ſpatio quàm 182. perfici non poſſe, ante ſeptimum ergo menſem ex *Bonauenturæ* ſententia natus non viuit, quia fœtus non eſt perfectus.

Cur autem perfectus ante tempus iſtud non ſit, tradiderat latè *libr. 3. cap. 25.* ex *Ariſtotele lib. 3. de animalium parti. cap. 2. & libr. 1. de generatione animalium, cap. 1.* vbi Philoſophus naturam ipſam conſiderandam eſſe reſpectu plurium, & quod magna ex parte fit, id eſſe ſecundùm naturam. Et cùm mox ibi triplicem perfectionem conſtituiſſet, priorem partui ſeptimeſtri tribuit, qui ſecundam & tertiam attingere nunquam poſſe ait; idque manifeſtum fieri in his qui narium, auriúmque meatibus inarticulatis naſcuntur, teſte *Ariſtotele libro 7. de animal. hiſtoria, cap. 4.* Quem *lib. 4. de generat. animalium, cap. 8.* de iſta prima ſeptimeſtrium perfectione intelligit: agit enim ibi Philoſophus de lacte, quod ſeptimo menſe vtile inueniri ait, id eſt, quia hoc menſe partus (vt *Bonauentura* contendit) primam recipit perfectionem, & vitalis, rationaliſque eſſe incipit, & ita interpretatur *Ariſtotelis* illa verba: *Quaſi iam fœtus conſtet adeptus finem ſuum: eſt enim & conceptus perfectio: quamobrem exit, permutatque generationem*, & Iuriſconſultum *Paulum* in dicta *l. ſeptimo menſe*, in illis: *Septimo menſe naſci perfectum partũ iam receptum eſt*, &c.

Hæc ab Auctore iſto latiſſimo ſermone enarrata, vt qui in vnum vndequaque à Philoſophis & Medicis tractata congeſſit, nobis in medium attuliſſe liceat, vt omnibus ſint in promptu iſtorum arcana, quemadmodum † & ipſis leges noſtræ, & 6 Iuris Interpretum reſponſa & ſententiæ, quas paſſim ſuis ſcriptis inſerant, & tanquam vnici moderatores & arbitri examinant, improbant, & ſæpiùs irrident ſeſe Logicos, Philoſophos, Medicos gloriantes: nos Pythagorico exemplo clauſis oculis iſta ab eis delibare debere contendentes, & ſimul edicentes noſtris antesignanis *Domitio Vlpiano & Iulio Paulo* ita contigiſſe. Quæ ſanè nobis in cauſa erunt, vt *Bonauenturam* iſtum omnium nomine, aure accipientes in iudicium trahamus *inferiùs*, dum noſtram priùs in re tam lubrica ſententiam protulerimus.

Principio ſupponentes adeò † va- 7 rias, & à noſtro captu liberas eſſe naturæ operationes, quod attinet ad humanum partum, vt Philoſophus *lib. 7. de animal. hiſtoria, ca. 3.* nil certi in perfectione, & motu fœtus ſtatui poſſe exiſtimauerit, & per conſequens nec in partu ab hiſce diiudicando: nec aliquis

aliquis vnquam fuit, qui ratione firma & certa tempus pariendi statuerit, vt disertè dixit *Spero* in suo non satis laudato *Dialogo de tempore part.* in princ. & ad finem, vbi ita concludit: *Si alle forze de la natura, & a casi che le sue opre accõpagnagno alcun sano occhio riguardara considerando, miracoli que noi veggiamo ogni giorno, alla scienza de qua'i il nostro humano intelletto, non è possente di peruenire,* &c.

Quæ ergo Medici, & Philosophi antiquiores circa tempus partus dixerunt (vt iste *Spero* ibidem ait) non
8 consistunt † in scientia, sed in fide historię, & successum variorum obseruatione, quod fuit in causa vt Philosophus libris, quibus ista apprimè pertractat, nomen *Historiæ* indiderit, non *Doctrinæ*, dum præfixo titulo eos: *De animalium Historia*, non: *De animalium scientia*, nuncupauerit, vt fecit *Plinius* αὐτοῦ μιμητὴς ista & similia prosequutus in suis *libris de naturali historia*, vbi plura supposuit, & vti indubitata asseruit, quæ experientia subsequentium temporum ab operibus naturæ omnino deuia demonstrauit, & inde ea posteriores Philosophi & Medici iustè refellerunt, & irriserunt quandoque. *Artes enim* (vt scribit *Aristot. in proœmio Metaphys.*) *fiunt per additamentum*, & in his quę solo euentu dignoscũtur, nulla certior dari potest scientia, vel notitia (vt disertè ait in proposito *Hor. Augen. lib. 1. de hom. par. c. 16.*) quam quę ab ipsa ducitur obseruatione, vel experientia. Imò prorsus nulla alia datur cognoscendi via. *Artis insuper est* (vt ait *iste* ex *Hippoc.*) *ea inuenire posse, quæ antea inuenta non sunt.* Et subinde *vera oratio* (vt ait Philosophus) *ex eo pendet, quòd res est, vel non est*, non ab eo tantùm quòd *Hippocrati* & *Aristoteli* res incognita, notáve fuerit. Fatemur ipsos plura, pręsertim quę ad partum pertinent aliis ignota omnium primos elucidasse: at plura ipsos latuisse in comperto est. Medicina enim omnis primis hominib. chirurgia tantùm erat, vt colligitur ex *Homero Iliad.* 11. id quod mirè comprobatur ex *Plin. li. 25. c. 2.* & aptiùs à *Seneca epist. 95.* ita dicente: *Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim, deinde in hãc peruenit tam multiplicem varietatem.* Cicero *lib. 3. de Orat.* *An tu existimas cùm esset Hippocrates ille Cous, fuisse tũ alios Medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur?* quasi diceret, rerum experientiam insequentibus temporibus multa, antiquitatis occulta demonstrasse; & rerum successus Medicinam ampliasse, & velut in classes diuisisse.

Et ab his (vt hæc obiter dicam) lucem accipit *Vlpia.* in *l. 1. §. 3. ff. de variis & extraordin. cognit.* dicens: *Medicos fortassis quis accipiet, qui alicuius partis corporis, vel certi doloris sanitatem pollicentur, vt puta, si auricularius, si fistula. vel dentium:* quò etiam tendunt quę is ipse scripsit in *l. ob quæ vitia, §. fi. ff. de ædilit. edict.* Quibus omnibus mirè cõcinit *Galenus in lib.* Πότερον ἰατρικῆς ἢ γυμναστικῆς ἐστὶ τὸ ὑγιεινόν, cùm ait: Πάντες γοῦν ἰατροὺς αὐτοὺς ὀνομάζουσιν ὥσπερ οἶμαι, καὶ τοὺς ἀπὸ μορίων τινῶν ὀνομασμένους, ὧν ἐξαιρέτως προνοεῖν, καὶ γὰρ οὖν καὶ τούτους ὀφθαλμικούς τε καὶ ὠτικοὺς καὶ ὀδοντικοὺς ἰατροὺς ὀνομάζουσι: *Et sanè* MEDICORVM *nomen apud omnes (vt existimo) latè patet: nam & Medici appellantur, membris & particulis quibusdam corporis humani præcipuè consulentes & prospicientes, velut oculis, auribus, dentibusve, qui omnes Medici nuncupantur.* Celsus lib. 6. *Euelpides autem qui ætate nostra maximus fuit ocularius Medicus.* Sed omnium maximè hoc numero reponebantur Chirurgi, *Plinius: Et Archontio vulnerum*

Medico sextertium centies Claudium ad emisse Greg. ἀπότομος ἰατρὸς ἐν τοῦ μόνον εἰδὼς τὴν καῦσιν καὶ τομήν: *rigidus Medicus nihil præter vstiones & sectiones sciens.* Quin eadem de mulomedicis, siue equariis (quos Græci ἱππιατροὺς, & κτηνιατροὺς inde vocant) ratio est. Valer. Maxim. *Herophilus equarius Medicus Catum Marium septies Consulem.*

Sed ad nostra redeuntes, propositam ratiocinationem) quam adstruimus) facilè comprobabis abscriptis *Hippocratis & Aristotelis*, quorũ pri-
9 mus † (qui partum octomestrem vitalem nec vidit, nec forsan audiuit) octomestres omnino respuit, & abortiuos partus facit. At *Aristoteles*, qui historiæ rerum Ægypti & omnium Græciæ Prouinciarum dubio procul peritior fuit, octomestres viuere posse asseruit, ídque comprobat ab euentibus rerum in Græcia & Ægypto, sicut & *Auicenna* ex his quæ in Hispania nostra obseruauit, vti luculentiùs adnotabimus in *cap.* 11.

Vt inde par sit credere, quòd si hodie *Hippocrates*, & *Aristoteles* scriberent, eadem norma & ratione causam quinquemestrium & semestrium propugnarent, quia septimestrũ ipse *Hippocrates* suis temporibus adstruxit dicens *in libro de carnibus* (qui ad ipsum communiter refertur) *en forte harum rerum quis imperitus morabitur fœtum septimo mense nasci, atque id quidem, certè & sæpius vidit. Quod si quid volet, id facilè deprehendet, obstetrices (quæ parturientibus præsunt) adeundo & percontando.* Ex quibus duo notanda, & prædictis mirè accinentia elicio. Primum *Hippocratis* sententiam in hisce ab experientia nuda, soláque processisse. Secundum, eam haberi discive ab obstetricibus, & aliis mulierculis è medio vulgo, partionibus humanis intendentibus.

Sed & *Galenus* eadem innititur causa, dum à septimo mense, nec ante partus legitimos dinumerat, quando in *li. de septim. partu* ita ait: *Quippè cùm nulla citra hoc*) id est, septimestre tempus) *omnes vltra parere conspiciantur, quod sanè tempus centesimo & octogesimo secundo post conceptum die, & quindecim horas expletur.* Idem *eodem lib. Cùm enim ante dimidiũ anni, id est ante 182. dies & 15. horas, vel circiter nasci fæcundus partus vllo modo nequeat.* Quæ certè præ se ferũt *Hippocratem, Aristotelem, Galenum*, & cęteros antiquos quinquemestres & semestres partiones naturales asserturos fore, si rerum successus veritatem istam illis præmonstrassent. I tu nunc, & dic, mordicúsque defende, ocularis ferè testibus *Auicenna, Ferdinando Mena, Vallesio, Augenio*, & aliis relatis *sup. n.* 1. & 2. nó esse deferendum. *Quid enim mirandum* (de *Hippocrate* dixit *Seneca supr.*) *maximum Medicorum ac Naturæ peritissimum mendacio prehendi, cùm tot feminæ podagricæ, caluæque sint?* & omnium optimè *Galenus* in proposito ita ait: *Ego non solùm in Hippocratis scriptis, sed etiã in omnibus Antiquorum libris obseruaui, vt non temerè quòd quisque ipsorum dixerit probem, sed experientia ac ratione verùm an sit, an falsum? examinem.* Et confert notissimum illud *Platonis* in Charmid. *Quid refert, ô Socrates, ex quo audiuerim? nihil profectò: nec enim considerandum quis dixerit, sed vtrum vere dicatur.* Nunquid fatebimur, *Hippocr.* & *Aristot.* ita omnem rerum Medicinalium & Naturalium scientiæ puteum exhausisse, vt nihil posteris hauriendum reliquerint? aut eorum auctoritatem adeò præualere debere, vt *experientiæ*, ni mauis VERITATI eam anteponamus? At studium veritatis (quæ Philosophiæ, & alterius cuiusvis sciẽtiæ anima est) non huius, aut illius quantũuis eminentis opinioni subiacet, sed rationi & experientiæ,

A qui-

10 A quibus omnibus fit, † vt quinquemestris vel semestris partus (quem abortiuum censuerunt *Hippocr.* & *Aristot.* à septimo mense initium pariendi constituentes) non minus naturalis sit, quàm septimo mense contingens, licèt rariùs id eueniat, quandoquidem experientia diuersis postea rerum successibus (quos commemorant Auctores primæ opinionis s. relati) nobis demonstrauerit partus istos vitales esse. Id quod & pluribus aliis rationibus & auctoritatibus comprobauit *Horat. Augen. lib. 1. de homin. partu, c. 21.* Non ergo obiiciat nobis aliquis *Hippocr. & Aristot. partus quinquemestres & semestres in numero vitalium & naturalium non constituerunt, igitur naturales non sunt:* consequentia namque ista non tenet, ex iam dictis: quæ planè & plenè euincunt in hisce plus operari historiam & experientiam, quàm syllogismum: ita vt omnino iam stare cogamur assertioni eminentissimi *Auicennæ* iam relati, qui semestrem vitalem vidit, & aliis Iuris professoribus & Medicinæ artis s. relatis, quorum temporibus natura quinquemestres (vitales scriptis suis testatur) produxit. Nil enim iam nobis impedimento hodie esse potest, quominus quinquemestres & semestres partus vitales & naturales esse firmè asseramus, ni forsan opera naturæ & eius miras formas notas negare & destruere velimus. Ex quibus fit, veram & tenendam esse Neotericorum Philosophorum & Medicorum (de Iurisprudentibus nunc non loquor) sententiam post *Auicen.* qui fœtus prædictos naturæ tribuunt, & rectè quidem, vt quæ à fortitudine, ætate, complexione & imaginatione, vt ait *Speron* s. præcotiores vel seriores partus producere potens est. *Quis enim* (ait *Augen. d. cap. 21.*) *naturæ hanc imposuit legem; vt nec citius 182. diebus & 15. horis, nec tardiùs decem mensibus fœtum vitalem emittere possit?*

Nvnc svperest inuestigare, quid † Iurisprudentibus hoc casu tenendum & sequendum? 11 in quo (vltra omnes, quos s. citauimus & alios ab eis relatos variis insistentes opinionibus) ego ad quæstionis istius perdifficilis congruam definitionem tempora distinguenda censeo, & securè assero aliud obseruandum tempore Iurisconsultorum, aliud ex *lege Iustiniani.* (quæ est *l. quod certatum 3. Cod. de posthum. hæred. inst.*) aliúdque attenta nostra *l. 13. Tauri,* & anteriore *l. 4. titul. 23. par. 4.* Quod ex sequentibus clarè comprobatur.

Digestorum (vt aiunt) † & Iurisconsultorum tempore hac in re cõtrarias 12 *Proculianorum & Sabinianorum* sectas inter se concertasse, testis est *Iustinianus* (nec enim in Digestis dissensionis istius vestigium vllum exstat) in d. *l. quod certatum*, in eóque quæstionis & difficultatis summam vtrosque cõstituisse, an vocem recèns natus emittere deberet, vt succederet vel testamentum paternum rumperet? *Proculianis* id ita asseuerantibus & attendentibus vocis emissionem velut indice certo denotãtem partum à natura prouenientem suóque tempore editum: nec enim vagitus (de istorum sententia) datur in tenero & recens formato & animato homine, sed in eo tantùm, qui vltimam recepit perfectionem, & membra solida & apte compacta nactus est.

At *Sabiniani* qui considerarunt (vt innuit *Iustinianus supr.*) mutũ hominẽ nasci posse vocem non emissurum, quamuis perfectus & vitalis sit fœtus, qui, ob id indebitè à successione paterna arceretur, inconueniens istud vitare & effugere conati, docuerunt, si partus viuus natus sit, etsi vocem non emiserit, testamentum rumpere, vt

probant apertè *Iustiniani* illa verba: *Cúmque Sabiniani existimabant, si viuus natus esset, etsi vocem non emisisset, rumpi testamentum.* Hac autem generali & indistincta *Sabinianorum* senten-
13 tia effectum † fuit, vt quiuis partus in lucem viuus prodiens cuiuscunque fuerit temporis, siue septimestris, siue semestris, quinquemestris, quadrimestris, trimestris, quin & bimestris (vt fœtui masculo accidere potest, iuxta notata s. *in cap.7.*) successionis capax fuerit ex *Iustinian.* in verbis proximè relatis.

Nec tantùm fœtus perfectus, qui
14 viuus nascitur, sed & † imperfectus & mutilus, cui spiritus inest, testamentū rumpit ex sententia *Vlpiani* (qui *Sabinianus* fuit) ita intelligendi in *l.quod dicitur, in fi. ff de liberis & posthumis*, in illis verbis: *Quid tamen si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamen, an adhuc testamentum rumpat?* &c.

Et hunc verissimum istorum verborum sensum comprobo ex inscriptione illius *tex.* ita se habente in *Pandect. Florent.* & aliis correctioribus, VLPIANVS *lib.9. ad Sabinum*, quæ clarè demonstrat *Vlpianum* ista edixisse *in comment. super libris Massurij Sabini* huius sententię (vt par est credere) primi & præcipui assertoris, vt qui sectæ *Atei Capitonis* potissimus fuit propugnator, vt constat ex *Pomponio in l.2. §.*
15 *hi duo, ff. de orig. iur.* Ad *Massurium* † enim istum *Vlpianus* libros scripsit, vt constat apertè ex *Iustinian.* in *l.cùm in libris 14. C. de hæred. inst.* non ad *Sabinū Consularem*, vt allucinatus fuit *Lamprid.* (ita disertè nunc nouè annotante doctissimo *Ioan. Bertrando de Iurisper. lib.1.* Et ad eundem *Massurium* cōmentarios scripsêre *Iul. Paul.* vt clarè colligitur ex *Iustinia.* in *§.1. inst. de hæred. inst.* & *Pompon.* vt patet ex inscriptione *l.1. & 2. ff. de annuis legat.* Quin & *legis seq.* inscriptio apertè indicat nō minus quàm 24. *libros Vlpianum* scripsisse ad *Sabinum* istum. Quòd si vera est inscriptio *l. falsus 44. ff. de furt.* commentarij isti *Vlpiani* super *Sabini* sententiis ad *libros* 41. ascenderunt. Quod mirari nō debemus attenta *Vlpiani* facundia & fœcunditate, qua par est credere cum vsum in illustrando tanto Iuriscōsulto, qui (vt ait *Athen. e. li.14.*) erat ἄπαντα ἄριστος ϗ σόφος καὶ ὐδένος δεύτερος, *omnino bonus & sapiens, & nulli secundus.* Et hoc vltimum, primas scilicet inter Iurisconsultos *Sabinum* tenuisse sensit *A.Gel. lib.13. Noct. Atti. c.2.* & suppofuisse videtur *Pers. Sat.5.* cùm ait:

Vindicta postquam meus à prætore recessi,
Cur mihi non liceat iussit quodcumque voluntas,
Excepto si quid Massurij rubrica notauit.

Huius ergo insignis *Massurij Sabini* scripta cùm *Vlpianus* cōmentaretur, & propositam sententiā à *Iustiniano* laudatam in d. *l. quod certatum*, ampliaret. Non tātum (ait) eū qui viuus natus est rumpere testamentū, sed & qui execto ventre viuus editus est: quin & mutilū, dum tamen cum spiritu, i. viuus editum. Vt inde omnib. deinceps apertissimè constet priora illa verba d. *l.12.* † *ff. de* 16 *liber. & posthum. Quod dicitur filiū natū rumpere testamentū*, referenda ad prędictam *Sabini* sententiam: subseqęntia verò illa: *Natum accipe, etsi execto vētre editus sit*, ad primam extensionem, vel ampliationem (vt nostri loquuntur) sententiæ *Sabini.* Et demum illa: *Quid tamen si non integrum animal editū sit, cum spiritu tamen, an adhuc testamētum rumpat? & hoc tamen rumpit*, ad secundam: quod & clarè præ se fert, aduerbiū illud *adhuc*, quo vsus fuit *Vlpianus*, quasi diceret, adhuc *Sabini* sententiæ inhærendum, cùm animal non integrum, cum spiritu tamen nascitur.

Nec prædictis obstabit, si aliquis oppo-

17 opponat, † eundem *Vlpianum* in *l.in-*
teſtato 3.§.*fin*. *ff.de ſuis & legit.hæred.* &
Paulum in *l.ſeptimo menſe*, *ff.de ſtat.ho-*
min.& in *lib*.4.*Sentent.tit*.9.§.5.docuiſ-
ſe, iuſtum partum ſeptimo tantùm
menſe edi, vt inde velut ſupponant,
ante tempus iſtud ſucceſſionis capacé
non fuiſſe, qui viuus editus fuit. Nam
reſpondetur, ſtante *Proculianorum* &
Sabinianorum concertatione *Diuum*
Antoninum à Pontificibus (quorum
officium & munia nouiſſime poſt a-
lios enarrat *Cæſar Bulenger. de Impe-*
rat.Rom.c.43.) conſultum, an ineunte
ſeptimo menſe natus iuſtus filius eſſet,
& naturali tempore editus? reſcripſiſ-
ſe iuſtum filium videri, qui dicto tem-
pore in lucem prodiit, ídque *Vlpianũ*
(*Paulo* prouectiorem, & *Antonini* Im-
perio proximiorem, vt ex *Lampridio*
probabimus *cap ſeq*.) in eiſdem com-
mentis ad *Sabinum* annotaſſe, vt pa-
tet ex inſcriptione d.*l.inteſtato*,§.*fin*.ſi-
múlque comprobaſſe ſententia *Hip-*
pocratis in libello de ſeptimeſt. partu, &
ob id dixiſſe in d.§.*fin*. *De eo autem qui*
centeſima octogeſimo ſecundo die natus
eſt Hippocrates ſcripſit, & Diuus Pius
Pontificibus reſcripſit, iuſto tempore vi-
deri natum, nec videri in ſeruitutem con-
ceptum, cùm mater ipſius ante centeſi-
mum octogeſimum ſecundum diem eſſet
manumiſſa. Et ad iſta ab *Vlpiano* ita e-
nodata reſpexit *Paulus* in d.*l.ſeptimo*
menſe, dum ita ait: *Septimo menſe naſci*
perfectum partum iam receptum eſt pro-
pter auctoritatem doctiſſimi viri Hippo-
cratis, & ideò credendum eſt, eum qui
ex iuſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt,
iuſtum filium fuiſſe, expenſis verbis illis:
Iam receptum eſt propter auctoritatem
doctiſſimi viri Hippocratis, &c. quaſi
diceret, inſuperhabitis diuerſis opi-
nionibus *Proculianorum* & *Sabiniano-*
rum iam receptum eſſe ex reſcripto
Diui Antonini cognomento Pij, & au-
ctoritate *Vlpiani*, ſententia & doctri-
na *Hippocratis* innitentis, natum à ſe-
ptimo menſe iuſtum filium eſſe (d.*l.*
ſeptimo menſe) ad decimum vſque exa-
ctum, d.*l.inteſtato*,§.*fin*.

Sed iſta nouè conſiderata ab *Vlpia-*
no & *Paulo*, quæ ſingulari *Diui Pij* re-
ſcripto, & *Hippocratis* auctoritate cõ-
ſiſtebant, diſſidentes opiniones *Pro-*
culianorum & *Sabinianorum* non ſeda-
runt, vt clarè colligitur ex conſtitu-
tione Imperatorum *Diocletian*.& *Ma-*
xim. quæ eſt *l*.2. † *C.de poſthum.hæred.* 18
inſtitut. vbi indiſtinctè dicitur, poſthu-
mi natiuitate, *quamuis natus illicò de-*
ceſſerit, teſtamentum rumpi: quæ verba
generaliter (prout iacent) prolata *Sa-*
binianorum ſententiam comprobant:
ídque expreſſius probatur in d. *l. quod*
certatum eſt 3.*C.illo titul*. vbi *Iuſtinianus*
clarè demonſtrat temporibus adhuc
ſuis rem iſtam velut inextricabili du-
bio ſubiacuiſſe.

Etenim *Vlpiani* † & *Pauli* no- 19
uior aſſenſus ius conſtituere non po-
tuit, ex his quæ euidentiſſimè præ cæ-
teris comprobauimus *ſuprà in capi-*
te 2.

Sed nec reſcriptum † illud *D.Pij* ab 20
Vlpiano relatum in d.*l.inteſtato*,§.*fi*. Re-
ſcripta namque ſingularia vim legis,
aut conſtitutionis non habebant, id
quod mihi (aliis omiſſis) apertiſſimè
probatur in *l.Diui Fratres* 17. *ff.de iure*
patron. vbi *Vlpianus* refert reſcriptum
Diuorum Veri & Antonini contra
nepotem patroni libertum capitali iu-
dicio accuſantis, quod poſtea re ple-
niùs conſiderata iſti reformarunt, ea
adducti ratione, *quòd nec verbis, nec*
ſententia legis, aut edicti Prætoris nepos
ille vel filius patroni à poſſeſſione bonorũ
liberti (de qua ibi) *excluderetur*: quod
vtique non dixiſſent, ſi priùs reſcri-
ptum ad libellum Cæſidiæ Longinæ
(cuius mentio eſt in illo *textu*) vim le-
gis haberet: facit *tex*.in *l.ſed addes* 19.
§.*cùm quidam*, *ff.locati*, & in *l.reſcripta*,

cum similibus, *C. de precibus Imperatori offerendis*, & clariùs probatur in *l.* 1. *C. de diuersis rescript.* & in §. *sed & quod Principi.* vers. *planè, institution. de iure naturali gentium & ciuili.* Idque ipsum in *Senatusconsultis* eueniebat: erant enim & Senatusconsulta priuata casibus, negotiisque particularibus occurrentia, in quibus non scribæ, non serui publici, non censuales intererant, sed Senatores acta excipiebant, scribarum officia complebant, ne quid fortè proderetur: vt Auctor est *Iulius Capitolinus in Gordianis.*

Dixi autem *singularia* rescripta legis vim non habere, quasi secus sit de generalibus à Principe latis, aut emanatis, de quibus loquitur *text.* in *l.* 2. ibi: *Cùm ea quæ ad ius rescribuntur,* & in *l. fin. in fin. Cod. de diuers. rescript.* & in dict. §. *sed & quod Principi,* cum traditis ibi à *Hortmanno Vulteio*, post alios, *institut. de iure natur. gent. & ciuili.*

21 Quòd si instes ex d. *l. final.* † in illis verbis: *Pragmaticas præterea sanctiones non ad singulorum preces super priuatis negotiis proferri. Sed si quãdo corpus, aut schola, vel officium, vel curia, vel ciuitas, vel prouincia, vel quædam vniuersitas hominum ob causam publicã fuderit preces, manere decernimus:* & subaddas rescriptum (cuius mentio habetur in d. *l. intestato*, §. *fin. D. de suis & legitimis hæredib.*) ad Preces Pontificum collegij prolatum, & inde legem generalem constituere. Respondetur, nec rescripta à corpore, aut schola, vel communitate obtenta legis generalis vim aut vicem habêre, nisi pro causa publica, & omnes respiciente preces fusæ fuerint, vt probatur in d. *l. fin.* in vltimis verbis *suprà* relatis, & in *l. leges* 3. *l. humanum* 8. C. *de legib.* loquentibus de rescripto & responso ad interrogationem Senatus (qui causam tantùm publicam attendebat) à Principe emisso.

At rescriptum *Diui Pij* relatum in dicta *l. intestato* 3. §. *fin.* † *D. de suis &* 22 *legitimis hæredib.* singulare fuisse vel ex eo colligitur, quòd *Vlpianus* ibi suam sententiam primo loco cõprobat auctoritate *Hippocratis*, dein responso *Diui Pij*, quod Iuris & Aulicæ rei peritissimus ille Iurisconsultus dubio procul aliter strueret, si pro sua sententio illa cõstitutio Imperatoria generalis esset: quin *Paulus* eius dubio procul meminisset in d. *l. septimo mense*, nec sola *Hippocratis* auctoritate ibi sententiam suam obfirmaret. Et præ ceteris in huius rei comprobationem expendi potest d. *l. intestato.* §. *fin.* qui in vltimis verbis apertè demonstrat *Diuum Pium* à Pontificibus cõsultum in casu singulari, illius scilicet qui à centesimo octogesimo secundo die post matris manumissionẽ natus est, quem Imperator rescripsit vidêri post matris manumissionem conceptum, quæ sanè particularis responsio fuit, nec vltra casum trahenda, ex *inferiùs* dicendis. Quòd si ista nostra alicui non placuerint, is negare non poterit, saltem dubium esse, an rescriptum illud generale fuerit, & Pontifices causæ publicæ, vel particulari illo Responso prouidere conati fuerint; in dubio autem nil nobis impedimento esse debet, quominus intelligamus rescriptum ibi relatum singulare fuisse, & maximè attentis *superiùs* traditis, & rerum serie & adsertione *Iustiniani* in d. *l. quod certatum.* id etiam velut clarè supponente.

Demus cuique rigido exactori *Diui Pij* rescriptum ab *Vlpiano* relatum in d. *l. intestato*, §. *fin. D. de suis & legitimis hæredib.* generale fuisse, & iuxta illud *Vlpianum* & *Paulum* Consultos respondisse, adhuc vel fateri debet horum *Iustinianum* † in promulgatione 23

d.l. *quod certatum* non meminisse, vel ea insuper habuisse, forsan quia suis temporibus experientia docuerat legitimum partum ante septimum mensem posse obuenire: vnde his attentis, & naturæ variis successibus regulam ipse constituit, vt partus maturus & perfectus viuus totus prodiens, iustus & legitimus deinceps esset, sine vlla temporis præfinitione.

Quid quòd *Sabinianorum*, & *Iustiniani* sententia in d. *l. quod certatum*
24 diuersa † videtur ab ea, quam *Vlpianus* & *Paulus* adstruunt in d. *l. intestato*, §. fi. & in d. *l. septimo mense*, in quibus tantum deciditur septimo mense natum puta à tempore nuptiarum, vel congressus coniugum, iustum filium esse: etenim *Proculiani* & *Sabiniani* in suis dissidentibus sententiis hoc vno conueniebant, vt partus legitimi tempora à die conceptionis more Philosophorum & Medicorum non dinumerarent, sed à vocis emissione, vel ex quo viuus natus esset, diiudicarent, Medicis & Naturalibus controuersiis omissis. Cùm autem de tempore fœtus editi constabat, à die concubitus viri & mulieris ratione inita vtriusque sectæ Auctores credendum est, non negasse bimestrem aut trimestrem partum, aut vlterioris alterius temporis viuum editum, aut vocem (si potest) emittentem, iustum filium non esse: is enim casus manifestus & patens est, in quo coniecturæ *Sabinianorum* & *Proculianorum* admitti neutiquam posse videntur. Huic ergo partus naturalis constitutioni (cui non conueniũt causæ & rationes, quibus moti fuerunt Iurisconsulti ad decidendum, & aliter atque aliter sentiendum) quæ noua egebat decisione & definitione, occurrerunt *Vlpianus* & *Paulus* in dictis legibus à rescripto *Diui Pij*, & auctoritate *Hippocratis* eam adstruentes.

Sed & *Vlpianus*, *Paulúmque* de hac sola partus legitimi comparatione loquutos apertè videtur comprobari ex d. *l. septimo mense*, ibi: *Et ideò credendum est, eum qui iustis nuptijs septimo mense natus est, iustum filium esse*, quasi diceret *Paulus*, natum intra septimum mensem à contractis nuptiis abortiuum ob celerem partum dici non posse, cùm ex sententia doctissimi *Hippocratis* septimo mense perfectus partus nascatur. Idemque innuit *Vlpian.* in d. *l intestato*, §. *fin.* in illis verbis: *Nec videri in seruitutem conceptum, cùm mater ipsius ante centesimum octogesimum secundum diem esset manumissa*: etenim consultatio à Pontifi. ib. ad Imperatorem ibi remissa (vt iam diximus) id continebat, an natus à manumissa post centesimum octogesimum secundum diem à manumissione videretur natus & conceptus à matre libera? & *Diuus Pius* pro nato respondit, quia septimo ineunte mense partus fit legitimus & naturalis, & fauore ingenuitatis & libertatis (pro qua multa contra iuris rigorem sunt constituta, *l. generaliter 24. §. si quis seruo, ff. de fideicommiss. libertatib.*) præsumitur natus filius ille septimo, & non vlteriore mense. Agit ergo *Vlpianus* cum *Paulo* de computatione temporis naturalis partus, cùm de initio conceptionis, vel re, vel præsumptione iuris constat, non verò de filiis natis constante matrimonio, aut patrum congressu anteriore, à quo ratio temporis partus desumi non posset: quo casu procedunt & loquuntur dissidentes sententiæ *Proculianorum* & *Sabinianorum* frequentioribus dubiis super hac re occurrentes. Ex quibus propositæ obiectioni à decisionibus *Vlpiani* & *Pauli* ex integro fit satis.

Hæc ita se habebant ex Iure Digestorum, cùm *Iustinianus* † ad *Sabinia-* 25

norum sententiam magis inclinans in d.*l. quod certatum* 3. *C. de posthum. hæredib. instituend.* nouum ibidem ius constituit, vt apertè demonstrāt illa priora verba: *Quod certatum est apud veteres, nos decidimus* & verbum *sancimus*, quo vtitur in decisione: considerauit enim prouidus iste Imperator generali, & indistincta *Sabinianorum* sententia admissa passim posse euenire, vt fœtus nondum maturi & imperfecti, nec ad viuendum apti (vt puta, bimestres & trimestres, illicò decessuri) testamenta paterna rumperent, & successiones incassum verterent, & inde statuit, congruo tempore in ventre asportatum viuum perfectè natum, hoc est, maturum, & suo naturali tempore editum (vt latè demonstrauimus & probauimus *suprà in cap.* 6.) testamentum rumpere, hoc tantummodo supplens, & addens *Sabinianorum* sententiæ. Nec enim nouè aliquid induxit posterioribus *textus* illis verbis: *Hoc tantummodo requirēdo: Si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium*: nam idem anteà senserant *Sabinus*, eiusque sequaces, & supposuit *Vlpianus* in d.*l. quod dicitur*, dum mutilos, vel imperfectos (quales sunt sedigiti, vel tribus manibus, aut pedibus nati, & quicumque alij membrorum humanorum officia ampliarunt, denotati per verba illa: *Non integrum animal*, qui longè differunt à monstrosis & prodigiosis, iuxta notata *infrà in cap.* 17.) ad successionem admisit. Non tamen ideò dicas abs re *Iustinianum* ista expressisse, nam cùm definiret partum ad successionem admittendum, id pluribus (vt res ipsa exigebat) declarauit verbis illis: *Sancimus, si viuus perfectè natus est, licèt illicò pòst quàm in terram cecidit, vel in manibus obstetricis, decessit, nihilominus testamentum rumpi: hoc tantummodo requirendo, si viuus totus ad orbem processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium.* Abeant ergo, qui putarint, *Iustiniani* & *Sabinianorum* eandem in omnibus fuisse sententiam: nec agnoscūt, quod is Imperator nouè statuerit, & *Sabinianorum* assensui insuperaddiderit iustissima motus causa, quę noua indigebat præcautione, & prouisione, ex proximè dictis.

Sed hæc (quæ ex præcitatis legibus depromo, & vti Iurisconsultus approbo) mihi altiùs, † vt Philosophum decent, consideranti omnino displicent, quin vera naturæ ratione attenta, *Proculianorum* sententiam & regulam à vocis emissione desumptam certiorem, & multò aptiorem diiudico, & insuper *Sabinianorum* dissensus causam natura non subsistere verius existimo. 26

Primùm clarè probari videtur ex *Aristotele lib.* 7. *de animal. histor. cap.* 10. vbi vocem ab his tantùm edi posse supponit, qui perfectè, temporeque congruo nati sunt, de quibus ἐξέλθοντα δ' εὐθὺς (inquit) φθέγγεται, id est, *egressi statim vocem emittunt.* Vt enim sermonem exprimere illi soli possunt, quibus (vt ait *Hippocrates in libello de carnibus*) toto corpore spiritum trahere datum est in suas concauitates, qui foras pulsus strepitum facit: *Caput enim resonat, lingua verò in faucibus interseptum suo adpulsu firmat, & in palatum ac dentes impingues clarum reddit*: ita ad efformādam vocem, quæ infantium vagitui inest, opus est membris solidis & perfectis aerem percipientibus, & iterum percutientibus, firma gutturis motione: quòd his tantùm euenire potest, qui apto & maturo tempore nati fuerint, vt *Proculiani* supponebant, ita quæstionem propositam in dict. *l. quod certatum* 3. *Cod. de posthumis hæredibus instituendis*, mira subtilitate, decidentes: quod

pro;

proprium fuit *Labeonis* huius scholæ Principis, de quo *Pomponius* in *l.2.§. post hunc, vers. hi duo. ff. de orig. iur. Labeo (inquit) ingenij qualitate & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis sapientiæ operam dederat, plurima innouare instituit.*

Sabinianorum verò dissensum (eo nixum fundamento, vt colligitur ex *d.l. quod certatum*, quòd posset homo perfectus & maturus nasci, & vocem non emittere, vt puta, si mutus nasceretur) facilè improbabis ex *Hippocr.* s. relato *d. libel. de carn.* in illis verbis: (præcedentia iam expensa subsequentibus) *Quòd nisi lingua suo semper appulsu formauerit, non distinctè homo loqueretur, sed singula vnam natura vocem ederent, cuius rei indicio sunt muti à primo ortu, qui distinctè loqui nequeunt, sed solam vocem edunt.* Ecce *Hippocratem* contra *Sabinianos* vocis emissionem à primo ortu mutis concedentem, id quod ego ab expertis constanter audiui.

Neque his obstat *Aristot. sectio. 11. problem. 2.* vbi ita ait: *Muti autem per nares vocem extendunt, eò namque spiritus illorum compellitur, quia ore cõpressi sunt: quod compressum ideò est, quia lingua his ad vocem reddendam vsui nullatenus est.* Nam dictio illa, *vocem*, sermonem articulatum denotat, vt in eadem *sect. probl. 60.* (Etenim de voce ista articulata clarè & sonorè emittenda plura antiquitùs fuerunt præcepta, vt patet ab *Stobæo Eclog. Physi. lib. 1. tit. de voce*, *Galeno in libro de fœtuum formatione, cap. vlt.* ita dicente: *Nam qui de elementaribus vocibus scribere aggressi sunt, adeò processere, vt definierint, quænam formata lingua ad dentes qui incisorij vocantur, vel superioris, vel inferioris maxillæ, quæ item ad palatum, aut ad aliquam aliam partẽ reflexa pronuntientur: quemadmodum etiam spiritum, qui è gutture ascendit, interdum ad narium foramina peruenire inquiunt, interdum aperto ore efflari, atque eum modò copiosum atque vniuersum, modò paucũ paulatim exire.* Hincque percipies, quid *fuscæ* vocis nomine innuerit *Sueton. in Nerone cap. 20.* vbi *Pulmannus* aptè ait: *Fusca vox est, quam Græci μέλαιναν vocant, quæ nec candida, nec clara est*, & prosequitur *Turneb. lib. 24. c. 6.* & *libr. 27. c. 18.*) At nos loquimur de nuda, & inarticulata voce, dissonóve sono ab ore vagientis infantis procedenti: quo sensu *vocis* verbum vsurpauit idẽ Philosophus *sectio. 19. problem. 11.* & *d. problem. 2. sect. 11.* dum vocem & per nares emitti ratus est in verbis s. relatis. Et ob id omnibus ferè animantibus concessam supponit *d. sect. 11. problem. 24. 40. & 57.* Et ab iisdem ea in magniuoca & grauiuoca diuisit idem *Philosophus in libris de anima*, & latiùs *lib. 5. de generat. animal. c. 7.* Qui *lib. 6. de histor. animal. c. 28.* sues vocem emittere dixit. Cùm enim vox (vt ex *Platone in Timæo* definit *Plutarch. lib. 4. de placitis Philosophorum c. 19.*) spiritus sit ab animo eductus, & ictus aëris (id quod ex pluribus probat *Aristotel. lib. 2. de anima, c. 8. ad fin. A Gellius libr. 10. Noct. Atticar. cap. 26. Lactant. in libello de opificio Dei, c. 15.* nouissimè *Pet. Garsia de locis affect. disputat. 35. per totam.*) Et vt cecinit *Lucretius* (vocem corpoream esse contendens) d. *libr. 4. de rerum natura:*

Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,
Et sonitum, quoniam possunt impellere sensus
Præterradit enim vox fauces sæpe: facitque
Asperiora foras, gradiens arteria clamor,
Quippe per angustum turba maiore coorta
Ire foras, vbi cœperunt primordia vocum,

Scilicet expletis quoque ianua raditur oris.

planè consequimur, mutos recèns natos vocem (nam de articulata non loquimur, quæ vocis illustrat conceptũ) ac cæteros emittere, id est, vagitum, *Ouid. Epist. 11.*

Vagitus dedit ille miser, sensisse putares
Quáque suum poterat voce rogabat auum.

Faciunt tradita à *Marsilio Ficino* (quatuor genera vocis designante) *in Platon. de Republ. lib. 3.*

Cùm autem in vagitus, ploratus, garritus, vlulatus, planctus, eiulatus, & singultus, muti semper & omni tempore natura sint proniores ab assuefactiore gutturis motione nemo sanè dicere poterit prioris ortus tempore mutos vocis expertes esse.

Et quis dicere audebit, mutum excipi ab illa mortalibus communi regula naturæ, quæ *eos vitam vagitu salutare coegit?* vt ex *Tertullian.* memini me tradidisse s. c. 4. Cui concinunt illa *Plinij lib. 7. in proœmio,* (alibi per me expẽsa) *Natura nouerca etiam hominem natali die abiicit, ad vagitus statim & ploratũ: nullúmque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitæ principio,* Iulius *Solinus in Polyhistore cap. 4. Nascentium vox prima vagitus,* & Lucretius *lib. 5. de natura rerum:*

——Cùm primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profudit:
Vagituque locum lugubri complet, vt æquum'st.
Quoi tantum in vita restet transire malorum.

Statius *lib. 2. Syluarum in Genethliaco Lucani:*

Primo murmure dulce vagientem
Blando Caliope sinu recepit.

Et inde *Vaticanum* Deum eum appellauit cæca Antiquitas (vt ait *A. Gellius lib. 16. Noct. Attic. c. 17.* & *D. August. lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 8.*) *penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri simulatque parti sunt eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. Idcircò vagire dicitur exprimente verbo sonum vocis recentis.*

Demum prędicta omnia insigniter comprobantur *Sapient. c. 7. vers. 3. Primam vocem similem omnibus emisi plorans.*

Neque obstabit, si dicas cum *Alexand. Aphrodis. Sorano,* & aliis (quos refert *Gundisaluus Ceruantes* ad dictũ *c. 7. Sapient. vers. 3.* vers. *Tertia propositio*) & demum cum *Iulio Scaligero in commento ad* dictum *c. 10. lib. 7. de animal. histor.* hoc ὅτι πολλὺ *frequentiùs euenire, nam multi* (ait iste) *clamant, ratio est, quia vox data est animalibus ad animi interpretationẽ, vt de lingua ait Lucretius, sed animi affectiones ex affecto corpore variantur, maximè autem mutationes fiunt in infante recèns edito è tenebris in lucem, è calido in frigidũ: obstetricis attrectatione. Postremò cùm vox sit aeris percussio ex aere prodeunte à pulmone animalis, necesse est post longam spiritus contentionem vocem emitti. Laborauit autem infans in vestibulo illo, etiã nonnulli suffocantur, aut atri exeunt.* His enim vltimis *Scaliger iste* denotare contendit vagitui communi infantium sanguinolentorum externas adesse causas, hisque cessantibus cessare vagitum: ídque aliquando contingere (quæ si vera essent, & *Proculianorum* perfecti partus, & naturalis indicium à vocis emissione sumptum omnino corrueret) Nam ista mihi non probantur, qui video totum contrarium supposuisse naturalium rerum primores Auctores, dum nascentes illicò ac lucem vident vagire: risum verò in quadragesimum diem differri assuerarunt *Aristoteles li. 7. de histor. animal. d. cap. 10.* & *Solinus cap. 4. Nascentium vox prima vagitus est, lætitia enim sen-*

sus

sus differtur in quadragesimum diem: quibus accinit *Plinius in procemio* d.*li.* 7. in verbis s̄. relatis, & sequentibus illis: *At Hercule risus praecox illi, & celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur.*

Sed nec ipse *Iulius Scaliger* sibi ipsi constare videtur, dum in verbis iam relatis causas naturales & externas vagitus infantium simul immiscet. Ad haec naturalium causarum effectus iidem semper sunt, nec vnus, altérve casus extra ordinem contingens ius naturae mutat, nam & de Zoroastro referunt *Plinius lib.* 7. *c.* 16. *& Solinus* d. *c.* 4. eodem die quo editus est risisse: hoc autem quae dicta manent (de risu quadragesimo die infantibus obuenienti) non immutat.

Et ab hac consideratione obicem illum alterum vitabis alicuius fortè an rigidi, dictis opponentis, contingere posse, vt infantulus liuidus & contusus ob labores in partu perpessos aliàs vitalis vocem non emittat, vt agnouit ex nostris *Menoch. cons.* 284. *n.* 30. quem post *Tuschum* laudat & refert *Marius Giurba in consuetudin. Senat. Messanens. cap.* 10. *gloss.* 1. *num.* 10. *&* 11. Facilè namque respondetur, similem partum vel plures dies viuere, quàm extra naturam natis datum est, & tunc nec *Proculianis* (intelligendis dubio procul de non emittente vocem, & illicò ab editione decedente) partus iste abortiuus erit. Quòd si illicò decedat, eum abortiuum, ex quo vocem non emisit, isti censuerunt; hoc generaliori & occurrentiori causae, ab immaturitate proueniente, tribuentes. Sicuti ex contrario robustiores regulariter statim post exitum plorantes (vt praediximus) alui & vesicae simul excrementa statim ab editione emittunt, mammas oblatas sedulò suggunt, oculos ad lucē intrepidè aperiunt, & manum vtramque iactant, velut alacritatis signa exhibentes. Meritò ergo ad dignoscendum maturum partum *Proculiani* vocis emissionem attendebant, vt quae perfectionem denotat, & robusticitatem supponit. Quòd si instes, infantem liuidum & contusum (in proposito exemplo) iusto tempore natum & illicò ante vocis emissionem decedentem secundùm naturam editum (quod *Proculiani* negant) Respond. hoc ipsos non negare, casum tamen istum insolitum, velut Choromandarum, qui sine voce, Astomorū, qui sine ore nascuntur (de quibus *Plinius lib.* 7. *c.* 2.) regula generali inuoluisse. *Nec enim nouum est* (vt ait *Tacitus in fine huius capitis* referendus) *legem aut dispositionem generalem multitudini consulentem aliquibus iniuriam inferre.*

A quibus omnibus clarè consequimur, *Proculianorum* sententiam in regulis naturae veram fuisse, & contrariam *Sabinianorum* sustineri non potuisse. At nos eam nihilo seciùs amplecti debemus, quia *Iustiniano*, imò verius *Triboniano* placuit in d. *l. quod certatum* 3. *C. de posthum. haeredibus instituend.* cum declaratione iam s̄. annotata.

Cùm autem ista Iure Communi † & Codicis ita essent composita, ac praediximus, Iure nostro Patrio aliter atque aliter diuersis temporibus fuerunt 27
decisa: & quidem primis illis, in quibus Hispaniae sub Gothorum Imperio fuêre, latae sunt duae insignes *leges* (idem ferè decidentes) 17. *Cindasuinthi*, & 18. *Recessuinthi tit.* 2. *de successionibus libr.* 4. *legis Gothorum* (quae in *libro Fori* antiqui, quem nos *Fuero iuzgo* appellamus nostro idiomate conscripto sunt etiam 17. *&* 18. *tit.* 2. *lib.* 4.) quarum prima ita ait: *Interdum rem dubiam nisi ratiociniis disceptatio deducat in lucem frequenter hanc ambiguitas praecipitat in errorem: conten-*

dunt namque plurimi, si genitus infans non longè defunctus hæreditatis parentum possit iura sortiri? quorum litibus hos ponit ratio modos. Naturæ ratio ita condita manet, talique vsu decurrit, ne is qui nascitur prius aliud quàm se suscipientem assumat hæredem: & de tenebris genitalibus prodiens illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine liberè capiat hæreditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ capit primordia lucis? Quique vix sortitus est vsum elementorum, quibus concretus est, quomodo sortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? Quémque non hæreditauit producta lex cæli, qualiter morte contractum improuisa, ditabit portio mundi? Quave etiam ratione aggredietur viuentium iura, cui vicinius fuit mortem adiisse quàm vitam? Sícque naufragiis in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatales relapsus est in tenebras. Vt ergo proximis parentibus ad successionem huius aditus reseretur, & ipsa defuncti vita comprobetur, si verè clara sit vita, atque hanc ipsam, licèt parui temporis vitam comitetur æternæ participatio vitæ, non aliter in vtroque sexu hæreditatem capiat, qui nascitur, nisi post natiuitatis ortum, & sacri Baptismatis gratiam consequatur, & decem dierum spatiis vixisse probetur, vt successoris patris, vel matris persona, quæ per hunc paruulum terrenæ cupit hæreditatis acquirere commoda ante morituro æternæ mansionis præparet vitam, & ita demum assequatur viuens cum rebus labẽtibus terram, ísque salutari commercio, dum hæreditat ille cælum, hæreditet iste seculum: dum illi prouidentur cælestia, isti permittantur adire terrena: dumque assequitur ille vitalia, conquirat iste caduca, vt etsi defunctus terrena huius non potuit possidere, terreno saltem comparato iure cæleste lucrum valeat obtinere. Lex verò sequens ordine 18. ita ait: *Patre defuncto, si filius, filiáve decem, siue amplius, vel infra diebus viuens baptizatus ab hac vita decesserit, quicquid de* 11 *facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vendicare. Itémque matre defuncta non aliter defuncti filij portioné pater obtineat, nisi natum filium, filiamve decem diebus, siue amplius, vel infra vixisse, fuisséque baptizatos edoceat, &c.* Harum legum verba retulisse liceat, vt quæ singulares: & quia VVisogothorum, siue Gothorum nostrorum Regũ sunt, qui Hispaniam tenuerunt, & à Toletana ciuitate eam gubernarunt: & vt omnibus innotescat, à legibus Hispanis ortum habuisse, quod Iuris Canonici Interpretes annotarunt in *c. nam & ego 3. de verb. signific.* partum sacro Baptismate renasci debere, vt successionis & transmissionis hæreditatis capax sit.

28 Sub hæc † inueteratus nostrorum mos, & vsus expressus in *l. 3. tit. 6. lib. 3. Fori* statuit, filium recèns natum ad bona parentum admittendum, dum tamen fuerit baptizatus, nullo alio adhibito requisito, aut temporum interuallo, vt in prioribus Gothorum legibus proximè relatis.

29 At Rex † Alphonsus XI. re & cognomento SAPIENS prædicta omnia interuertit in *l. 4 tit. 23. par. 4.* vbi regulam generalem constituit, & legitimum partũ à principio septimi mensis vsque in finem decimi circumscribit, & vltra tempora ista natum iustũ filium non esse decernit, his verbis (à d. *l. septimo mense*, & à d. *l. intestato. §. 3.* & à *Nouella Iustinian. 39.* quæ est *Authent. de rest. & ea quæ parit, collat. 4.*) desumptis: *Ipocras fue vn Filosofo en el arte de la Fisica, è dixo, que lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vietre son diez meses: è porende si desde el dia de la muerte de su marido fasta seis meses pariesse su muger, legitima seria la criatura que nasciere, è se entiende*

entiende que es de su marido, maguer en tal tiempo sea nacida, solo que ella viviesse con su marido à la sazon que finò. Otrosi dixo este Filosofo, que la criatura que naciere fasta en los siete meses, que solo tenga su nacimiento vn dia del seteno mes, que es cumplida è viuidera, è deue ser tenida tal criatura per legitima del padre, & de la madre, que eran casados, è viuen en vno à la sazon que la concibio. Esto mismo debe ser juzgado de la que nasce fasta en los neue meses: è este cuento es mas vsado que los otros. Mas si la nascencia de la criatura tañe vn dia del onzeno despues de la muerte del padre, non debe ser contado por su fijo. Nó enim Legislator *Hippocratis* sententiæ relatione contentus fuit, sed vltra progreditur iuxta eam disponens, & ad iusti filij, successionísque capacis definitionem inferens in versic. *E por ende*, & in vers. *Otrosi*, ibi: *Es cumplida è viuiderá, è debe ser tenida tal criatura por legitima del padre è de la madre, que eran casados:* & in vers. *Essomismo*, ibi: *Non deber ser contado por su fijo*: quæ omnia apertè demonstrant, in illa lege partus legitimi tempora præfinita fuisse à principio mensis septimi vsq; in finem decimi, & vltra terminos illos natum, vt abortiuum, & illegitimũ abiecisse Legislatorem. Quod tamen limitandum & declarandũ duco iuxta s. tradita *num.* 24. ita vt *lege* ista *partite Iustiniani* decisionem in dict. *l.* 3. *C. de posthum. hæredib. instit.* non excludamus.

30 Demum legum Taurinarum † conditores tempore Reginæ & dominæ nostræ Ioannæ, velut prædictæ *legis* 4. *partitæ* obliti constitutionem *Iustiniani* in d. *l. quod certatum* 3. *C. de posthumis hæredib. instit.* (quæ vna est ex quinquaginta decisionibus nouo Codice insertis) mplexi videntur, hoc tãtùm addentes, & simul requirentes, vt editus partus maturus & perfectus vigintiquatuor horas viuat, & sacro Baptismate renascatur, vt legibus Gothorum & Regis Alphonsi IX. antea dispositum erat, ait námque *lex* 13. *Tauri: Por euitar muchas dudas, que suelen ocurrir cerca de los hijos que mueren rezien nacidos, sobre si son naturalmẽte nascidos, ò si son abortiuos: Ordenamos i mãdamos, que el tal hijo se diga que natural mẽte es nascido, i que no es abortiuo quãdo nascio viuo todo, i q̃ alomenos despues de nascido viuio veintiquatro horas naturales, i fue baptizado antes que muriesse: i si de otra manera nascido murio dentro del dicho termino, ò no fue baptizado, Mandamos que es tal hijo sea auido por abortiuo, i que no pueda heredar, à sus padres, ni à sus madres, ni à sus descendientes. Pero si por ausencia del marido, ò por el tiempo del casamiento claramente se probasse que nascio en tiempo que no podia viuir naturalmente, Mandamos, que aunque concurran en el dicho hijo las calidades susodichas, que no sea auido por natural ni legitimo.* Ea enim verba proœmialia: *Por euitar muchas dudas*; respiciunt illa d. *l. quod certatum: Quod certatum est apud veteres*, & illa: *Dubitabatur, si is posthumus ruptum facere testamentum posset, & veterum animi turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit?* Illa verò decisionis, quæ sequuntur: *Ordenamos, que el tal hijo se diga que naturalmente es nacido, que nascio viuo todo*, illis respondent: *Sancimus, si viuus ad orbem totus processit*: Sed & illis: *Pero si se probasse, que nascio en tiempo que no podia viuir naturalmente*, &c. concinunt illa: *Si viuus perfectè natus est*, iunctis his quæ in eorum interpretatione annotauimus s. *in cap.* 6. In reliquis verò componenda & supplenda † videtur decisio dict. *l.* 13. *Tauri* à dict. *l. quod certatum*, præcipuè in his quæ *Iustinianus* disertè ad finem *legis* requirit, dicens: *Hoc tantummodo requirendo*, 31

si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium. Nisi mauis dicere hoc ipsum supposuisse d. *l. 13.* dum in recèns nato, vt iustus filius dici possit, requirit Baptismum, quo tantùm homo ablui potest, nó verò fœtus imperfectus humanam non habens formam, vt sępè & sæpius accidere solet, ex notatis in *cap. 6.* & latiùs adducendis in *cap. 17.*

His ergo præmissis & enarratis ita partus naturalis & legitimi constitutionem (quoad nos attinet) componendam † censeo: vt Iure Digestorum
32 res dissidio plena fuerit, *Proculianis* asseuerantibus, partum legitimum censendum quemcunque vocem tempore editionis emittentem: *Sabinianis* vero contendentibus legitimum itidem partum eum esse, qui viuus natus est, licèt illicò decesserit, nulla habita ratione, an maturus esset, & diu viuere aptus.

Posthæc *Vlpianus & Paulus* in d. *l. intestato 3. §. fin. D. de suis & legitimis hæredib.* & in *l. septimo mense 12. D. de statu homin.* in causis particularibus ex sententia *Hippocratis*, & rescripto *D. Pij* attento, partus legitimi initium à septimo mense desumpserunt.

At *Iustinianus* in d. *l. quod certatum 3. C. de posthum. hæredib. instituend.* rem hanc generaliore regula composuit, statuens, partum legitimum iudicandum eum, qui viuus perfectè natus est, ad orbem totus procedens, & ad nullum declinans monstrum vel prodigium: quæ verba aptè comprehendunt quinquemestrem, vt quem experientia & rerum successus demonstrarunt partum naturalem & vitalem esse, ex traditis per nos *suprà isto cap.*

Eodem sensu sunt accipiendæ d. *ll. 17. & 18. tit. 2. libro 4. legis Vvisogothorum* (quarum verba retulimus *suprà*) ita vt quinquemestres & semestres in Baptismate renati, & decem dies (de quibus ibi fit mentio) viuentes, sint iusti filij, & successionis capaces: leges enim contentæ *in libris 12.* quos appellamus *Legis Vvisogothorum* (Latino sanè sermone conscriptæ) ad æmulationem & imitationem Codicis Iustinianæi editæ sunt, & vti depromptæ ex Iure Ciuili sæpè allegantur ab his quæ dexteriùs illud fuerunt interpretati, vt optimè annotauit *Iacob. Cuiacius lib. 2. de feudis, tit. 11.* vbi etiam notat (& cum eo *Anton. Augustinus li. 2. dialog. 10. de emend. Gratian.*) ex dictis legibus planè colligi, gentem Gothorum insigni fortitudine pollentem, quæ in Hispania consedit, cæteris cultiorem fuisse: vt inde iustè gloriemur ab hisce originem ducere.

At attento eodem Iure nostro Patrio in dict. *l. 4. tit. 23. part. 4.* res ista aliter † decidenda est, cùm enim 33
in ea lege partui naturali terminus certus præfiniatur ab initio septimi mensis in finem vsque decimi, & cæteri partus vt illegitimi excludantur & improbentur, iuxta *suprà* tradita, nobis certè præclusa via est aliter statuendi: & consequenter quinquemestres aut semestres partus, etsi diù vixerint, apud nos abortiui, illegitimíque erunt censendi: quemadmodum & vndecimestres, quorum rationem inibimus, & latè prosequemur in *cap. 14.* Id quod intelligendum duco cum moderamine iam per nos adducto & prænotato *suprà num. 24. & 29.*

Nec contrarium rectè adstruet, qui
legis 3. Tauri † auctoritate innixus il- 34
lis verbis: *Pero si claramente se probasse, que nacio in tiempo que no podia viuir naturalmente, &c.* dixerit quinquemestri aut semestri baptizato, & vigintiquatuor horas viuenti nil deesse quominus iustus filius sit censendus (cùm expe-

experientia diuersorum casuum clarissimè demonstrauerit hisce temporibus, & terminis partum naturalem & vitalem euadere, ex iam dictis *suprà*) Nam respondemus, verba ista *l.13. Tauri* (quidquid *suprà* adstruxerimus in ea componenda cum *l. quod certatum, C. de posthum. hæred. inst.* ὡς ἀλλη-λαι viderentur) potiùs referri debere ad *legem* anteriorem Patriam *partitæ*, quàm ad exteram illam (qua non adstringimur) *Iustiniani*; ita vt probatio clarissima (de qua in d. *l. 13. Tauri*) euatur ab editione conceptus & fœtus ante septimum mensem, vel vltra decimum, computatione facta iuxta dicenda *infr. in cap.12.* & considerato tẽpore nuptiarum, vel absentiæ viri, vt in dicta *l. Tauri.* Video ista nimium vigere, & duritie non carere fateor, duram legẽ, at ita scripta est, vt in similiaiebat *Vlpianus* in vulgari *l. prospexerit, D. qui & à quibus manumissi liberi non fiant.*

35 His sic constitutis, clarissima † remanet illius apud Iuris Interpretes valdè agitatę quæstionis resolutio, An natus illicò decedens succedat, & testamentum rumpat? In qua partem aientem defendit *Báld. cons. 128. volum. primo, Corneus* in d. *l. quod certatum, C. de posthum. hæred. instit. Boer.* post alios *decis. 220.* cum aliis relatis à *Peregrino de fideicommiss. art. 43. num. 29.* Vbi in *vers. sed contra* plures negantes refert, maximè *Paulum* & *Alexandrum* in d. *l. quod certatum, Cumanum* & *Iasonem* in d. *l. quod dicitur, Clarum* in §. *testamentum, quæst. 45. Menoch. cons. 288. n. 2.* Singulis namque conclusionibus (tempora diuersa, & iura distinguentibus) facilè rem compones.

36 Earum prima sit, tempore Digestorum ex *Proculianorum* † sententia partum tantùm vocem emittentem succedere & rumpere, d. *l. quod certatum.* At ex *Sabinianorum* placito quemcunque viuum editum (etsi vocem non emiserit, nec maturo tempore lucem viderit) successionis legitimæ capacem esse, d. *l. quod certatum, l. quod dicitur 12. D. de liber. & posthu.* cum adductis s̃. & hoc casu dubio procul admittenda est opinio *Baldi* & aliorum *sup.* relatorum.

SECVNDA conclusio, Iure nouiore *Iustini.* in d. *l. quod certatũ,* † *C. de posth. hæred. inst.* non quilibet partus viuus editus admittẽdus venit, sed qui perfectè natus fuerit, hoc est, maturo tẽpore, quo sospes & superstes esse possit, vt latè demonstrat *Iustinian.* illis verbis (iam per nos enodatis *supr. c.6.*) *Si viuus perfectè natus est*: quibus attentis trimestres aut quadrimestres (quos superesse non posse experientia semper demonstrauit iuxta tradita *sup. in c.8.*) nulli dubium est, non succedere, testamentúmue rumpere. Et hoc casu dubio procul procedit opinio *Pauli* & *Cumani* s̃. relatorum cum aliis. 37

Sed dubium † maximum hîc incidit, de quinquemestribus & semestribus (qui viui editi sunt) an veniant admittendi attenta decisione d. *l. quod certatum*? Et sanè hoc casu ego probo *Baldi* & aliorum *supr.* citatorum sententiam, cùm videam experientiam post tempora *Hippocr.* & *Aristot.* demonstrasse, istos nasci aliquando vitales, iuxta latè iam tradita, eos ergo vti perfectè natos amplectetur ista *Iustiniani* constitutio, attenta regula *l. si maior 12. Cod. de legit. hæred. l. antiqui,* cum ibi notatis, *D. si pars hær. pet.* Ea enim quæ secundùm naturam obueniunt, licèt rarò accidant, semper considerantur, vt probabimus in *cap.11.* 38

Ab istis etiã resultat certa resolutio illius quæstionis † à nostris discussæ, An quinquemestres & semestres faciant deficere conditionem: *Si sine liberis decesserit?* In qua diffidentes videbis Auctores relatos à *Menochio,* 39

(quem pro multis allegatum volo) *de præsumpt. libr. 4. præs. 89. numer. 111.* vbi cum communiore pessimè resoluit, horum natiuitate conditionem non videri extitisse, quod Iure tantùm nostro Regio attento, & quidem suis certis casibus, locum habebit, ex dicendis illico.

TERTIA conclusio: res ista nostris
40 legibus Patriis aliter † atque aliter decidenda venit, etenim attentis dictis legibus 17. & 18. *titul. 2. libr. 4. legis Gothor.* omnis fœtus viuus natus, qui baptizatus fuerit, & decem superuixerit dies, admittendus venit sine vlla distinctione temporis: ita vt quadrimestres & trimestres (si pote fuerit dies istos tanto tempore perdurare) succedant, rumpántque testamenta: ideò enim Legislator. prouidè superuiuentiam illam decem dierum requirunt, vt à prolixa & difficili tẽporum computatione partus quilibet editus liber esset.

Hoc autem ampliauit dict. *l. 3. titulo sexto, lib. 3. Fori,* quæ in admissione partus recèns editi id tantùm exigit, vt viuus partus sacro Baptismate ab originali culpa sit liberatus. At attenta *l. 4. titul. 23 p. 4.* aliter res ista terminabitur, nec vllus quinquemestris aut semestris, aut decimestris admittetur, etsi plures vixerint dies, cùm lex illa hos omnes à successionibus & nomine filiorum excludat, illósque tantùm admittat, qui à septimo decimum vsque mensem nati fuerint. Quod tamen intellige iuxta tradita *supr. numer. 24. 29. & 34.*

Demum ex *l. 13. Tauri,* quæ est *l. 2. tit. octauo, libro quinto, Recop.* admittendi tantùm veniunt septimo vsque ad decimum mensem nati iuxta dict. *l. partit.* hoc addito, quòd à tempore natiuitatis 24. superuiuentes horis simul fuerint baptizati: etenim huius legis decisio referri omnino debet (iuxta ea quæ notauimus *hoc capit.* & *supr. in capit. 3.* cum *Mantienzo* & *Azeuedo* ibi relatis ad præcedentem *legem partitæ*, ita vt illa verba: *Pero si por el absencia del marido; ò por el tiempo del casamiento claramente se probasse, que nacio en tiempo que no podia viuir naturalmente,* &c. suppleantur à d. *l. partitæ,* quæ eos tantùm naturaliter viuere posse decidit, qui à septimo decimum vsq; mensem editi fuerint. Et hac sanè regula & generali determinatione partus (qui confingi & supponi facilè poterát) vitabuntur, & alia similia disertè annotata à *Bonauent.* in compẽdiosa disputatione *de octome. partus natu. c. 5.* Et ita quidem rem istam seriam & scitu dignam vltra omnes componendam existimamus.

Sub hæc disquirendum nobis nouè est, An mulieribus tertio, quarto, quinto vel sexto mensibus parturientibus vel vndecimo à viri absentia vel infirmitate permanente, tales filij censendi sint illegitimi & adulterini, vt ipsæ
possint accusari, † & *lege Iulia de adult.* 41
damnari? Et sanè ad huius quæstionis resolutionem (quam in his terminis nullibi inuenio tractatã) animaduerto, verba illa disiunctiua dict. *l. 13. Tauri: O por el absentia del marido, ò por el tiempo del casamiento,* diuersimodè operari circa probationem partus, qui legitimus esse nequit: nam ex computatione à tempore contracti matrimonij facta, probatur quis abortiuus, nec editus septimestri tempore (*lege* illa *part. 4.* requisito) aut vlteriore. Ex absentia verò mariti probatur partus illegitimus, quia vndecimo, duodecimo, aut vlterioribus mensibus natus est, à prædicta absentia vel infirmitate continua computandis iuxta sententiam *Iuliani,* quem refert & laudat *Vlpian. in l. filium 6.* vers. *sed si fingamus, ff. de his qui sunt sui vel alien. iur.* & in *l. 1. §. idem Iulianus*

nu, ff. de liber. agnosc. iuncta emendatione *Lalij Taurel.* quam probat *Anton. Augustin. libr. 1. emendat. iuris, cap. fin.*

His sic præhabitis, tu dic, natos tertio aut quarto mense à matrimonio inito, qui pluribus diebus vixerunt, & anniculi forsan euaserunt, illegitimos tantùm censendos, non verò adulterinos. Nec enim mulierem illam adulterij ream effici posse dices, quæ in matrimonium non peccauit, maximè si maritus imprægnationis conscius eam duxit vxorem.

Sin autem quinto aut sexto mense post contractum matrimonium mulier pepererit, res ita decidenda erit, vt ex *lege Iustiniani 3. Cod. de posthum. hered. instit.* partus legitimus censeatur, & mulier ab omni pœna sit libera, iuxta tradita *suprà*. Attenta verò *l. 4. tit. 23. p. 4.* & *d. l. 13. Tauri* soboles sit illegitima, mulier verò *lege Iulia* damnari non possit, ex iam dictis circa quinquemestres & semestres parturitiones naturales.

Quòd si mulier vndecimo mense, aut vlteriore tempore ab absentia mariti pepererit, partus illegitimus est, & mulier tāquam adultera poterit à marito accusari, & à iudice damnari debet saltem pœna extraordinaria, iuxta tradita à *Farinac. de delict. carnis, quæst. 142. numer. 111. & 112.* vtpotè hac via & modo adulterio ad dictam pœnam plenè comprobato: quandoquidem omnibus in comperto est hoc delicti genus præsumptionibus & coniecturis probari, *Glossa in cap. litteris, de præsumptionib.* cum pluribus adductis à *Marscardo de probation. concl. 37. à numer. 3. & concl. 512. ex numer. 19. & concl. 452. num. 10. lib. 1. & concl. 810. à nume. 1. & iterum nu. 22. Menoch. de arbit. lib. 2. casu 116. num. 11. & de præsumption. libr. 1. quæst. 58. nu. 3. Azeued. in rubr. ti. 20. lib. 8. Recop. nume. 20. Buccaron. de differen. inter iudicia ciuil. & crimin. differen. 133. num. 1.*

Sin autem maritus ciuiliter † experiatur contra vxorem, ipsa quidem dotis amissione multabitur hoc casu, ex *l. consensu, Cod. de repud. cap. plerumque de donatio. inter vir. & vxor.* iunctis his quæ ex *Farinac.* & aliis annotauit *Buccaron. differ. 132. ex numero duodecimo* ad *nu. decimumquintum*, vbi optimè & seriè distinguit inter actionem ciuilem & criminalem adulterij, cum *numeris antecedentibus* plura Iurisconsulto indigna effudisset, maximè à *numer. 2.* 42

His adde, maritum cui partus prædicti quinquemestres, aut semestres acciderint, maximè ab vxore non integræ fidei & famæ posse tuta conscientia ab ea diuertere † ob violētam præsumptionem conceptionis matrimonium præcedentis, ex his quæ appositè annotauit *P. Thom. Sanchez libr. 10. de matrim. disputat. 12. numer. 41. 43. & 45. Ioan. Gutier. de matrim. quæst. 129. nume. 19. Farinac. de delict. carn. quæst. 143. numer. 10.* à quibus supplenda sunt quæ in proposito tractant *Basil. de Leon de matrim. libr. 9. cap. 16. Flamin. de Rubris in tract. de adulter. capit. decimosexto, vers. trigesima secunda pœna.* Et ista multo magis † locum habebūt in partu vndecimo mense post absentiam, vel continuam infirmitatem mariti contingenti, ex iam dictis & dicendis in *cap. 14.* 43 44

An autem adulterij præsumptio & pœna cesset in ea fœmina, † quæ cum bonis & honestis moribus esset, vndecimo mense à morte mariti enixa est? disquirimus *infr.* in *dict. cap. 14.* vbi dicta ab *A. Gellio* in proposito *lib. tertio, Noct. Atticar. cap. 16.* prosequemur & examinabimus. 45

Ab his quæ Iura Ciuilia & Regia nobis subministrarunt, clarè † patet, eos Iuris Communis Auctores, qui 46

indistinctè partus quinquemestres & semestres successionibus excluserunt, à generali *Iustiniani* decisione dict. *l. quod certatum* deuiasse: eos verò nostri Iuris Patrij Interpretes *supra* relatos, qui istos indistinctè admiserunt, generali decisioni d. *l.* 4. *tit. vigesimo quarto,*
47 *p.* 4. apertè contrariari. † Et sanè præ cæteris meritò notandus est *Torreblanca* (sub initium *huius cap.* relatus) qui *Vlpianum* & *Paulum* (quorum sententiam transcripsit *lex partitæ*) inconsultò impugnat, dum non animaduertit Iurisconsultissimos hos viros *Hippocratis* Medicorum κορυφαῖς sententiam tunc vigentem, & *Aristotelis* simul Philosophorum Antesignani amplexos fuisse, & loquutos in particularibus causis & casibus *suprà* per nos annotatis. Quòd si *legis partitæ* decisionem attendisset, eam generaliùs disponentem contra quinquemestres & semestres, impugnare debuisset sua persistens ratione & causa in verbis suis per nos iam expensis contenta, quo nomine valdè esset irridendus, præ maximè cum generalis dispositio *illius legis* veram & propriam nunc vigentem habeat decidendi rationem *inferiùs* assignandam. Debuit ergo *Torreblanca* cùm partus quinquemestres & semestres naturales & vitales ex nouiorum Philosophorum & Medicorum sententia obseruauit, eosdem attentis legibus *Vlpiani* & *Pauli* excludere in causis ab eis decisis: & in omnibus attēto Iure Patrio partitæ, quod Iurisconsulto Hispano præ oculis esse debuit.

Cùm autem *supr.* resoluerimus inspecta *Iustiniani* decisione in dict. *l. quod certatum* quinquemestres & semestres legitimos esse partus, reliquum est vt his (quæ ad eorum generalem exclusionem astruit *Bonauent. libro septimo capite vigesimo septimo*) fa-
48. ciamus † satis. Ait primo loco Auctor iste post alios, partum humanum ineunte septimo mense, & non antè, maturescere tam temperamento à natura huic speciei humanæ contingenti, quàm à cælestis periodi potestate ab anni solaris dimidio exacto (septimum attingente mensem) dependenti. Sed adhuc disquirimus, cur initio mensis septimi, & non anteà partui temperamentum illud obueniat? Et cur cælestis istius tantùm periodi potestas in causa sit, vt eo tempore & nó alio vltimam perfectionem accipiat? Ego enim non inuenio quæ sit maior ratio, cur Sol post dimensum suo cursu naturali cęli dimidium spatium fœtus naturales, vitales & maturos efficiat, quàm cum quinto aut sexto Zodiaci signo resederit, nec eam assignauit *Bonauentura*: vt inde quàm euidenter inferas eius rationem non concludere. Fatemur cum ipso naturæ lege fieri non posse partum esse vitalem, nisi principium (vt ipse ait) habeat perfectionis & maturitatis; humanæ verò speciei naturam ac temperamentum breuiore dierum spatio, quàm 182. & aliquot horis (quibus dies isti dimidium anni excedunt) perfici non posse negamus ab experientia (quæ sola attendi debet ex *Sperone* in suo *Dialogo de partu*) contrarium edocente, aut velut indice demonstrante in casibus enarratis ab *Auicenna, Vallesio, Peramato, Henrico Salmuth, Choppino, Menchaca, Torreblanca,* & aliis *supra.*

Rationem verò illam rationis quam ex *Aristot.* eruit *lib.* 1. *de gener. anim. c.* 1. dicens, naturam considerandam esse respectu plurium, & quod magna ex parte fit, id esse secundùm eam facilè dilues, si animaduertas ea attenta nec partum septimestrem aut octomestré naturalem & vitalem esse, quãdoquidem magna ex parte mulieres nono, aut decimo mense fœtus suos edunt: ex quo

ex quo enim partus raró vel rarissimè contingat, non ideò minus naturalis dicetur, nisi ea quæ rarò à natura obueniunt, ad naturam iniustè referri nolis, contra *l. si maior, Cod. de leg. hæred.* cum aliis iam per nos suo loco annotatis.

49 Quòd si aliquis instet, † lac vtile ex *Aristotele suprà* relato imprægnantibus septimo tantùm mense obuenire, non anteà, indéque quinquemestres & semestres partus, quibus natura lac nõ suggerit, inutiles & abortiuos existimandos. Respondeo, *Auicennam*, & cęteros, qui partiones istas viderunt, & naturales existimarunt, id ab earum superuiuentia, & lacte maternis mammis à natura subministrato deprehendisse; his enim, vel eorum quoquam deficientibus aliter sanè rem deciderent, & à communi antiquorum Philosophorum & Medicorum ipsos decessuros non fuisse par est credere.

50 Stat ergo firma † & irrefragabilis conclusio, quæ non docet, partus humani tempora varia esse, vt ex *Aristotele Plinio*, & aliis annotauimus *in Prolegomenis*, & alibi, & ideò certam regulam non posse constitui, à qua partus iste vltimam perfectionem & maturi-
51 tatem recipiat. Imò nec motum † aut perfectam articulationem, vt demum post plura ratus fuit *Aristot. lib. 7. de animal. histor. cap. 3.* Ex causis námque per nos iam *supr. hoc cap.* enumeratis partus ocyùs vel seriùs lucem vident. Sed tam præcoces, quàm tardi naturales & vitales sunt legitimi Iure Digestorum, & Codicis Iustinianæi, vt inde quinquemestres & semestres, quos & ætas nostra vidit, vitales & naturales fateri cogamur occulta naturæ ratione, & experientia magistra id clarè demonstrante & vrgente.

Præter quàm in his Regnis attenta
d. *l.* 4. † *titu. 23. p. 4.* quæ (vt notauimus 52
sup.) septimestres tantùm approbat, & sequentibus mensibus natos vsque in finem decimi, vlteriorésque simul excludit. Vel quia conditores legum Partitarum hoc sensu transcripserunt, *d. l. septimo mense 12. ff. de statu homin.* & *l. intestato 3. §. fin. ff. de suis & legit. hæred.* & *Nou. l. 39. Iustinia. de restit. & ea quæ parit. in vndec. mense.* Vel quia partus suppositos hac generali regula vitare voluerunt; ne fortè in potestate esset innuptæ (quæ virgo reputabatur, cùm prægnans esset trium aut quattuor mẽsium ab eo, cui vel nubere non poterat, vel ei maximo esset dedecori) supponendo fœtui patrem destinare, quem nouum elegerit coniugem, & quidem deceptum, dum putaret quinquemestrem & proprium quem natura decimo (vt frequentiùs accidit mẽse, ex dicendis in *cap. 12.*) ediderat ab alio genitum viro. Vel vidua deperditi mariti bonis inhians vndecimo mẽse natum, & à proco suo genitum ad virum, defunctum ante conceptionem, referret.

Quòd si adhuc instes, generalem regulam *d. l. 4. partitæ*, quinquemestribus & semestribus maturis, perfectis & vitalibus magno esse præiudicio, responderi poterit cum *Tacito* sub Cassij persona dicente: *In omni lege necessarium est vt aliquibus iniuria fiat, & insontes pro sontibus habeantur: sed legi ipsi sufficit, vt multitudini benè consulatur.* Ad hæc *d. l. 4. partitæ* non debet intelligi generaliter, sed suis aptis casibus, cùm scilicet de conceptionis temporibus constat, iuxta *superiùs* dicta *num. 24. 29. & 34.*

* *
*

CAPVT DECIMVM.

DE SEPTIMESTRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Antiquitùs dubium insigne fuit, An partus septimestres essent naturales & legitimi.*

2 Hippocrates *controuersiam sedauit, & constãter pro septimestribus stetit.*

3 Polybus Hippocrati *accinit circa septimestres.*

4 *Quæritur cur* Hippocratis *mentionẽ tantùm fecerint* Vlpianus *&* Paulus, *&* Aristotelis *non meminerint? Et nu. 5. respond.*

6 *Antiqui Mathematici septimestres approbarunt.*

7 *Omnes ferè Iuris Interpretes stant pro septimestribus.*

8 *Rationem ex* Hippocr.*reddit, cur septimestres partus sint vitales? Et nu. 9. aliam ex eodem* Hippocrate *adducit rationem à numero septenario, quã ex pluribus illustrat* Auctor.*Et num. 11. declarat.*

10 *Rationem Astronomorum refert, & à* Gothofredo *eam refellit.*

12 *Duo sunt limites septimestris partus, &* Vlpianus in l.septimo mense, §. fin.ff.de suis & legitim. hæredib. *&* Paulus lib.4.Sentent.titu.9.§.septimo mense *declar.*

13 Iacob. Menoch. *existimans partum septimestrem vitalem esse, si in initio mensis contingat, refellitur.*

14 Ferdin.Mena *putans septimestres vitales post dimidium mensis septimi nasci, exploditur.*

15 Macrobius *asserens septimo mense perfecto edi, impugnatur.*

16 *Totus septimus mensis aptus est septimestrium editioni. Et nu. 19.*

17 *Plinius existimans septimestres pridie, posteróve die plenilunij, aut interlunij concipi, reprobatur. Et nu. 18. euasiones* Cardani *&* Bonauent. *pro* Plinio *reyciuntur.*

20 *Quod dicitur septimestres partiones naturales & legitimas esse, intelligendum est in ratione & terminis suæ naturæ.*

21 *Duplex est in partu perfectio.*

22 *Dissidium quod* inter Hippoc. & Aristot. *circa septimestres esse videbatur, componitur.*

23 *Imbecilles in plurimum sunt septimestres. Et numer. 24. potissima imbecillitatis causa demonstratur. Et numer. 25. cur maiore ex parte sint mares? & similia remissimè tractat* Auctor.

26 *Quî fiat vt 182. dies septimum mensem attingant, & alia remissimè tractantur.*

27 Accursius in l.septimo mense, ff. de statu homi. *pártim laudatur, partim notatur.*

28 Paulus *Iurisconsultus, &* Cuiacius *eius Interpres à nota & impugnatione* Horatij Augenij *vindicantur.*

SEPTIMESTRIVM partionũ tractatio longè latéq; vagatur: vnde præter eaquæ in *capit. præced.* attigimus, alia consimilia in subsequentibus

tibus capitibus rerum ſuppeditante materia erunt diſcutienda. Hîc autem, velut in propria ſede, ſeptimeſtrium præcipua tantùm proſequemur.

Principio conſtituentes, anti-
1 quis temporibus dubium † inſigne fuiſſe, an ſeptimeſtris partus eſſet naturalis & legitimus? Adeò vt Apollinis Oraculum Lacedæmonij conſuluerunt, contentione orta inter *Cleomenem* & *Demaratum* filium *Ariſtonis*. qui cùm de natiuitate filij per ſeruum in foro certior fieret pro tribunali cũ Ephoris ſedens, iureiurando firmauit, non videri ex ſe eum natum eſſe, qui legitimo decem menſium numero natus non erat, vt referunt *Herodotus libro ſexto* ἱστοριῶν, & *Pauſanias libro* 3. Qui ſimul enarrat ab Apolline reſpõſum fuiſſe: EVM DE QVO POSTVLABATVR, NON ESSE FILIVM ARISTONIS. Ob eaque *Demaratum* Regno pulſum fuiſſe: iniquè tamen, & fraudulento Oraculi reſpõſo ex *Herodoto* & *Pauſania ſupr.* Quorum dicta proſequitur *Petr. Ærodius queſtion. & decret. libr.* 1. *ad Thuanum tit.* 12. *cap.* 1. *& lib.* 2. *rerum iudicatarum, tit.* 4. *cap.* 10. Sed & *Euripho Gnidius* à *Cenſorino* relatus in *lib. de die natalium ad Q. Cerellium* ſeptimeſtres partus obnixè refutauit, & à natura alienos aſſeruit.

At controuerſiam iſtam antiquo-
2 rum ſedauit † *Hippocrates*, qui variis locis conſtanter docuit, ſeptimo menſe natos vitales eſſe, quinimo & editos in initio ſeptimi menſis, cẽteſimo ſcilicet octuageſimo ſecundo die cum dimidio legitimos partus teſtatur in *libr. de ſeptimeſtr. partu*: quem *Clemens Alexandrinus* (vt memini iam alibi annotaſſe) ad *Polybum* retuliſſe videtur, *lib.* 6. *Strom. num.* 27. in verbis *inferiùs* referendis. Sed & *Plutarch.* ſententiam iſtam *Polybo* tribuit *lib.* 5. *de placit. Philoſ. cap.* 18. dum ait: *Polybus centum & octoginta duos dies, dimidiatúmque natales efficere, quod ſemeſtre tempus eſſe, quanto tempore Sol ab vno ſolſtitio ad alterum perueniat, ſeptimeſtres verò dici quandoquidem ſexti menſis dies in ſeptimo implent.*

Domitius verò *Vlpian.* clarè iſthæc referre viſus eſt ad *Hippocratem*, quando in *l. inteſtato* 3. *§. fin. D. de ſuis & legit. hæredib.* ita ait: *De eo autem qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates ſcribit, & iuſto tempore videri natum.*

Quin & *Paulus* in *l. ſeptimo menſe, D. de ſtatu hominum.* Sed † hoc diſſi- 3
dium facilè compones, ſi dicas, *Hippocratem* ante *Polybum* iſta docuiſſe & aſſeruiſſe *lib. de ſeptimeſt. partu, in princip.* vbi ſeptimeſtres naſci centeſimo octuageſimo ſecundo die, & reliqua inſuper particula diſertè aſſeruit Sapientiſſimus Senex, & eiuſdem poſtea fuiſſe ſententiæ *Polybum in lib. de octomeſt. partu.* Quem diuerſum fuiſſe ab eo, quem ſub eodem nomine edidit *Hippocrates*, vel ex eo quàm euidentiſſimè colliges, quòd in libello *Hippocratis de octomeſtri partu* nec vllum eſt verbum, aut mẽtio ſeptimeſtrium: & his ſanè attentis (quæ veriſſima ſunt & apertiſſima) ceſſat anxius labor *Horatij Augenij in lib.* 2. *de hominis partu, cap.* 23. circa dignoſcendos Auctores *lib. de ſeptimeſtri partu, & libelli de octomeſtri.*

Adeò autem *Hippocrati* ſemeſtris partus legitimus fuit & naturalis, atque perfectus citra omnem controuerſiam, ut in *lib. de carnibus*, ſiue *principiis* (qui communiter ad eum refertur) imperitiæ arguerit eos, qui ſeptimeſtres excludere conantur. Et eiuſdem fuit ſententiæ *Plato*, qui *libr.* 5. *de Republica*, ſeptimeſtrem pro legitimo admittit. Et *Ariſtoteles lib.* 2. *de hiſtoria animalium, ca.* 4. & *lib.* 4. *de generatione animal. cap.* 6. & alij poſteriores pro-

pè infiniti, quorum aliquos *inferiùs* censebimus.

Sed hîc aptè quærendum & nobis
14 est † quid fuerit in causa *Vlpiano* in d. *l.intestato 3.§.fin.& Paulo* in dict.*l.septimo mense*, suam obfirmandi sententiam circa septimestres partus auctoritate solius *Hippo. Aristotele* Philosophorum facilè Principe ab vtroque prætermisso: & communis est resolutio peritioribus in arte credẽdum, *Vlpianúmque* cum *Paulo* existimasse Medicos in dignoscẽdo priore partus vitalis & naturalis tempore Philosophos anteire. Sed improbat *Bonauent. lib.9.de octomest. part. cap.trigesimo septimo*, vbi hoc lõgè magis munus Philosophi esse ait, quàm Medici. Nec sustineri potest responsio eiusdem *Bonauenturæ*, qui cùm multa extra rem effudisset ex *Lampridio* de maiore auctoritate, dignitate & antiquitate *Vlpiani* quàm *Pauli*, tandem concludit, *Vlpianum* solius *Hippocratis* auctoritate vsum, quod iste primus & solus inter veteres hoc scripserit in initio *libr. de partu septim.* Idque tantùm visus fuit *Aristot.* admittere, cùm non impugnauerit. Nam *Philosophus* disertis verbis septimestres partus appellat naturales & vitales in *libro septimo de animalium historia*, dict.*cap.quarto*, & *lib. quarto, de generat.animalium* dict.*capit. sexto.* Quid quòd plures *Hippocrate* anteriores (relati à *Varrone* apud *A. Gellium* & à *Plutarcho* & *Censorino*) septimestres partus probarunt? Demum non satisfacies, si cum *Edmundo Merillio libro primo obseruationum, cap.primo*, dicas, Iurisconsultos Philosophis, & Philosophos Iurisconsultis vicissim subæmulos fuisse, idque clarè colligi e. *Vlpiano* in *l.1.ff. de iustitia & iure*, illis verbis: *Veram, nisi fallor, non simulatam philosophiam affectantes*: & ex *Crasso* apud *Marcum Tullium*, qui vnum *xij Tabularum* libellum Bibliothecis omnium Philosophorum anteponit, *Quintiliano libr.5.institut. capit.11.& A.Gellio lib.10.Noct. Atticar. cap. 22.* aiente: *Non de illa scilicet Philosophia, quæ virtutum omnium disciplina est, quæque in publicis simul & priuatis officijs excellit, ciuitatésque & Rempublicam, si nihil prohibeat, constanter, & fortiter & peritè administrat: sed de ista futili ac puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam, neque tuendam, nec ordinandam promouente, qua id genus hominum consenescunt malè feriati, quos philosophos esse & vulgus putat.* A quibus (vt hæc obiter dicam) facilè quiuis damnabit quæ longo, prolixo, solutóque stylo in Iurisprudentiam, eiúsque amatores debacchatur, & inaniter adstruere conatus fuit quidã *Petrus Andreas Canonherius* Medicus Romanus in turbido *Aphorism. Hippocratis commento cap. 1. prolegomenων.* Sed istius inanibus omissis (vt quæ nec rationibus refelli digna sunt *Merillij supr.* relati sententiam valdè obfirmare videtur illa consideratio, quòd Iurisconsulti omnium maximè Stoicæ sectæ imitatores fuerint, ex pluribus adductis ab eodem *Merillio* dicto *libr.1. obseruat.cap.8.& seqq.* præsertim *Proculiani*, vt is ipse notat in *cap.26.& 27.* Vt inde mirum non fuerit, *Vlpianum* & *Paulum*, *Aristotelis* (cui doctrina Magistri & cæterorũ Stoicorum odio fuit) non meminisse, eiúsque memoriam & nomen suis scriptis velut deliberato suscitare noluisse. Sed hæc omnia parum vrgent, cùm videamus *Aristotelem* citatum à *Iuliano* in *l.si pater 36.ff.de solutionibus* (& quidem in casu malè ab ipso percepto, iuxta dicenda in *ca.18.*) & *Ciceronis* (Iurisconsultis valdè infesti) sententia expenditur à *Triphonino* in *l.Cicero, ff.de pœnis.*

Vnde tu dic *Hippocratis* tantùm mentionem † fecisse *Vlpianum* & *Paulum* in dict.*l.intestato, §.fin.* & in dict.*l. septimo*

ſeptimo menſe, quia primus fuerit *Hippocrates* ſeptimeſtris partionis obſeruator, ex Auctoribus, qui omnibus erant obuij, & ob id meritò ſententiam iſtam Iuriſconſultos noſtros ad primum eius Auctorem retuliſſe. Quod nobis ſanè exemplo eſſe debet, vt priores cuiuſque iuridicæ reſolutiones Auctores ſemper laudaremus, nec ea quæ legibus expreſſè decidantur Interpretibus Iuris, & aliquando his qui infimæ notæ ſunt, ridiculi tribueremus.

Sed non ideò minus æſtimanda eſt *Ariſtot.* ſuper hiſce ſeptimeſtribus ſententia & auctoritas, qui eos in numero naturalium partionum maximè obfirmauit, vt conſtat ex *Plutarcho*, cum & alios Philoſophos antiquos laudante & referente *lib. 5. de placitis Philoſophor.* Quos cum expenſis ab *A.Gellio* & *Cenſorino* congeſſit *Tiraquel.* in *l. ſi vnquam*, verbo *ſuſceperit liberos*, *num.* 210. Et relatis ab eo addit *Philonem* pluribus notandis, & ſingularibus ſeptimeſtrem partum approbantem in *lib. de mundi opificio, poſt medium*, *D. Ambroſ. epiſt. 39. ad Horontianum*, & *Auſon. ædyl.* 12. cuius verba expendemus in *cap. ſeq.*

Nec tantùm Medici & Philoſophi approbarunt ſeptimeſtrem partitudinem, verùm & antiqui Mathematici,
6 † ex ſignorum obſeruationibus id comprobantes, vt notat *Tiraquel. ſupr.*

Sed inter omnes qui *Hippocratis* ſententiam ſunt ſequuti, mirè eminent & à noſtris, quin & à Philoſophis & Medicis nouioribus commendantur *Vlpianus* & *Paulus* Iuriſconſulti, argumento ab eius auctoritate vſi, ille in *d. l. inteſtato 3. §. fin. D. de ſuis & legit. hæredibus*, iſte in illa vulgari *l. ſeptimo menſe, D. de ſtatu homin.* & *lib. 4. Sentent. tit. 9. §. ſeptimo menſ.* Horumque ſententiam. (quæ nobis approbata exſtat *in l. 4. tit. 23. p. 4.*) amplexi ſunt ferè omnes † Iuriſprudentes, maximè *Gloſ.* 7
Bart. Bald. Ioan. Oroſcius, Coraſ. & ceteri in *d. l. ſeptimo menſe*, & poſt alios *Michael Graſſius* in *§. fideicommiſſum, quæſt. 33. in fine*, *Portius conſ. 13. num. 19.* & *conſ. 46. num. 5. Cardin. Paríſ. conſ. 56. num. 9. volum. 2.* & ex nouioribus *Menoch. de arbitrarijs, caſu 89. num. 35. Mantica de coniect. vltimar. voluntatū, lib. 11. tit. 6. num. 10. Alexand. Randenſ. de analogis cap. 30. num. 25. Alexander Trentacinq. de ſubſtitution. par. 4. capite 7. num. 77. Peregrin. de fideicommiſſ. artic. 29. Polydor. Ripa de actis in mort. artic. cap. 3. num. 23. Ferrandus lib. 1. explicat. cap. 6.* Et mihi omnium melius *Iacobus Cuiac. ad* dictum *§. ſeptimo menſe, & in tract. de diuerſis tempor. præſcription. & terminis, cap. 19. Henricus Salmuth. ad Pancirolum tomo 2. rerum memorab. tit. 10. Andreas Dalnerus de iure hominis, p. 6. num. 10. Marius Giurba in conſuetud. Senat. Meſſanenſ. 1. par. cap. 1. gloſſ. 4. num. 35.* (vbi alios plures refert) *Franciſcus Linglois in commentar. 50. deciſionum Iuſtiniani, ad deciſ. 19. quæſt. 1. num. 2. Hadrian. Neguſant. in ſylua reſponſor. quæſt. 400. num. 70.* & ex noſtris *Ioan. Garcia de nobilitate, gloſſ. 48. nu. 3.* verſic. *Luna demum, Azeuedo* in *l. 2. tit. 8. libr. 5. Recop. num. 9.* Vt meritò ſit refellendus *Sfortia Oddus in tract. de ſubſtitutionib. part. 6. quæſt. 2. art. 2. numero* 13. vbi inconſultè ſeptimeſtrem partum in puncto Iuris illegitimum & abortiuum eſſe ait. Cùm enim lex caſum iſtum expreſsè deciderit, de eo amplius dubitandum non eſt. Nec ad Medicos confugere neceſſum eſt, vt ait *Linglois ſupra*, præſertim cùm & ipſi partum ſeptimeſtrem comprobét auctoritatibus Iuriſconſultorum *Vlpiani* & *Pauli*.

Quòd ſi rationem † diſquiras, cur 8
ſeptimeſtris partus naturalis, vitalis, legitimuſque ſit cenſendus, multiplicem certè adinuenies in Medicis, Phi-

losophis & Mathematicis. Quin & in Theologis, maximè *Tertullian. lib. de anima cap.37.* vbi natiuitatem septimestrem plenam agnoscit in honorem Sabbati, *vt quoto die dedicata Dei conditio, toto mense interdum producatur Dei imago.*

Sed his omissis, & alia nouissima causa, quam à Preceptore *Cynthio Clemente* adducit *Zacchias in Medico-legali, tit.2 quæst.2.nu.36.* dicens: partum crisi subiacere, & inde quemadmodum decimaquarta die in morbis acutis (quæ est medietas Lunæ) crises sunt salnæ, ita in partu euenire (hanc enim rationem facilè impugnabunt considerantes menses lunares viginti nouem dierum & dimidij frequentiores, & perfectiores fuisse, ex dicendis in *cap.12.* & inde quatuordecim dies medietatem mensis non efficere.) Et reiectis pluribus quæ in proposito cumulauit *Horat. Augen. libr.3. de part. homin. cap.3.* Ego certè cum *Hippocrate* relato *supra* à septimo mense τὴν ἀρχὴν τῆς τελειώσεως, id est, prefectionis partus principium regulariter (propter dicta in *cap. præcedenti*) constituo, ita vt perfectus tum fœtus esse incipiat, vbi dimidio exacto anno, particulam alterius attigerit, quod euenit principio septimi mensis, quo tempore, vt cæterorum Medicorum Schola affirmat, maturus iam fœtus pelliculas calcitratu disrumpit, & partum fieri natura cogit: quod ex pluribus comprobauit *Federicus Bonauent.* relatus *supr. in cap.9.* vbi eius dicta sumus prosecuti. Sed & rationem istam eleganter comprobauit *Ausonius d. edil.12.* vbi primam partus perfectionem huic septimo mensi tribuendam censuit versibus non ineleganti̇bus, referendis in *cap. seq.*

Prædictæ aliam addit rationem *Hippocrates in lib. de carnibus, siue de principijs,* vbi hominis naturam magna ex parte septenario † numero gubernari ait, his verbis: τὸ παιδίον ἑπτάμηνον λόγῳ γεγένηται καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα εἰς τὰς ἑβδομάδας, id est, *puer septimo mense natus certa ratione in lucem prodit, & vitalis est, cùm is rationem & numerum exactè ad hebdomadas respondentem habeat.* Et sanè ratio ista Philosophis (præsertim Stoicis, qui virtuté septenarij numeri maximè commendarunt, vt constat ex *Artemidoro lib.2. Oneiroc. cap. 75.* & omnium maximè Pythagoreis, qui suorum numerorum legibus omnia regi existimabant, idque præcipuè præualere in partubus, & morborum crisibus contendebant) semper arrisit. Vnde *Philon.* dict. *lib. de mundi opificio,* cùm plura singularia de numero septenario enarrasset, tam cælestia, quàm terrestria percurrens in proposito ita ait: Πάλιν τε αὖ γυναιξὶν ἡ καταφορὰ τῶν καταμηνίων εἰς ἑπτὰ τὰς πλείστας ἡμέρας χορηγεῖται, καὶ τὰ κατὰ γαστρὸς βρέφη μησὶν ἑπτὰ ζωογονεῖσθαι πέφυκεν ὡς παραδοξότατον τὶ συμβαίνειν, γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων: quæ verba à Sigismundo Galenio deuians ita Latina facio: *Rursum mulierum fluxus menstruus ad diem vt plurimum septimum perdurat: & fœtus ab vtero mensibus septem viui producuntur, vt inde sit valde mirandum septimestres partus vitales euadere cùm octomestres impossibile sit viuere.* Nec enim *Philo* fœtū intra vterum nouem mensibus animari dixit iuxta communem versionem malè percipientem naturam & proprietatem verbi ζωογονεῖσθαι. Sed & *Marcus Varro in A.Gellio libr.3. Noctium Atticar.* d. *cap.16.* cùm plura cælestia & terrestria, in quibus septenarius numerus præeminet, recensuisset ad hominum generationem & editionem accedens: *Ad homines quoque nascendos vim numeri istius porrigi,*

per-

pertineréque (ait) *nam cùm in vterum mulieris genitale semen datum est, primis septem diebus conglobatur, coagulatúrque, fitque ad capiendam figuram idoneum. Post deinde quarta hebdomade quòd eius virile fœtus futurum est, caput & spina, quæ est in dorso, informatur: septima autem ferè hebdomade, id est, nono & quadragesimo die, totus, inquit, homo in vtero absoluitur. Illam quoque vim huius numeri obseruatam refert, quòd ante mensem septimum neque masculus, neque fœmina salubriter, ac secundum naturam nasci potest.* Idem sensit *Censorinus de d e nat. c. 7. Iam primũ quoto post conceptionem mense infantes edi soleant frequenter inter veteres agitatur, nendum conuenit. Hippon. Metapontinus à septimo ad decimum mensem nasci posse existimauit: nam septimo partum iam esse maturum, eò quòd in omnibus mensibus septenarius plurimum possit: siquidem septem formentur mensibus, adiisque alteris recti consistere incipiamus: & post septem menses dentes nobis innascantur, iidémque & post septimum cadant annum: quartodecimo autem pubescere soleamus. Sed hanc à septem me sibus incipiente maturitatem vsque ad decimam perductam: ideò quòd in aliis omnibus hæc eadem natura est, vt septem mensibus, annísve, tres aut menses aut anni ad confirmationem accedant. Nam dentes septem mensium infanti nasci, & maximè desimo perfici mense: septimo anno primos eorum excidere, decimo vltimos: post decimumquartum annum nonnullos, sed omnes intra septimum decimum annum pubescere.* Et ista (quæ ab antiquis *Censorinus* desumpsit) prosequuntur *Clemens Alexandrin. Strom. lib. 6. Chalcidius* latè *in Timæum Platonis, Basilius Magn. in psal. 114. Iustinus Martyr. responso ad Orthod. 69. Macrob. lib. 1. in somnium Scipion. c. 6. Alexand. Aphrodis. lib. 11. problem. 47. Diuus Ambros. d. epist. 39. ad Horontianum*, vt optimè notat *Iacob. Cuiacius in scholiis ad Paulum*, d. *lib. 4. Sententiar. tit. 9. §. septimo mense*; quidquid alij (& præcipuus *Horatius Augenius* refellendus ĵ. *nu.* 12. qui Diuum hunc non viderunt, aut calluerunt) contra allegationem istam immeritò notauerint. Astruit enim ea Epistola sanctissimus Ecclesiæ vniuersalis Doctor, vim septenarij numeri, qua norma *Philo, Varro, Censorinus*, & alij s̃. relati, & demum in proposito ait: *Quantum istud miraculi, quod septimo mense in plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur*: hoc ipsum notarunt *Matthæus Curtius in consilio edito de septim. partu, Anton. Faber in Rationalib. ad* d. *l. septimo mense*: & istis sanè melius & exactius *Cuiacius ad librum* 19. *Respons. in commentar. super eadem illa l. septimo mense*: vbi ista ab aliorum sententia tribuit Pythagorei numeri, id est, septenarij, perfectioni, qui vt ipse ait, & ζώγονος dicitur, & rerum omniũ modus. Vnde *Macrobius* d. *c.* 6. *Ita est natura fœcundus hic numerus* (ait) *vt primam humani partus perfectionẽ quasi arbiter quidam maturitatis absoluat.* Déque eiusdem septenarij numeri virtute, maximè in his quæ vtero geruntur, multa congesserunt *Petr. Garcia de locis affectis, disput. 69. c. 4. n. 13.* & *Andr. Laurent. libr. 8. de histor. anatom. cap. 9. quæstion. 30.* Quæ sanè hîc repetere, hominis prorsus esset otio abutentis.

Nec tantùm Philosophi editioni, & partioni à numero septimo terminum constituerunt, sed & reliquæ hominum ætati signum imprimere, dixit *Seneca lib. 7. de benefic. cap. 1. Censorinus de die natali*, d. *c.* 7. in verbis s̃. relatis, & iterum *capite* 14. ait: *Fere enim post septimum quemque annum articulos,*

& in his aliquid noui Natura ostendit, vt in Elegia Solonis cognoscere datur: ait enim in prima hebdomada dentes homini cadere, in secunda pubem apparere, in tertia barbam nasci, &c. quæ fuit præcipuè Stoicorum sententia, quam refert *Artemidorus libr.2. Oneir. capite* 75. ἔχει ἡ ἀνθρωπίνη γενεὰ κατ' ὀδόντας μετὰ ἔτη ἑπτὰ, *Macrobius libro 1. in somnium Scipionis capite 6. Eodem anno*, id est, septimo, *absoluitur integritas loquendi.*

Ab hísque Iurisconsulti (qui maiore ex parte Stoici fuerunt, vt diximus §. & notauimus in *c.2.*) infantiam septimo anno terminarunt, vt fecit *Vlpianus* in *l.1.§.sufficit.ff.de administrat. & periculo tutorum*, & Imperatores *Arcadius, Honorius* & *Theodosius* in *l. 8.tit.18.lib.8.C.Theodos.* idem *Theodosius* cum *Valentiniano* in *l.si infanti 18. C.de iure deliberandi.* Iidem Stoici pubertatem homini alio septenio addito designabant, *Plutarch.lib.5.de placitis Philosophor.c.24.* Ἡράκλειτος (inquit) καὶ οἱ Στωικοὶ ἄρχεσθαι τοὺς ἀνθρώπους τελειότητος περὶ τὴν δευτέραν ἑβδομάδα, *Seneca de consol.ad Martiam,c.21. Intra quatuordecim quædam* animalia *annos defatigantur, & hæc illis longissima ætas est, quæ homini prima:* primam verò ætatem appellat pubertatem, quam hòc eodem tempore Iuris Ciuilis Conditores distinguebant, vt videmus in *Vlpiano* in *l.qua ætate,ff.qui testamenta facere possunt*, & in *l. 2.ff.de vulgari*, & in *fragmen.titul.de tutel.§.fin. Paul.libr.5. Sentent.tit.4.de testam.in princip.* & probauit Imperator *Diocletianus* cum *Socio* in *l.si frater. 4. C.qui testamenta facere possunt, Iustinianus* in *l.fin.C.quando tutores vel curatores esse desinant*, & in *princip.instit.quib.mod.tutela finitur.* Inde *Macrob.lib.1.in Somnium Scipionis,c.5. Post annos autem* (ait) *bis septem ipsa ætatis necessitate pubescit. Hinc enim moueri incipit vis generationis in masculo, & purgatio fœminarum. Ideò & tutela puerili quasi iure iam robur absoluitur: de qua tamen fœminæ propter votorum festinationem maturis biennio legibus liberantur:* & insuper vidend. s est *Tertullianus*, ista mirè comprobans, *in lib. de anima, capite* 38. & *lib. de veland. virgin. capite* 11. *Alexand. Aphrodis. libr. 11. problem.* 47. illud expendens: Δὶς ἑπτὰ δὲ ἡβάσκει, τρὶς ἑπτὰ δὲ ἀνδροῦται: & conferunt tradita à *Zach.* (ex *Hippocr. in libr. de natura pueri*, & aliis) *in Medico-legal. titul. 1. quæst. 6.*

DEMVM ad nostra redeuntes (à quibus paululum digressi sumus) Astronomi † (ampliantes, quæ ex influ- 10
xu cælesti septimo mensi *Hippocrates* §. relatus accidere putauit) addunt (maximè *Schornerus libr. 1. de iudiciis*) Saturnum, vt qui cæteris antiquior, fœtum primo mense dirigere; Iouem secundo motum conferre; Martem tertio sanguinem; Solem verò quarto mense calore suo membra præcipua formare, eodémque mense rationalem animam instillari; quinto mense Venerem figuram, sexum & venustatem, sexto Mercurium extendere vocales arterias, septimo Lunam perficere conceptum propter plenitudinem & perfectionem septem Planetarum concurrentem, idcóque partum fieri vitalem; quod latè comprobat *Natalis Comes Mytholog. lib. 4. in princip.* Et ad ista reducenda ferè sunt, quæ tradit *Plutarch. libr.5. de placit. philosoph. cap.18.* Sed hæc omnia, & alia ab illo *Schornero* circa partum excogitata meræ sunt nugæ, vt notauit *Gothofred. in scholiis ad l. intestato 3. §. fin. ff. de suis & legitimis hæredib.* cáque disertè impugnauit *Bonauentura de partu octomestri lib.7.c.14. ad fin.* & facilè dilues ex his quæ annotauimus in *cap.1.* circa.

circa conceptum, & eius efformationem, articulationem, animæ infusionem, & motum.

11 Sed nec priores rationes † *Hippocratis*, & *Philonis* plenè concludunt, cùm experientia demonstrauerit, partus naturales & vitales quinto etiam & sexto mense contingere, vt notauimus & resoluimus in *c. præcedenti.* Admittendæ tamen erunt, si causam disquiras, cur à septimo mense impluribus perfectio & maturitas partus proueniat? Quo medio ista difficillima facilè modum recipiunt, & septenarij numeri vim præeminentem (quā nobis omnium desterrimè commendauit Rex ALPHONSVS Sapiens *in prologo legum Septem partiti Iuris*) non impugnabis; nec cum *Cardano* (j. referendo) necessum erit insigni audacia asserere, *Vlpianum in l. intestato, §. final. ff. de suis & legitim. hæredibus* aliorum auctoritate deceptum fuisse. Et cessabunt itidem quæ *Augenius* infr. referendus in rationem illam à virtute septenarij numeri sumptam, & in *Cuiacium* adstruere conatus fuit.

12 His consequens est, vt cum *Hippocrate* omnium Antesignano septimestribus partionibus duos † limites constituamus, breuiorem vnum, alium longiorem: breuior erit dictorum dierum 182. cum dimidio, cuius Auctor ipse meminit *in initio* dict. *lib. de septimest. partu* (qui sex mensibus & duobus diebus & dimidio septimi, constat ex dicendis in *cap. 12.* §. 4. & 5.) longior verò ex eodem *Hippocrate ad finem libri de carnib.* dierum est 210. qui integros septem menses constituunt. Ex his septimestres minores & maiores Medicis sunt: & quidem maiores (vt qui perfectiores & maturiores) magis vitales asserunt, vt colliges ex traditis à *Ludouico Mercado lib. 4. de mulier. affectio. c. 1.* & nobis probat disertis verbis *Paulus lib. 4. Sententiar. tit. 9. d. §. septimo mense*, vbi ita ait: *Septimo mense natus matri prodest: ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, vt aut septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur.* Vbi natum septimo mense pleno & perfecto, hoc est 210. diebus Iurisconsultus (more Medicorum loquutus) maturiorem appellat, supponens maturum & iustum partum esse, qui initio septimi mensis editus est, vt apertis verbis affirmauit ex eodem *Hippocrate Vlpianus* in d. *l. intestato, §. fin. ff. de suis & legitim. hæredib.* dicens: *De eo autem qui centesimo secundo die natus est, Hippocrates scripsit, & Diuus Pius Pontificibus rescripsit, iusto tempore videri natum.* *Paulus* ergo in d. §. *septimo mense*, intelligendus est de septimestris secundo limite & termino constante 220. diebus (de quo *Hippocrates in lib. de principiis* s. relatus) quem comparatè Iurisconsultus maturiorem appellat. *Vlpianus* verò de natis in primo limite & termino 182. dierum cum dimidio & aliquot horis (de quo idem *Hippocrates* in d. *lib. de septimest. partu*, *sub initium*) Sicque facillimo negotio dilues difficultatem horum iurium, quam nostrorum quidam magnifaciunt, vt constat ex traditis à *Tiraqu.* in d. *l. si vnquam*, verb. *susceperit liberos*, d. *num. 210. C. de reuoc. donat.* Nec magis feliciter enodauit doctissimus *Cuiacius in notis ad Paulum* in d. §. *septimo mense*.

Et securè itidem à dictis erues eundem *Paulum libr. 19. responsor.* relatum in dict. *l. septimo mense, ff. de statu homin.* (dum ait, partum perfectum septimo mense nasci, ex *Hippocratis* sententia) intelligendum de eo partu septimestri, qui breuiori spacio lucem vidit: eò enim loci *Pauli*

consilium fuit, breuissimum partus humani terminum præfinire, quod illis temporibus ab initio septimi mensis euenire tantùm putabatur, id est, centesimo octogesimo secundo die quindecim horis cum vigesimaquarta alterius parte, vt ex *Hippocrate* & *Galeno* nouiores Medici (tempus exactè supputantes) obseruant: ita intelligentes, quæ orationis concissioris causa tradunt iidem *Hippocrates*, *Polybus*, *Plutarchus*, & alij relati s̃. dum septimestrem edi dicunt centesimo-octogesimo secundo die & dimidio, horas omittentes cum particula alterius: & quæ breuiore propositione decidit *Vlpian.* in d. *l. intestato, §. fin. ff. de suis & legitim. hæredibus.* vbi nec dimidij diei mentionem facit, breuioris certè orationis causa (nec enim consultò 15. illas horas detraxit, vt malè existimauit *Horat. Augen. lib. 2. de homin. part. c. 9.)* Et hæc de minutis istis, quæ tamen repetita velim vbicunque huius termini 182. dierum mentionem fecerimus.

Et verò ex dictis de septimestribus editis in initio mensis septimi, & eo perfecto vel completo, venit refellen-
13 dus † *Iacob. Menoch. li. 2. de arbitrar.* d. *casu* 89. *numer.* 35. dum putat, & *Hippocrati* supponit, partum septimestrem vitalem & legitimum esse, si tamen in initio septimi mensis contingat: quandoquidem ex sententia eiusdem *Hippocratis* maturior & perfectior sit qui in fine septimi mensis editus fuerit.

14 Nec minus deceptus fuit † *Ferdinandus Mena in lib. de septimestri partu,* vbi asserit septimestrem non minori quàm dimidij mensis septimi spatio edi, quem optimè refellit *Bonauent. de partu octomestri, lib. 7. c. 6.*

15 A vero itidem errauit † *Macrobius lib. 1. in somn. Scipion. c. 8.* asserens septimestres naturales & vitales esse, si in lucem prodeant septimo mense perfecto, non antea cùm certissima & receptissima sit *Hippocratis* sententia de septimestribus centesimo octuagesimo secundo die editis, id est, in initio mensis septimi.

Quin & totius † illius mensis spa- 16
tio hos nasci clarè colligitur ex *Vallesio lib. 2. controuers. cap.* 11. vbi ait, partus hos septimestres primo, aut vltimo eius termino, aut inter hos alio, prout concepti fuerint, aut in plenilunio, aut interlunio, aut medio tempore: quod mirè comprobatur ex traditis ab *Horatio Augenio de hominis partu libr. 1. cap. 9.* vbi disertè elicit, non semper exactos ac plenos menses requiri ad naturalem partus constitutionem. Id quod agnouisse videtur *Galenus in comment. s̃. libr. Hippocratis de septimest. partu,* etsi frequentiores supponat partiones in initio, finéve septimi mensis contingentes, in illis verbis (ab istis lucem accipientibus) *Vnam solam mulierem noui, quæ centesimo & octogesimo die exacto, atque expleto partum edidit.* Sed nec ista probantur *Mercado* nostro, qui *libr. 4. de mulierum affectionibus cap. 1.* asserit, in medio, intra prædictos duos limites temporis spatio, celeriùs aut tardiùs maximam septimestrium edi partem, prout calida constitutione temporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida, citiùs maturescit fœtus: idque ex pluribus latè fundârat *Franciscus Valeriola lib. 3. enarrationum Medicinal. enarratione* 7.

Et ibidem † *Plinium* dicto *lib. 7. c. 5.* 17
improbat, & quidem disertè, dum malè putauit, septimestres pridie, posteróve plenilunij die, aut interlunio tantùm concipi; cùm enim septimestris partus naturalis sit, nil impedimento esse potest, quominus omnibus anni temporibus gignatur & edatur; quandoquidem editionis in septimo

mo mense causa vnica sit vuluæ expletio, & partus per id temporis consummata perfectio, & membranarum inde superueniens disruptio. Quòd si septimestris temporibus solùm à *Plinio* designatis conciperetur, id vt notabile, nec ignorarent, nec silẽtio præterirent *Hippocrates* & *Aristoteles*, vt recte notat *Valeriola*. Nisi velis dicere, *Galenum* id prænotasse in verbis proximè expensis.

Neque à nota prædicta quisquam
18 *Plinium* †. vindicabit attenta lectione *Cardani lib.1. contradict. Medicin. contradict.8.* vbi pro illis: *Septimo mense non nisi pridie, posteróve plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur*, reponit hæc: *In dimidio autem anni non nisi pridie, posteróve plenilunij die,* &c. Quis enim non videt vim apertam Plinianis verbis illatam?

Sed nec sustinêri possunt quæ itidem pro *Plinio* adstruit *Bonauentura lib.7. de octomestri partu, cap.123.* etenim generalem *Plinij* assertionem nimis restringit. Quin & ipse *Bonauentura lib.8. cap.52.* planè agnoscit totum septimum mensem vitalem esse, nec *Hippocratem*, aut *Aristotelem* verbum vllum fecisse, quo aliqua ipsius pars vitalis non sit. Et hoc medio (quo quidem *Plinium suprà* refellimus ex *Valeriola*) Auctor iste aliorum sententiam ab eo relatorum in *capite præcedenti* impugnat. Stat ergo firma *Vallesij*, *Mercadi*, & *Valerioli* proposita sententia. Quæ sane non latuit eruditis-
19 simum † *Iacobum Cuiacium in commentarijs ad librum 19. Responsorum Pauli* super dicta *l. septimo mense*, cuius verbis aptè ista concludemus dicentes: *Ergo septimo mense natum, vel septimestrem eum dicimus, qui natus est sub finem, vel initium septimi mensis: idem etsi medio septimi mensis natus erit.*

Ab hisdem insuper venit impugnandus *Galenus in commentarijs ad librum de septimestri partu*, vbi cõmuni octomestriũ supposita infœlicitate (de qua in *capite sequenti*) de septimestribus ita ait: *Sicut igitur nec citiùs præscripto hoc termino (id est centum octoginta duobus diebus cum horis quindecim) sic nec tardiùs ducentis & quatuor diebus nasci, qui ita conceptus fœtus est, potest*: etenim & septimo mense exacto vel completo isti nascuntur, ex sententia Iurisconsulti *Pauli* probata *Cuiacio*, itidemque Medicis *supra* relatis.

Demum præ omnibus à vero deuiarunt *Lalamantus in commentar. ad Galenum, lib.2. de diebus decretorijs, ca. 2.* & *Fortunatus Fidelis lib.3. de relationibus Medicis ca.7.* & *Paulus Zacchias in Medico-legalibus tit.2. quæst.3.* ex *n.* 3. adhuc post *Hippocratem* & *Aristotelem* contendentes septimestres partus ex natura non esse. Et maximè notandus est *Zacchias*, qui *supr.* ex *num. 30. & 63.* securè concludit, naturam partus istos non intendere, sed euenire à morbifica causa: quæ omnia erroribus plena sunt, & facilè eliduntur ex iam dictis & resolutis *supra* cum *Hippocrate, Aristotele*, & aliis. Et insuper refelluntur ex traditis ab eodem *Zacchia* dict. *tit.2. quæst.2. num.37.* vbi perfectiores agnouit septimestres maiores. Et clariùs ex dictis etiam ab eo dict. *quæst. num.64.* vbi ratus est, septimestres viuentes partus esse legitimos. Cùm autem quoto tempore viuere debeant, non designauerit, clarè infertur Iure Communi attento & Codicis, omnes septimestres, qui lucem viderunt, quamuis nati illicò decesserint (& nobis viuentes vigintiquatuor horas, &c.) naturales & perfectos diiudicandos.

Vidimus vt septimestres partus naturales, vitales, maturi, legitimi, & perfecti sunt, quod velim intelligas † quod attinet ad naturę suę rationem 20
iuxta tradita ab *Aristot. lib.3. de gener.*

animal.cap.9. Vnde apud nos ex *Paulo* in d.*l.septimo mense*, *ff.de statu homin.* partus isti inter perfectos semper erunt enumerandi perfectione sui generis, id est, septimestribus competente.

21 Est enim duplex in partu † perfectio iuxta communem Medicorum assensum id deducentium ex *Hippocrate*, qui *in libr.de septimest. partu* septimo mense natos initium perfectionis habere dixit, id est, primam vel incipientem, non autem absolutam. Vnde facilè dignosces secundam partus perfectionem, quam septimestres non attingunt ad natos nono aut decimo mense referendam (de natis in octauo dicemus in *cap.sequent.*) Perfectus ergo est partus septimestris in se ipso ac propriæ naturæ respectu, imperfectus verò aliorum perfectiorum causa attenta.

A qua consideratione venit com-
22 ponendum dissidium † inter *Hippocratem* & *Aristot.* vt dum ILLE *in lib. de septim.part.* septimestribus perfectionem concedit (vti *Paul.* ab eo in d.*l.septimo mense*) & septimo mense natos omnia participare, quæ perfectissimi partus in se habent, edocuit, intelligatur de septimestribus, prout in se sunt, nulla ad alios perfectiores partus comparatione facta: dum verò ISTE dict. *libr.4. de gener.anim.cap.6.* eos imperfectos nominat, subaudire debemus relatione ad alios perfectiores partus habita. Quemadmodum (hæc obiter dicam) & quod *Hippocr.* eodem loco asserit, dicens, septimestrium pauciores viuere, & maxima ex parte perire, comparatè sit intelligendum, attenta scilicet periclitantium multitudine. Et cùm *Aristot.* in loco relato plures superstites euadere dixit in originali Græco illis verbis: καὶ βιῶσι πολλὰ καὶ τῶν τοιούτων (quæ malè vertit *Theodorus* dicens: *Plerique ex his viuere atque adolescere possunt*) intelligatur habita ipsorum semestrium ratione, quasi diceret, septimestrium in se perfectorum (qui secundam absolutam perfectionem nacti non fuerint) non vnum aut alterum tantùm sospitem, vitalémque euadere, sed & plures. Et sanè hæc omnia mihi cóplexus videtur *Auicen. 3.Fen.21. tract. 2.c.1.* illis verbis: *Et scias inde, quòd mēsis septimus est primus mensis, in quo parit ipsum: & est fœtus fortis creationis & complexionis, cuius creatio velocior fuit, & cuius motus festinauit, & cuius petitio ad exitum fit velocior: & plurimū quidem moritur natus in hoc tempore, quoniam tolerat motus vehementes in debilitate creationis, huiusmodi natus namque licèt in radice sit fortis, tamen est proximi spatij cum creatione.* Quòd si non aliter quis ista sumere intendat, non solùm pugnam inter *Hippocratem* & *Aristotelem* fouebit, verùm & eosdem dissidentes in omnibus faciet, quando re vera concordes, & idem concinentes supponunt septimestres partus vitales & perfectos esse: † imbecilles ta- 23
men & ob id perire plures, quamuis multi supersint.

Idque nobis experientia harum rerum potissima magistra clarè demonstrat quotidie: & semper ita fuisse obseruatum nobis innuit *Homer. Ilia. lib. 19.* vbi Eristheum septimo mense editum imbecillem & immaturum appellat, dum ait:

——ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μεὶς
ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόως, καὶ ἠλιτόμηνον
ἐόντα.

Et *Cicero lib.1.epist.ad Atticum* ita appositè de septimestri nepote eloquitur: *Tullia mea peperit xiv. Kalen. Iun. puerum* ἑπταμηνιαῖον, *quod* αὐτίκα *gaudebam: quod quidem est natum, perimbecillum est.* Cùm ergo *Hippocr.* d.*libr. de septimest. partu* istos ἰσχυροτάτους, καὶ ἀνδροτάτους, *fortes* & *viriles* appellat, creden-

credendum ſanè eſt, eos vel in ſuæ naturæ ratione conſideraſſe, vel ad quinquemeſtres & ſemeſtres attendentem,& velut comparatè locutum fuiſſe.

24 Multiplicem prędictę ſeptimeſtriũ imbecillitatis cauſam † Medici aſſignant,ſed ne his plus debito vagemur, nos eam teneræ,præcoci & recenti efformationi concedimus, prænotantes *Philoſophum* d.*lib.7.de animal.hiſt.* ita appoſitè dicentem: *Qui ſeptimo vitalis quidem hic primus exit,ſed magna ex parte infirmior,quamobrem cunabulis ex lana eum obuoluunt,& faſcijs alligant. Meatus etiam nonnulli infiſſi, vt aurium,aut narium ſępenumerò generantur: ſed accreſcenti articulantur infanti,& multi eorum viuunt*:& idem ferè repetit in *lib.4.de generat.animal.* d.*cap.6.*

25 Cur autem ſeptimeſtres generationem perfectam præueniant, & ocyùs † matureſcant?& cur maiore ex parte mares ſint?& cur nati aliquorum dierum patiuntur affectionem? & alia ſimilia, ex *Hippocrate*,& *Ariſtotele* in locis citatis percipies:& ab Auctoribus *hoc capite* iam relatis plenè doceberis.Nobis ſat ſit propoſita reſoluiſſe ad clariorem intelligentiam & abſolutam exornationem eorum,quæ de ſeptimeſtribus nobis *Paulus* & *Vlpianus* Iuriſconſulti iam ſæpiùs laudati edixerunt.

Reſtabat huius loci propria illa inueſtigatio,quî fiat vt centum octoginta & duos dies cum dimidio, vel quindecim horis (de quibus in *Hippoc.*d.*libro de ſeptim.partu,in init.* iam 26 pluries relato) ſeptimum † attingant menſem?& an menſis iſte *Hippocr.*ciuilis & communis ſit, an lunaris? quæ (ne tractationem ſcindamus) diſcuſſa inuenies in *c.12.§.4.*ex *num.* 19. vbi de anni & menſis Græcorum computatione agemus.

Interim tamen annotandum cenſeo menſes iſtos,& quoſlibet cõſtitutioni partus naturalis deſignatos ſolares eſſe,æqualeſque tricenos,ita vt 182.dies cum 15. horis ſex menſibus integris conſtent,duobúſque diebus cum parte alterius,& inde 181.dies ſeptimum menſem attingunt, vt agnouiſſe videtur *Accurſius* † noſter *in l.ſeptimo* 27 *menſe,D.de ſtatu hom.* At cùm 181.die partum legitimum contingere putauit,aduerſatur ſanè communiori noſtrorum reſolutioni traditæ in *capite præced.n.3.*& ſententiæ *Hippocratis* & *Polybi*,eiuſque rationi potiſſimæ *ſup.* traditæ *hoc cap.n.8.* Neque enim *Polybus* ſeptimeſtrem vitalem in 180. die conſtituit,vt malè putabat *Horat.Augen.libro 1.de hom.part.cap.8.*ſed 182.vt clarè probatur illis *Clem. Alexand.* verbis *Stromat.lib.6.* Φασὶ δὲ καὶ τὸ ἔμβρυον ἀπαρτίζεσθαι πρὸς ἀκρίβειαν μηνὶ τῷ ἕκτῳ, τουτέστιν ἑκατὸν ἡμέραις καὶ ὀγδοήκοντα πρὸς ταῖς δύο, καὶ ἡμισείᾳ ὡς ἱστορεῖ Πόλυβος μὲν ὁ ἰατρὸς ἐν τῷ περὶ ὀκταμήνων. *Aiunt fœtum quoque perfectè abſolui menſe ſexto, hoc eſt centum & octoginta duobus diebus & dimidio, vt ſcribit Polyb.quidem Medicus in libr. de octomeſtribus.*Vnde eſt, vt longius à vero errauerit is *Auctor*,dum *lib.1. de homin.partu,cap.16.*exiſtimauit, partum 178.179.& 180. dierum ſeptimeſtrem eſſe.

Demum vltimo loco diſcutienda ſupereſt tota *Cuiacij* ſententia circa ſeptimeſtres,& vindicanda † ſimul tan- 28 ti Auctoris,tamque de iure benemeriti ſententia ab impugnatione *Horatij Augen.lib.2.de homin.part.c.9.*quod facilè fiet expenſis *Cuiacij* verbis,is enim in *notis ad libr.4.Sent. Pauli,tit.9. §.ſeptimo menſe* ita ait:*Sed vt ad* ἐντάμηνον *redeamus,quem maturum partum eſſe diximus, cùm tamen* ἑπτάμηνος *ſit immaturus, ſi quæratur differentiæ ratio, tribuendum id erit occultæ rationi &*

virtuti septenarij numeri: ac videnda hîc omnino erit epistola Ambros.39. ad Horontianum. Adhæc si quæratur, an & is sit maturus, qui ad initia septimi mensis natus est, dicam esse maturum, ex l.3.§. vlt.ff.de suis & legit.hæredit. vt puta si natus sit 182. die. Et si enim exactiùs dinumeratis omnibus mensium diebus, 182. dies, accidere possit, vt sextum mensem non impleant, v.g. à Calen. Martij vsque ante diem prid. Calen. Augusti dinumeratione facta: tamen in hoc proposito ex sententia Græcorum Iurisconsultorum ita ineunda est computatio, vt singulis mensibus 30. dumtaxat dies tribuantur, qua ratione 182. dies septimum mensem attingunt. Et ita Hippocr. quoque libr.2. epid.3. sect.270. pro nouem mensibus putat. Nosque hanc putandi rationem semper sequimur. At videtur huic nostræ sententiæ aduersari Paul. *dum ait, septimo pleno, pleno autem, id est 210. diebus, qui numerus continet τρεῖς δέκαδας ἑβδομάδων vt & Hippocr. περὶ σαρκῶν ostendit. Non tamen ideò statim consequitur, non nasci partum legitimũ circa initia septimi mensis: nam 182. die partum nasci Hippocrates scripsit περὶ ἑπταμήνου, qui numerus dierum efficit dimidiam anni partem rotundato numero.*

Hæc autem (mihi tam verissima, quàm quæ veriora) *Augenius* (quà iste cæterique Medici nostra refellendi æstuant desiderio, dum quæ sua solùm putant tractamus) ex pluribus impugnare contendit. Et primo loco id quod de numeri septenarij virtute adducit *Cuiac.* notauit, dicens, inde inferri septimestres partus præstantiores esse & frequentiores nonomestribus & decimestribus, quod falsum esse omnino ait, & nos fatemur. Sed hæc obiectio (qua in suum *Hippocratem* priore loco, & in *Philonem*, cæterosque *supra* relatos vti debuerat) nullius est momenti: nam sufficit ad eruendam virtutem septenarij numeri, quòd ab eo partus perfecti & maturi initium sumatur. At nonomestris, & decimestris maior perfectio, alia res est, quæ excellentem vim numeri septenarij non excludit. Secundò ait, errasse *Cuiacium* mensium partus rationem ineũtem iuxta numerum 30. dierum pro quoquam mense: & itidem *Paul.* Iurisc. existimantem *l.b.4. Sent. tit.9.* septimestrem partum completum 210. diebus constare. Sed in vtroque à vera longè (vt aiunt) aberrat via: nam computatio *Cuiac.* ad rationem mensium solarium, tricenorũ æqualium verior est & tenenda, ex his quæ resoluemus, & satis superque probabimus *inf. c.12. §.4. & 5.* Quod verò attinet ad *Paulum*, magis ac magis mirandus est *Augenius* tantum Iurisconsſ. impugnans, cùm eum (vt nota ipsa subdemonstrat) nec legerit, nec vnquam forsan viderit, d. *tit.9.* vbi id tantùm ait: *Septimo pleno aut decimo mense partus maturior videtur*: an verò septimus iste mensis plenus 210. diebus (menses septem integros solares conficientibus) vel 206. & dimidiato (menses septem lunares *Augenij* integrantibus) constent, *Paulus* non aperit. Tertio demum loco *Cuiacium* (fidissimè aliorum scripta recitantem) notat, dicens, eum sinistrè allegasse *Epist.39. ff. Ambros. ad Horontianum*, sed fallitur, vt iam *supr.* annotauimus *hoc cap.* Omnia ergo quæ *Augen.* in *Cuiac.* quin & *Paulum* Iuris Auctorem excogitauit futilia sunt, & à vero deuia. Cætera septimestrium partionem attinentia tractabimus *inf. dict. c.12. §.4.* & alibi, partimque desumenda sunt à dictis in *cap. præced.* vbi etiam resoluimus *nu.29. 33. 34. & 40.* nullum nobis ante septimum mensem partum legitimum esse attenta generali dispositione *l.4. tit.23. §.4.* & iuxta eam accipiendam & intelligendam esse *l. 13. Tauri.*

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

DE OCTOMESTRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Insignes Medici huius æui integros tractatus de partu octomestri ediderunt.*

2 *Retroactis temporibus, & nunc ingens fuit controuersia inter Philosophos, Medicos, & Astrologos, quin & inter Iuris Interpretes, an sint partus naturales, quos natura octauo mense producit.*

3 *Auctores Iuris contra octomestres refert.*

4 *Baldus octomestrium hostis auctoritatibus Medicorum eos impugnat.*

5 Hippocrates *citatur diuersis locis contra octomestres. Et nu.75 respondetur dictis ab eo. Et n.84. & 85.*

6 *Sententia octomestribus inimica variis rationibus affirmatur, sumptis à Philosophia, Medicina, Astrologia, Arithmetica & Musica.*

7 *Ratio quædam* Auicennæ *in octomestres expenditur. Et nu.86. ei &* Alb. *Gentili respond.*

8 *Astronomica ratio adducitur. Alia n. 10. & illam euertit n.87. & 88.*

9 *Alia ratio ab Astrologia desumpta, & a Plutarcho expensa adducitur.*

11 *Alia Arithmetica refertur. Et nu.12. alia Musicæ remissiuè, cum aliis, quas refellit n.89.*

13 *Socinus in octomestres quatuor rationibus mouetur. Et nu.14.15. & 16. Et eis respondetur nu.80. & 81.*

17 *Plures Iuris Auctores expenduntur pro octomestribus.*

18 *Et pro eis omnium primus citatur* Aristoteles, *& post eum alij plures philosophi & Medici.*

19 *Ex quo immobile est, quod naturale est, consequenter fit octomestres naturales esse & vitales. Et n.20. quòd in Ægypto sunt vitales. Et n.21. in Græcia, & insula Naxo. Et n.22. in Italia. Et nu.23. in regione Hidekel. Et nu. 24. in Hispania.*

25 Bonauentura *octomestres sospites (cùm tractatum de octomestri partu componeret) vidit.*

26 *Quæ secundùm naturam sunt, ordinem semper habent.*

27 *Natura non in corruptis, sed in perfectis consideranda est.*

28 *Octomestres partus, vt qui inter septimestres & nonomestres mediat, perfecti sunt ex quadam doctrina* Arist.

29 *Natura non transit de extremo ad extremum.*

30 Laurentius Operarius, *qui ratus est octomestrem partum perfectum esse, non verò vitalem, refellitur.*

31 *Ab absurdo & inconuenienti superfluitatis vitandæ* Auctor *probat octomestres esse naturales, perfectos & vitales.*

32 *A quadam* Hippocratis *doctrina probat octomestres partus naturales esse & vitales.*

33 Auctor *Iurisprudentes à nota* Federici Bonauenturæ *vindicat.*

34 *Nulla lex est aut constitutio in octomestres.*

35 *Regula* l.qui in vtero 7.& 26. *octomestribus fauet.*

36 *Octomestribus Iurisprudentes aliquot contrarij, eos, qui propriis, vt aiunt, viribus nascuntur, sustinent.*

37 *Octomestres naturaliter viuunt, & vitæ mortalis munia obeunt successiuo vitæ suæ tractu.*

38 L.vxoris abortu, C. de posthumis hæred.*expenditur pro octomestribus. Et nu.*39. l.quod certatum 3.C.eod. tit. *Et num.*40.l.quod dicitur,ff.de liber.& posth. *Et num.*41.l.Gallus, eod.tit. *Et n.*42.43.44.*&* 46.*diuersæ leges Hispanæ antiquæ & nouiores.*

45 L.4.tit.23.p.3.*vers.*Este cruento *declaratur.*

47 *Media fuit aliquorum sententia, octomestrem partum certis statisque temporibus naturalem & perfectum existimantium.*

48 Auctor *stat pro octomestribus fauente opinone, & eam in iure praxique seruandam contendit. Et num.*57.*&* 100.

49 *Octomestres minus vitales agnoscit.*

50 Hippocratem *&* Aristotelem *à* Plutarcho *relatos expendit & explicat.*

51 *Infelicitatis octomestrium rationem à* Bonauentura *assignatam refert.*

52 *Partus octomestris per se perfectus est, maturus & naturalis.*

53 Lalamantius *agnoscit* Aristoteli *octomestrem partum naturalem esse, si locus* Philosophi *non est corruptus. Rariores tamen octomestres agnoscit* Auctor *ex* Aristotele,*quem interpretatur.*

54 *Mulieres in computatione temporis partus sæpissimè falluntur. Et num.*55. *Adagium Hispanum in id expendit.*

56 *Partus naturales gradus certos à natura habere ex doctrina* Philosophi *enuit..*

58 Baldi *error detegitur, qui vt notoria, certa, fixáque adæquat* mortem homini obuenturam, & nasci quem non posse octauo mense.

59 Alciatus *impugnatur, dum generaliter asserit octauo mense natos naturaliter viuere non posse.*

60 *Decisio* Afflictis *impugnatur, & Medici, quorum auctoritate innititur, apertè refelluntur.*

61 Sforcia *impugnatur, dum putat,* Hippocratis *sententiam localem esse.*

62 Cagnolus *(malè* Aristotelem *percipiens) notatur.*

63 *Relati à* Tiraquel. *qui octomestres partus abortiuos dixerunt, exploduntur.*

64 Thom.Grammaticus, *qui octomestres ad summum octo dies viuere posse asseruit, impugnatur.*

65 Iacob.Cuiac. *qui octomestrem partum illegitimum dixit, reiicitur.*

66 Giurba, *qui octomestres filiorum nomine in dispositione statutaria nō comprehendi dixit, reprobatur.*

67 Polyd.Ripa, *qui octomestrem, numerum priuilegiarium duodecim liberorum non implere dixit, refellitur.*

68 Parisius, *qui octomestrem habendum pro non nato putauit, abiicitur.*

69 Tiraq. *qui octomestrem non reuocare donationē ad terminos* l. si vnquam, *affirmauit, improbatur.*

70 Christoph.de Paz *interpretum sententiam octomestribus fauentem retorquens notatur. Et insuper num.*71. *in his quæ de octomestribus ad successionem maioratus non admittendis resoluit.*

72 Torreblanca *improuidè Iurisconsultos notans, reiicitur.*

73 *Iurisprudentes octomestres impugnantes hoc fecerunt à Medicis sui temporis edocti.*

74 *Medici variè errarunt circa octomestres.*

76 *Octomestrium causam à doctrina* Hip-

Hippocratis *comprobat* Bonauentura *ab* Auctore *improbatus.*
77 Cicero *(qui contra octomestres expendi solet) intelligitur. Et n.78. ad alias auctoritates* Philonis, Plutarchi & Gellij *respond.*
79 Hieronymus Ceuallos *Iurisconsultus Hispanus à nota* Patris Caroli Scribani *vindicatur.*
82 L. si maior, C. de legitimis hæred. *interpr.*
83 L. antiqui, ff. si pars hęreditat. petat. *declar.*
90 *Computatio octomestris parturitionis initur. Et n.91.*
92 *In dubio partus viuus editus legitimo tempore natus est præsumendus. Et n.93. quod standum non est dicto mulieris asserentis octauo mense enixam. Et n.94. ait, non probari partum octomestrem ex quo viuit solos duos, quatuor aut sex dies. Et nu.95. hoc ipsum tenet etsi mors in puerperio contigerit.*
96 Marij Giurbæ *sententiam asserentis partum non esse præsumendum octomestrem, nisi probetur, partim probat* Auctor, *& partim eum, aliosque improbat. Et n. seq.*
98 *Quod attinet ad munia & effectus naturalium partionum superuacuum est inquirere, an quis natus sit octauo mense, vel reliquis? Et num.99. varios effectus huius disquisitionis quoad alia dinumerat.*
101 *In admissione octomestrium cessat periculum supponendi partus, quod in aliis est.*
102 *Exectus octauo mense legitimus, & vitalis est censendus.*

ACCEDIMVS ad octomestrium partionum scriptionem, quæ excellentium virorum in Iurisprudentia, Philosophia, & Medicina ingenia exercuit: adeóque longè, & latè patet, vt de ea præter communes cômentarios ad *lib. Hippocratis,* siue *Polybi de octomest. partu)* his temporibus absolutos tractatus † ediderint insignes viri *Angelus Matthæacius,* & *Federicus Bonauentura*, qui postmodum concissiorem disputationem super eadem reedidit. Quin & Iuris Ciuilis, nostríque Interpretes ex professo (vt aiunt) tractationem istam diuersis locis inierunt, etsi nullibi apud nos specialis vlla mentio sit huius partus. Nos autem studium & operam in eo præcipuè collocabimus, vt diffusè ab aliis tradita, ne dicam ordine peruerso, ad methodum reducamus, & concissa disputatione omnia ea percurramus, quorum cognitio Iurisconsulto necessaria visa est ad decisionem causarum; à Philosophis & Medicis mutuantes aliqua, vt & ipsi à nobis (maximè in causa partus) non verentur multa desumere, & iura nostra pro libito interpretari, Iurísque Auctores approbare & refellere, quin & sæpiùs irridere. 1

PRINCIPIO præmittendum est, magnam retroactis temporibus, & nunc esse controuersiam † inter Philosophos, Medicos, & Astrologos, & Iuris demum Interpretes, an octauo mense nati (hi sunt qui à 211. ad 240. diem nascuntur, vt plenissimè comprobabitur in *c. seq.*) sint partus naturales & legitimi, vel violenti & abortiui? & sanè prædictorum omnium tam Antiquorum, quàm Neotericorum communior sententia stat contra octomestres eos à classe & numero naturalium partionum excludens: quæ fuit sententia † *Cyni* (vt à nostris incipiam) in *l. septimo mense,* vbi alij, *ff. de statu hom. Bart. in l. Gallus in princ. n. 12. ff. de liberis & posthum.* (qui stare videtur contra octomestres, cùm triplex pariendi legitimum tempus constituat, septimo, nono, & decimo men- 2 3

se, id quod ꝗ.examinabimus *num.77.)* *Baldi in l.ea quidem,n.17. C.de accusa.* *Tiraq.* post plures,in *l.si vnquam,*verb. *susceperit liberos, n.205.& 206. C.de reuoc.donat. Alciati* in *l.qui mortui, ff.de verb.signif. Guillel.Bened. in c.Raynutius,*verb.*& soboles,*à *n.24.de testam.*Et in Concilio Neapolitano ita decisum testatur *Matth. de Afflict. decis.* 236. (consultis prius eminentibus Medicis & Philosophis) *Menoch.de arbit.casu* 89.*nu.*38.& *lib.*4.*præsumpt.*89.*num.*111. *Mantic.de coniect.vlt.vol.lib.*11. *tit.*6.*n.* 10.*Clar.in* §.*testamentum,q.*45.*nu.*3.*Cuiac.in tract.de diuers.temp.præscript. & term.c.*19.& *in not.ad Iul.Paul.li.*4 *sent. tit.*9 §.*septimo mense,Marc. Ant.Eugen.* (qui de mente omnium esse dixit)*cons.* 28.*nu.*4.*lib.*1. & plures alios huius opinionis assertores cumulauit *Mar. Giurba* (eos sequutus) *in consuet.Senat. Messan.*1.*p.c.*1.*glos.*4.*n.*37. Quibus adde nouiores *Ioannem Baptistam Costã,* cum relatis, *de rati.rata quæst.*152.*n.*13. *Paulum Æmil.de except.* 3.*p.tit.*1. *except.*2.*n.*9. *Polydorum Ripam de actis in mortis articulo,*§.*de posthumo,*& *in tractat.de noctur.temp.c.*68.*num.*81. *&* 82. *Thomam Actium in tractatu de infirmitate legali,*1.*part.c.*20.*nu.*13. *Ruger.*latè *cons.*1.*ferè per tot.vol.*1. *Hadrianum Negusantium in sylua responsor. quæst.*400. *n.*31.*& seqq.*& à *n.*38.& iterum *n.*48. Et ex nostris idem tenent ferè omnes cõmentatores *l.*13.*Tauri,*maximè *Palat. Rub.n.*19.*Anto.Gomez nu.*4.*Gomez Arias n.*14.*Tell.Fernand.nu.*2.*in fin.Ceruant.*à *n.*34. *Velazquez de Auend.gloss. vlt.Didac.Perez* in *l.*1.*tit.*2.*lib.*5. *Ordinamenti, Matienço glos.*4.*n.*4.*in l.*2.*tit.* 8.*lib.*5.*Recop.*(vbi *Azeued.nu.*10.*&* 11. ita in casu contingenti respondisse testatur) *Ioan.Oroscius in l.septimo. mense, ff.de statu homin.* idem *Anton. Gomez libr.*1.*variarum resolutionum,c.*5.*nu.*41. *Gutier.in lib.*2.*practicarum quæstionum, quæst.*100.*nu.*7.*& quæst.*101. *Villadiego* in *l.*18.*tit.*2.*lib.*4.*Fori juzgo,n.*6. & sentit *Micres de maiorat.*2.*par.qu.*9.à *nu.* 10. & securè demum asserit *Christophor.de Paz de tenuta, tract.*2.*q.*68.*nu.* 31.*&* 36.

Sed inter omnes iuris professores 4
Baldus † octomestrium quandoque acerrimus hostis in comprobationem suæ sententiæ Medicos inuocat in *d.l. ea quidem* d.*n.*17.*& cons.*128.*ad finem, lib.*1.& *cons.*113.*n.*5.*lib.*5. & demum *Tiraquellus* aliorum plurium auctoritatibus istam sententiam adstruit d.verbo *susceperit liberos,nu.*205.206.209.*&* 210. vbi plura (inordinata tamen, & prout ipsi obueniebant) scripta reperies.

Ab his autẽ & aliis primus & principalis octomestrium impugnator citatur *Hippocrat.*† in diuersis locis. Pri- 5
mo *in lib.de octomest.partu in princ.*vbi tam ratione,quàm experientia id probare cõtendit (vt optimè notat *Horat. Augen.li.*2.*de hom.partu,c.*14.) Secũdo expenditur *in lib.de septim.part.*& *in li. de carnib.*siue *de principiis*, vbi Princeps iste rei Medicæ ait: ὀκταμήνων ꝺ γινομένων οὐδὲν βιοῖ πώποτε, i. *natorum mense octauo nullus vnquam vixit.*Et demum *in lib.de aliment.*ita ænigmaticè ait: ἔς ἔκτροσιν σμ᾽, οὐκ ἔςι ϗ ἔςι, i. *partus ducentorum & quadraginta dierum* (talis est octomestris, vt innuimus s. *n.*2.) *est & non est,*quasi dicat,nasci quidem octauo mense hominem, sed ita ac si non esset,quia vitalis esse nequit. Id quod mihi clarissimè probant illa Sabini Medici expensa ab *A.Gell.lib.*3. *Noct. Attic.c.*16. ΕΣΤΙ μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, ΟΥΚ ΕΣΤΙ ꝺ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστιν οὖν φαντασίᾳ μὲν προσαυτίκα ὄντα, δυνάμει ꝺ οὐκ ἔςι, id est, SVNT *quidem prima* (vt aiunt) *facie, ac abortiui partus:* NON SVNT, *vt qui illicò deficiunt,tanquã apparen-*

parenter *existentes, & reuera non exstãtes*: nisi mauis illa ΟΥΚ ΕΣΤΙ, καὶ ΕΣΤΙ, NON EST, & EST, ad omnia præcedẽtia referre, vt annotauimus in *Prolegomenis*. Vtcunque verò sit, admitti non possunt quæ in huius loci explicationem adduxit *Muretus li.15.emendat. c.12.* vt qui infeliciter verba illa ὀκτάμηνος γένεσις superaddit, & pro ἔκτρωσιν reponit ἔπτωσιν, nullam aliam ob caussam, nisi quòd non calluerit quid si velit nota illa arithmetica σμ′, hoc est 240.

Et in eadem *Hippocratis* opinione fuerunt plures antiquissimi Philosophi *Epicharmum* antiquorem sequuti, quos refert *Censorin. de die natali ad Q. Cærel. cap. 7. sub fin. Antiquos* itidem *Romanos* dicit *Varro* apud A. Gell. *libr. 3. d. c. 16.*) *non recepisse huiusmodi quasi monstrosas raritates*, & in eodem *cap. ad fin.* ita ait: *Memini ego Romæ accuratè hoc ac solicitè quæsitum negocio tunc rei non paruæ postulante, an octauo mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium liberorum suppleuisset? Cùm abortio quibusdã non partus videretur mensis octaui intempestiuitas.* Et pro ista sententia ab aliquibus citari solet *Cicer. in lib. 2. de natura Deorum.*

Sed & *Philo in libr. de mundi opificio* prædictis accinens ita ait: Γίνεται γὰρ τὰ ἑπταμηνιαῖα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων, (vertit. *Gelenius*, meliùs dixisset *sunt*) *septimestres partus vitales, cùm octomestres omnino impossibile sit viuere.* Et hac ipsa perstiterunt sententia *Plutarchus lib. 5. de placit. Philosophor. cap. 18. Censorinus*, ex mente aliquorum *suprà*, *Cælius Rhodogin. lib. 22. lection. antiquar. cap. 14. Leuinus Lemnius de occultis naturæ miracul. lib. 4. cap. 23. Martin. Delrius lib. 1. disquisit. magic. cap. 4. quæst. 2.* & ex Medicis (post *Galenum 9. popul.* parte 7. textu 27. vbi ita ait: *De octauo certum est non edi in ipso vitales partus, Auicennam.* & alios relatos *infr. nu. 7.*) ita firmant *Michael Scot in lib. physionom. cap. 10. Franciscus Vallesius lib. 2. controuersiar. cap. 10. Ludouicus Mercadus* (latè expensus & examinatus à *Bonauentura lib. 10. de octomest. partu, cap. 22. & seqq.* & maximè *cap. 28.*) & plures demum Antiqui & Neoterici relati ab eodem *Federico Bonauentura in disputatione de octomestris partus natura, capit. 4.*

SENTENTIAM istam octomestribus inimicam Auctores *supra* relati varijs rationibus obfirmant sumptis ex Philosophia, Medicina, Astrologia, seu Astronomia, quin ab Arithmetica & Musica. Singuli enim (vt disertissimè ait *Lalamant. ad libr. 2. dier. decret. Gai. cap. 2. fol. 151.*) ex eius disciplinæ penetralibus, ad quam animum adiunxerunt, rationem huius rei depromunt; Medici ex media Philosophia; Chaldæi ex Astrologia; Arithmetici ex sua Arithmetica. Sed omnium prior & potissima † ratio est quam as- 6
signat *Hippocrates d. libr. de octomest. partu, in initio*, vbi ita ait: *At vero quod ad partum, qui octauo mense editur, attinet, fieri non posse assenero, vt duas continenter consequentes afflictiones pueri perferant, ideóque eos qui octauo mense nascuntur, minimè superesse. His etenim accidit, vt ea quæ in vtero est, & ea quæ in partu sit afflictione consequenter laborent; proptereaque eorum qui octauo mense eduntur, nullus est superstes:* & mox, *Puer autem cùm partus instat, laborare incipit, & in vitæ periculum venire, cùm in vtero vertitur*, &c.

De hoc autem vitæ periculo in octomestribus egerat idẽ *Hipocr. in libello de septim. partu*, cuius sententiam optimè illustrat *Hierony. Capiuacceus libr. 4. de affectionibus vteri, cap. 8.* vbi

aliam octomestrium deperditionis rationem ex eodem *Hippocrate* adstruit, dicens: *Quæritur etiam, quare septimestris fœtus non sit vitalis; Non potest causa transferri in solum motum, quòd fœtus mense octauo moueatur, nam si septimo est parturitio, sexto est motus: si decimo, mense nono est motus. Quare potiùs cum Hippocrate lib. de septimestri partu statuendum, causam esse quia octauus mensis facit vnum è quadragenarijs: tria enim sunt quadragenaria, in quibus vitæ periculum subit fœtus: primum est in primo mense, vnde tunc facilè fit abortus: alterum in octauo mense: tertium post partum. cùm igitur in octauo mense secundum sit quadragenarium, & proinde sit tempus, quod discrimen fœtui adferre potest, & eo tempore fœtus laboret, si tunc fœtus egrediatur, vitalis esse non potest, quia non potest pati periculum secundi quadragenarij: & etiam tertij.*

ALIAM naturalem insuper ratio-
7 nem excogitauit † *Auicenna lib.3. Fen.21.tract.1.cap.2.* teste *Alb. Gentili* eius commentatore, qui ita scribit: *Quare natus in septimo mense viuat, & in octauo non, redditur causa ab Auicen. hîc, & Halya, quia fœtus semper incipit moueri ad exitum, quando fœtus est completus, & deficit sibi nutrimentum in septimo mense, ideò si non exit, debilitatur propter motum, & ideo resumitur, per totum mensem octauum vt plurimum, & ideò debet ire vsque ad nonum mensem:* sequitur *Iacobus Cancerius lib. 2. quæstionum, cap. 9. numer. 5.* vbi ait, septimo mense fœtum naturaliter lucem desiderare, & nasciturum ad partum moueri, vt qui constet omnibus suis septem numeris, *animo*, scilicet, *corpore, sanguine, ingenio, desiderio, cupiditate & humore* (*quibus humanum constat corpus*) *mensibus singulis ingeneratis: vnde est, vt si satis virium habeat, ad partum prodeat, sin minus in alium ventris locum sese transmouens, in eo maneat per duos menses, donec conualuerit. Et quia in motu debilitatur, inde est, quòd si sequenti octauo mense ad partum procedat, viuere nequeat.* Et ista, quod valdè mirandum, comprobasse videtur *Franciscus Valles. lib.2. controuers. c.11.* quò loci Lectorem amandamus, si plura huius propositi videre velit. Sed & is ipse d. *lib.2.c.10.* alias rationem adduxit; & demum ait, rationem solum deperditionis octomestrium Deum euidenter agnoscere, id quod video placuisse *Amat. decis.132. nu.10.* vbi ait, hæc esse secreta naturæ hominibus plurimùm incerta. *Ioannes* itidem *Lalamant.* aliam adducit causam *in commentar. ad librum Hipoocratis de homin. ætat.* Duas alias *Franciscus Valeriola libr.3. enarrat. Medicinal. enarrat.7.* Quattuor *Ludouicus Mercadus* Optimi Maximique nostri Regis Dominique PHILIPPI III. ἀρχιάτρος & à cubiculo *libr. 4. de mulieris. affection.* quas sigillatim recenset *Federic. Bonauent. de partu octomest. libr. 2. cap.12.* Alias *Doctor Sorapan in Adag. Medic. Hispan. 2. p. adag. 1.* Alias itidè expendit *Iacob. Guillemaus in lib. de generat. tit. de semine, fol. 221. & seqq.* Alias *Andreas Laurent. lib. 8. de historia anatom. cap. 9.* Et demum alias nouissimè congessit *Pater Lælius Bisciola lib. 1. horar. subsecinar. cap. 7.* Sed omnes causæ ab istis enumeratæ in iam relatas *Hippocratis* & aliorum certè recidunt, ideoque earum relatione non immoror.

POST rationes istorum Naturales & Medicas sequũtur Astronomicæ, quarum prima fuit Chaldæorum † (gen- 8
tes Assyriæ, quæ ex syderum obseruatione hanc scientiam fecerunt, teste *Cicerone libr.1. de Diuinatan princ.* & *pro L. Muræna, Diodor. Sicul. lib.17. Vitruu. lib.9. cap.7. A. Gel. lib.14. Noct. Attic. cap.1. Chalcid. in Timæum Platonis,* vbi Magos CHRISTVM Dominum ado-

adorantes Chaldæos fuisse asserit, *fol.* 219. *Diuus Hieronym. in cap.* 11. *Daniel. D. August. lib.* 11. *de Doctr. Christ. cap.* 21. *D. Isidor.* ex *Lucano lib.* 4. *Origin.* seu *Etymolog. cap.* 9. *in princip.* vnde gentis vocabulum artis esse cœpit, *l. nemo* 5. *Cod. de Malefic. & Mathemat.*) Hi ergo rationem reddunt, cur homines mense septimo, nono & decimo nascantur, non verò octauo, apud *Censorin. de die natali cap.* 8. ita dicentem: *Sed nunc Chaldæorum ratio breuiter tractanda est, explicandúmque cur septimo mense, & nono & decimo tantummodo posse nasci homines arbitrentur? Ante omnia dicunt, actum vitámq; nostram stellis tam vagis quã statis esse subiectam, earúmq; vario & multiplici cursu genus humanum gubernari: sed ipsarum motus, schemataque & effectus à Sole crebrò immutari: nam vt aliæ occasum, nonnullæ stationem faciant, nósque omnes disparili sua temperatura afficiũt, Solis fieri potentia. Itaque eum qui stellas ipsas, quibus mouemur, permouet, animam nobis dare, qua regamur: potentissimúmq; in nos esse, moderaríq;, quãdo post cõceptionem veniamus in lucem; sed hoc per tres facere conspectus. Quid autem sit conspectus, & quot eius genera, vt liquidò perspici possit, pauca prædicam. Circulus est, vt ferunt, signifer quẽ Græci vocant Ζῳδιακὸν, in quo Sol & Luna, cæteræque stellæ vagæ ferũtur. Hic in duodecim partes totidem signis redditas æquabiliter diuisus est. Eum Sol annuo spatio metitur: ita in vnoquoq; signo fermè vnum mensem moratur. Sed signũ quodlibet cum cæteris singulis habet mutuum conspectum, non tamen vniformem cum omnibus: nam validiores alij, infirmiores alij habentur. Igitur quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo signo sit necessè, & in aliqua eius particula, quem locum conceptionis propriè appellant. Sunt autem hæ particulæ in vnoquoque signo tricenæ, totius verò Zodiaci numero* CCCLX. *Has Græci μοῖρας cognominarunt, eò videlicet quòd Deas fatales nuncupant μοῖρας: & eæ particulæ nobis velut fata sunt: nam qua potissimum oriente nascantur, plurimum refert.* SOL *ergo cùm in proximum signum transcendit, locum illum conceptionis aut imbecillo videt conspectu, aut etiam nec conspicit: nam plures proximantia sibimet Zodia inuicem sibi videre negauerunt. At cùm in tertio est signo, hoc est, vno medio interposito tunc primum illum locum vnde profectus est, videre dicitur, sed valdè obliquo & inualido lumine, qui conspectus vocatur καθ' ἑξάγωνον, qui sextã partem circuli subtendit. Nã si vt à primo Zodio ad tertium, sic à tertio ad quintum, inde porrò ad septimum, ac deinde alteræ lineæ imitantur hexagoni æquilateralis forma in eodẽ ciaculo scriberetur. Hunc quidam conspectum non vsquequaque receperũt, quod minimum ad maturitatem partus videatur conferre. Cùm verò in quartum signũ peruenit, & media duo sunt, videt κατὰ τετράγωνον: quoniam illa linea, qua visus percendit, quartam partem orbis abscidit. Cùm autem in quinto est, tribus interiacentibus mediis κατὰ τρίγωνον adspicit: nam tertiã signiferi partem visus ille metitur, quæ duæ visiones τετράγωνοι τρίγωνοι, perquam efficaces incrementum partus multum adminiculant.* Cæterum *à loco sexto conspectus omni caret efficientia, eius enim lineà nullius polygoni afficit latus. At à septimo Zodio, quod est contrariũ, plenissimus, potentissimúsque conspectus quosdam tã maturos infantes educit, qui septimestres appellantur, quia septimo mense nascuntur. At si intra hoc spatiũ maturescere vterus non potuerit, octauo mense non editur (ab octauo etiam signo, vt à sextò inefficax visus) sed vel nono mense, vel decimo. Sol enim à nono Zodio particulam conceptionis rursum conspicit κατὰ τρίγωνον, & à decimo κατὰ τετράγωνον, qui conspectus, vt suprà,*

Oo

iam dictum est, per quàm efficaces sunt. Cæterùm vndecimo non putāt nasci, quia languido iam radio infirmum lumē κατ' ἑξάγωνον mittatur. Multominùs duodecimo, vnde conspectus pro nullo habetur. Itaque secundùm rationem hanc ἑπτάμηνοι nascuntur κατὰ διάμετρον. ἐννεάμηνοι autem κατὰ τρίγωνον. δεκάμηνοι verò κατὰ τετράγωνον: Hactenus *Censorinus*: cuius Scholiastim *Henricum Lindembrogium* ad faciliorē Chaldæorum doctrinæ perceptionē, schemate quodam vsum inuenies non inepto: quod ab *Elia Vineto* (eius nomine suppresso) mutuatus fuit in notis *ad ædil.* 12. *Auson. de ratione puerper.* vbi meretricè à *Censorino* traditam rationem ita depinxit *Ausonius* ipse:

Omnia quæ vario rerū metimur in actu,
Astrorum dominatus agit, terrenáque tantùm
Membra homini, è superis fortuna, & spiritus auris
Septima moderanda choro: sed præsidet Ollis
Sortitus regimen nitida Sol aureus æthra,
Nec Sol in nobis moderatur tempora vitæ,
Námque vbi conceptus genitali insederit aluo
Haud dubium SOLEM *cuique insistere signo,*
Qui cùm vicini stationem cœperit astri,
Contiguos nullùm transfundit lumen in ortus.
Ast vbi conuersis post menstrua tempora habetis
Scādit purpureo iam tertia sydera curru
Obliqua exilem demittit linea lucem
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia SOLIS
Suadet, & infusos teneros coalescere fœtus
Fulgur tetragono aspectu vitale coruscat,
Clarum & lene micans. Quinti qui cardine signi
Incutit attonitum vegetato infante parentem:
Nam sexto vis nulla loco, quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo:
Ast vbi signiferi media in regione cohortes.
Septimus accepit limes, rutilantia flammis
Recto castra situ, turgentis fœdera partus
Iam plena sub luce videt, nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fouet igne coronæ;
Hinc illud quod legitimos Lucina labores
Præuenit, & grauidos sentit subrepere nixus
Ante spectatū festina puerpera votum.
Quod nisi septeno cum lumina fudit in astro
Impulerit tardi claustra obluctantia partus
Posterior nequeat, posset prior, an quia sexto
Æmulus Octaui conspectus inutilis astri
Nescit cōpariles laterū formare figuras.
Sed Nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota leuat, trigono viris sociante sequenti.
At si difficilis trahit Ilithyia sidera rursū
Tetragono absoluet dubiarum vincla morarum.

Plutarchus verò *lib.5. de placitis philosophor. d. cap.* 18. aliam ab Astrologiæ † scientia huius rei rationem desumit; 9 cùm Latinè in nouiore versione ita ait: *Mathematici octo menses ad quemuis partum insociabiles aiunt, septem sociabiles: signa porrò cœli insociabilia sunt, quæ incidunt in stellas domibus carentibus dominantes, & sub se natis vitam infelicem, ac non longæuam portendunt. Sunt autem insociabilia, quorum vnum*

vnum ab altero octauum numeratur, vt Aries ad Scorpium, Taurus ad Sagittarium, Gemini ad Capricornum, Cancer ad Aquarium, Leo ad Pisces, Virgo ad Arietem, &c. hinc fieri, vt septimo & decimo mense edita in lucem vitalia sint; octauo nata ob dißidium mundi pereant.

10 ALIAM itidem Astronomicam † rationem designauit *Gentilis* in præcitato loco, vbi ita antecedentia à nobis iam expensa prosequitur: *Secũda causa est Astronomica, quia in primo mense dominatur Saturnus embryoni, in secundo Iupiter, in tertio Mars, in quarto Sol, & tunc est animal ratione, postea Venus, postea Mercurius, postea Luna, & tunc si nascatur, viuit & completus est cursus, si transit & venit ad octauum, regnat Saturnus, qui sua frigiditate & siccitate (quæ sunt qualitates vitæ contrariæ) interficit fœtum, sed in nono regnat Iupiter qui dat vitam, & est benignus, & ideò nunc viuit, vndecimo etiam viuit, & regnat Mars:* quod latiùs prosequutus fuit *Schonerus libr. 1. de iudiciis*, cuius verba retulimus in *cap. præced.* Sed & hoc ipsum ferè sensit *Ausonius dicto ædyllio 12.* versibus illis proximè expensis.

11 Ast Arithmetici † illa innituntur ratione, quòd octonarius numerus imperfectus est, & partui inde ineptus, vt notauit *Cuiacius ad Iulium Paulum lib. 4. Sententiar. tit. 9. d. §. septimo mense*, & ex aliis *Sforcia cons. 28. numer. 8.* Arithmetici enim Pythagoram sequuti numeris ideò tribuunt, vt eos ipsos & substantiam rerum & causam esse prædicent, qua cuncta constant, & suum habent esse, *Lalamant. ad Galeni libr. secundo, de dieb. decretor. cap. secundo, fol. 308.*

12 Sed & varias causas à Musica, aliísque scientiis Mathematicis † cumulauit *Gothfredus in scholiis ad l. septimo mense. ff. de statu homin.* quas ipse meras nugas agnoscit, ob ídque insuper habendas, & omittendas duxi. Aliam itidem à Theologia adducit *Tertullianus de anima, cap. 37.* quæ mihi parum certè arridet.

Nouiores autem Medici κορωφαῖον *Hippocratem* sequuti multiplici alias rationes (præter assignatas) aliunde petitas comminiscuntur: maximè *Gorræus* Medicus Parisiensis *in annotationibus ad Hippocr. librum de natura pueri*, cum plura in proposito disseruisset, & refutasset, demum huius rei causam ad mutationes Lunæ cum Solis mutationibus concurrentes refert, dum ait: *Quòd si simul, eodémque tempore mutatio tam in Luna, quàm in Sole contingerit, hæc quidem est aliarum omnium efficacissima: contingit autem tum septimo, tum octauo, tum nono mense lunari. Sed τόνιμος quidem est in septimo, atque frugifera, quoniam non ab ea longè absit Solis mutatio, quæ centesimo octogesimo secundo die contingit. Non est autem octauo, nonóque mense lunari tanta, vt fœtum deijcere possit, & proferre in lucem: aut si tanta illi commotio accidat, vt prodeat & nascatur admodum imbecillem, necessariò putare oportet, qui tam leuem Lunæ mutationem sustinere non potuerit, & idcircò minimè vitalem esse.* Sub hæc recidens in causam ab *Auicenna* allatam, & à nobis relatam *suprà* ita ait: *Est autẽ illa imbecillitas vel natiua fœtui, vel ex aliquo accidẽti (quæ multorũ fuit opinio) cõtracta: Aiũt enim, & rectè quidẽ embryon septimo mense ab vteri cõceptabulis exitũ affectare, atq; in id cõluctari plurimum (tũc enim, vt ostẽdimus, eodẽ ferè tẽpore. Sol & Luna mutationem subeũt) verùm conatu aliquando excidere, atque interim fatigatum effici imbecillius. Quòd si nedũ refectis viribus octauo rursum eundem petat conatum) námque ad hoc mutatio quæ Lunæ singulis mensibus accidit, irritare potest)*

oblæsum frequentiùs intermori. Ac de octauo quidem mense genitis sic scripsit Hippocrates in libello de alimento: Ad partum ducenti quadraginta dies non est & est: quibus verbis tã obscuris, præcisis, atque aduersis indicat, eum qui natus est mense octauo (nam 240. dies menses octauo conficiunt) aliquo quidem modo esse & natum videri, sed re vera non esse, quoniam paulò pòst intereat. Et hisce plura consimilia non tantùm à Medicis & Philosophis petita, sed etiam ab Astrologis & Arithmeticis desumpta tradidit *Lalamant. ad Galeni libro secundo, de dieb. decretor. fol.* 161. d. *cap.* 2. & latissimè congerit *Bonauent.* in compendiosa *disputat. de octomest. partus natura, ca. secundo &* 3. & diluit ex *ca.* 13.

SVPEREST rationes, quibus moti
13 fuerunt † Iuris Interpretes *suprà* citati, vt octomestrem partum damnarent, & inter abortiuos connumerarent, expendamus: & eas sanè omnium exactiùs mihi prosequutus videtur *Socin. Iunior cons.* 35. *volum.* 2. vbi quattuor assignauit. Prima, quòd apud Iuris professores, orta disputatione & controuersia, illa opinio sequenda est, quæ à pluribus & illustribus pro vera recipitur, indéque circa partum octomestrem tenenda est opinio negatiua, vt quàm plures & illustres Auctores approbauerunt.

14 Secunda est, † lex in partus tempore definiendo *Hippocratis* summi Medicinæ parentis auctoritatem sequitur: at *Hippocrates* partus octomestres vitales non esse asseruit: ergo Iurisconsulti hos partus probare nequeunt.

15 Tertia † ratio (inquit iste) nititur auctoritate iuris nostri Antesignanorum *Bart. Bald.* & *Pauli de Castro*, hos partus octomestres non admittentiũ.
Ab his descendit *Socinus* ad quartam rationem, † & simul ad interpretationem, *l. vxoris abortu,* & *l. quod certatum C. de posthum. hæredib. instituend.* vt quod in prima dicitur: *Natum quã-uis illico decesserit testamentum paternũ rumpere:* & in secunda: *Si vitæus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, &c.* intelligendum sit à *communiter accidentibus de his qui vt in plurimum naturaliter viuere poterant. Enimuerò* (subdit) *huiusmodi talibus, licèt paulò pòst moriantur, præsumitur mortem ex aliquo accidenti non naturali contigisse; cùm secundum naturam, ac vt plurimũ viuere potuissent: quemadmodum in septimo & nono mense editis contingere videmus. Non potest autem lex intelligi de his qui rarissimè & quasi per miraculum possent viuere, vt plurimum verò nequeunt esse superstites, vt in his euenit, qui quinto, sexto aut octauo mense in lucem prodeũt. His enim mensibus si quis oriatur, ac statim intereat, naturaliter quidem, non ex aliquo accidenti, obijsse creditur diem suum, eò quòd naturaliter viuere non poterat, cùm frequentiùs huiusmodi tales moriantur: atq; hoc sensu accipienda esse verba Pomponij in l. iura & constitutiones, & Celsi in l. nam ad ea, ff. de legib. nimirum vt dicamus iura in sui præscriptione aptãda esse ad ea quæ facilè & frequenter accidunt, non ad ea quæ raro eueniunt.* Et ita esse de aliorum iuris professorum mente testatur is Auctor, qui ex his multa desumpsit à *Socino Seniore cons.* 65. *num.* 1. & 2. *volum.* 3. & eius dicta prosequuntur & exornant posteriores Iuris Auctores, quorum bonam partem retulimus *supr.* Sed & plures alias legales rationes intermiscet *Bonau. in disp. de octom. partu c.* 2 quæ vel ad præfatas referuntur, vt nullius sunt ponderis.

SED CONTRARIA sententia † oc- 17
ctomestri partui fauens, cúmque inter

inter naturales, vel saltem nobis legitimos connumerans omni ferè æuo placuit primæ notę viris tam Philosophis & Medicis, quàm Iuris professoribus, à quibus incipiens *Baldum* primum, sibique re vera cõtrarium assertorem video in dict. *cons.128.numer. secundo libro primo*, in illis verbis: *Licèt natus fuerit octauo mense, qui non potest viuere secundùm Philosophos, tamen sufficit momento vixisse, l. vxoris abortu, l. quod certatum, Cod. de posthumis hæredib. instituend.* idem *Bald.* (his ipsis verbis vsus) dict. *cons.113. numero quinto in fine libro quinto*, & *in cap.1. tit. Episcopum, vel Abbatem in vsibus feudorum, Angelus* eius frater in *l. quod dicitur, ff. de liberis & posthum. Philippus Corneus* in dict. *l. quod certatum. Bertrand. consi. 207. numer.5. lib.1. Felinus* in *cap. sicut litterarum 20. numer.5. de homicid. Boërius decis. 220. numero secundo. Cæpola cons. ciuili 50. Parisius cons.146. in fin. volum.4. Bursat. cons.63. numer. decimo nono libro primo, Sfortia Oddus* (*Albericum & Petrum Iacobum* referens) *cons. 28. per 44. numero, Cardinalis Albanus ad Bart. in l. Centurio num. 4. ff. de vulgari & pupillari substitut. Intrigliol. singul.268. lib.1. Amathis* cum aliis relatis *decis.132. à numer. 6. Petr. Ærodi. libro secundo rer. iudicat. tit.4. cap.2. & titul.5. cap.2. Eguinar. Var. ad l. septimo mense, ff. de statu homin. Zacchias in Medicolegalib. titul. secundo, quæst. 4. Choppin. de priuileg. rusticor. libro tertio, capite octauo, nume. quinto, Alexand. Foramin. lib. singulari epistolar. forensium, epist. 39. Dominicus Arumæus lib.2. decis. vltima ex numer.50.* cum aliis relatis *à Menochio lib.4. præsumpt.89. numer.111. Peregrin. de fideicommissis artic.43. numero vigesimo nono, & cons.11. numer.1. libr.3.* nec dissentit *Claud. Bertazola in additionibus ad cons. 452.* patris *Bertazolæ lib.2.* Et ex nostris idem tenuit doctissimus Gregor. *Lopez* in *l. 4. titul.23. p.4.* verbo *fasta diez dias, Cifuentes in leg. decimatertia Tauri, numero secundo, Ioannes Garcia de nobilitate* dict. *gloss. 48. §.1. nume.3. Torreblanca in sua Magia, siue Epitome delictorum, libro 2. cap. 43. nu.29. & 30.*

Horum Auctorum, & aliorum ab eis relatorum assertio pluribus rationibus innititur, quin & auctoritatibus antiquorum Philosophorum & Medicorum, & aliorum insignium Virorum, quorum aliquos recensuit *Plutarchus lib.5. de placitis Philosophor.* d. *cap. 18.* vbi ita ait: *Polybus & Diocles Empirici etiam octauum mensem aptum partui agnoscunt, sed fœtum esse tum imbecilliorem, ideóque nonnullos perire, ac tametsi ferè in vniuersum nemo octauo mense natam prolem alendam censet, tamen multos sic natos in viros euasisse*: alios citauit *Censorinus de die natali ad Q. Cærel. cap.7.* vbi rem indecisam reliquit.

Sed omnivm præcipuus huius sententiæ assertor fuit † *Aristotel. lib.7.* 18 *de histor. animal. cap.4.* vbi apertè stat pro octomestribus in illis verbis: καὶ γὰρ ἑπτάμηνα, καὶ ὀκτάμηνα, καὶ ἐννεάμηνα γίνονται, καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον, ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός: quæ malè vertit *Theodorus* dicens: *Nã etsi septimo mense & octauo & nono parere potest, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangũt*: melius *Vetus Interpres*, dum ait: *Etenim septem mensium, & octo mensium, & nouem mensium fiunt, &c.* cui cõcinit *Trapezunt.* ita disertè in proposito prædicta verba Latina faciens: *Nam & septem, & octo, & nouem mensium gignuntur*: & disertioribus verbis *Iulius Cæsar Scaliger* nouissimè editus: *Nam & homo septimo, & octauo & nono mense parit*: verbum námque illud γίνονται, quo vtitur *Aristotele*: Latinè *nascuntur, oriuntur, sunt*, vel *fiunt*) actũ denotat, nõ potentiam, vt innuebat *Theodorus*; &

pariformiter (vt cum nostris loquar) determinet partum septimestrem, octomestrem, nonomestrem, decimestrem, & vndecimestrem (de quo ibi *Aristoteles* agit) non est cur magis legitimus & naturalis *Philosopho* fuerit partus septimestris & nonomestris, quàm octauo mense editus, ex vulgari regula *l.iam hoc iure 2. ff. de vulgari & pupillari substitut.* quæ habet determinationem vnicam plura (vt nostri loquuntur) respicientem determinabilia debere æquo lance & modo determinare; idem ipsum docuit *Philosophus in suis problematib. problem. 40. sect. 10.* Et re vera sentit *Philo Iudæus in libr. de mundi opificio*, dicens: Γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων, id est, *Septimestres eduntur, & consistunt, octomestres verò plerumque non viuunt:* etenim aduerbium illud ΕΠΙΠΑΝ, *vt plurimum, plerúmque, feréque* rectè interpretantur nouiores *Lexicographi* ex *Polybo* & *Theophrasto*: id quod video annotasse *Bonauen. in compend. disputat. de octom. part. cap. 35.* Adde *Plinium libr. 7. natural. histor. cap. 5.* ita dicentem: *Homo toto anno, & incerto gignitur spatio, alius septimo mense, alius octauo, & vsque ad initia decimi, vndecimiq;*: & mox *Translatitiũ in Ægypto est & octauo gigni.* His concinunt quæ ab antiquis protulit *A. Gellius libro 3. Noct. Attic. ca. 16.* dicẽs: *Sed noster Cæcilius cùm faceret eodem nomine, & eiusdem argumenti comœdiam, ac pleráque à Menandro sumeret, in mensibus tamen genitalibus nominandis non prætermisit octauum, quem præterierat Menander: Cæcilij versus hi sunt:*

Insolétne mulier decimo mense parere?
Pol non, etiam septimo atque octauo.

Eam rem Cæcilium non inconsideratè dixisse, nec temerè à Menandro atque à multorum opinionibus desciuisse Marcus Varro vti credamus facit. Nam mense nonnunquam octauo editum esse partum in lib. 14. rerum diuinarum scriptum reliquit. Quæ verba pro octomestribus expendunt *Sforcia Oddus dict. cons. 28. numer. 30.* & *Federicus Bonauentura de partu octomestri lib. 9. cap. 37. post princip.* Qui ista exactiùs prosequitur *in compendiosa disputatione de partu octomest. cap. 34.* dicens: *Post hac Gellius vt doceret quæstionem hanc non ab re esse controuersam, subdit dissensionis huius de octauo mense causam ex verbis Hippocratis libello de alimento cognosci; quibus ait, octomestrem generationem esse, & non esse: ac Sabini recenset interpretationem: quasi dicat Gellius, ita loquutum diuinum Senem satis ostendere hac præcisa, obscura, ambigua & contraria loquutione, octaui mensis naturam difficillimam esse cognitu, & iure controuersam. Ad hæcque confirmanda veterum Romanorũ addit testimonium Varrone referente, qui nonum & decimum mensem antùm receperunt, octauum ac septimum reiecerunt. Quibus in hunc modum explicatis, multa eleganter de mense octauo, vndecimóque disputans; ad dubitationem mox reuertit de octauo mense, & ita loquitur:* Memini ego Romæ accuratè hoc, atque solicitè quæsitum; negotio non rei tunc paruę postulante, an octauo mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium liberorum suppleuisset? cùm abortio quibusdam, non partus videretur mensis octaui intempestiuitas. *Hæc Gellius, qui dum quæstionem refert, sed solutionem tacet; dum quibusdam non omnibus octauo genitum abortionem visam fuisse scribit, satis apertè ostendit, eos, qui tunc Romæ decernendi habebant potestatem, nullo pacto definire voluisse, octauo mense viuum editum, statim etiam mortuum, esse abortionem; ita vt libentissimè in contrariam opinionem inclinauerint. Quòd si hæc omnia animo versemur, luce meridianè*

diana clarius erit, praecipuum Gellij consilium in eo capite fuisse, vt pro vero receptam illam opinionem (octauo scilicet partum humanum nunquam edi vitalem) falsam esse, & grauissimorum Auctorum testimonio, & rei ipsius euentu demonstraret. Quamobrem locus hic nõ oscitanter, & tanquam in transcursu acceptus, sed accuratè consideratus mirificè aduersariis videtur infensus Qua mihi singularia sunt, exceptis his quæ in interpretãdo *Hippocrate* insumit, quæ sustineri certè non possunt, & apertè refelluntur ex iam dictis per nos s. num. 5.

Sed & *Albertus Magnus lib. 9. de animalibus* de natis octauo mense ita scribit: *Aliquando autem accidit, quòd quidam nati octauo mense supraiuiũt:* & paulò post, *Dicunt tamen aliqui, quòd in partibus Ægypti, quæ sunt partes calidæ & humidæ, & multum sunt ibi mulieres viragines, & vigorosæ, multæ in octauo mense pariunt, & superuiuunt, & hoc rarum & mirabile est valdè; ibi enim pariunt mulieres ad octo menses, & viuunt filij. Dicitur autem, quòd in partibus Regionis, quam vocant* A-DEKIL, *saluantur nati in octauo mense.*

Eiusdem sententiæ fuit *Auerroes*, (quem ab aliorum subauditionibus vindicat *Federic. Bonauentura lib. 9. de partu octomestr. cap. 36.*) Sed & is *Auicenna lib. 10. capite quinto*, octomestribus fauentem citat & eius verba valdè mendosa refert in *cap. 8.* quæ à verò originali Latino excerpta ita se habent *libro 3. Fen. 21. tract. 2. cap. 1. Verùm mortuus in octauo mense est, qui plurimùm moritur de natis, & parum viuit. Quòd si aliquis viuat de natus in octo mensibus, tunc illud est rarum valdè;* & *parum viuit natus, qui est fœmina in hoc tempore: & in quibusdam regionibus non viuit natus octo mensium omnino, quia non euacuatur eius dispositio, quin aut sit retardatus in creatione & motione, & in desiderio ad partum seu ad exilium vsque ad hanc horam, quare significatur quod eius virtus non est fortis in radice: conatus eius ad motum exitus ad extra in principio temporis complementi magis & plus debilitat ipsum, quam debilitet illum, cuius conatus est in principio temporis complementi, & est fortis in radice virtus eius sicut nati in septimo. Quod si non fuerit ita, imò fuerit creatio eius & motus ipsius, & voluntas desiderans peruenire ad partum, iam fuerit completa ante illum, & fuerit huiusmodi fœtus iam desiderans, & exquirens separationem & exitum à loco suo, & conuertatur & eius conuersio, quæ non sequitur intentionem suam, faciat accidere laborem & fatigationem, & remanet sic conuersus vsquequo redit ad ipsum virtus sua, & facit ipsum deficere debilitas virtutis suæ: tunc accidit ei proculdubio illa lassitudo aut defectio, quæ accidit debili desideranti aut exquirenti motum euasionis ad locum optatum, quando aduenit ei talis motus, absque quo perueniat vel applicet ad illum locum. Infirmatur ergo procul dubio & debilitatur, & resoluitur virtus eius; & quando nascitur in huiusmodi dispositione, est iudicium eius, iudicium nati infirmi debilis, & de iudiciis eius est, quod non speratur ei vita.* Hæc verba horrida & obscura (vitio Interpretis, vt ait *Bonauentura* dict. c. 8. & fortè an ab ipsius Auctoris barbarie) pluribus verbis enodare anxiè conatus fuit & ipse s. qui ab illa demum verborum inculta farragine vnum illud eruit, plures octomestres interire, seruarique pauciores. Quod mihi Iuris studioso à primo verborum aspectu non innotuit, vt quod disertissimis verbis prædicat *Auicenna.*

Quæ cùm subterfugere non po-

tuisset *Gentilis* eius comentator (octomestrium aliàs impugnator) coactus fuit fateri & octauo mense natos viuere: cùm ergo *Auicenna* octomestrium plurimos mori, & paucos viuere affirmauerit in prioribus illis verbis: *Natus in octauo mense est qui plurimùm moritur de natis, & parum viuit*, clarè concedit aliquos superuiuere (quæ fuit sententia *Aristotelis* & aliorum, vt probabimus ĩ.) Idque ipsum probat *Sanctus Thomas in opusculo de fato, art.* 4. in verbis illis: *Similiter natus octauo mense moritur vt frequentiùs*, quasi diceret, aliquando hoc mense editos viuere, & sospites euadere. Et huius sententiæ fuit *Doctor Lemosius in commentar. ad lib. de natur. facul. Galeni.*

Sed & *Federicus Bonauentura Vrbinas* (qui, vt prædiximus, integro tractatu causam octomestrium propugnauit) plures alios Medicos & Philosophos suæ sententiæ assertores congessit *lib.* 1. *cap.* 5. & *lib.* 3. *cap.* 59. & *lib.* 9. *cap.* 11. & *lib.* 10. *cap.* 31. 34. 35. 37. & 39. vbi ex multis probare contendit, octomestres partus *Hippocrati* & *Galeno* eius interpreti vitales fuisse. Et eodem *lib. cap.* 53. *& sequentibus vsque in finem tractationis*, Astrologicas rationes refellit, & *Ptolomæum* pro octomestribus citat. Et demum *Ioannem Picum libro tertio in Astrogiam, capite* 18. & *Horatium Augenium* Medicum præstantissimum *libro octauo epistolar. epistola* 2. *cap.* 11. qui idem asseruit *libr. secundo, de partu hominis, ca.* 16. & nouissimè post *Cardan. contrad. Medic. lib.* 1. *contrad.* 8. *tract.* 3. *in fin.* defendit *Paulus Zacchias in Medicolegalibus, tit.* 2. *quæst.* 2. *numer.* 6. & plures alios retulit *Bonauentu. in compendiosa disputatione de octomestr. part. nat. cap.* 19. *& seqq.*

19 SVPEREST vt rationes † partum octauo mense editum vitalitium & naturalem comprobantes in medium adducamus.

ET PRIMO sanè loco mihi sese offert *Aristotelis* doctrina *libr. quinto Ethicorum, cap.* 7. dicentis, quod naturale est immobile esse, & vbique, quantum in se est, eandem habere vim & potestatem, idque docuerunt *Cicero lib.* 2 *de Inuentione, Seneca lib.* 2. *de Ira, cap.* 20. *in fine*: & nos de legibus naturalibus idem pronuntiamus cum *Iustiniano in § sed naturalia, instit. de iure natural. gentium & ciuili*, ita dicente: *Naturalia iura, quæ apud omnes gentes peræquè obseruantur, diuina quadā prouidentia instituta, semper firma, atque immutabilia permanent*: facit dictum illud apud nos sæpè repetitum Iurisconsulti *Alpheni* relatum in *l.* 3. *ff. de interdictis & relegatis*: *Quæ non à patre, sed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia*: & quod de iuribus sanguinis edixit *Pomponius in l. iura sanguinis* 8. *D. de diu. regul. iuris*: vt inde velut euidens & apertum fiat, lege naturæ octomestrem partum reiici non posse, quandoquidem experientia semper docuerit, plures partus octauo mense editos vitales euasisse: præsertim aliquibus in locis, vt de Ægypto testatur *Aristoteles lib.* 7. *de histor. animal. dict. cap.* 4. vbi ita ait: Τὰ δὲ ὀκτάμηνα περὶ μὲν Αἴγυπτον, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις ὅπου εὐέκφοροι αἱ γυναῖκες, καὶ φέρουσι τὲ πολλὰ ῥαδίως, καὶ τίκτουσι, καὶ γενόμενα δύναται ζῆν, κἂν τερατώδη γένηται, ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῇ τὰ ὀκτάμηνα καὶ ἐκτρέφεται: quæ verba malè vertit *Theodorus* dicens: *Qui autem mense octauo nascuntur viuere ac adolescere in terra Ægypto † possunt*: non enim dixit *Aristoteles* octomestres posse viuere & adolescere in Ægypto, quasi id rarò & difficulter eueniat, sed absolutè asserit in ea regione vitales euadere, & adolescere vti cæteri partus naturales. 19

les. Et eò referenda sunt illa *Plinij lib.7.cap.5. Translatitium in Ægypto est & octauo gigni*: ídque clarè denotat verbum illud ἐκτρέφεται *Aristotelis*, quod ad vitam exactam referri debet, non ad solam educationem, vt malè putauit *Iulius Scaliger in sua nouissima versione*. Et apertiùs demonstrat subsequens ab *Aristotele* facta contrapositio octomestrium in Græcia editorum (de quibus illicò erit sermo) Dum prius notem cum *Bonauentura lib.3.de octom.partu,cap.8.* verba illa: καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, id est, *nonnullis locis*, adiecta à *Philosopho*, vt doceat quâ ratione octomestres in Ægypto viuunt & adolescunt, eadem vbique locorum, vbi vigeat, eos vitales esse. Causam verò designauit *Solin. cap.3. in fine*, dicens: *Fœtifero potu Nilus, non tantùm terrarum, sed etiam hominum fœcundat arua.*

21 Sed & in Græcia † partus similes accidere testis est idem *Aristoteles suprà* in illis verbis (præcedentia immeditatè subsequentibus) ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν ἑλλάδα τόποις ὀλίγα πάμπαν σώζεται, τὰ δὲ πολλὰ ἀπολλύται, καὶ διὰ τὴν ὑπόληψιν κἂν σωθῇ τι, νομίζουσιν οὐκ ὀκτάμηνον εἶναι τὸ γεγεννημένον, ἀλλὰ παθεῖν ἑαυτάς, αἱ γυναῖκες συλλαβοῦσαι πρότερον: infeliciter quidem à *Theodoro* Latinitati donatis dum ait: *Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur, vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui côceptus initium latet.* Transtulit enim (ait *Cæsar Scaliger*) τὰς γυναῖκας *mulieres* in accusandi casu, eas innuens deceptas existimantes octauo mense partum edidisse, cùm potiùs *Philosophus* dicat ipsas aliquando malè arbitrari alio mense præter octauum enixas. Id quod ab eodem *Aristotele* & ex *Bart.* insuper cum aliis probamus *infr. num.* 54. & 55. Longè ergo melius vetus *Interpres* sic: *In locis autem circa Græciam pauca omnino saluantur, plurima autem pereunt, & propter suspicionem, si saluetur aliquid, putant non octo mensium esse genitum, sed latere ipsas mulieres concipientes priùs*: & in eodem sensu vertunt *Trapezuntius*, & *Iulius Cæsar Scaliger*. Sed & in insula Naxo octomestres vitales adserit *Aristoteles*, ex ratione fabulosa, quòd Iuno Lucina, quæ partubus præesse credebatur, istud gratiæ Naxiis concessit in honorem, perpetuámque Bacchi memoriam, qui sit natus octauo mense in ea insula, atque ibi magna veneratione coleretur: notat nouissimè *Rodulph. Magister in libello de limit. partus hum. sect. 2. cap.7. in fine.*

Idem in Italia † euenire firmat ipse 22 idem *Aristoteles suprà* in illis iam expensis verbis: ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν ἑλλάδα τόποις, id est, *non tantùm in Græcia, sed & aliis ei vicinis locis*, qualis est Italia, quæ in eodem tractu & climitate sita est: & ita locum istum interpretatur *Victor Trincauel. lib.1. consl.34.* dum testatur *Philosophum* præcitato loco docere octauo genitos in Græcia, & Italia aliquando vixisse deprehensos: ídque apertè asserit *Plin. libr. 7. natural. histor. d. cap.5.*

Sed disertiùs in diuersis partibus Italiæ octomestres nasci testātur *Cardanus* (de Venetia deponens) *contr.* 8. *tract.3. libr.1. Marsilius Ficinus* (de Florencia) *lib.3. de vita cælit. comput. Petr. Ærodius* (de Sicilia) *lib.2. rerum iudicatarum. tit.* 4. *cap.2.* & *Vincentius Bossius à Bonauentura* citatus *libro 5. de partu octomestri, cap.64.*

Et ante istos in regione Adekil † 23 octauo mense editos superuiuere firmauit *Albertus Magnus*, relatus *suprà lib.9. de animalibus.* Quem (varia rerum & nominum monstra scriptis suis sæpè inserentem) emendandum censeo, & eo loci rescribendum *Hi-*

dekel: & quidem non ineptè, cùm nulla vsquam fuerit regio aut prouincia, quæ nomine illo *Adekil* fuerit vocitata: *Hidekel* verò sit Tigris fluuius, sic Hebraicè dictus, quòd eius aquæ acidæ & acuti sint saporis, si *Dauid Chimi* interpretationi & etymo fides adhibenda. Hic autem insignes prouincias præterlabitur, Suriam nempe, Mediam, Armeniam, & Persiam, vt *Plinius, Strabo, Trogus*; & alij tradunt. Ad eius ripas positam ciuitatem Niniue (sacris Litteris nobilitatam) prodidit *Beniamin Tudelensis in suo Itinerario*. Ex quibus coniector, octomestrium in his prouinciis superuiuentium notitiam *Alberto* illi *Magno* ab aliquali quali traditione, seu instrumento obuenisse sub nube illius corrupti vocabuli *Adekil* ei (vt omnibus) ignoti.

24 Adhæc in Hispania† octauo genitos vitales asseuerauerit *Auicenna* relatus *supra*. & in hanc sententiam expensus à *Francisco Valeriola lib.3.enarration. Medicinal.enarrat.7.* & à *Bonauentura libr.10.de partu octomestri, cap. 12.* Et in Cordubensi præsertim ciuitate *Peramatus* (eius oriundus) *in libro de homin procreat.cap.9.* Sed ego non inuenio *Auicennam* prædicta asseuerantem, sed tantùm edicentem & testantem *lib.3.Fen.12.tract.2.d. cap.1.* octauo genitos in quibusdam regionibus non viuere, quæ planè supponunt in prouinciis optimis, & feracioribus octomestres congruo & naturali tempore edi: neque enim *Auicenna* dixit: *In quibusdam regionibus octomestres viuere* (quod esset minus) sed, *in quibusdam non viuere*, (quod latiùs patet) vt disertè notat *Bonauent.libr.10. cap.9.* Quòd si instes, *Auicennam* Hispanum, & Cordubensem contingentia in patrio solo attendisse. Respondeo, istum non Hispanum, sed Persam fuisse, vt optimè elicit & probat *Andreas Alpagus Vellunensis* ex *Historia Arabica de vitis Philosophorum & Medicorum Arabum & Græcorum*: & ab eodem *Auicenna libr.2.Fen.1.can.cap.3.* Et *2.can.capit.de Tereniabin*, & variis aliis locis. *Auicenna* ergo cum octomestres sospites euadere posse putauit, non sese restrinxit ad Hispaniam, aut aliquas singulares prouincias, quinimò omnes eius oratio complectitur, quibusdam tantùm exceptis.

Prædictis adde *Hieronymum Confortium* & *Horatium Augenium* relatos à *Bonauentura d.libr.5.cap.64.* qui multos octomestres variis in locis vitales obseruarunt: & tandem post alia dictus *Bonauentura*† hæc subdit: *Dum fere hic liber imprimitur, ecce Vrbini (quasi natura reipsa conatibus nostris voluerit opitulari) tres octomestres ex diligenti mulierum parientium obseruatione oriuntur: primus mense Septembri 1596. secundus gemino partu dispari sexu mense Martio 1597. tertius mense Octobris in eodem anno, qui tametsi imbecillitate donati quadam, ac tenuitate tanquam imperfectionis huius partus aliorum respectu & argumento, non tamen illicò morte deleti sunt, vt stultorum prædicat (quorum magnus est numerus) opinio. sed & ad multos dies vitam produxerunt, & adhuc viuunt.* Et plura demum octomestrium vitalium exempla refert *Ioan.Schenk.libr.4.titulo de partu obseruation.5.* post *Alexand.Bened.Cardanum* & *Riolanum* ibi relatos.

Hæc cùm ita se habeant, necessariò consequimur, partus octomestres non posse dici abortiuos, & vitæ expertes, & à natura abhorrentes, cùm eos natura tempore congruo viuos & victuros semper ediderit: quod enim abortiuum est, consistere nec vllo modo potest. Inde partus quinquagenarii,

genariæ, qui velut miraculosius reputatur in *l. si maior, C. de legitim. hæredib.* (cum dicendis ĩ. ad interpretationem *l. nam ad ea, ff. de legib.* & aliis adductis à *Socino* ĩ relato) naturalis & legitimus est, dict. *l. si maior*, quamuis rarius contingat quàm octomestris partus.

SECVNDAM rationem naturalem pro octomestribus mihi subministrat idem *Aristoteles libr. 3. de generat. animal. capite 10.* vbi docet, ea quæ secundum naturam
26 † sunt, ordinem semper habere, vnde quæ naturaliora sunt, magis ac magis ordinata esse oportet. At generationis opus eodem *Philosopho* teste *libr. 2. de generat. animal. capite 1. 4. 6.* & alibi sæpe, naturalissimum est, ergo & ordinatissimum esse debet. Quid autem inordinatius, & præposterius in generatione dari aut excogitari potest, quàm septimestres naturales & vitales esse, octomestres verò abortiuos: & deinde nonomestres & decimestres naturales, vitales & legitimos? Et sanè causam istam præsensisse videtur *Petrus Ærodius libro 2. rerum iudicatarum, titul. 4. capite 2.* in illis verbis: *Cùm eò ventum sit, vt editus septimo mense pro iusto habeatur, qui item altero mense prouectior erit is, vt pro non nato habeatur?* Quis autem dicere audebit, naturam in generatione ordinem & proportionem non seruare? contra ea quæ *Mercadus* ex *Hippocrate* disertè annotauit *libr. 4. de mulier. affect. capite 4.*

His addo ab eodem *Philosopho lib. 4. Politicorum, c. 5.* naturam non in corruptis & deprauatis
27 † considerandam esse, sed in perfectis, vt inde septimestris partus, qui perfectus est (vt ex *Hippocrate* notauit *Paulus* in *l. septimo mense 12. ff. de statu homin.* cum aliis annotatis in *cap. præcedenti*, & *Aristotele* proximè referendo) opus sit naturæ, octomestris verò (qui perfectus non est, ex sententia impugnantium, natos octauo mense) desinat esse naturalis, vt antea fuerat, post illum verò mensem denuò naturalis esse incipiat: quis autem in operibus naturæ tales vnquam notauit mutationes, vt perfecto in se operi, & in posterum perfectiori futuro inter primam & secundam perfectionem à natura inchoatam obueniat talis ac tanta imperfectio qualem in octomestribus contrariæ sententiæ assertores adstruunt, qui eos abortiuos, imperfectos & monstrosos faciunt, vt ĩ. suo loco notabimus? Ex quo enim octomestris partus inter septimestrem & nonomestrem mediat † qui perfecti sunt, eorum per- 28
fectionis particeps esse debet: nam vt docet *Philosophus 3 Topicor. capite 2.* *Quod propius ad bonum accedit, quódque bono similius est, id & optabilius & melius est.*

¶ A qua lege & ratione de Reipublicæ præstantioribus formis iudicandum est, ex eodem *Aristotele lib. 4. Politicor. cap. 2.* Vt enim variis in locis idem *Philosophus* repetit, medium semper participat de extremis: quod & nostri deducunt à *l. 3. §. filius inter medias, ff. de liber. & posthum.* & medium trahere secum extrema à *l. qui sella 7. ff. de seruitutib. rusticor. prædiorum:* & medium percipi & colligi ex extremis à *cap. quid sint culpa, 28. distinct.* A quibus omnibus fit, vt partus octomestris perfectior sit, & magis naturalis & vitalis, quàm vndecimestris: cuius propugnatores (vt annotabimus in *c. 14.*) eâ potissimùm innituntur causa, quia decimi mensis perfectionis partus iste particeps est, octomestris enim medius est inter tempora partui aptiora & perfectiora, vndecimestris verò non mediat, sed tempus

vltimum perfectionis subsequitur & contingit: quod clarè patebit attentè legenti *Aristotelis caput* 4. *lib.*7. *de animal.histor.* in illis sæpè repetitis verbis: καὶ γὰρ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα καὶ ἐννεάμηνα γίνονται καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον, ἔνιαι δὲ ἐπιλαμβάνουσι καὶ τῆς ἐνδεκάτου μηνὸς, quæ apposité *Iulius Cæsar Scaliger* ita transtulit: *Nam homo & septimo & octauo & nono mense parit, plurimum etiam decimo, quædam etiam ex vndecimo insuper etiam aliquid capiunt.* Etenim velut collegisse videtur *Philosoph.* octomestres vitales esse, & naturales, vt qui interiacenti septimestrium & nonomestrium tempore sunt constituti; eorum extrema, conditiones, naturámque participantes: qui cùm naturales, vitalésque sint, partus citra omnem controuersiam intermedios itidem octomestres in naturæ ratione sustinent & conseruant.

His accedit ex communi & protrita Philosophorum propositione,
29 naturam non transire † de extremo ad extremum sine medio, quod ipsorũ particeps sit, quod *Aristoteles lib.*8. *de animalium histor. c.*1. serie & processu omnium animatorum à prima planta vsque ad omnium animalium principem, id est, hominem, his notandis verbis iuxta *Iulium Scalig.* demonstrat: *Insunt etiam in maxima cæterorum animalium parte vestigia morum, qui ad animam pertinent: quæ inter homines apertiora habent discrimina, námque mansuetudo & feritas, lenitas, & asperitas, & fortitudo & timiditas, & metus & fidentia, & iracundia & versutia, prudentiæ per cogitationem comparatæ imagines, ipsorúmque plerisque insitæ sunt, sicut etiam de partibus eorum narrauimus. Quædam enim ab homine, à multis animalibus homo plus, minúsve differunt. Horum enim quædam existunt in homine, quædam plus in aliis animalibus, alia autem differunt proportione. Quemadmodum enim in homine ars, sapientia, & prudentia, sic etiam in aliis animalibus est altera quædam talis naturalis vis. Clarissimum est hoc in puerorum ætatem intuentibus, in his enim futurorum habituum quasi vestigia & semina videre est. Nam, vt ita dicam, nihilo differt per id tempus illorum pueritia ab anima brutorum, quare non absre est, si partim eadem, partim similia, partim proportione insunt aliis animalibus. Sic enim ab inanimis ad animantes transit natura paulatim, vt in continuatione eorum confinia, mediaque lateant, vtrius sint. Etenim ab inanimatarum rerum genere primum est plantarum genus, quorum vnum ab altero differt, eò quòd plus videtur esse vitæ particeps: vniuersum autem genus hoc cum cæteris operibus comparatum videtur ferè animatum, cum animali autem inanimum. Ac transitus illorum in animalia continuus est, quemadmodum prius dictum est. Nonnulla enim quæ in mari agitant, dubitaret quispiam, animalne sint, an plantæ? agnata enim humo sunt, atque exempta intereunt eorum pleraque. Pinnæ enim suapte natura infixæ sunt: digitelli autem auulsi nequeunt viuere, omnino verò genus omne testaceorum simile plantis est, si cum gressilibus animalibus comparetur. Sensuum officia in aliquibus nullo indicio deprehenduntur, in aliis autem obscurè: quorundam autem corpora carnea natura constant, & cuiusmodi quæ pupillæ vocantur, & verticarum genus est. Spongia autem penitus est similis plantarum, semper enim per pusillam differentiam alia ante aliam iam videntur plus & vitæ & motus obtinere.* Et ab ista formarum catenata serie descendit *Philosophus eod. cap.* ad actiones, præmaximè ad generationem animalium, quam etiam diuinè prosequitur *lib.*2. *de generat. animalium, in princip.* Cúmque plura de continuata propagatione is disseruisset

fer, tandem *in fin. dicti capitul.* 1. ait: *Ex eadem enim materia fit secundùm naturam cuiusque incrementum: at quod secundùm naturam est, suaue est, sequuntur autem omnium naturalem voluptatem.* Si ergo *continuatione* (vt ait *Philosophus*) *confinia, mediaque latent, vtrius sint*, & natura maturum, vitalem, & naturalem producit partum in septimo mense & nono, cur igitur non idem erit in octauo inter vtrumque constituto, & ab vnius, alteriusque natura & extremis participante?

Hæc subinde mirè comprobabis ex eodem *Philosopho. lib.* 3. *de part. animalium, cap.* 1. vbi inanimantium, ac partium ipsorum productione medium particeps esse vtriusque extremi prædicat. Et iterum *libr.* 4. *cap.* 13. vbi medium ipsum vtrumque extremum, & neutrum participare asserit, id est, diuersam ab vtroque habere rationem, octomestris ergo partus vtriusque extremi, septimestris scilicet & nonomestris particeps erit, quamuis diuersam ab vtroque temperiem nactus fuerit, vt *inferiùs* suo loco probabimus. Sat nunc sit huius rationis (quam prosequimur) *Aristotelem* Auctorem constituisse, dum extrema, aut intermedia octomestrium partionum facit septimestres & nonomestres.

Nec satisfacient, qui cum *Laurentio Operario Anatom. lib.* 2. *cap.* 16. *quæst.* 36. 37. *&* 38. agnouerit (hoc medio inter alia ineuitabili adducti) octomestrem partum perfectum, maturum, & iusto tempore editum, nec abortiuum
30 esse, † addentes tamen vitalem non esse, ex ratione *Hippocratis in principio libelli de octomestri partu*, à nobis expensa ~. qua innixus *Operarius* ~. ita ait: *Cùm itaque septimo mense perfectus sit puer, nihilque ad perfectionem partûs in eo desideretur, si eo mense satis validus sit, membrànas disrumpet, exitumque sibi parabit, eritque superstes, quia perfectus, præsertim si fuerit mas. At octauo mense si prodeat, licèt perfectus sit, vitalis non erit, quia duas afflictiones sibi inuicem succedentes ferre non potest: superiore enim mense plurimum colluctatus est, nunc eundem conatum repetit nondum refectis viribus, succumbat ergo necesse est. Quinetiam octomestris vitalis non est, quia venit post diem partus, qui septimestris esse debebat: ante diem verò illius qui nonimestris erat futurus: vnde sinistri aliquid contigisse existimandum est, quod vel septimestrem partum tardarit, vel anteuerterit nonomestrem.* (quæ nouissimè approbauit *Andr. Laurent. lib.* 8. *de histor. anatom. c.* 8. *q.* 29. *in fi.*) Quis autem non videt ista sustineri non posse, vt octomestris partus natura sua perfectus iusto & maturo tempore sit editus, vitalis tamen & naturalis dici nequeat, cùm hæc apertè inter se pugnent, & ab omni ratione naturali abhorreant? id quod ~. latiùs demonstrabimus.

Adhæc aliam huius rei rationem sic compono, si octomestris abortiuus est, non naturalis, nec vitalis, necesse erit fateri in naturæ operibus superfluitatem † dari, quod ego ita euinco: 31
Mense septimo, & non ante, lac vtile mulieribus datur, teste *Aristot. libr.* 4. *de generat. animal. c.* 8. vt enim ipse idem *Philosophus* edicit *lib.* 7. *de animalium historia, c.* 5. τὸ γάλα τὸ γινόμενον πρότερον τῶν ἑπτὰ μηνῶν ἄχρηστόν ἐστιν, *lac quod prouenit ante septimum mensem inutile est.* Subdit & illico: ἀλλὰ ἅμα τά τε παιδία γίνεται, καὶ τὸ γάλα χρήσιμον, *sed simul ac infantes maturi sunt, & ad nascendum apti, lac vtile exstat:* quod ipsum demonstrauit illis verbis *dict. cap.* 8. *lib.* 4. *de generatione animalium:* τελειουμένων γὰρ καὶ τῶν κυημάτων,

id est, *fœ[illegible]is iam maturis, & perfectis:* est enim τέλος (à quo τελέω) operæ cuiusuis terminus, aliàs ὅρος: fœtus ergo septimo mense, & non ante (vno aut altero casu quinquemestrium aut semestrium excepto, iuxta tradita §. *in c.* 9.) perfectionem, quæ editioni apta est, consequitur: & ideò ante hoc tempus prægnanti inutile datur lac, eo verò superueniente vtile, ex *Aristotele* in præcitatis locis. Cùm autem octauo mense lac vtile & concoctum etiam durer, planè sequitur, naturam quæ à principio apto & necessario tantùm tempore lac suppeditauit, septimo scilicet incunte mense, illud superuacuè subinde octauo mense subministrare putui, qui nec naturalis nec vitalis est, imò monstrosus & abortiuus, vt contrariæ sententiæ assertores, tam Iurisprudentes, quàm Philosophi & Medici adstruunt. Id autem admitti non debet, cùm natura nihil vsquam in vanum fecerit, vt asserit *Aristoteles* in mille locis, ergo nec illud (vt in dicterio Logicorum est). ex quo sequitur.

QVARTÒ, octomestres partus naturales & vitales esse facilè compro-
32 batur ex doctrina *Hippocratis* † (eos aliàs improbantis) *Epidem. 6. sectione* 8. vbi generaliter naturam humani partus considerans, nil aliud in eo requisiisse videtur, vt vitalis prodeat, nisi quòd prægnantibus nihil incommodi accidat intra constitutum, ac præuisum à natura tempus pariendi: ait enim, *Quibus nihil intra constitutum tempus accidit singulis, partus vitales fiunt:* quo fiet, vt cùm octauus mensis intra constituta tempora ad pariendum sit recensendus, si mulieribus eo mense nil mali acciderit, partus tunc editus vitalis & naturalis sit. Quòd si obiicias, hanc assertionem & illationem illud ipsum continere, quod in controuersia positum est (quod Logici vocant *principij repetitionem*) idque in dubium verti, an partus octomestris sit vitalis, & annumerandus intra partus, quibus à natura certum tempus constitutum est? vt septimo, nono, & decimo mense natis, quibus (si nihil accidat, quod fœtum in vtero existentem lædat, vt insignes mutationes, animi affectiones, corporis pressura, & id genus alia). *Hippocratis* doctrina adaptanda sit: certè obiectio facilè diluitur attentis verbis illis *Hippocratis*: εἴσω τοῦ τεταγμένου χρόνου, *intra tempus ordinatum*: quia NATVRA tempus pariendi constituit & ordinauit (est enim natura ipsa sensibilium ordo, & ordinis causa omnibus naturà inest, ex *Aristotele lib. 3. de cælo, textu* 24. & *libr. 8. naturalis auscultat. textu* 15.) cùm ergo octauus mensis intra tempora pariendi sit à natura constitutus, ex eodem *Philosopho libr. 7. de animalium historia, capite* 4. concludendum erit, octauum mensem per se sumptum ex *Hippocratis* doctrina vel regula inter tempora ad pariendum constituta recensendum esse, ita vt octomestres, quibus nihil noxij acciderit, per se & natura sua sint partus vitales, ac naturales, velut nonomestres & cæteri.

Hæc mihi vni † è numero Iurisprofessorum (quos omnes *Bonauent. lib. 2. capite 2. & 63.* & alibi sæpè latere ait arcanum istud octomestris partus) sese offerunt in comprobationem & propugnationem opinionis, quæ pro partu isto ab *Aristotelis* doctrina eruta à *Bonauentura* Medico & Philosopho, illo suo copiosissimo volumine *de octomestri partu* prætermissa, & insuper in compendiosa disputatione *de octom. partus natura*, vbi aliis leuioribus mediis rem istam

istam sui thematis stabiliuit in *capite 17.*

NVNC NOSTRA tractantes restat octomestrium causam iuridicis rationibus comprobemus, & demum auctoritatibus legitimis.

34 Primo loco ciuilis illa ratio † octomestribus fauet, quòd nulla lex est, aut constitutio in toto Iure Ciuili, quæ eos partus ineptos, illegitimos, & successionis incapaces declarauerit. Vnde est, vt successionum & rerum ciuilium capaces sint: sat enim est eos exclusos non inuenire, vt admissos credas, ex his quæ passim per Doctores annotantur, maximè in *rubrica tit. institutionum, quibus non est permissum facere testamentum.* Is enim qui ciuis Romanus nascitur, intentionem (vt aiunt nostri) fundatam habet in successione parentum & consanguineorum, *l. Titius, cum sequenti, ff. de suis & legitimis hæredibus:* qui ergo eos excludere conabitur légali dispositione assertionem suam præmunire debebit. Erubescimus enim (passim inquiunt nostri) cùm sine lege loquimur, alioquin si octomestrium exclusionem paras à prætermissa eorum ratione, vel mentione in iure, necesse erit excludas & nonomestres, quorum nulla mentio est in Digestis. Quis autem ista dicere audebit de hisce, quos omnium legitimos, & ad iuris effectus admittendos vbique nostri prædicant? Imò in dubio omnes nonomestres præsumunt, ex dicendis in *capite sequent.* & ibidem enucleandis.

35 Secundo loco pro octomestribus considero regulam † *l. qui in vtero 7. & 26. ff. de statu hominum*, cum aliis per nos adductis in *cap. 2.* plenè comprobantibus, eum qui in vtero est, pro nato impluimùm quoad iuris effectus haberi, cùm de eius commodo agitur. Quid autem iuris regulis, & rationi dissonantius dici, aut excogitari potest, quàm iuris fictione non natum haberi pro nato in vtilibus, & in iisdem verè natum haberi pro non nato? Quòd si his occurras, & dicas, regulam à dictis iuribus desumptam intelligendam esse, dum tamen is qui in vtero est, postea nascatur, vt ex pluribus annotauimus in *dict. cap. 2.* hoc ipsum certè nostra adstruit, cùm enim subsequens natiuitas inchoatam fictionem (quo tempore in vtero existens in rerum, vel hominum natura non est, ex latè annotatis in d. *capite 2.* perficiat, nil impedimento esse debebit, quominus eadem natiuitas octomestribus prosit in his quæ post eam illis obueniunt.

Tertiò, communis est contrariæ opinionis Auctorum sententia, octauo mense genitos, qui propriis, vt aiunt, viribus † nascuntur, & naturaliter viuunt, succedere debere: quę 36
fuit sententia *Alexandri* in *l. quod certatum, Codic. de posthumis hæredibus instituendis*, & *Socini Iunioris* (qui octomestrium maximus fuit insectator) dicto *consilio 35 libro 2.* & aliorum plurium relatorum *infrà numer. 71.* quos ego rogo quoto tempore octomestris iste viuere debeat, vt propriis viribus natus, & naturaliter viuere dicatur? certè ipsi illud non assignant, nec possent, ni vellent proprio Marte ius nouum inducere, vel condere. Vnde insto, & ab eis iterum quæro, An octomestris viuens per tres annos partus naturalis sit, & successionis capax? Certè mihi persuadeo, omnes id fassuros: quin & de eo, qui per duos vixit: imò & de anniculo vita functo. Cur ergo & qui sexto, quinto, quarto, tertio, secundo, & primo mense mortuus est, naturalis esse desinet? cur is qui secundo

vel primo natiuitatis die? nonne ex maiore vel breuiore vitæ spatio ineunda est naturalis partus ratio? Quod si ita se res haberet, terminus sanè à natura & à lege constitutus esset, quo octomestris esset naturalis partus, & quo diiudicandus esset abortiuus, & inde eueniret, vt vno & eodem die diuersis horis octomestri mortuo partus naturalis & non naturalis esset, imò vna & eadem hora viueret naturaliter, & abortiua, monstrosaque vita. Quis autem ista admiranda absurda vnquam admisit aut admittenda censebit?

Quartò, octomestris quàm bre-
37 uissimo † spatio viuens, puta vno aut duobus diebus, naturaliter viuit, & vt cæteri recèns nati septimo, nono, aut decimo mense; vitæ huius mortalis munia obit, eius commoda & incommoda sentit, vagit, videt, mammas sugit, animal est, homo est: si interficiatur à patre, parricidium committitur: si extraneus eum enecauerit, vel suffocauerit, *lege Cornelia* tenetur. Quis ergo deinceps audebit dicere, eum qui naturaliter viuit, ciuiliter non viuere? cùm Ius Ciuile nullum vnquam ciuem Romanum innoxium pro mortuo habuerit, quinimò nondum natum pro nato, dicta *l. qui in vtero*, cum aliis adductis *suprà*. *Moliuntur* sanè (vt disertè ait *Alexander Turaminus lib. singulari epistolarum forensium*, dict. *epist.* 34.) *contra naturæ rationem* (quod lex perhorrescere solet, *l. maximum vitium, Codice de liberis præteritis*) *qui octomestrem ita iudicant, ac si natus non esset.* Tandem & à pietate Christiana clanculùm ista sententia recedit. Hic enim qui in octauo mense nascitur, sacro fonte lauatur: traditur Ecclesiasticæ sepulturæ: & cælo potitur. Denegabimus igitur huic filio successionem parentum in terris, cui summus omnium Parens concedit hæreditatem in cælis? Par igitur est, vt quo momento viuit, secundùm naturam, & secundùm legem viuere credatur. Quòd diù viuere non possit, non efficit, vt non viuat, & omni vitæ commodo potiri debeat. In suis non est necessaria additio, quia ipso iure hæredes existunt, & in his quæ momento implentur, vt rumpere testamentum, & ius sui hæredis tenere, & vitæ momentum sat esse debet: id quod *Iustinianus in lege quod certatum* 3. & *Vlpianus in l. quod dicitur* 12. *D. de liberis & posthumis*, manifestissimè sentiunt, quibus plus quàm communi sententiæ deferendum est. His ergo sufficit vitæ momentum in re quæ momento explicatur, & ita stricta non modò ratio, sed æquitas & pietas ipsa conuincit, natos in octauo mense succedere, rumpere, transmittere, & omnia agere, quæ nati in nono agere possunt. His alias plures adiungere poteramus rationes à *Bonauentura* expensas *in disputatione compendiosa de octomestri partu, cap.* 18. (quas ipse ex Iurisconsultorum thesauris deprompsisse asserit) eas tamen consultò omittimus: nam quæ alicuius sunt ponderis & momenti, ad propositas reducuntur. Quod verò ipse *Bonauentura* incassum anteà dixerat in dicta *disputat. cap.* 10. mirè prædicta confirmat, & vti notandum hîc interserendum duxi, his qui prædictam disputationem ad manus non habuerint. Ait enim: *Præterea illud ex superiore disputatione omnibus compertissimum esse autumo, veteres illos Iurisconsultos, septimo mense editos, quod minimum est, quod verò maximum, decimo, ac medijs inter hos mensibus, tanquam partus legitimos recepisse: ante septi-*

septimum, ac post decimum natos tanquam illegitimos repudiasse. Qua recepta veritate statim sequitur necessario octomestrem partum a Iuris professoribus, vt perfectum, ac legitimum esse recipiendum, nisi à Iurisconsultorum mente turpiter recedere velint; tunc quia nulla lex illum respuit, ipsi verò erubescunt loqui sine lege; tum quia intra terminos legitimi partus, ac intra limites mensium, qui à lege præfiniti sunt, hic partus incidit: vt hac de causa, si non nominatim, saltim generali sua dispositione (quod acutè in Responsis clarissimus Sfortia vidit) recipere lex illum videatur: tum quia intra hos terminos perfectè viuus, ac totus ad orbem procedit, ad nullum declinans monstrum: tunc demum, quia non solùm viuus, sed vitalis etiam natura egreditur, vt infrà planiùs elucebit. Qua in re illud quidem plurimum me mouet, feréque demonstrationis vim habere mihi videtur, quòd cùm apud Veteres certatum fuerit Gellio, tertio Noctium Atticarum, referente, an octauo mense genitus abortio esset? vt non semel partus hic temporibus illis editus digladiandi materiam, ac inter se litigandi hominibus dederit; nusquam tamen lex condita, látúque aduersus illum habeatur: quod quidem argumento est prudentissimos illos viros noluisse suis legibus naturæ leges violare. Quamquam enim fortasse cernerent maiorem octomestrium partem interire, tamen, quoniam hoc idem septimestribus, teste etiam Hippocrate, contingit, qui libello de septimestri partu de eis loquens, ita apertè scripsit: Et plurimi ex his pereunt: & mox: Sunt autem ex his septimestribus, qui etiam superstites manent, ex multis pauci; in fauorem naturæ, vt par erat, pronunciantes, atque in obscuris, ac naturæ arcanis, quæ solus Deus nouit euidenter, quod verosimile magis est, sequentes; non solùm partum hunc illegitimum esse decernere noluerunt, sed è contra septimum, a decimum mensem, & tempora intermedia partui legitimo dedicantes, illum potius tanquàm inter septimum, & decimum interiectum videntur omnino recepisse: hoc tantummodo requirentes ad legitimum partum constituendum, & aliud præterea nihil, vt iusto tempore totus viuus, ad nullum declinans monstrum in lucem exeat. Quam quidem rationem cùm Socinus Iunior aduersus semetipsum attulisset, vt primo libro à me longiùs fuit explicatum, frustra eam postea labefactare, mea sententia, conatus est, vt liber nouus demonstrauit. Quamobrem, vt liberè dicam quod sentio, videri nonnullis posset, Iuris professores Iurisconsultis prudentiores esse voluisse, nisi fortasse verius dicamus audaciores; vt qui eam rem ausi sunt decernere, de qua ipsi leges condere noluerunt: quod quidem verum esse luce meridiana clarius erit, vbi Aristotelis sententiam de octomestris partus natura explicauerimus. Sed & idem *Bonauentura* in prædictorum confirmationem ita ait in *d. disput. c. 16. in princ. At enimuerò hîc Iurisconsultorum in his condendis legibus, quæ de humani partus temporibus decernunt, prudentia animaduertenda est, cùm enim lex de occultis non iudicet, atque in obscuris, quod verosimilius est, sequatur; videntes maximi illi viri nullo modo humana coniectura posse attingi, vtrùm partus septimo editus mense, natura fuerit octomestris, vel nonomestris, & è contra? Item vtrùm fœtus proprijs etiam mensibus editi, propria aliqua de causa intereant, nimirum sua, vel parentis imbecillitate, aut cæli intemperie: propterea totam temporis latitudinem receperunt, intra quam partum viuum editum, licèt illicò decedat, nec ad monstrum vllum declinantem; tanquam legitimum admittendum esse decreuerũt.*

DEMVM Iuris interpretes huius sententiæ assertores, eam legitimis

38 adstruunt auctoritatibus. Et primò pro ea expendunt *text.* † in *l.vxoris abortu 2.C.de posthum. hæred.&.instit.* vbi Imperatores *Diocletianus* & *Maximianus* affirmant vxoris abortu testamentum non rumpi, at rumpi si filius nascatur viuus, quamuis illicò decesserit: quæ generalis dispositio octomestres dubio procul comprehendit, & simul excludit eorum commentitium abortum, ab Auctoribus contrariæ opinionis excogitatum: clarè enim Legislatores edicunt, abortum dari non posse in eo qui viuus natus est.

39 Secundo loco pro hac sententia allegari solet † d.*l.quod certatum 3.C. de posthum.hæred. insti.* vbi in nato filio, parentibus, & aliis successuro hoc tantùm *Iustinianus* requirit, vt perfectè nascatur, & ad orbem totus viuus procedat, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium, quamuis illicò in manibus obstetricis vita defecerit. Vnde est, vt attendi non debeat, an viuere possit vlterius, dummodo viuus nascatur. Hoc enim supponunt & confingunt contrariæ opinionis Auctores, imò (vt dicemus *inferiùs*) natum non fuisse octomestrem, qui illicò moritur: contra expressam *Iustiniani* dispositionem, quam etsi è medio isti tollant, similem fictionem inducere non possent; fingere enim ad Legislatorem pertinet, non ad Iurisconsultos, vt ait *Turaminus* in proposito *supra*.

40 Tertiò pro octomestribus allegatur † dict.*l.quod dicitur 12.ff.de liber.& posthum.* vbi & is qui mutilus natus est, vel execto ventre extractus, testamentum rumpit, dum tamen cum spiritu editus fuerit: cur ergo & octauo mense natus non rumpet? Quòd si dicas, intelligenda esse iura ista de his qui perfectè nati sunt (dict.*l.quod certatum*) quorum numero non veniunt octomestres, qui perfectione carent, & extra tempus lucem vident, & vitales esse non possunt. Respondeo hanc simplicem aduersariorum assertionem nil obstare debere, cùm perfectè natos eos appellet *Iustinian.* qui illicò moriuntur. Et si instes, hunc *Iustinianum* intelligendum de his, qui etsi illicò decesserint, viuere tamen possunt, quod octomestribus non concessit natura, hoc firmè pernegamus ex *Aristotele* & aliis *suprà* adductis clarè comprobantibus in Ægypto, Græcia, Italia, Hispania, & aliis locis multos octomestres sospites & superstites inueniri, & omni æuo id euenisse, & nostris hisce temporibus.

Quartò, sententia ista mirificè mihi comprobari videtur † in *l.Gallus* 41 *29. D. liber. & posthum.* in illis verbis: *Intra decem menses proximos mortis meæ natus, &c.* & in *l.fin.C. de posth. hæred insti.* ibi: *Si filius, vel filia, qui intra decem menses proximos mortis meæ nascetur, hæredes sunto*, iuncta notissima dispositione *l.septimo mense 12. D. de statu homin.* & *l.intestato 3.§.fin.D.de suis & legib.hæred.* Quibus iuribus clarè deprehenditur, tempus legitimi partus Iure Ciuili computandum ab ineunte septimo mense vsque in finem decimi, ita vt Iurisconsultis & Imperatoribus, qui octauum mensem non improbarunt: non minus legitimus & naturalis ille sit quàm nonus; quem etiam (vt annotauimus) nullibi disertis verbis expresserunt, sed tantùm prædicta generali verborum conceptione innuerunt. Quòd si dicas in d. *l.Gallus*, & in dict.*l.fin.* nil dispositum fuisse circa tempora partus, sed exempli tantùm gratia institutionem proponi factam intra decem mensium spatium. Respondemus, formulàm illam institutionis vniformiter decem mensium numero præclusam apertè supponere Iure Ciuili tempus pariendi ad

di ad mensem vsque decimum protrahi, non amplius: quod etiam velut supposuisse videtur *Iustinian. in Authen. de restitu. & ea quæ parit, collat.4.* quæ est *Nouella* 39. Et cùm à principio mensis septimi partus legitimi initiũ sumant, d. *l. intestato 3. § final.* inde velut euidens fit, conceptiones illas verborum: *Intra decem menses proximos mortis meæ*, omnem parturitionem legitimam & naturalem præ se ferre, & velut supponere à septimo in finem decimi mensis. Quin id clarè denotat dictio *intra*, quæ propriè defertur ad tempus designatum, & omnes eius partes afficit, *l. 1. § quod dicimus, ff. de succeß. edict. l. intra illum 41. ff. de pact. l. si quis sic dixerit 133. ff. de verborum signif. l. si testamentum 7. l. precibus 8. C. de imp. & aliis subst. l. si frater 3. C. de iure deliber.* Cicero *in Familiaribus: Omnia commemorabuntur, quæ intra decem annos posteaquàm iudicia ad Senatum translata sunt in rebus iudicandis nefariè & flagitiosè facta sunt.* Bart. in *l. 1. ff. de officio Præfecti vrbi.* Tiraquell. post alios, *de retractu lignag'er, § 1. gloss. 11. nu. 71.*

42 Sed et Ivs Patrivm octomestrium causæ videtur clarè fauisse variis legibus. Primò pro eis stat generalis dispositio † *l. 17. & 18. tit. 2. de successionib. lib. 4. legis Gothorum* (quas latè expendimus in *cap. 9.* & in Foro juzgo nostro antiquo idiomate conscripto sunt *l. 17. & 19. tit. 2. lib. 4.*) his enim legibus generaliter filiis decem dies à natiuitate viuentibus, & baptizatis bonorum paternorum succeßio defertur sublata omni controuersia, quo tempore, & an apto vel inepto nati sint: si enim octauo mense editi vltra septem dies viuere non potuissent (vt quidam ĩ. refellendi autumarunt) eorum exclusio ineuitabilis esset à dictis legibus. Cùm autem verius & certius sit, octomestres plures dies & annos viuere posse, vt notauimus s̃. inde fiet, vt harum legum dispositio octomestres omnes complectatur, qui decimum à natiuitate viderunt diem, dum simul sacro fuerint fonte loti.

Secundò pro eis facit generalis dispositio † *l. 3. tit. 6. lib. 3. Fori*, vbi cuique 43
filio nato & baptizato legitima parẽtum debetur hæreditas, à qua arceri non debet octauo mense natus & baptizatus, in quo omnia legis requisita concurrunt.

Tertiò ista clarius comprobantur in † *l. 4. tit. 23. part. 4.* vbi expressè par- 44
tus legitimi tempora præfiniuntur à mensis septimi initio vsque in finem mensis decimi, ibi: *Por ende si desde el dia de la muerte de su marido fasta diez meses pariesse su muger, legitima seria la criatura que naciere,* iunctis illis: *La criatura que naciere fasta en los seis meses, que solo que tenga su nacimiento vn dia del seteno mes, que es cumplida è viuidera:* quæ quidem verborum cõplexio octomestres ita in se continet, velut & nonomestres ex dispositione *l. si quis sic dixerit 133. ff. de verb. sign.* cum aliis s̃. adductis.

Nec obstabit, si dicas, prædictam *legem partita* septimestrium & decimestrium meminisse in verbis s̃. relatis: & nonomestrium, ibi: *Esto mismo deue ser juzgado de la que nace fasta en los nueue meses:* & alios videri exclusisse illis verbis immediatè sequentibus: *Esto cuento es mas vsado que los otros:* nam respondetur, tantùm abesse verba ista octomestres excludere, vt potiùs eorum causam, & septimestrium & nonomestrium eandem faciat, vt patet ibi: *Fasta en los nueue meses*, Latinè, *Vsque in nouem menses:* dictio verò illa, *fasta, vsque*, relationem habet ad præcedentia, *fasta en los siete meses*, &c. & sic comprehendit totum tempus decurrens ab initio septimi mensis ad finem

noni. Est enim proprium dictionis
huius, *vsque*, includere tempus, nume-
rum, vel actum cui adiicitur. *Geneseos*
c.fi. ad finem. Vidit etiam filios vsque ad
tertiam generationem. Cicero *in Fami-*
liaribus: Mihi quidem vsque curæ erit
quid agas, dum quidquid egeris, sciero,
l.2.ff. de his qui not. infam. l. id est 10.ff. de
dolo malo. l.1.ff. an per alium causæ ap-
pel. c. cùm dilecti, de fide instrumentorũ,
Bart. & Albericus in *l. patronus, §. Sem-*
pronio, ff. de legat.3. Tiraqu. de retractu
lignagier, §.1 glos.11. num.6. Hieronym.
Gonzalez ad regulam 8. Cancellar. glos.
12.§.1.*n.21. & 29. Ioannes Brecchæus* in *l.*
hæc adiectio, ff. de verborum & rerum si-
45 *gnificatione.* Demum illa verba: † *Este*
cruento es mas vsado que los otros, eum
sensum habent, vt computatio legiti-
mi partus communiter fiat à mense se-
ptimo in decimum, vt probauimus s̃.
ex *l. septimo mense, ff. de statu homin. l.3. §.*
fin. ff. de suis & legitimis hæredib. iuncta
l. Gallus, ff. de liberis & posthumis, & *l. fi.*
C. de posthum. hæred. instit. Vel intelligi
debent vt voluit *Greg. gl.3.* ita vt magis
quis præsumatur natus nono mense,
quàm septimo per locum à communi-
ter accidentibus, quod latè prosequе-
mur in *c. seq.*

Quarto & vltimo loco pro octo-
46 mestribus expendo † *l.13. Tauri,* quæ
est *l.2. tit.8. lib.5. Recop.* ibi: *Ordenamos i*
mandamos, que el tal hijo se diga que na-
turalmente es nacido, i que no es aborti-
uo, quando nacio viuo todo, i que alome-
nos despues de nacido viuio veinte i qua-
tro horas naturales, i fue baptizado an-
tes que muriesse: i si de otra manera na-
cido murio dentro del dicho termino, ò
no fue baptizado, Mandamos que el tal
hijo sea auido por abortiuo, i que no pue-
da heredar à sus padres, ni à sus madres,
&c. Quæ verba clarè præ se ferunt,
quemcumque viuum totum natum sa-
crosanctum fonte, viuentem vigin-
tiquatuor horas legitimum partum &
filium nobis esse. Nec generalis ista di-
spositio quoad octomestres restringi-
tur ex subsequentibus illis prædictæ
legis verbis. *Pero si por el ausencia del*
marido, ò por el tiempo del casamiento
claramente se probasse que nacio en tiem-
po que no podia viuir naturalmente,
Mandamos, que aunque concurran en el
dicho hijo las calidades susodichas, que
no sea auido por parto natural ni legiti-
mo: nam intelligi debent prout sonant,
ita vt partus illos tantùm excludant,
qui naturaliter viuere non possunt,
quales sunt trimestres, quadrimestres,
quinquemestres & semestres, quin &
vndecimestres, & vlteriores: attenta
regulari dispositione dictæ *l.4. titul.23.*
part.4. (per nos expensa s̃. *c.9.*) non ve-
rò octomestres, qui naturaliter viuere,
consistere & superesse possunt, maxi-
mè in Hispania ex Auctoribus relatis
suprà.

Sed & mea eò me fert suspicio, vt
existimem à sapientissimis legum Tau-
ri conditoribus terminum illum vi-
gintiquatuor horarum præfixum, vt
partus octomestres naturales & con-
gruo tempore obuenientes à violentis
& abortiuis illo mense contingentes
secernerent, cúmque de his regula cer-
ta dari non posset, nec à natura sit cõ-
stituta, rectissimè prouidos illos viros
reuera statuisse octomestrem natura-
lem & legitimum eum censendum, qui
à natiuitate vigintiquatuor horis vi-
uus & superstes fuerit, abortiuum ve-
rò & inepto tempore editum, qui
intra illum terminum è viuis deces-
serit. Et hæc de secunda opinione
propugnantium octauo mense na-
tos.

His svccedit tertia sententia
†existimantium, partum octomestrem 47
certis, statisque temporibus ab *Hippo-*
crate in lib. de septimestri partu natura-
lem esse & vitalem, aliis autem mon-
strosum & abortiuum censendum, ve-
luti

luti si nascatur intra secundum (quem alij vocant sextum) quadragenarium: sed horum sententiam (qua immorandum non duxi) optimè & latè impugnat *Bonauent.libr.8. de octomest. partu* ex c.49.& *lib.3.c.64.& 79.*

His ita præhabitis ego (etsi agnoscam communiorem, magísque apud omnes nationes receptam Iuris Interpretum sententiam, quæ octomestres velut monstrosos & abortiuos excludit: & communi nostrorum assensui, quoad fieri possim, semper inhæream)
48 veriorem tamen † in iure, praxíque seruandam existimo opinionem contrariam, quæ partus octomestres inter naturales & legitimos connumerat ex rationibus naturalibus & ciuilibus, quin ex legibus Iuris Communis & nostri proximè expensis, quæ irrefragabiliter (mea sententia) pro natis in octauo mense concludunt. Quorum causa fiet euidentior, cùm responsum his omnibus dederimus, quæ pro prima opinione contra octomestres §. adduximus.

Id vt aptius fiat, aliqua in genere præmittenda ducimus.

Et primò octomestrem partum (quamuis naturalis & vitalis sit, ex
49 proximè adductis) minus † tamen vitalem esse septimestri, nonomestri & decimestri, quod sanè ab incõmodo, labore, infelicitate, imbecillitate, & quadam velut imperfectione eidem contingenti prouenit, vt notauit *Plutarch.lib.5. de placitis Philosophor.d.c.* 18. in verbis expensis §.*num*.17. Rationem verò imbecillitatis designat ibidem his verbis: *Aristoteles & Hippocrates dicunt, si expleatur matrix septem mensibus, tunc fœtum descendere & nasci vitalem, si autem descenderit quidem, & non nutriatur læso vmbilico propterea quod fœtus factus sit laboriosior, tunc quidem embryon non vitale oriri. At si maneat nouem menses in matrice, quod iam descendit, tunc perfectum integrúmque nasci.*

Si verò loca *Hippocratis* & *Aristotelis*, ad quæ *Plutarchus* sese retulit, reuoluas, ea obscuritatibus † & difficul- 50
tatibus plena, & ferè inuia adinuenies. Ait enim *Hippocrates in libello de septimestri partu: Cùm ad septimum mensem ventum est, proindéque octauo percurrente, pelliculas quasdam fœtum inuoluentes laxari & defringi, fœtũ ipsum & vteri molem ac tumorem totum descẽdere ad locos inferiores ad facilem partus tempore conuersionem & progressionem; atque in hac inferiore parte ad septimum vsque exactum quadragenariũ commorari (quod tempus nonomestrium est, ac decemestrium) postea verò conuerti, & prodire in lucem.* quæ verba disertè sanè enodauit *Bonauentura libr. 8. de octomest. partu*, post alios Medicos, quibus ista relinquimus.

Succedit locus *Aristotelis* à *Plutarcho* relatus, is est in *lib.7. de animalium historia, c.4.* qui cùm huius negotij velut summam contineat, altiùs nobis repetendus est. Ait autem in Græco originali: ὅταν δὲ συλλάβῃ ἡ ὑστέρα τὸ σπέρμα εὐθὺς συμμύει ταῖς πολλαῖς μέχει γίνονται ἑπτάμηνοι· τῷ δὲ ὀγδόῳ χασκοῦσι, καὶ τὸ ἔμβρυον ἐὰν ᾖ γόνιμον προκαταβαίνει τῷ ὀγδόῳ μηνὶ, τὰ δὲ μὴ γόνιμα ἀλλ' ἀπεωνισμένα ὀκτάμηνα ἐν τοῖς τόκοις οὐκ ἐκφοροῦσιν ὀκτάμηνα αἱ γυναῖκες, οὔτε προκαταβαίνει κάτω τὰ ἔμβρυα τῷ ὀγδόῳ μηνὶ, οὔτε αἱ ὑστέραι ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ χάσκουσιν, ἀλλὰ σημεῖον ὅτι οὐ γόνιμον, ἐὰν γένηται μὴ συμπεσόντων τῶν εἰρημένων. Horum autem verborum priora malè vertit *Theodorus*, dicens: *Cùm semen conceperit vterus, statim se contrahit, donec ad septimum mensem ventum sit*, omittit namque illa, ταῖς πολλαῖς *multis mulieribus* (quæ *Georgium Trapezuntium*, & *Iulium Cæsarem Scaligerum*, illicò referendos, non latuere) Vnde est, vt quod

Philosophus in plurimum aut pluribus contingere, ait *Theod.* oratione indefinita (quæ vniuersali æquipollet, *l. si pluribus* 44. vbi *Bart. ff. de legat.* 2. *l. si plures* 98. *D. de legat.* 3. *l. licèt transferatur* 20. *D. de adim. lega.*) ad omnes mulieres transtulerit: melius ergo *Trapezuntius*: *Concluditur in plurimis vsque ad septimũ mensem*: & *Scaliger*: *Plerisque statim occluditur quoad septimus mensis exagitatur*: Totam verò verborum Græcorum *supra* relatorum seriẽ ita iste nouissimè componit: *Cùm vterus semen genitale comprehenderit, plerisque statim occluditur, quoad septimus mensis exagitatur, octauo aperitur: qui autem maturi non sunt, sed suffocati mẽse octauo pariundi, non edunt mulieres mense octauo, nec occupat descensum fœtus octauo mense, nec vteri eo mense aperiuntur, ídque indicio est fœtum non esse maturum, cùm & exit ipse, & ea quæ diximus, non contingunt.* Sed certè versio ista non minus tenebrosa est, quàm præcedentes veteris Interpretis, & *Theodori* cum *Trapezuntiniana*. Aptius ergo *Bonauentura lib. 3. c. 63.* verbum è verbo exprimens locum istum aptissimè enodauit, dicens: *Cùm autem vterus conceperit semen, statim mulieribus multis comprimitur, quousquè gestando ad septimum mensem peruenerint, octauo autem aperitur, & embryon, si vitale fuerit, octauo mense descendit. Quæ autẽ vitalia non sunt, sed suffocantur octomestria in partubus, octomestres mulieres ad exactum, maturumque tempus non perferunt, quin etiam & embrya non descendunt octauo mense, nec vterus per id tempus aperitur, sed signum est embryon non esse vitale, sed his non contingentibus in lucem veniat.*

Hæc autem disertissimè prosequitur, & interpretatur *Bonauent. in cap. sequenti*, dicens, locum istum *Aristotelis* nonomestrium & decimestrium parturitionum modum ac rationem præcipuè declarare: quod apertè à partium enumeratione argumento sumpto demonstrat, dum ait, sermones istos ad septimestrem partum, qui per abortum in mense septimo obuenit, referri non posse, cùm *Aristoteles* dixerit, mulierem gestando ad octauum mensem peruenire, & in eo vterum illi dehiscere, & fœtum descendere, quæ omnia in eo qui septimo mense vel naturaliter nascitur, vel abortione deiicitur, locum habere nequeunt. Deinde subdit prædictam *Aristotelis* sententiam intelligi non posse de octomestribus, ídque mirè comprobat ex verbis illis: οὐκ ἐκφέρουσιν ὀκτάμηνα αἱ γυναῖκες, quæ planè præ se ferunt fœtus illos, qui in mense octauo in ipso partu pereunt, & suffocantur, vel mortui ac suffocati eduntur ad exactum, maturúmque tempus non peruenisse. Idémque sensit *Scaliger* in verbis s. relatis, & apertè indicat verbum ἐκφέρειν, quod vterum ad exactos menses perferri significat, vt scitè admodum notauit noster *Budæus in commentar. linguæ Græcæ, fol.* 350. id comprobãs ex hoc *Aristotelis* loco, & alio illo euidétiore in *lib. 7. de histor. animal. cap. 6.* εἰσὶ δὲ καὶ τῶν γυναικῶν τινες αἳ μόλις μὲν συλλαμβάνουσι. ἐὰν δὲ συλλάβωσιν ἐκφέρουσιν· αἱ δὲ τοὐναντίον συλλαμβάνουσι μὲν ῥαδίως οὐ δύνανται δ' ἐκφέρειν, id est, *Quasdam esse mulieres, quæ vix queunt concipere, sed tamen cùm conceperint* ἐκφέρειν (id est, iusto pro natura fœtus tempore illum gestare) *alias verò contra, quæ facilè concipiunt, sed post quàm conceperint* ἐκφέρειν *non posse*: idque aliis *Aristotelis* locis comprobat *Bonauentura dict. capite* 74. ita concludens: *Cùm igitur hoc ita sit dicens Aristoteles (mulieres octomestres hos fœtus, quos suffocatos ac mortuos, vel certè morti quàm proximos octauo mense pariunt, ad exactum maturumque tempus non perferri) perspicuè monstrat* huius-

huiusmodi fœtus de quibus loquitur) non esse sua natura, ac per se octomestres neque ex materia tali conformatos, quæ octauo mense maturitatem reciperent, sed abortione potiùs eiectos, ac præter tempus suæ maturitatis in lucem venientes, quandoquidem etiam respectu temporis maturi fœtus alioquin mortui à mulieribus edantur, & abortus contingant. Id quod *Hippocratis* & *Aristotelis* auctoritatibus anteà comprobauerat. Et demum prædictum argumentum ab enumeratione partium prosequutus subdit: *Si Philosophus de partu per se octomestri, vel præcipuè, vel tantùm loqueretur, non posset dicere, hos fœtus (quos suffocatos mulieres hoc mense edunt) ad exactum tempus ab alijs non gestari.* Sub hæc in *cap.* 75. notat verbum illud, ἰνφέρειν in *Aristotele* idem importare quòd verbum ἰνεκφέρειν, ita vt non tantùm referatur ad exactum gestationis tempus, sed & denotet vterum intra tempus gestationis nil incommodi experiri, & demum, perfectum, maturum, vitalémque prodire partum; vt inde vox ista non solam excludat abortionem, quæ prouenit ab editione fœtus preter tempus suę maturitatis, siue tardiùs, siue ocyùs id accidat (vt in eo qui natura septimestris non est, aut octomestris, sed per se nomestris, aut decimestris, qui mense octauo eiectus propter dehiscentiam & suffocationem abortiuus est) verùm etiam eam quæ in partu aliàs per se octomestri contingit in suo maturitatis mense ob incommodam & laboriosam gestationem, idque probari ait verbis illis *Aristotelis*: *Quæ autem vitalia non sunt, sed suffocantur, octomestria in partubus, octomestres mulieres ad exactum, maturúmque tempus non perferunt*: quasi voluerit dicere non perferre ad tempus maturum, vel si perferunt, non perferre commodè.

A quo vltimo euenit, vt octomestris per se, si abortiuus *per accidens*: quo termino vtuntur Medici, qui octauo mense natos naturales esse rati sunt. Istumque per accidens octomestrem *Aristotelem* in præcitatis verbis agnouisse contendit *Bonauentura* d. *cap.* 75. Vbi demum ex dictis, & aliis ibidem ab eo adductis concludit, præcitatam *Aristotelis* sententiam præcipuè intelligi debere de nonomestribus, & decimestribus, aut septimestribus incommodo tempore eiectis, ac subinde de octomestribus per se tempore maturitatis incommoditatem per accidens sentientibus.

Quòd si rationem adhuc disquiras, quare octauo tantùm mense, & non sexto, septimo, nono, aut decimo contingat vterum dehiscere, fœtúmque si vitalis est descendere, si non est vitalis, vel eo ipso octauo mense in descensu suffocatum eiici, aut mortuum? Respondet *Bonauentura libro* 3. *cap.* 76. ex *Hippocrate in libello de septimest. partu*, septimo mense cuicunque fœtui perfectionem quandam obuenire. Quod etiam agnouit *Aristot. libro* 4. *de gener. animal. cap.* 8. (iam *suprà* citatus) cùm septimo mense, & non antè, lac vtile mulieribus gigni asseuerauit: septimus ergo mensis velùt tanto operi finem imponit non solùm his partubus, qui septimo mense eduntur, verùm & nonomestribus, reliquisque suo tempore lucem visuris. Et hoc sanè denotat vniuersalis *Hippocratis* propositio septimum mensem partus perfectioni adsignantis: quamuis me non lateat, ista de absoluta perfectione intelligi non debere, sed de prima aptitudine & perfectione nonomestribus, & aliis isto mense contingente.

Ab his fit, vt nonomestres & decimestres partus (qui sua natura maiores, & corpulentiores aliis sunt) au-

ctiores facti, & perfectionem (septimo mense omnibus contingentem) adepti, capaciorem necessariò requirant locum: nam si in superiore vteri parte permanerent, cùm iam arctior cis est prae loci angustia dubio procul laederentur. *Atque hîc* (addit *Bonauentura* d. *lib.*3.*c.*77.) *admirandum naturae artificium oportet obseruare, quae cùm primùm haec foetui nonomestri necessitas adest, videlicet in septimo mense, illi etiam perfectionem dictam per id tēporis impartit, cuius beneficio robustior factus, tutò hunc descensum aggredi valeat & tentare. Atque haec etiam causa est, cur currente septimo haec non fiant: septimo namque acquirit partus nonomestris, non acquisiuit perfectionem, quare nec sexto, nec septimo, neque post octauum, ac nono, sed hoc ipso currente octauo, monente natura & duce, locum sibi quaerens aptiorem, dehiscente vtero, in partes descēdere debuit inferiores. Quòd si natura octomestris sit foetus, & vitalis, ipsum descensum eodem mense petit, vt oriatur, sicut & natura septimestris mense septimo, veluti qui his, quae praecurrant, auxiliis non indigeant.* Huiúsque rei is Auctor in *lib.*8. causam adducit, & alia huius propositi latè prosequitur. Nobis sat sit ex eius scriptis (profusis, & parum ordinatis) praefata praecissiora simul & clariora delibasse, verúmque sensum Aristotelicae sententię demonstrasse: & quid sibi velint illa: *Vterum cùm semen ipsum conceperit multis mulieribus contrahi vsque ad septimum mensem, post septimum verò dehiscere, & foetum, si vitalis est, descendere.* Et cur multis non omnibus mulieribus: & cur non ante septimum, nec in septimo aut nono, sed in octauo, haec natura euenire voluerit? Ex quibus veniunt plenè intelligenda quae s̄. ex *Plutarcho* adduximus: & simul explicanda, quae fautores octomestrium, & alij (maximè *Ioann. Colle in Cosmitore Medicaeo. ex fol.*209.) generali & confuso stylo solent annotare, dicentes in mense octauo varios dolores & symptomata prae caeteris mensib. euenire.

Adhaec ipse *Bonauentura* (qui omnia huius propositi diligenter percurrit) aliam octomestris infelicitatis & imbecillitatis adducit causam ex † si *Hippocrate in lib. de natura pueri*, iuncta *Galeni* interpretatione, dicens: *Verùm dum haec meditor & scribo, in mentem venit, hinc aliam causam laborum octomestrium elici posse: cùm enim octauo mense ingens fiat fluxus sanguinis ad mammas, toto corpore ac natura conuersa ad eum illicò expellendum ex vteri venis, in quibus toto gestationis tempore (vt Galenus admonuit) sensim collectus erat: adeò vt iam foetu minus attrahente, illisque magis exudantibus natura magno conatu ad mammas illum pellere laboret, vt grauedinem illarum partium tollat: non videtur valdè dissonum à ratione in eo motu sic venas vteri interdum exhauriri cuncto sanguine ad mammas confluente, vt tunc foetui parciùs quàm sit opus praebeant alimentum, non secus ac quò fluentis humoris caput erumpit, reliquus libenter eò labitur & confluit humor. Qua de causa reditus foetus imbecillior, si tūc fortè oriatur, labores partus nequeat sustinere: quod tamen quia magis & minus recipere potest, adeò vt non semper tantus fiat fluxus ad mãmas, vt necessarium foetui desit alimentum, nō ob id sunt octomestres reiiciendi tãquam non vitales. His addo breui tēpore hunc alimenti defectum durare posse, quia foetus cùm non adest in venis vteri alimentum è mammis illud trahit, ex quo, vt suprà ex Hippocrate dicebamus, & Galeno, in praegnantibus, quae sanguinis inopia laborat, mãmae gracilescunt, quia scilicet inde ad sui nutritionem foetus illum trahat.* Quae omnia valde notanda duco pro infelicitate & deperditione octomestrium, & simul insuperhabēda

quae

quæ in propoſito comminiſcitur *Zacchias in Medico-legali lib. tit. 2. quæſt. 4. ex num.34.*

His ſic præhabitis (& neceſſariò diſcuſſis ad veram partus octomeſtris naturam eruendam) ex iiſdem planè deducimus partum octomeſtrem per
52 ſe, † id eſt, qui octauo menſe abſolutam recipit perfectionem, & maturitatem, naturaliter viuere (quod ſanè agnouiſſe videtur *Petr. Garſia de locis affectis diſputat.76.cap.1. nu.2.* vbi ait, poſſe dari partum octomeſtrem vitalem, perfectum, maturumque ſimul: nec diſſentit *Ambroſ. Paræus lib.25.ca. 15.* vbi octomeſtres vitales vegetis & validis mulieribus tribuit) vt enim homo ſolus multiparum, pauciparum, & vniparum eſt animal (ex notatis per nos ab *Ariſtotele*, & ſatis demonſtratis in *Prolegomenis*) ita & diuerſis mẽſibus partus illi à natura obueniunt, vt inde octauo geniti non minus naturales & vitales ſint, quàm ſeptimeſtres, nonomeſtres, & decimeſtres, quamuis (vt ait *Ariſtoteles* d.*cap. 4. libr.7. de hiſtor. animal.*) minus viuant, comparatione facta ad nonomeſtres, & decimeſtres; id enim denotat vox ἧττον, qua vtitur *Ariſtoteles*, cui opponitur altera illa μᾶλλον, quarum vſus in comparationibus frequentiſſimus eſt. Cùm ergo *Ariſtoteles* octomeſtres minus viuere dixit, clare denotauit minus eſſe, naſcique vitales quàm nonomeſtres, & cæteri perfecti partus; eſſe tamen vitales, non ſecùs ac quod minùs album, aut minus dulce eſt, dulce tamen & album eſt: eſt enim conſtantiſſima regula ab eodem *Philoſopho* tradita *lib.2. Topic.c.4.* cùm aliquid magis & minus dicitur, ſimpliciter ineſſe: ait enim: *Rurſum ſi quid magis & minus dicitur, & ſimpliciter ineſt: quod enim bonum vel album non eſt, nec magis & minus bonum, vel album dicitur.*

Et his ſanè ſuperatus doctiſſimus *Ioannes Lalamantius* † Medicus *He-* 53
duus in comment. ſuper lib. Hippocratis, de hominis ætate, ſcholio 20. à prædicto *Ariſtotelis* loco agnoſcit, & ratus eſt probari partum octomeſtrem naturalem & vitalem (addit. *Si non eſt corruptus*, quod nec credere par eſt, cùm verborum ſeries hoc non patiatur, nec vllus tale quid vnquam dixerit) *Lalamantij* verò oratio ita ſe habet: *Ariſtoteles ſeptimum, octauum, & decimum (ſi modò ſanus eſt apud eum locus)* τιμοὺς *facit, id eſt, ad pariẽdũ naturales. Quòd ſi ab eo quæras, qui tãdem menſes magis naturales ſunt? ſic ipſe reſpondet, pleriq; duos tantùm, nonum & decimum: vnde à Latinis duabus Parcis nomen inditum. alteri* NONA *à noni menſis partu, alteri* DECIMA, *ab enixu decimi, vt Gellius etiam notat lib.3.cap.16.*

Cùm autem octauo menſe natos minus vitales remur, cõſequenter eos rariores non negamus: vt nec *Ariſtoteles*, qui in *lib.7. de hiſt. animal.* d. *cap.4. in principio, & circa finem*, hoc ſenſu octomeſtres partus appellat *monſtroſos* dicens, καὶ τερατώδη γίνεται, &c. non quia læſum aliquid, & ſimpliciter imperfectum, turpéve, aut raro in natura contingens (quod proprium eſt monſtriferi, ex dicendis in *cap.17.*) demonſtrent, ſed ob id tantùm, quòd rariùs in ea eueniat, aut minus intendatur. Quo ſenſu *eod. cap.* fœminam *monſtrum* appellat: & geminorum partum *monſtroſum in lib. 4. de generat. animal. cap.4.* dum ita ait: ἐὰν δὲ πότε πλεῖον ἔλθῃ, διδυμοτοκεῖ δὲ τότε, διὸ καὶ δοκεῖ τερατώδη τὰ τοιαῦτ' εἶναι μᾶλλον, ὅτι γίνεται παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ πολὺ καὶ τὸ εἰωθός, hoc eſt *quod ſi interdum plus acceſſerit, tum gemini naſcuntur: quare & videntur monſtroſi huiuſmodi partus eſſe magis, propterea quod fiunt præter id quod vt plurimum euenit, & præter ſolitum.* Vt enim *Philoſophus eodem capite* prædixerat:

Monstrosum est res præter naturam: sed & præter eam quæ magna ex parte fit (quod tamen lato modo dictum puta, vt notatur in dict.c.17.) Ab his tamen non rectè ita argumentaberis: *Partus octomestris minus vitalis aliis est, rarior est, ergo abortiuus, aut à natura deuius.* Quòd si consecutionem istam admittamus, necessum erit fateri geminorum partum, vel editum à quinquagenaria (quod longè rarius accidit) abortiuum esse, contra constitutionem *Iustiniani* in *l. si quis maior* 12. *Cod. de legitim. hæredib.* de qua *inferiùs* erit sermo. Eadem argumentatio nihil concludit, si velis inferre, octauo mense editum abortiuum, quia imbecillis & debilis, vt in plurimum (quod & septimestribus obuenire notauit *Aristoteles lib.7. de natura animal. cap.* 4. vbi addit, imperfectos etiam nasci solere, & indiscretis foraminibus aurium & narium) nec enim ob id desinit esse vitalis & naturalis. Nec quòd plures ex his sospites euadant, quàm ex octomestribus, ideò inter eos constituenda est diuersa natura & ratio, alioquin & facienda: inter septimo & nono mense editos.

His accedit, mulieres in mensium
54 computatione sæpissimè † falli, ex dictis, *supr. nume.*21. & notauit *Bart.* in *l. Gallus, nu.*13. *ff. de liberis & posthum.* vbi *Fortunius nu.*117. *Galliaula nu.*42. *Marius Salam. nu.*64. *Alciat. nu.*64. *Menochius cons.*284. *nu.*42. *li.*3. cum aliis, quos refert & sequitur *Giurba in consuet. Senat. Messanen.* 1. *part. c.*1. *gloss.*4. *numero* Cùm enim ab octo menstruorum defectione partus edunt communiter existimant post priorem mensem à cóceptione menstruum effluxisse. Sed & temporis quo conceptio contingit inscia, aliter atque aliter computationem ineunt, vt partum intra terminos septimi & noni mensis constituãt (id quod euenire solebat Græcis mulieribus, teste *Aristot. libr.7. de hist. animal.* dict. c. 4.) Et inde fit (vt ibidem ait *Aristoteles*) quòd cùm octauo mése natus saluus sit, suspicentur editum anteriore vel subsequenti mense. Et ab his effluxit Hispanum Prouerbiũ: † *Bien cuenta la madre, mejor cuenta el ss. infante,* quasi dicores (vt optimè notat *Doctor Sorapan in sua Medicina Hispana, 2. parte, adagio* 1. *nu.*25. & diximus *in Prolegomen.*) id esse verum & certum pariendi tempus, in quo fœtui perfectio & maturitas contingit suæ correspondens conceptioni, articulationi & efformationi, quod omne matres ignorant: vt inde nulla computatio ab eis facta certa sit, ac illa naturæ nobis occulta, quæ à dicta perfectione & maturitate dependet.

Mirum autem videri non debet hoc matres latere, in quo & disertissimi Philosophi & Medici facilè falluntur, vt colliges ex his quæ in proposito annotarunt *Cardanus in commentar. ad libr. Hippocrat. de septimestr. partu,* & anxiè disputat, & post multa resoluit *Bonauentura de octomest. partu, libro octauo, cap. vigesimo secundo, & 41.* Quæ si inuestiganda, & enodanda fuissent exactè, multas sanè paginas impleuissemus, nil demum præstituri, ac illi qui in hisce oleum & operam (vt est in vetere & trito prouerbio) perdiderunt. Ex quibus facilè in octomestrium inimicos retorquebis, quod ipsi in eos adstruunt, dicentes, sæpè mulieres falli, dum putant octauo mẽse filios edidisse, ídque *Doctor Sorapan. in Medicina Hispana, 2. par. adag.* 1. malè imponit *Hippocrati.* Et quamuis non inficiet, mulieres etiam decipi isto in casu, nemo tamen inficias ibit lapsum imprægnantium in plurimum ad octomestrium exterminationem committi.

Vtcunque verò sese res in natura, & vera computatione habeat, & quamuis

nis octauo menſe nati imbecilliores,
& imperfectiores ſint ſeptimeſtribus,
minuſque vitales, & rariores, hoc ni-
hil aliud euincit, niſi quod in ordine
56 † partuum naturalium primum lo-
cum obtineant nonomeſtres, & deci-
meſtres: ſecundum verò nati menſe
ſeptimo, tertium editi octauo: quar-
tum nati ſub principiũ vndecimi mẽ-
ſis, vt clarè colligitur ex *Ariſtotele*
(gradus iſtos parturitionum natura-
lium conſtituente) *lib.7. de hiſtoria a-
nimal.d.cap.*4. in verbis iam relatis. Et
ſanè in propoſito diſertiſſimè locutus
eſt *Bonauentura li.3.de octomeſt. partu,
cap.*6. dicens: *Verùm quia conſilium e-
rat Ariſtotelis demonſtrare, non omnes
ab eo enumeratos menſes pariter homini
ad partum eſſe naturales, ſed alterum
magis, alterum minus, quemadmodum
& ipſa ratio docet, & comprobat expe-
rientia, idcircò illa omnia de eo rectiſſi-
mè addidit, vt doceret quem gradum hic
menſis in eorum ſerie poßideret, quos tan-
quam partui naturales enumerauit,
quod etiam de ſeptimo fecit & vndeci-
mo. Hæc autem quam longè inter ſe dif-
ferant (quod maximè lectores animad-
uertere cupio) nempè probare velle men-
ſem hunc nullo pacto naturalem eſſe, vel
naturalem quidem eſſe, ſed tamen minus
quàm alium aliquem, nemo eſt qui non
videat. Quod ſanè Philoſophi conſilium
cum octomeſtrium hoſtes non attingerint,
videri debet, ſi ab ipſius mente longiſſi-
mè aberrauerint, &c.* ¶ Sed nec adeò
octomeſtrium propugnationi (vt hæc
obiter dicam) ſtudendum eſt, vt ad-
mittamus *Ioannem Lalamantium in
commentar.ad lib.* 2.*c.*2. *Galeni de dieb.
decretor.*& *Paulum Zacchiam*, eum ſe-
quutum, *in Medico-legalib. tit.*2. d. *qu.*
4.*nu.* 6. exiſtimantes, octomeſtres na-
turæ operibus ſeptimeſtribus aptio-
res, & viuaciores, vt qui magis accedũt
(vt iſti putant) maiori partus humani
perfectioni (quam in nonomeſtribus
malè conſtituebant, ex dicendis, la-
teque probandis in *cap.ſeq.*) hoc enim
& à veritate, & à gradibus perfectio-
rum partionum, *ſupra* cum *Ariſtotele*
conſtitutis apertè deuiat.

Sit ergo omnium prædictorum in
iure certa concluſio,† partum octauo 57
menſe editum legitimum eſſe, & ſuc-
ceſſionis parentum & tranſuerſalium
capacem. Et à patre præteritum eius
rumpere teſtamentum. Et in omni-
bus & per omnia coæquandum ſepti-
meſtribus, nonomeſtribus, & deci-
meſtribus, ſi totus viuus perfectè na-
tus eſt, ad nullum declinans monſtrũ
vel prodigium, d.*l.quod certatum, C.de
poſthu hæredib. inſtit.* & præterea nobis
Hiſpanis baptizatus, vigintiquattuor-
que horas viuens, ex d. *l.*13. *Tauri*, in
ſua generali deciſione, ibi: *Manda-
mos, que el tal hijo ſe diga que natural-
mente es nacido, i que no es abortiuo,
quando nacio viuo todo, i que alomenos
deſpues de nacido viuio veinte i quatro
horas naturales, i fue baptizado antes
que murieſſe.* Quin & idem probat
lex iſta in ſua limitatione, verſ. *Pero
ſi por el auſencia*, ex traditis per nos
ſuprà.

Et ab iſta veriſſima reſolutione ſe-
curè affirmo erraſſe † *Baldum* (pro- 58
batum à *Pariſio conſ.*36. *num.*7. verſic.
accedat, volum. 2. *Polydor. Ripa de no-
cturno tempore, cap.*68.*num.*81.) dum in
*l.ea quidem, num.*17.*C.de accuſation.* ita
ait: *Notorium natura procedit in his quæ
diſpoſita ſunt ſecũdùm naturam, vt puta
quod omnes debeamus mori, vt C.de con-
trahenda & committenda ſtipulatione, l.
non moriturum. Et quòd ſi aliquis viuit,
ergo non fuit natus octauo mẽſe, quia im-
poſſibile eſt ſic natũ viuere ſecũdùm Me-
dicos: & iſtud tale notorium in ſua gene-
re eſt neceſſarium notorium, nec aliquo
modo poteſt ignorari*: vt enim propo-
ſitionis iſtorum verborum primum
exemplum certum & indubium eſt,

ita & secundum à veritate & natura deuium omnino.

59 Inde veniunt etiam refellendi † *Alciatus in l. qui mortui, ff. de verb. signific. Mandosius ad regulas Cancellariæ regula 19. quæst. 6. nu. 8. Menochi. de arbitrar. lib. 2. casu 89. n. 38.* & *lib. 6. præsump. 52. num. 6. & 7. Mascard. de probationib. conclu. 1146. nu. 30. Ruger. cons. 1. n. 17. 18. 60. & 109. vol. 1.* qui vnanimes resoluũt octauo mense natos viuere naturaliter non posse, sed tantùm per miraculum. Quo ex capite venit etiam reiiciendus *Socin. Iunior* dict. *cons. 35. tom. 2.* dum octauo mẽse natum à matris successione excludit, quia nisi per miraculum viuere non potest.

Ab iisdem simul venit improbandũ
60 iudicium Protomedici † *Ferdinandi Regis I.* Neapolis, & aliorum (quos *Afflictis decis. 236. nume. 5.* valentissimos Philosophos appellat, eorúmque ductu sacrum Consilium Neapolitanum octauo mense natum maternæ successionis incapacem declarasse asserit) vt meritò decisionem istam, & prædictorum iudicium impugnauerit *Boër.* dict. *decis. 220. in fine.* Nec enim ita magnifaciendum est iudicium illud Consil. j Philosophorum & Medicorum relatorum ab *Afflictis suprà*, vt ab eo quisque non malit discedere, quàm à veritate; maximè si annotauerit quo tempore Cõsilium illud habitum fuit, Rempublicam Literariam nondum in Italia inualuisse, & Philosophiæ puriorem cognitionem non vsque postliminio reuersam, nec bonarum literarum & Græcarum notitiam (quæ multis abinde annis Barbarorum immani tyrannide procalcata exulabat) restitutam: *Hippocratis* enim, *Platonis*, *Aristotelis*, & aliorum similium velut vmbra tantùm illis temporibus exstabat.

Quid quòd *Afflictis* presupponit cõceptum octomestris, de quo agit, contigisse die sancti Martini (qui vndecimus est mensis Nouemb.) & editum die duodecima mensis Iulij insequentis, quod sanè temporis spatium in anno bissextili 245. diebus conflatur, in aliis verò communibus 244. qui nonum mensem clarè attingunt, & partum ab *Afflictis* propositum nonomestrem fuisse manifesto demonstrant: vt merito insignes Medicos (quorum illa decisione fit mentio) irriserit *Bonauentura in compend. disputa. de octom. partus natura, nu. 37.*

A dictis etiã fit, vt nec annuere pos-
61 simus his quę existimauit † *Sfortia cõs.* 61
28. *nu.* 31. dicens: *Hippocratis* sentẽtiam localem esse, supponens in Græcia octomestres partus non contingere cõtra assertionem *Aristotelis lib. 7. de animal. histor.* d. *cap.* 4.

Nec sustineri potest *Cagnolus* † *in l.* 62
1. *nu.* 190. vers. *octauo verò mense, ff. si certum petatur*, vbi malè interpretatur *Aristotelem.* d. *ca. 4. lib. 7. de histor. animal.* contra octomestres in illis verbis: *Octauo mense nati non viuunt, nisi in Ægypto, &c.* quandoquidem variis locis illius capitis *Aristoteles* octauo mense natos naturales & vitales, vel asserit, vel supponit.

Neque itidem admittendi sunt, qui octomestrem partum immaturum, aut abortiuum appellant, iuxta ea quæ an- 63
notauit † *Tiraqu. in l. si vnquam, verbo, susceperit liberos, nume. 210. C. de reuocand. donation. Giurba in consuetudin. Messanens. 1. p. cap. 1. gloss. 4. nu. 37.* & nos impugnabimus *infra cap. 6. num. 9.* vers. *Demum*: quamuis largo modo partus isti dici possint abortiui, iuxta tradita ab *Sforcia* d. *cons.* 28. ex *nume.* 52. quemadmodum & monstriferos appellauit *Aristoteles supra* per nos relatus & interpretatus.

Ad hęc reiiciendus est *Thom. Grammaticus*,

64 *maticus*, † qui dicteriis aliorum ductus *in addition. ad decisionem* 236. *Afflictis* existimauit, octomestrem ad summum octo dies viuere posse, quod placuisse video *Sforciæ Oddo*, post alios in dict. *cons.* 28. (quod pro octomestribus dederat) *numer.* 67. & nouissimè *Christophoro de Paz de tenuta* 2. *p. cap.* 68. *numer.* 46. & *Mario Giurbæ in consuetud. Messanen.* 1. *p. cap.* 1. dict. *glo.* 4. *nu.* 48.

Sed & à prædictis respuendus est
65 † *Iacobus Cuiacius*, qui *in scholiis ad lib. 4. Sententiar. Pauli, tit.* 9. §. *septimo mense*, & in *tractat. de diuersis tempor. præscript. & termin. capit.* 19. octomestrem partum illegitimum indistinctè asserit.

66 Et *Marius Giurba* † *in consuetudin. Messanens.* dict. *cap.* 1. *gloss.* 4. *numer.* 38. vbi existimauit octomestrem *filiorum* nomine in statuto non comprehendi, quod certè imposuit *Horatio Carpano* (quem pro ista sententia sinistrè citat *in statuta Mediolan. capit.* 298. *numero quadragesimo quinto*, 1. *p.*) vbi nullum verbum de edito octauo mense, sed tantùm de abortiuo in genere, qui nõ multo pòst tempore ab editione mortuus est.

67 Et *Polydorus Ripa*, † qui *in tract. de actis in mortis art. cap.* 3. *num.* 12. duodecim filiorum immunitate parentes non gaudere ait, si octomestris hunc numerum compleat: id quod nec aliis octomestrium partionum osoribus placuisse video, maximè *Borrelo* (qui contrarium decisum testatur) *cons.* 28. *nu.* 56. *Giurbæ supra num.* 40. (vbi subauditionem quandam iniungit eidem *Borrelo* omnino respuendam.) Nam si ad consequendam prædictam immunitatem sufficit numerum duodecim filiorum partu animato nondum edito iuxta depositiones petitarum obstetricum adimpleri ex *Ioanne Baptista Costa*, id ex pluribus comprobante, *in tract. de retrotract. c.* 2. *in princip. n.* 4. *Alexand. de analogis cap.* 12. *Ripa suprà num.* 12. de quo ego valdè dubito ex dictis in *capit.* 2. *suprà*) quantò magis constans erit numerus duodecim filiorum, quando vndecim superstitibus natura adiunxit octomestrem partum viuum totum, & in hominum rerúmque natura exstantem: quod de vẽtre dici non potest antè quàm edatur, ex latè per nos dictis & annotatis in d. *cap.* 2.

Insuper improbandus est † *Parisius* 68
d. *cons.* 56. *nu.* 6. *& seqq. duobus*, dum putauit, & securè docuit, octauo mense natum, quod attinet ad omnes iuris effectus habendum pro non nato.

Et *Tiraqu.* † in d. *l. si vnquam*, verbo 69
susceperit liberos, *nu.* 205. quem & alios refert & sequitur *Giurba in consuet. Senat. Messan. c. cap.* 1. *gl.* 4. *n.* 39. qui donationem, octomestris natiuitate non reuocari, adseuerarunt.

Et *Socinus* cum reliquis, quos retulit *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 89. *nu.* 111. existimantibus ob partum octomestrem nõ deficere conditionem, *si sine liberis*: cuius contrarium placuit *Baldo, Angelo, Decio, Bursato*, & aliis, quos ibidem retulit *Menochius*.

Et præ omnibus à verò deuiauit
Christophorus de Paz † *tractatu* 2. *de te-* 70
nuta, c. 68. dum ex *numer.* 42. opinionem Iurisprudentum, qui stant pro octomestribus (& præsertim dicta à *Philippo Corneo* in *l. quod certatum*, à *num.* 1. *C. de post. hæredib. instituen. Decio cons.* 626. *Boërio* dict. *decis.* 220. *numer.* 2. *& ab aliis*) restringit, & intelligit in natis & editis tempore opportuno, septimo puta nono, aut decimo mensibus, non sic in octauo, quo nil deuius à vero sensu sententiæ prædictorum dici potuit.

Nec minori damnatione digna sunt, quæ ipse idem *Christoph. de Paz*
† adstruit vbi *supr.* dicens suam sen- 71

tentiam (octomeſtrium cauſam impugnantem) in ſucceſſione maioratuum Hiſpanorum, intelligendam eſſe, ſi paucos dies vixerit fœtus immaturus & imperfectus. *Si enim* (ait iſte) *tempus conſiderabile viuat, vltimus poſſeſſor dicetur: nec tunc credendum in menſibus intempeſtiuis puerum natum, ſed in eorum numero fuiſſe erratum.* Errat námque toto cœlo ipſe, dum putat, octomeſtris ſuperuiuentiam erroneæ temporum computationi omnino tribuendam: natum námque puerum ab octauo menſe initi matrimonij à patre illico mortuo, vel abſente, ſi cum Auctore iſto in numero menſium erratum dicas, nota ſimul illegitimitatis inures: quod nullus ſanè vnquam dicere auſus fuerit; quinimo communis Doctorum octomeſtribus infeſta eos legitimorum naturalium & vitalium in numero habet, ſi per aliquod temporis ſpatium vixerint, vt annotauimus *ſuprà* ex *Alexandro* & probauerant anteà *Bald.conſ.128.numero ſecundo, volum.1.& conſ.113. in fine, volum. 5. Angelus* in *l. quod dicitur, ff. de liberis & poſthumis*: & ſentiunt *Corneus* in *l. quod certatum, Cod.de poſthumis hæredibus inſtituendis*, *Pariſius conſ.146. in fine, Volumine 4. Matthæacius de legat. lib.3.cap.15.nume.17. Petrus Gregorius lib. 10.ſyntagmat.iuris, cap.3.numer.14.* cum pluribus aliis, quos refert & ſequitur *Marius Giurba in conſuetudin. Meſſanenſ.1.parte, cap.1.gloſſ.4.numero* 41. vbi improbat limitationem *Socini Iunioris* dicto *conſ.35. numer. 38. volumine 2.* & *Cardinalis Tuſchi*, eum ſequentis, *littera P.concluſ.106.numer. 5.* qui hoc admittebant, quo caſu partus naſceretur robuſtus. Etenim vt *Giurba* optimè aduertit, limitatio iſta apertè contrariatur generali ſententiæ *ſuprà* relatorum. Et ego addo, *Socinum* octomeſtrium maximum inſectatorem in his deprehendi edocentem, ſeu aſſerentem octauo menſe partum legitimum & naturalem contingere poſſe: & per conſequens ſibi ipſi non conſtantem, ex dicendis & annotandis *inferiùs* in reſponſionibus ad rationes illas quattuor *ſuprà* expenſas pro eius contraria ſententia.

Neque concedendum eſt, quod 72
† *Torreblanca lib.2.de Magia operatrice, cap.42.numero trigeſimo ſeptimo*, tam ſecurè, quàm improuidè in Iuriſconſultos aſſerit, admittendos octomeſtres, quamuis eos ipſi reiecerint: nullibi enim in Iure Ciuili tale quid inuenitur ac iſte ſupponit, ob inſcitiæ propriæ labem, Iuriſconſultos, omni ſcientiarum genere eximios, peſſimè notans.

Demum inſuperhabenda ſunt quæque ſimilia, quæ Iuris noſtri profeſſores ſuis ſcriptis interſeruerunt in perniciem octomeſtrium: quos magno ſanè odio ſunt proſequuti, & exterminare maximo conatu curarunt, ac ſi animæ rationalis, & humanæ formę expertes eſſent: ídque tantùm à Medicis 73
ſuorum temporum † edocti, & cæci à cæcis ducti.

His adde, nec minores fuiſſe com- 74
munis Scholæ Medicæ errores † dum octauum menſem parturitioni natura inimicum falsò ſtatuunt: dum diſtinguunt inter natiuitatem & vitam fœtus: & inter partum perfectum vel maturum, & vitalem vel legitimum. Quæ omnia refellit *Bonauent.de part.octom. lib.3.ex cap.6.& lib.9. à cap. 11.* & alibi: & hoc vltimum facilè conuincitur ex his quæ de partu perfecto annotauimus *ſuprà* in *cap.6.*

Nvnc ſupereſt, vt his quæ contra natos in octauo menſe ex ſententia *Hippocratis* & aliorum adduximus *ſuprà*, faciamus ſatis.

Et primò obiectã † *Hippocratis* au- 75
ctoritatem diuerſis locis *ſuprà* relatã contra octomeſtres facilè dilues, ſi caſum

casum istum excipias à generali *Macrobij* assertione *in Somn. Scipion.* aientis *libr. 1. capit. 6.* sapientissimum istum Senem, *nec falli, nec fallere*. Nec enim rectè consequitur *Hippocrates* octauo natos non agnouit, vel respuit, ergo non sunt admittendi. Maximè cùm ex scriptis ab isto id tantùm euincatur nusquam eum hosce vitales vidisse, vel obseruasse, vti plura alia didicit ex parturitionibus suo tempore contingentibus (maximè ex vxoris Antigenis partu) quæ ipsum antea latebant, vt ipse fassus est, & nouè ab obstetricibus obseruabat, vt colligitur ex dictis ab eo in *lib. de carnibus ad finem*, cuius verba, & alia huius propositi expendimus s. *cap. 9. n. 10.*

76 Adde ex sententia *Bonauent.* illicò referēdi eundem *Hippocratem* † octomestrem partum non refutasse, quinimò inter alios doctrina sua approbasse, quando in opusculo de alimento ita ait: *Ad figurationē triginta quinque Soles: ad motū septuaginta: ad perfectionem ducenti decem. Alij dicunt: ad figurationem quadraginta quinque: ad motum septuaginta sex: ad exitum ducentos decem. Alij quinquaginta ad formam: ad primum saltum cētum: ad perfectionem trecentos: ad distinctionē quadraginta: ad transitum octoginta: ad elapsum ducentos quadraginta, Non est & est. Generantur autē in hoc, & in pluribus & paucioribus.* Ecce *Hippocratem* asserentem partus distinctionem triginta diebus contingere; transitum quadraginta: & ad elapsum ducentos & quadraginta dies (qui octo mensium spatium explent) consummari. Vt inde velut per necessarium consequens ratus sit, hominem octauo mēse gigni & nasci posse, & vitalem esse: & ita hunc *Hippocratis* locum interpretatur *Menardus lib. 16. epistolar. epistola 1.* *Bonauent.* eum referens, *de octomestr. partu, lib. 8. cap. 79.* Sed reuera sustineri non potest, & facilè exploditur ex iam dictis per nos *suprà numero quinto* pro elucidatione & enodatione dictorum verborum *Hippocr.* Quem pro octomestribus malè expendit idē *Bonauentur. in compend. disputat. de octom. part. cap. 19.* diuersis in locis, quibus certè vim manifestam illi infert, & simul vero sensui tradito à *Galeno*, & cæteris.

At *Cicero* † *in lib. 2. de natura deorū* relatus *supr. num. 5.* tantùm dixit partus maturescere septimo nonnunquā mense, plerumque nono: ab his tamen non rectè colligitur, octauo mense natos reiecisse, alioquin & decimestres (qui omnium frequentiores sunt, ex dicendis in *cap. 13.* (*Ciceroni* naturales non essent. Ex hoc ipso fit satis sinistræ *Bartol.* citationi in *l. Gallus, D. de liber. & posthum.* (contra octomestres communiter expensi) vt enim optimè in proposito ait Medicus *Bonauentura* (*Bartolum* interpretatus *lib. 9. de partu octomestri, cap. 4.*) *difficile est de eius mente diuinare, cùm nihil loco illo habeamus de octomestri partu ab eo explicatum, quin potius vir tantus cùm erubesceret sine lege loqui, videns apud Iurisconsultos nullam esse de hoc partu mentionem, prudenter illos imitatus, nihil de octauo mense statuere voluit, illúmque silentio præteriens, menses tantū eos recensuit, quos fortasse existimabat magis esse naturales, ac receptos sine controuersia: vt Bartoli auctoritas nihil Iuris professoribus conducere videatur ad octomestres refellendos.*

Quod verò attinet ad auctoritates cæterorum, † *Philonis* puta, *Plutarchi*, *A. Gellij*, & nostrûm Iuris professorum, & aliorum *suprà* relatorum. 77 Respondemus cum *Iustinian.* in *l. 2. vers. sed neque ex multitudine, Cod. de vet. iur. enucl.* ex multitudine Auctorum, quod melius & æquius est iudicari non debere, cùm possit for-

ſitan & deterioris ſententia, & multas & maiores in aliqua parte ſuperare: alioquin communes Doctorum opiniones irrefragabiles & inconcuſſæ ſemper eſſent, & tamen videmus quotidie explodi & impugnari: & ab impugnatione aliam contrariam conſurgere communem opinionem, quòd multis euenit caſibus (his noſtris temporibus dexterrimè quatuor tomis *Communium contra communes* congeſtis à *Hieronymo de Ceuallos*, quem nec iuſtè quidem, liceat mihi iſta non pręter-
79 mittere, notauit † *Pater Carolus Scribanus in Politica Christiana, cap. 9.*) Si enim hoc vitio dari deberet, omnes ſcientiarum profeſſores illo venirent notandi, non tantùm Iuriſprudentes, quos ſolos varietatis & inconſtantiæ nota Theologus (noſtra non callens) inurere incaſsùm fuit conatus. Quis enim non videt in omni diſciplinarum genere repugnantes ſententias omnis æui Auctores propugnaſſe *propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem*, vt ait noſter *Vlpianus*. Nam vt diſertè inquit *Edmundus Meril.* (qui omnium quos ego viderim, iſta optimè calluit *libro 1. obſeruat. cap. 2.*) Notum quàm diuerſæ fuerint Philoſophorum familiæ, *Lucian. in Paraſ.* pòſt quàm diuerſas eorum ſententias retulit, ita ait: καὶ μέχρι γὲ νῦν ἔτη ἐς αὐτοὶ γνώμης κρατοῦσιν, οὔτε αὐτῶν ἡ τέχνη μία φαίνεται, *Varro* ducentas octoginta octo ſectas Philoſophorum colligebat: apud *Auguſtinum lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 1.* *Themiſtius* Philoſophus cùm de diſſenſionibus Chriſtianorum apud *Socratem* ageret *lib. 4. hiſtor. Eccle. cap. 27.* μικρὰν (inquit) γὰρ εἶναι τὴν αὐτῶν διαφωνίαν ὡς πρὸς τὸ πλῆθος, καὶ τὴν σύγχυσιν τῶν παρ' Ἕλλησι δογμάτων, εἶναι γὰρ ὑπὲρ τὰ τριακόσια δόγματα. Inter Theologos hæreſes primùm ſubortæ: neque inſignius aliud diſſenſionis exemplum, quàm cū Homouſiani aduerſus Arrianos tam ſæpè, tamque diù diuerſis & contrariis opinionibus decertarunt. De Medicis *Plin. lib. 29. cap. 1.* poſt relatas diſſidentes inuicem Medicorum ſectas, *Hinc illæ circa ægros miseræ ſententiarū concertationes nullo idem cenſente, ne videatur accessio alterius.* Luc. Seneca epiſt. 95. *Itaque alia eſt Hippocratis ſecta, alia Aſclepiadis, alia Themiſonis.* Theod. Priſcian. in præfat. lib. 1. *Nam ſcire velim quî fieri poſſit, vt cùm quid rectum, aut contrarium, quid ſalubre, aut incommodum ſit, huiuſce artis profeſſores inter ſe diſſentiant, diuerſorúmque ſententias ſinguli ſeruare conentur.* Rhetores quoque ſectas habuerunt, *Quintil. lib. 3. inſtit. c. 1. Eſt autem (vt præcedēte libro patebit) infinita diſſenſio Auctorum, primò ad ea quæ rudia & imperfecta adhuc erant, adycientibus quod inueniſſent Scriptoribus, mox vt aliquid ſui viderentur afferre recta mutantibus:* & poſtea: *Hi diuerſas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei & Theodorei ad morem certas in philoſophia ſectas ſequendi.* Inter Latinos alij Frontoniani, atque alius nominis, *Sidonius lib. 1. epiſt. 1. propter quod illum cæteri quique Frontonianorum, vtpote conſectaneum æmulati.* Sed & mirere magis iſtud diſſentiendi cacoëthes, Grammaticos Gręcos, & Latinos peruſtigiſſe, vt alij *Homerici* dicerētur, *Suidas* Κράτης ὃς ἐπεκλήθη Ὁμηρικὸς καὶ κριτικός. Alij *Ariſtarchæi*, *Suidas*, Διδύμος γραμματικὸς Ἀριστάρχειος. Alij *Ariſtophanei*, *Athenæus lib. 5.* Δειπνοσ. Διόδωρος ὁ Ἀριστοφάνειος. Inter Latinos, alij *Enniani*, alij (vt videtur) *Virgiliani*, *Anianiſtæ*, alij (vt videtur) *Virgiliani*, *A. Gellius lib. 18. cap. 5. Eamus (inquit) ad hoc editum, neſcio quem Enniaſtam: hoc enim ſe ille nomine appellari volebat.* Quid igitur mirum, ſi Iuriſconſulti in diuerſas familias àbierint, vt alij *Sabiniani & Caſſiani*, alij *Proculiani & Pegaſiani* dicerentur.

Demum

Demum, ne longiùs diuagemur, ista quam aptissimè comprobantur ex nostra disputatione, in qua contra supr. relatos stat & pro octomestribus Philosophiæ Princeps *Aristot.* dicto *lib.7.de historia animal.* & alibi in locis suprà adductis: exstant & plures alij doctissimi Viri in Philosophia & re Medica à nobis *superiùs* laudati, quin & magni nominis Iuris Professores: quorum omnium auctoritates non nisi rationibus quisquam poterit euertere.

At illæ, quas aduersarij comminiscuntur, nostram veram sententiam non perturbant.

80 Et primò, vt à nostris incipiam, tres priores † *Socino Iun.* consideratæ d. *cons.35.vol.2.* (quarum prima nititur auctoritate plurium Auctorum. Et secunda, quæ in definiendo partu, legitimo tẽpore *Hippocratis* summi Medicinæ parentis sententiam adstruit. Et tertia, quæ firmitatis suæ robur constituit in opinione *Bart. Bald.* & *Pauli de Castro*) facilè diluuntur ex proximè dictis, cum re vera argumentum à sola auctoritate ducant. Et sanè *Bartol.* horum Coriphæus in *l. Gallus* nume.12. nil disertè dicit, & demum ista hæc (sibi ignota) Medicis relinquenda concludit.

81 Quarta *Socini* ratio † (cõsiderantis partus octomestres inplurimũ perire, raroque sospites euadere, & ideò non admittendos, ex regula *l. nam ad ea 5. D. de legib.* cum similib.) omnium maxima est, & quæ iuris professores omnes contrariæ sententiæ adsertores valdè constrinxit, & ideò in ea aliquãtulum sistendũ est. Aiunt enim (& adpositè quidem, vt ipsi existimant) cum *Paulo* Iurisconsulto in *l. antiqui 3. D. si pars hered. pet.* τὸ ἅπαξ ἢ δὶς (id est, quod semel aut bis existit, vt ait *Theophrast.*) παραβαίνουσι οἱ νομοθέται, id est, *prætereunt Legislatores.* Et ea quæ rarò accidũt non temerè in agendis negotijs cõputanda, vt consuluit *Iulianus in l. ea quæ 64. D. diuers. reg. iur.* Id quod nobis etiam edixit *lex. 36. tit. 34. p.7.* vbi *Gregor. glos.1. l. 5. tit. 5. part. 6.* & innuit *Proœmium legum Tauri*, vbi *Didacus Castillo*, verbo *continuamente*, & sępè repetita *lex.13. Tauri*, ibi: *suelen occurrir*, vbi idem *Castillo*, & post alios notauit *Alciat. l. b. 2. dispunction. cap. 4. Petrus Faber, Gothofredus, Cuiacius*, & reliqui in dicta *l. 64. D. de diuers. reg. iur.* Et demum pro istis faciunt quæ in proposito latissimè annotauit *Speron Speroni* in diuersis locis *Dialogi de tẽpore partus*, sæpiùs relatus *supr. cap.9.* Sed his omnibus facilè satisfacies, si cum *Gothofredo supr.* distinxeris, & ea quæ à natura eueniunt, licèt rarò accidant, semper attendenda & consideranda asseueraueris, vt apertè probant *tex.* in *l. hoc amplius 9. §. Alphenus, D. de damno infecto, §. quòd si vis fluminis, institution. de rerum diuisione*, & aptiùs & apertiùs in *l. si maior 12. C. de legitimis heredibus*, Aduocatis Cæsareæ (quæ Metropolis erat Cappadociæ) rescripta per *Iustinianum*, quibus etiam missæ sunt *l. vltima, C. de pactis, l. optimam 14. C. de contrahenda & committenda stipulatione* (etenim vulgaris inscriptio mendosa est, vt apertè probatur in *§. item verborum, institution. de inutilibus stipulationibus*) Et verò Aduocatorum officium antiqui Imperatores magnificiebant, vt constat ex *Anastasij l. 1 C. de Aduocat. diuers. iudic.* & ex *l. cùm aduocatio 8. l. memini 11. l. iubemus 17. l. nullus 18. C. de annotatis diuersorum iudiciorum*, quæ Auctores habent *Theodosium in Leonem, Zenonem & Iustinum.* Sed ad dictam *l. si maior* † (à qua paululùm digressi sumus) 82
redeuntes, notanda valdè est in proposito eius decisio, quandoquidẽ quinquagenariæ mulieris partum naturalem ibi appellat *Iustinianus* illis ver-

bis singularibus: *Sancimus, licèt mirabilis huiusmodi partus inueniatur, & rarò contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter à natura noscuntur esse producta, respuit: sed omne ius quod ex quacunque lege liberis præstitutum est hoc merum atque immutilatum huiusmodi filijs, vel filiabus seruari in omnibus successionibus, siue ex testamento, siue ab intestato, & summatim non absimiles alijs fiant, quos similes natura efficit.* Vides vt Imperator (qui quinquagenariæ partum miraculosum appellauit cum *Aristotele libro 5. de historia animalium, capite 14.* & *Plinius libro 7. natural. histor. cap. 14.* *Solino in Polyhistor. capite 4.* eam solam ob causam quod rarissimè contingat (quam agnouit *Glossa* verbo *quinquaginta*, in *l. si sterilis, D. de actionibus empti, Socinus* dict. *cons. 35.* à *numer. 26. volum. 2. Parisius cons. 26. nu. 4. 6. lib. 2. Gregor. Lopez* in *l. 68. tit. 4. p. 1. gloss. 3. Menochius lib. 5 præsumpt. 24. num. 4.*) eum tamen legitimum & naturalem quoad omnes iuris effectus agnoscit, & disertis verbis enunciat.

83 His adde, ex dict. *l. antiqui* † planè colligi, Legislatores id tantùm insuperhabere solitos, quod semel, aut bis accidit, non quod rarò, vel rarissimè: quid enim rarius, quàm tergeminos mulierem eniti, quia tamen id non semel aut bis accidit in natura, sed pluries, vt patet ex exemplis adductis à *Paulo in illa lege* (quam à *Plinio* maiore ex parte desumpsit *lib. 7. natur. historiæ, cap. 3.*) ideò vnico filio relicto, & vxore prægnante quarta pars hæreditatis paternæ ei assignatur, & dodrans ventri reseruatur tergeminos forsan edituro. Quòd si vnus tantùm (vt ferè semper accidit) natus fuerit, quadrantem alium superstes recens verò editus semissem ex reseruato dodrante consequetur. Quòd si quatuor vno partu fuerint editi (quod euenisse *Paulus* ibi testatur, & nos latiùs in capite 18. demonstrabimus) tunc sanè quadrans superstiti à principio assignatus, ad quintam assis partem reducetur, vt ex æquo omnes liberi prædefuncto patri hæredes existant. Cùm ergo *Paulus* insolitam rarò contingentibus diuisionem temporariã constituat, ne præiudicium qualequale ex retentione hæreditatis pater æ fiat his qui nasci possunt secundùm naturam (quod an rectè factum fuerit, alibi disputamus) multo magis dicere, & constanter asseuerare debemus editos octauo mense (qui pluries sospites & vitales euadunt, ex traditis *suprà*) fouendos à iure, nec penitùs exterminandos, & improbandos, vt volunt sententiæ octomestribus inimicæ propugnatores. Et ita magnum contra istos, & insuperabile ducimus argumentum, à prædictis retorquentes irrefragabiliter hanc *l. antiqui* in Socinũ eorum Antesignanum. Ex ea namque simul cum dict. *l. si maior. C. de legit. hæred.* clarè consequitur, partum octauo mense editum, licèt rarò viuat, adde, & quamuis id per miraculum contingeret (quod de octomestribus nullus dicet, attentis *superiùs* traditis) nihilominus legitimum, vitalem & naturalem enunciandum.

Demum vltimo loco noto, rationes Naturales, Medicas, Astronomicas, & alias in initio huius capitis expensas nihil obstare.

Vt enim incipiam à ratione *Hippocr.* † *in libello de octom. par. in init.* sumpta ex duobus laboribus, quos partus octauo mense editus patitur, facilè respondetur, eos non dari in his partionib. quæ natura sua octomestres sunt, sed in his tantùm, quæ nono & decimo mense aliàs obuenturæ erant, ex dictis & notatis *supr.* cum *Arist.* Quòd autem similes labores, aut ægritudines non naturaliter, sed per accidens contingant 84

tingant in octauo mense, vel ex eo clarè demonstratur, quòd non omnes octomestres laborant & ægrotant, vt ex pluribus latè comprobauit *Bonauent. de octom par. lib.* 8. c. 11. vbi in id citat mirabilem *Auerrois* locum, & clarè res ipsa demonstrat: nam si ægrotatio ista omni fœtui octomestri esset naturalis, nullus partus esset ab ea immunis, t octauo mense editus, qui sua natura octomestris est, nec ægrotat, nec laborat laboribus illis, quibus omnes octauo editos supprimi putat *Hippocrat.* cùm nihilo differat à cæteris partubus naturalibus & vitalibus, necessum ergo est, vt fateamur, eius rationem non omnibus octomestribus conuenire, quandoquidem non est omnium eadem causa & infelicitas. Quinimo prædictam rationem ex aliis causis tailicem esse, & nutabundam ex pluribus demonstrauit *Sforcia d. consf.* 28. a *nu.* 41. & *Horat. Auge. l. b.* 2. *de hom. part. c.* 15.

85 ¶Sed neque omnes octomestres subeunt periculum † secundi quadragenarij, & tertij simul, vt ait idē *Hippoc. in libel. de septim. part.* (cuius sententiā probauit *Capiuaceus* in verbis per nos s. relatis *n.* 6.) quibus ex iam dictis integrè fit satis: illísque adde quæ in impugnanda, & exterminanda ista secunda ratione latè annotauit *Bonauentur. lib.* 10. *de octomestri partu c.* 47. *cum duobus seqq.*

86 Ab his etiam dilues tertiam rationem † *Alberici Gentilis*, qui ex *Auicenna* adstruebat, fœtum omnem septimo mense moueri ad exitum, quòd si eo tempore lucem non videat, adeò debilitari ob motus causam, vt resumatur per totum mensem octauum sequentem, & in nonum mensem exitus producatur: hoc enim adaptari non potest fœtui, qui octauo mense naturaliter exitum desiderat, quales sunt omnes octomestres natura sua, qui dicto mense maturitatem & vltimam perfectionem recipiunt. Adhæc ratio ista cessat in nato sub finem octaui mēsis: neque enim dici potest istum abortiuum; & natum die sequenti (hoc est in initio noni mensis) esse naturalem & vitalē. Addo pronuntiata à *Gentile* ex *Auicenna* sustineri non posse, dum putat, septimo mense nutrimentum deficere, & octauo nonóque & decimo à natura suppeditari, ita vt defectus contingat intra tempora media, quibus tale quid non obuenit, iuxta ea quę ex sententia *Aristot.* & de medio extrema habilia sortiente, resoluimus s. *hoc cap.* Demum *Bonauent. lib.* 3. *de octom. par. c. fin. in prin.* & deinceps rationem istam ab aliis causis impugnat. Et is ipse *lib.* 10. *c.* 15. 23. 40. 41. 44. 45. *&* 46. cæteras ferè rationes à Medicis relatis s. *nu.* 7. expensas subuertit plenè & planè. Et iterum in *compend. disput. de octom. par. nat. c.* 24. *& seqq.*

Ad quartam rationem Chaldæorū, † cæterásque Astronomicas, quas s. designauimus ex *Censorino, Ausonio* & aliis penitùs euertit *Picus Mirandul.* in *lib.* quem *aduers. Astrologos (Sextū Empiricum* æmulatus) edidit. Et præ omnibus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, veræque doctrinæ Doctor insignis, & sanctissimus, sempérque mirandus & imitandus *D. Thomas in opusc. de Fato*, vbi quæ Astrologi, Soli planetarum Principi in conceptu tribuunt, ipse ad Lunam implurimùm disertissimè refert: quam ex sententia *Aristo* conceptus ac fœtus moderatricē dexterrimè constituit. Est enim (vt doctissimus iste, veræque doctrinæ lumen inextinguibile ait) Sol minor (à quo conceptus lumen recipit) & mensis domina, ita vt in eodem efficiat, quod Sol in anno, ídque comprobat dicens, à nouilunio ad primum vsque quadrantem calidam esse & humidam, & Veri respondere: abinde rursus ad ple- 87

nilunium calidam esse & siccam, & Æstati assimilari: à plenilunio verò vsque ad secundum quadrantem frigidam & siccam esse velut Autumnus: inde demum ad interlunium frigidã, humidámque esse sicuti Hyems. His addit humoris commouendi imperium penes Lunam residera;vt accidit in maris accessu & recessu. Et inde post multa concludit, à Luna & eius menstruis mutationibus fœtûs efformationem, maturitatem & omnem perfectionem pendêre,nec ista ad Solis cursus & mutationes in diuersis signis esse referenda.

88 Rationem verò illam Astronomorum † (relatam ab *Alberico Gentili* §.) existimantium partum octomestrem in Saturni domum post omnes planetas peragratos retrogradari, ciúsque frigiditate & siccitate interfici fœtum, euertit strenuè idem *Diuus in* d. *opusc.de Fato*, dicens hoc falsum esse, ídque clarè probari, *quia multi in Astronomia filij Saturni esse dicuntur, qui diu superuiuunt:* & optimè ex aliis impugnat *Ludou.Mercad.li.4.de mulier. affection.ca.2.* post *Picum Mirandul.in lib.3.aduers.Astrolog.cap.*8.relatum ab *Sforcia* d.*cons.*28.*nu.*34. vbi ab alia Astrologica causa istam explodit.

¶ Rationem verò ab Astrorum, mundíve diffidentia (quam probati §. à *Plutarcho n.*9.somniarunt)facilè destrues,si consideres ea attenta in Ægypto,Græcia,Hispania,& aliis Prouinciis octomestres viuere non potuisse vnquam contra *Aristotelem*, & alios: & contra *Plinium lib.7.c.5.* vbi Cæsoniæ octomestris filiæ Vestiliæ (quæ fuit Cai Caligulæ vxor à *Iuuenali satyra* 6.versu 615.notata) meminit. Sed & plura alia in prędictas Astrologicas rationes considerauit *Horat. Augen. li.2.de hom.partu,c.*11.

89 Sub hæc Arithmeticam † causam, quam aliqui designarunt, & imperfectionem, quam octonario numerò imposuerunt, latè explodit *Sforcia* d. *cons.*28.à *n.*35.*Horat.Augen.de homin. part.lib.2.c.*13.& disertiùs sanè *Gorræus lib.*19.*definit.Medicar.*& *in annotat.ad libr. Hippocratis de natura pueri,* vbi: *Sed quæso* (inquit) *cur tam malè & sinistrè de octonario sentiunt, & loquuntur? cur enim imperfecti insimulant cum iisdem ipsis ductoribus solidum ex eo corpus, & verè perfectum componatur? Ergo singulariter quoque plenus, perfectusque iure dicitur propter corporeæ soliditatis effectum. Est enim ille de his, vt ipsi dicunt, quæ nec generantur, nec generant, scilicet, ex monade & septem constitutus: aut ex eo quòd tum generatur, tum generat, nempe quaternario duplato consistit. Quin etiam octonarium Pythagorici iustitiam vocauerunt, quia primus omnium ita soluitur in numeros pariter pares, hoc est in bis quaterna, vt nihilominus in numeros æquè pariter pares, diuisio quoque ipsa soluatur in bis bina. Eodem etiam modo contexitur, id est bis bina bis octo componunt. Quare cùm & contexio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat vsque ad monadem, meritò propter æqualem diuisionem iustitiæ nomen accepit: qui ergo tam iustus est, non conuenit profectò fœtui iniquum esse. Sed ad ipsam cæli harmoniam constituendam, firmandámque hunc numerum magis aptum esse dubium non est, cùm sphæræ ipsæ octo sunt, quæ in cælo mouentur. Hæc quidem sunt* (ait) *à me adducta, quò docerem ex numeri paritate non rectè imperfectum demonstrari, & ineptum ad vitam fœtus tuendam atque conseruandam. Quain re non existimo me à Galeni sententia discedere, qui paritatem, atque imparitatem à vi criticorum dierum similiter reiicit, atque excludit.* Hactenus Gorræus, cuius verba singularia referre libuit, & vt quæ maximè huius propositi: & quia simul quàm dexterrimè imperfectio-

ctionem huic numero impositam subuertunt. Quibus adde numerum per se nullam habere vim agendi, ex *Aristot. in Metaphys.*

Denique immorandum non est in impugnatione rationis octomestribus inimicæ à Musica desumptæ, vt quæ meris nugis, & futilibus allucinationibus pullulet, vt ex *Gothofredo* annotauimus s̃.

90 PRÆDICTIS pauca addenda sunt circa computationem † editionis octauo mense contingentem: quam etsi impossibilis probationis esse supponat *Sforcia* d. *cons. 28. nu. 33. & 62. cum seqq.* securè tamen tenendum est variis modis, mediisve probari posse (preter traditum ab *Afflict. decis.* 236. quod concludens mihi non est) vt puta si maritus post primos maritales complexus tribus, aut quatuor continuis mensib. abfuerit. Vel si primis diebus à matrimonio consummato interficiatur. Aut ex nimio & immoderato matrimonij vsu moriatur, vt multoties accidit: qui sanè certi sunt modi probandi, quem octauo mense natum, si illo eodem mense à contracto matrimonio ratione inita editus fuerit, iuxta ea quæ in proposito resoluit *Cagnol.* in *l. 1. n. 196. & 197. ff. si cert. pet. Mascard. 3. to. concl.* 1146. *n. 32. Mar. Giurba in consuet. Messan. 1. p. c. 1. glos. 4. num. 47. Pet. Franc. Lenglois* nouissimè *ad 50. decis. Imperat. decis. 17. q. 6. n. 5. & decis. 29. q. 1. n. 3.* Et nobis hoc apertè probatur in d. *l. 13. Taur.* in illis verbis: *Pero si por el ausencia del marido, ò por el tiempo del casamiento claramente se probasse que nacio en tiempio, &c.* ¶ Et id ipsum dices, si vir post primos congressus longa, graui, & continua infirmitate laborauerit; quòd mirè, argumento à contrario sensu sumpto, confirmatur ex *l. filium 6. ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris,* in finalibus illis verbis. *Sed mihi videtur (quod & Scaeuola probat) si constat maritum aliquandiu cum fœmina non concubuisse infirmitate interueniente, vel alia causa: vel si ea valetudine pater familias fuit, vt generare non posset, hunc qui in domo natus est, licèt vicinis scientibus, filium non esse,* notat optimè *Lenglois* d. *decis. 17. q. 6. nu. 5.*

His alios probandi partus octomestris modos † adiungere poteris ex 91 *Mario Giurba*, omnia complectente, & ita dicente d. *nu. 45. Peritis standum est, argumento tex. in l. 1. §. 1. ff. de ventre inspiciendo, l. septimo mense, ff. de statu homin. l. hac edictali, C. de secundis nuptiis. Decius cons. 623. num. 2. Sforcia d. cons. 28. n. 67. & c. Tuschus littera P. conclus. 106. nu. 14. Riminald. Iunior consil. 547. n. 77. Et* mulieribus *idem cons. 571. num. 3.* obstetricibus *nempe &* Physicis *cum iuramento deponentibus. Parisius cons. 56. num. 11. & 22. volum. 2. Sforcia d. num. 67. Menoch. cons. 680. nu. 12. Marcel. Cala de modo articul. & proban. §. 2. gloss. 1. num. 150. & c. Tuschus dicta conclus. 106. Rota Auignonen. decis. 178. nu. 24. Costa de retrotract. c. 2. num. 4.* Si electi sunt à partibus, *Apostilla ad Roman. cons. 20. Tuschus littera A. conclus. 536. num. 14.* Permittente iudice, *Rota Auignonen. 5. decis. 178. num. 25.* Siue per verbum *credo*, siue de eorum iudicio deponant. *Parisius plenè d. cons. 56. num. 13. & 14. volumine 2. Nepit. ad consuetudin. Catin. tit. 5. num. 51. Cala. d. numer.* 1310. *Ludouicus conclus. 37. versic. ampliatur, &c. quos nec a falsitate exulatos aliàs respondi, licèt per verbum* credo *deposuerint, ex Rustico de fideicommissis lib. 4. cap. 8. num. 66. Nec* solis obstetricibus *standum est, nisi alia concurrant, Bursatus cons. 63. numer. 20. & causam allegent, quia mulier partus tempore passa sit saua accidentia, & insolita, de quibus Parisius d. consil. 56. Franc. Marcus decis. 168. p. 2. Mascard. de probation. conclus. 805. numer. 3. & 4. Borrel. cons. 286. num. 8. Tuschus d. conclus.*

106. num. 18. Neque eis credendum, *nisi seruata sit forma, qua debent eligi periti, Menoch. de arbitrar. casu 114. num 27. & cons. 284. num. 26. Tuschus ibidem num.* 19. Chirurgis *verò multa in hoc adhibenda est fides, Rustic. d. cap. 8. num.* 72. Hactenus *Giurba*.

Quòd si istæ aut aliæ similes probationes deficiant pretextu octomestrium, quin & quinquemestrium, vel
92 semestrium, dicendum sanè est † quẽlibet editum viuum & perfectum (& nobis insuper vigintiquattuor horas viuentem, & baptizatum, ex sæpè repetita *l. 13. Tauri*) legitimo & habili tempore natum præsumi, & iuxta adsuetum ordinem naturæ, *Bald. in l. septimo mense, D. de statu homin. Decius cons.* 623. noster *Fortun. Garcia* in *lege Gallus num.* 12. *D. de liberis & posthum. Menoch. cons.* 284. *num.* 3. *lib* 3. idem *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 52. *numer.* 4. latè *Marius Giurba*, alios referens, *in consuetudin. Messanen. 1. par. cap. 1. d. glo. 4 num.* 45.

Qui *num. seq.* ex pluribus rectè re-
93 soluit standum non esse † dicto mulieris adserentis octomestrem enixam.

Et *num.* 48. optimè adstruit (post *Grammatic.* & *Afflict.* dicta *decis.* 236. *Sforciam* d. *cons.* 28. *num.* 67.) non probari partum octauo mense editum, ex
94 quo † duos, quattuor, aut sex tantùm dies superuixerit, quod omni partui naturali frequentissimè contingit.

Et *duobus numeris sequentibus* idem
95 esse ait, si matri † in puerperio mors obuenerit, vel extenuatus nascatur puer, iuxta tradita à *Menochio* d. *consil.* 284. & ab *Sforcia* dict *cons.* 28. vbi alia huius propositi subiungit.

Quæ omnia clarè euincunt, octomestrium parturitionum tractationẽ Iurisconsulto superuacuam esse, nisi constiterit priùs partum octauo mense editum.

In hoc autem à *Mario Giurba*, & ab eo relatis *supr. n.* 45. dissentimus, † 96
quòd illi putant partum octomestrem non præsumendum, nisi probetur, quia cùm non sit maturus, & perfectus iuxta naturæ opera, probandus est ab affirmante, quod nos non concedimus: & illam aliam huius rei rationem assignamus, quòd partus octomestris rarior est assuetis, & communiter contingentibus, nono, decimo, aut septimo mensibus, ex dictis & insuper notandis in capitibus statim sequentibus.

Quin & in eo (quòd longiùs à sequendo tramite aberrat) discordes su- 97
mus † quòd *Baldus*, & reliqui à *Giurba* laudati ex probatione editionis octauo mense euenientis eliciunt partum eijciendum & excludendum à successione parentum & aliorum. Nos è contrario à simili probatione consequimur, partum legitimo tempore, licèt minus assueto, editum, & naturalem, vitalemque esse, si viuus perfectè editus est, ad nullum declinans monstrum vel prodigium, *l. quod certatum 3. C. de posthum. hæredib. instituend.* vel si nobis (iuxta dictam *l. 13. Tauri*) fuerit baptizatus, & vigintiquattuor superuixerit horas.

Quòd si instes, attenta opinione stantiũ pro octomestribus, & eos legitimos & naturales partus asseuerantium ad nihilum prodesse disquisitionem illam, An octauo mense, vel reliquis parturitioni naturali aptis quis natus fuerit? Ergo id quidem ingenuè fateor, † quòd attinet ad munia, 98
naturalium & legitimorum partuum, & illis obuenientia post editionem:
proderit † tamen ad dignoscenda 99
tempora conceptionis ad effectus sigillatim enumeratos per nos in c. 1. *sect.* 2. & ad distinguendum, & dignoscendum partum, an prioris, vel secundi fuerit viri, & matrimonij & alia similia.

Vtcun-

Vtcunque autem sit, si aliquo ex dicendis s̃. indicatis, vel aliis similibus
100 probetur octomestris natiuitas & editio, eam constanter † asseuerare debemus naturalem, vitalem, legitimámque & capacem successionis ascendentium & collateralium, & Iure Ciuili paternum rumpere testamentum, si prætereatur.

Sub hæc ad prædictorum omnium confirmationem addo in admissione octomestrium cessare inconueniens,
101 & causam supponendi † partus post mortem viri, quę in quinquemestribus facilè obtingere potest, ex iam dictis per nos s̃. *c.9.* & j̃. dicendis *in capite* 14.

Demum his finem facio, animaduertens, exectum † & videntem lucem 102
octauo mense, eodem iure censendum, quo & cæteri partus octomestres vitales à natura producti, iuxta s̃. tradita, & iam resoluta in *c.6.* ex *nu.*12. Quidquid in contrarium adstruere conati fuerint relati à *Francisco Bursato consil.*63.*num.*18.*tom.*1. & à *Socino Iuniore* d. *cons.*35.*volum.*2. *Franc. Marco decis.*168.*num.*4.*p.*2. & ab aliis quos refert & sequitur *Giurba* d. *gloss.*4.*numer.* 44.

CAPVT DVODECIMVM.

DE EDITIS IN NONO mense, & obiter de computatione annorum, & mensium.

SYNOPSIS.

1 *Partus nono mense editus naturalis, legitimus, & successionis capax est.*

2 *Nonomestrem partum omnium maximè naturalem putauit* Vallesius *cum aliis.*

3 *Nonomestrium nomine veniunt nati quoque tempore illius mensis.*

4 *Auctores communiter secundùm locum concedunt decimestribus in naturalibus partionibus.*

5 *Magna tamen fuit dubitatio inter Philosophos, & alios, quis perfectior & frequentior partus sit, nonomestris an decimestris?*

6 *In ea diffidere videntur* Hippocrates *&* Aristoteles.

7 *Imò* Hippocrates *nonomestres tantùm videtur agnouisse.*

8 *Iurisprudentes nullo excepto nonomestres frequentiores & perfectiores, & omnes nono mense præsumi natos tenent.*

9 Aristoteles *decemestres perfectiores & frequentiores existimauit.*

10 *Declaratur* Aristot.lib.7.de historia animal.c.4.*Et n.11.quòd nonomestris non meminit:& quare?*

11 Ioan.Picus Mirandulan.*notatur.*

13 *Decem-virorum responsum apud* A. Gellium *expenditur. Et num.*14.caput 7.Sapientiæ.*Et num.*15.Iul.Paulus lib.5. Sentent.titul.9. §.septimo mense.

16 CHRISTVS *Dominus & Deus noster ex* MARIA *Virgine decimo mense natus est.*

17 Pater Pineda *iustè notatus fuit à* Gonsaluo Cerũantes, *quia vnum à natalitiis* CHRISTI *diem ademit.*

18 *Sacratissimum* CHRISTI *corpus (quod in instanti fuit dispositum) eodem fuit auctum modo quo & alia humana corpora.*

19 *Perfectius pariendi tempus computandum est à die ducentesimo septuagesimo vsque ad* 280.*ex* Tertulliano.

20 *An partus* 276. *dierum sit nonomestris vel decimestris?* Auctor *in dubium reuocat.*

21 *Rationem aperit, cur mensium & annorum computationem & acceptionem inierit* hoc capite.

MNIBVS Iurisprudentibus, Philosophis, & artis Medicę professoribus notissimum, & constitutissimum semper fuit, partus nono mense
1 editos naturales, & †legitimos esse, nobísque successionum capaces, vt ratus est *Bart.*in *l.Gallus in princ.ff. de liber.& posthum.num.*12.qui in hoc reliquos firmat esse concordes, & nouissimè *Hadrianus Negusant.*post alios,*in sylua responsor.q.*400.*n.*73.

Quinimo nonomestrem partum o-
2 mnium maximè † naturalem putauit *Francisc.Valles.* & hoc ipsum rerum experientiam præmonstrasse affirmat *in commentar.super 2.Epidem.sect.*3. & *de sacra Philosophia.c.*83. Eúmque omnium perfectissimũ appellauit *Mercadus lib.4.de mulier.affection.* ex *Hippocrate 6.popular. morbor.* inferiùs referendo,cui concinit *Bonauent. li.3. de octomest.partu, c.*25. qui partui isti omnes perfectionis gradus tribuit.Et nouissimè post *Lalamantium in commentar.ad Galenum de diebus decretor. li.2. c.*2. obnixè adstruit *Paul.Zacchias in Medico-legalib.tit.*2.*q.*2.ex *nu.*14.Et de eo (vt qui naturalissimus & frequens) passim inde mentio est in *Hippocratis* & *Aristotelis* libris.Sed & in sacra Pagina *lib.2.Machabæor.c.*7.filium suum nouissimum, ita mater illa septem filiorum fortissima alloquitur: *Fili mi, miserere mei, qui te in vtero nouem mensibus portaui.*

Nonomestrium autem nomine † 3 veniunt nati quocunq; tempore illius mensis, sub initium, puta medium, aut finem, & alio quouis eius termino, vt post alios probat *Bonauentura lib.3. de octomestri partu, c.*43. Quò fit sustineri non posse eorum opinionem, qui existimant, priores diei noni mensis non esse vitales, quos refert & optimè refellit dictus *Bonauent. libr.*8. *de octomestri partu c.*51.*&* 52.

Sed Auctores præcitati (qui nono mense natis priorem in perfectione, & naturę frequentia locum obtinere putant) concordes, secundum † concedũt 4 decemestribus. Hinc illa Parcarum nomina, NONA, & DECIMA, vt iam alibi annotauimus ex *A. Gellio libr.3. Noctium Atticarum c.*16. & *Tertullian. de anima, c.*37. *Hæc æstimando etiam superstitio Romana finxit Alcmonam alendi in vtero fœtus.* & NONAM & DECIMAM *à solicitatoribus mensibus.*

HIS nonomestrium tractationem nostri communiter absoluũt: mihi verò res latiùs patet, atque vagatur: adhuc enim exactiùs disquirendum duco, quis perfectior & frequẽtior † par- 5
tus

tus ſit nonomeſtriſne,an decimeſtris?
In qua quæſtione (omnibus tempori-
6 bus agitata) diſſidere † videntur Prin-
cipes rei Medicæ & Philoſophicæ
Hippocrates & *Ariſtoteles*, ille nam-
que 6. *popularium morbor.par.7.tex.29.*
ita ait: *Dolores per circuitus fiunt: qui
autem in ſeptuaginta mouetur, trinume-
ro perficitur, qui verò in nonaginta, is
etiam triplicato numero abſoluitur*, ac ſi
diceret, dolores & tempora parturi-
tionum demonſtrati per priores fœ-
tus motiones contingentes, vel ſe-
ptuageſimo, vel nonageſimo die, ita
vt qui mouentur in ſeptuageſimo hoc
numero dierum triplicato naſcantur
in ducenteſimo decimo, hoc eſt ſepti-
mo menſe pleno, qui verò in nonage-
ſimo die moueri incipiunt eodem tri-
plicato in ducenteſimo ſeptuageſimo
prodeant, hoc eſt nono menſe perfe-
cto. Vt inde velut ſupponat *Hippo-
crates*: perfectiores & frequentiores
partus ſeptimo & nono menſibus cō-
7 tingere. Imò hoc loco iſtos tantùm †
naturales agnouit ex ſententia *Mer-
cadi ſupr.* qui addere potuit *Timæum*
apud *Plutarchum lib.5.de placitis Phi-
loſophorum*, ita dicentem: *Timæus non
decem menſes, ſed nouem cenſeri ab inhi-
bitione menſtruorum poſtquam conceptus
eſt fœtus: ſic etiam ſeptimeſtria cenſeri,
quæ non ſunt, cùm aliquando mulier poſt
conceptum menſtruis purgetur*: quibus
verbis Philoſophus iſte non tantùm
nonomeſtres prætulit, verùm & deci-
meſtres exterminaſſe videtur. Quæ li-
cèt communiter reiiciantur à Neote-
ricis Philoſophis & Medicis, in ea ta-
men multi perſiſtunt opinione: vt exi-
ſtiment nonomeſtres frequentiores &
perfectiores decimeſtribus eſſe, idque
(poſt *Macrob.libr.1.in Somn.Scipionis*,
ita aientem: *Humano partui frequentio-
rem vſum nouem menſium certo numero-
rum modulamine natura conſtituit*, ſe-
ſeque referentem in his vltimis ver-
bis ad *Hippocratem* præcitatum) aſſe-
runt *Valleſius* & *Mercad.ſupra*. Et *Ca-
piuaceus lib.4.de affectib.vteri, capite 8.*
decimeſtres rariores nonomeſtribus
firmans, & nouiſſimè *Andr.Laurent.
de hiſtor.anatom.lib.8.c.9.* & *quæ.30.* &
Zacchias latè *ſupra*.

His certè conueniunt Iuris noſtri
profeſſores, † qui in ea fuerunt ſentē- 8
tia (nemine eorum, quos ego viderim,
excepto) vt exiſtimarent non tantùm
nonomeſtres eſſe omnium frequen-
tiores, iuxta tradita à *Ruger.conſ.1.nu.
14. Azeued.* in *l.2.tit.8.libr.5. Recopilat.
num.9.* verùm in dubio omnes partus
cenſendos nono menſe editos: quæ
fuit ſententia *Baldi* in *l.ſeptimo menſe,
ff.de ſtatu homin. Socini Iunioris conſil.
35.numero 25.volum.2. Sforciæ conſ.28.
num.63. Burſati conſ.93.numer.21.* cum
aliis pluribus, quos refert & ſequitur
*Marius Giurba in conſuetudin. Senatus
Meſſanenſ.1.p.cap.1.gloſſ.4. num.31.* vbi
(ex *Beroo conſ.162.numero 52. volum.2.
Maſcardo de probatio.concl.805. Meno-
chio de arbitra.caſu 89.num.37.& aliis*)
tenet filium ex vxore natum, quæ ali-
quando abfuit à viro, præſumi potiùs
nono, quàm alio in menſe editum. Et
prædicta omnia comprobari videntur
in *l.4.titul.23.part.4.* in illis verbis: *Eſ-
ſo miſmo deue ſer iuzgado de la que naſ-
ce faſta en los nueue meſes, e eſte cuento
es mas vſado que los otros*, iūncta *gloſſ. 3.
Gregorij* ibi.

Sed decemeſtrium partionem po-
tiorem, & naturæ aptiorem, & in ſe
perfectiorem & frequentiorem ſen-
ſiſſe videtur † *Ariſtot.lib.7. de hiſtoria* 9
animal. in ſæpè allegato *cap.4.* vbi iux-
ta verſionem *Iulij Scaligeri* ita ait: *Soli
ex animalibus homini multa præſcripta
ſunt pariendi tempora, nam & ſeptimo,
& octauo, & nouo menſe parit, pluri-
mumque etiam decimo.* Etenim dictio
illa *plurimum* (quę Græci originalis il-
li reſpōdet τὸ πλεῖστον) comparatiuè &

relatiuè ad præcedentia stare videtur, & decimestres parturitiones omnibus frequentiores denotare: quod clariùs demonstrauit communis & vsitata illa lectio: *Septimo mense, & octauo, & nono parere potest, & quod plurimum decimo*: ego verò facilioris negotij causa illa *Aristotelis* δεκάμηνα τὸ πλεῖστον, ita exprimerem: *Sæpissimè hominem decimo mense gigni.*

Nec probo eorum sententiam, qui
10 aduerbium † illud τὸ πλεῖστον, ita interpretantur, vt eo loci idem significet, & innuat quòd Latinis dictio *ad summum*: & subinde eam fuisse *Aristotelis* sententiam, vt partus humanus septimo, octauo & nono mense edatur, ad summum verò decimo, quamquam nonnullæ mulieres vndecimum mensem (quod rarissimè euenit) contingant. His enim resistit vsitata *Aristot.* phrasis, qui quod nos dicimus *ad summum*, non verbis his, τὸ πλεῖστον, sed illis, τὰ πλεῖστα significat, id quod ex *eod. cap.* 4. paulò inferiùs comprobatur; vbi cùm dicere destinasset, mulieres naturaliter quinos ad summum fœtus concipere, ait: Πλεῖστα δὲ τίκτεται πέντε τὸν ἀριθμόν. E contra cùm sæpissime vnum tantùm eas edere voluisset demonstrare, non quidem dictione illa πλεῖστα, vsus est, sed altera illa πλεῖστον, dicens: τὸ μὲν γὰρ πλεῖστον ἓν ἑκάστῃ τοῖς πλείστοις ἐν τίκτουσιν αἱ γυναῖκες. Ad hęc idem *Aristoteles lib.6. de histor. animal. cap.* 12. de Balenæ partu loquutus, vt doceret ad summum duos posse edere fœtus, eadem loquendi formula vtitur, dicens: ἡ δὲ Βαλαῖνα δύο τὰ πλεῖστα, καὶ πλεονάκις ἓν, *Balena binos ad summum, implurimum verò vnum procreat.* Et tandem *eodem libr. 6. cap.* 4. de partu canum sermone inito, vt ostenderet duodecim ad summum canem parere posse, δώδεκα τὰ πλεῖστα, dixit. His adde, in præcitato *ca.* 4. aduerbium illud τὸ πλεῖστον, necesse interpretandū *implurimùm*, vel *sæpiùs*, aut *sæpissimè*, non verò *ad summum*, alioquin non adderet *Philosophus*, quasdam mulieres vndecimo mense parere, si partus ad summum essent decemestres. A qua consideratione nemo est qui non videat penitùs euerti eorum opinionem, qui τὸ πλεῖστον *ad summum* vertunt, & interpretantur contra mentem *Aristotelis*, & contra ea quæ *Auicenna* eidem accinens docet *libr.3. Fen.21. tracta. 2. cap.1.* ibi: *Et plurimum quidem nascitur in decimo.*

A quibus obiter deprehenditur a-
pertissimus error † *Ioannis Pici Mi-* 11
randul. in exam. ver. doctrin. gentium lib.1. cap.16. vbi cùm interpretaretur dicti *lbr.7. Aristot. cap.4.* ab eo deuians ita ait: *Manere autem in dubio septimum alij mensem, nonum plerique omnes, decimum non omnium pauci, vndecim quidam voluere*, in quo apertè contrariatur *Aristoteli*, qui decimestri nonomestrem partum inferiorem fecisse videtur: adeò vt istius non
meminerit † *sect.10. problem. 40.* vbi 12
menses natura partui accommodatos retulit: nam etsi me non lateat *Petri Apponensis* huius rei ratio à *Tiraquello* probata in *l. si vnquam*, verbo *susceperit liberos, numer.* 210. (aientis, *Philosophum* ibi nonum mensem vt notissimum præteriisse, vel vt melius notat *Bonauent. lib.3. de octom. partu, c.* 29. decimi appellatione moris fuisse *Philosopho* nonum subintelligere) negare tamen non possumus illum ibi subauditione contentum, & decimum disertis verbis demonstratum, vt inde velut clarè colligatur decimestres præ omnibus *Philosophum* semper magnifecisse. Idque à *Platone* Magistro habuisse, qui in *lib.5. de Republica* nullum alium legitimum pariendi tempus agnouisse visus est

præter

præter mensem septimum & decimum: vti *Empedocles* & alij in *Plutarch.li.1.de placitis Philosophor. capite* 18.

Sed & *Philo* decimestrem partionem frequentiorem supponit, cùm ait: κύονται βαρυταλῶς ἄχθεσι δέκα που μηνῶας βιάζονται, μέλλουσαι δὲ ἀποτίκτειν πολλάκις ὠδῖσιν αὐταῖς ἀποθνήσκουσι, *Mulieres prægnantes decem fermè menses grauissima sarcina premuntur, cùmque ad partum ventum est, sæpe inter ipsos dolores deficiunt*: & *Nonius Marcel.c.4.verbo ipsissum*, dicens: *Vix duo homines decem mensibus edolatum vnum reddunt puerum.*

13 Et istis sanè Decem-virorum respōsum † relatum ab *A.Gellio libr.3.Noct. Att.car.d.c.16.* arridere videtur, cum pluribus Iuris Ciuilis legibus itidémque sententiis *Homeri, Euripidis, Plauti, Terentij*, & aliorum adducendis in *cap.sequenti*. Sed præ omnibus expendendum duco Textum sacrum *Sapientiæ c.7.† vers.2.* vbi ita scriptum est: *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine*, quò loci *Robertus* asserit *Rabanum in gloss.* ad prædicta verba annotasse, eos qui decimo mense nascuntur, magis vitales & perfectiores reliquis esse, tanquam maturiore, & perfectissimo tempore editos. Et demum addit, per synecdochen decimi mensis mentionem ibi factam, vt scilicet pars pro toto, & nouem menses compleri, cùm aliquibus insuper diebus decimi mensis nomine denotentur.

Sed & *Ludouicus Mercadus* s. ex *Hippocrate in lib.de alimentis*, & in *lib. de carnibus* adstruit, frequentiores partus, & perfectissimos quatuor decadibus constare, quæ efficiant ducentos & octuaginta dies: *Constituit enim hic* (ait) *dierum numerus nouem menses solares, & decem dies, & ex communi ferè omnium sententia, hoc est, frequentius pariendi tempus, quod in ipso fœtus maturiores existant, & numerus perfectior*: & ita demum placuisse video *Doctori Sancta Cruz de Hippocr. Philosoph. tex.71.*

Ab his veterum fabulæ Herculem minorem robustissimum fingentes, & optimè temperatum de imo mense prodiisse enarrant, & præ cæteris *Theocritus Edyllio* 25. de eo ita ait:

Ηρακλέα δεκάμηνον ἐόντα πόχ' ἁ Μιδεάτις
Αλκμήνα καὶ νυκτὶ νεώτερον Ιφικλῆα.

Herculem decimo prognatum mense quondam Mideatis
Alcmena, atque vna iuniorem nocte Iphiclum.

Inde noster † *Iulius Paulus libro 4. Sententiar. d tit.9. Septimo* (ait) *mense natus matri prodest: ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, vt septimo pleno, aut decimo mense partus maturior videatur*: quibus verbis Iurisconsultus decimestri partui omnem proculdubio tribuit perfectionem. Subaudi quacunque parte decimi mensis in lucem editus fuerit, neque enim mentionem facit decimi pleni, ac septimi, vt inde cum *Hippocrate d. lib.de aliment.* & in *lib.de carnibus*, seu *de principiis, ad fin.* & *in libris de septimestri, & octomestri partu* (quos ipse reuoluerat) editum partum sub initia decimi mensis (die puta 280. Hippocraticos quadragenarios, & hebdomadum decadas respiciente & complente) cæteris partionibus maturiorem & perfectiorem de veterum opinione demonstraret: id quod *Raguel* nouissimè innuit *in commentar. ad leges Iustiniani super l.fi.C.de posthum.hered.insti.* 15

16 HINC demum factum † (quod valdè & præ reliquis notandum) vt CHRISTVS Dominus Deus noster (omniū secundùm carnem perfectis-

simus, & optimæ temperaturæ ex *D. Thoma 3.part.Summæ, q.46.art.6.)* ne suæ naturali perfectioni quid deesset, decimo mense natus fiet ex MARIA VIRGINE, vt ex receptissima Ecclesiæ traditione (post *D.Chrysostomum in Sermone de S.Ioannis Baptistæ Natiuitate* aientem: *Suppletis nouem mensibus initiante decimo* CHRISTVS *mundo natus est)* notat *D. Bonauentura in cõmenta.super* d.*cap.7.Sapientiæ, Sanctus Damascenus lib.4.Fidei,cap.15.*Etenim ab octauo Kalend.Aprilis (quo tempore Virginis visceribus carnem, formámque hominum assumpsit) vsque ad octauum Kalend.Ianuarij(quo nobis natus est)276.dies excurrerunt, qui decem menses lunares completos φασέως, siue apparitionis conficiunt, cõmunes verò & Solares nouem & præterea sex dies, *vt post Glossam Ordinariam*, & alios in d.*c.7.Sapientiæ,vers.5.* nouissimè ibidem animaduertit *F. Gonsaluus Ceruantes Augustinianus* di-

17 scitè notans † *Patrem Pinedam.lib.1.de rebus Salomonis,c.1.nu.6.& 7.*qui ex Apologo dubiæ auctoritatis vnũ à prædictis 276. ademit diem contra traditiones & ritus vniuersalis Ecclesiæ, & quod magis mirandum, contra constitutionem *Eugenij IV*.vers.*octauò cùm inter.*, quæ est in *Bullario magno.19. tom.1.* Etenim ducenti septuaginta & sex dies sunt à vigesimaquinta die Martij, qua CHRISTVS Dominus Deus incarnatus est, vsque ad diem vigesimamquintam Decembris inclusiuè, qua salutare Saluatoris nostri natalitium maximo generis humani beneficio obuenit.

18 At licèt sacratissimum † Domini Dei nostri IESV CHRISTI corpus, vt ait *Angelicus Doctor* d.*3.p.Summæ, qu. 33.art.2.ad 3.Propter infinitam virtutem agentis fuerit perfectissimè in instanti dispositum: vnde statim in primo instanti recepit formam perfectam, id est, animam rationalem*, tamen vt ipse idem notat *art.1.præcedenti, ad 4.* eodem modo fuit auctum, quo & alia humana corpora: ita vt consueto, completo & perfectissimo omnium tempore (decem menses contingente) in ventre VIRGINIS & Reginæ Angelorum permanserit.

Demum perfectius pariendi tempus computandum à die ducentesimo septuagesimo vsque in ducentesimum octuagesimum mirè comprobabis ex † 19 *Tertulliano in lib.de anima d.c.37.* vbi, *Legitima* (inquit) *natiuitas fermè decimi mensis ingressus est: qui numeros ratiocinantur decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentum colunt, deniq; perfectorem natiuitatis humanæ.* Et eodem tendunt illa *A.Gellij li.3. Noctium Atticar.c.10.Illam quoque vim numeri huius* septenarij *obseruatam refert.* Marcus Varro, *quòd ante mensem septimum neque masculus, nec fœmina salubriter, ac secundùm naturam nasci potest, quòd ij qui iustissimè in vtero sunt post ducentos septuaginta tres postquàm sunt concepti, quadragesima denique hebdomade nascuntur.* Sed & *Censorinus de die natali c.11.*ita ait: *Hi igitur dies quadraginta* (quos antea insignes appellauerat) *per septem illos initiales multiplicati, fiunt dies ducenti & octuaginta, id est, hebdomades quadraginta; sed quoniam vltimæ illius hebdomadis primo die editur partus, sex dies decedunt, & ducentesimus septuagesimus quartus obseruatur: qui numerus dierum ad tetragonum illum Chaldæorum conspectum subtiliter congruit. Nam cùm signiferum orbem diebus 365. & aliquot horis Sol circumeat, quarta necesse est parte dempta, id est, diebus 91.* * *cum aliquot horis tres*

* *Ita enim legendum est, vt Lindembrog. in notis optimè recensuit: nam anno, qui 365. diebus & $\frac{1}{4}$. constat, quadripartito resultant inde 91. dies & 7. $\frac{1}{4}$. horæ, quibus demptis remanent dies 275. minus sexquilibra.*

quadras;

quadras reliquis diebus ducentis septuaginta quinque non plenis percurrat vsque dum perueniat ad id loci, vnde conceptionis initium quadratus aspiciat.

AT CVM MENSIVM diuersæ sint rationes & computationes, & nouem menses efformati & dinumerati iuxta CHRISTI Domini nostri natalium à 25. die mensis Martij ad 25. Decembris, ducentos & septuaginta sex dies conficiant: adhuc superest in-
10 uestigare, † an partus prædictis sex vltimis diebus, aut quoque eorum contingentes inter nonomestres, aut decimestres sint computandi? Cuius quæstionis resolutio dependet à vera notitia, dimensione, seu computatione eorum mensium, qui in scriptis *Hippocratis, Aristotelis*, Iurisconsultorum & aliorum plurium passim occurrunt: quin & in libris sacris, quæ dum plurimos latuere, in varios errores fuerunt prolapsi.

In re autem ista omnium dubia, & huius tractationis propria, cognitúque valdè necessaria (qua viri etiam magni nominis cæcutierunt) liceat
11 nobis aliquantulum latiùs † euagari, vt nonomestres partus à decemestribus secernamus, imò vt omnium partionum verum & præcisum tempus demonstremus: ita vt à dicendis & enodandis, lucem accipiant dicta ex *c.7. de bimestrib.* vsque ad dicenda *ʒ. c. 15. de his qui* 12. 13. *&* 14. *mensibus nascerentur.* Alioquin enim in parturitionibus humanis nihil certi statui posset, vt optimè notat *Horat. Augen. lib.1. de hominis partu, c.7.* magnam huius rei vtilitatem simul cum difficultate commodans.

PRINCIPIO considero, annos & menses antiquis temporibus diuersimodè variis mundi partibus fuisse acceptos & computatos.

§. I.

DE ANNI, ET mensium dimensione.

SYNOPSIS.

1 *Anni & mensium apud diuersas gentes variæ fuerunt supputationes & diuisiones.*

2 *Annus* maximus *ex* Aristot. *& aliis describitur. Et nu.3. quis* magnus *ex* Censorino *notatur.*

4 *Anni vel cælestes, vel ciuiles.*

5 *Vnus idémque semper fuit annus solaris. Et n.6. cur dicitur* vertens.

7 *Explicatur annus lunaris.*

8 *De anno ciuili & eius speciebus agitur.*

9 *Variæ mensium species dinumerantur.*

10 *Anni & mensium ciuilium tractationem propriam esse huius scriptionis concludit* Auctor.

11 *Omissis aliis, Iudæorum, Ægyptiorũ, Græcorum, & Romanorum annorum, mensiúmque rationem init.*

ET vt ab ANNO incipiam, prænotãdum est, eius varias fuisse apud gentes † diuisiones, & supputationes, 1 quas optimè & exactè prosequitur *Censorin. de die natali, cap.19. &* 20. vbi *Henricus Lindembrogius* plures in notis refert; *Solinus in Polyhistor. cap.3. A. Gell. lib.3. Noct. Attic. c.*48. *Xenophon in libello de æquinoctis* (quisve quis illius est Auctor) *Macrobius li.1. Saturnaliũ, c.9.12. &* 14. *D. Augustin. li.12. de Ciuit. Dei, c.10.* & *lib.15. c.10.* vbi *Ludouicus Viues*, & *Leonardus Coccæus in annotat. Ioann. Cucidus Samotheus de emendationib. tempor. lib.1. c.5. &* 6. Et ex nouioribus *Carolus Sigonius libr.1. emendation. cap.16. Petrus Nanius libr.5. miscellanear. cap.7. Florid. Sabin. libr.2.*

successiuorum, c.2. *Thomas Dempserus in paralipomenis ad Rosini librum* 4.*ca.* 4.*antiquit.Romanar. Ioann.Passeratius in notis ad Albium Tibulum*, *fol.*123. & *in Sex. Aur. Propertium*, *Elegia* 5.*fol.* 431. *Frater Thom.Maluenda Dominicanus lib.*1.*de Anti-Christo*, *c.*14.*& seqq. Basilius Legionensis Augustinianus* (raris etiam professoribus, & mihi præsertim vni colendus) in eleganti *lib.de Agno typico*, *cap.*2.*& seqq.* & 1.*par.variar.quæst.* per diuersa capita. *Pater Henricus Samerius in sacra Chronologia*, paulò post principium, *in tit.de diuersitate annorum*, *Iosephus Scaliger in suo rotundo opere de emendatione temporum* (in quo supra nonaginta anni nomina variis locis intermiscuit) *Cardinal.Baronius in notis ad Român.Martyrolog.Torniel.Genebrardus*, *& Iacob. Gualterus in suis Chronologiis*, *Iacobus Salianus in Annal. Ecclesiast.& Iacob. Gordonus in opere Chronologico*, *tom.*2.*c.* 3.*& seqq. Gerardus Mercator in Chronolog.Vbbo Emnius Rer.Chronologic.tit. de annis & temporum epochis*: nouissimè *Thomas Lydiatus de variis annorũ formis*, *cap.*1.*& seqq.Ioan.Temporarius* Iurisconsult. Blesensis sectarius in opere cui *titulum* superbum: *Chronologicarum demonstrationum*, indidit *libr.*1. *Sethus Caluisius in sua Isagoge Chronologica*, *Funccius lib.*1.*Chronol.Barrada in summis primæ & secundæ ætatis*, *Henricus Heruilleus in Isagoge Chronolog.li.*1.in pluribus locis ĵ.expendẽdis, *Leonardus Marius in Biblia sacra super Exodi c.*28.*Frater Merinus Mersennus* latè *super Geneseos c.*1. *vers.*1. *ratione* 19.& latiùs *c.*5.*vers.*4.*q.*61. & cæteri Theologi scriptores *super* 7.*&* 8. *c.Geneseos*: Et ex nostris *Marc.Mantu.* 1.*lib.*5.*obseruat.*46. *Alberic.Gentilis de diuers.tempor.appellation.c.*3.*&* 4. *Anton. Contius in suis ad sancti Nicephori Episcopi Constantinopolit.Chronologiam notis*, *c.*1.cum aliis ĵ.referendis.

Fuit enim annus, *quem* (vt ait *Censorinus de die natali cap.*18.) *Aristoteles* MAXIMVM † *potiùs quam magnum*[2] *appellat*, *quem Solis & Lunæ*, *vagarúmque quinque stellarum orbes conficiunt*, *cùm ad idem signum*, *vbi quondam simul fuerunt*, *vna referuntur*: *cuius anni Hyems summa est* κατακλυσμὸς, *quam nostri diluuionem vocant*, *Æstas enim* ἐκπύρωσις, *exustio*, *quod est mundi incendium*: *nam his alternis temporibus mundus tum exignescere*, *tum exaquascere videtur. Hunc* (addit) *Aristarchus putauit esse annorum vertentium* 2484. *Aretes Dyrrachinus* 5552. *&c.* Huius anni ante *Aristot.lib.*1.*Meteor.c.*14. (vbi ista tractauit) meminit *Plato in Timæo*, cuius verba (aliam huius anni supputationem præ se ferentia) ita disertè commentatur *Chalcidius*: *Est tamen intellectu facile*, *quod perfectus temporis numerus perfectum annum compleat tum demum cùm octo circumactionum cursus peracti*, *velut ad originem & caput circumactionis alterius reuertentur*, *quã semper idem atque vniformis motus dimetietur*: & nouissimè huius anni maximi meminere post alios *Beroaldus ad Suetonium in Caligula*, *Merinus Mersenius in Geneseos cap.*1.*versic.*1.*& c.*26.

Fuit & annus MAGNVS, † quem[3] *Democriti* appellabant, qui vt ait *Censorinus* d.*c.*18.*in med.* ex annis 82.constatur, quorum intercalares erant 28. non 32. vt (malè percipiens *Censorini* verba, & confundens annos *Callippi & Democriti*) putauit *Scaliger lib.*2.*de emendat.tempor.titul. de Magno anno Democriti.* Déque isto anno præter relatum ab *Laertium in vita Democriti* & *Scalig.*š.agunt *Cicero li.*2.*de nat.Deor. Apulei.de dogm. Plat. Theon.in Arat. Plin.lib.*10.*nat.hist.cap.*2. *Plutarch.libr.* 1I.*de placit.Philosoph.cap.*32. *Ioseph.lib.* 1.*antiquitatum Iudaicarum*, *c.*4. *Quintilianus in Dialogo de claris Oratoribus*,

ribus. Solinus c.36. Stobæus Ecleg. Physic. lib. 1. cap. 11. Macrob. lib. 2. in Somnium Scipionis, cap. 11. Lælius Bisciola lib. 13 horar. subsecivar. cap. 3. nu. 30. Natalis Comes in Mytholog. libr. 3. cap. 20.
90 Vveteius latè *in epistola ad Pyladem Brixiensem*, Stephan. Pighius *Annal. Roman. libr.* 3. nouissimè *Mersenius in Genes. cap. 1. versic. 1. cap. 26. & in cap. 5. Genes. versic. 4. quæst. 61.* Hi autem, & alij relati à *Lindembrog. supra d. cap. 18.* Censorini, multum distant in huius anni Magni computatione: quæ maximè difficilis cognitu, ex traditis à *Mersen. supra*: & præcipuæ nostræ tractationis chronicæ non est propria: ob idque quamuis intra nostrum esset captum, ab ea sanè abstineremus; nec enim obscuritatem adfectamus, quinimo ab omnibus intelligi: nec itidem aliena à thesi proposita scriptis nostris inuoluere, sed propria tantùm, & quæ ad susceptam conducunt disputationem.

Vnde omissis aliis multiplicis anni Magni variis rationibus (maximè Metonici, cuius meminêre *Cicero, Diodor. Ælian. & Censor.* Et insuper habitis pluribus aliis annorum formulis ab Antiquis excogitatis & vsitatis (cùm sat sit scire tot eos habuisse annos, possèque connumerari quot sunt syderum errantium periodi (iuxta tradita ab *Henrico Haruillæo in Isag. Chronolog. lib. 1. §. 2. difficult. 10.*

Et deuenientes ad vsitationem omnibus temporibus annorum rationes, & nomina frequentiora: eos sanè vel
4 Cælestes, † vel ciuiles adinueniemus. Annus Cælestis solaris est & lunaris. Solaris (qui & naturalis *Censorino* dicitur *de die nat. cap. 20. in fi.*) têpus est, quo Sol suum peragit naturalem cursum, quem *Solis* ANFRACTVM & REDITVM appellauit *Macrobius* (à *Cicerone*) *lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 16.* *Anfractum*, propter Zodiaci ambitum: *Reditum*, quia eadem signa per annos singulos Sol certa lege metitur. Perficit autem Sol cursum suum iuxta exactam & veriorem computationem ab Ecclesia, & omnibus eius regionib. receptam (vt supponit emendatio anni à *Gregorio XIII.* facta anno 1582. & nobis probata in *l. 11. tit. 15. li. 5. Recop.*) 365. diebus, 5. horis, 49. minutis, & 16. Et iuxta communiorem omnibus acceptam, & nobis deinceps sequendam dimensionem 365. diebus cum quadrãte. Vnde est, vt omni † æuo ab vniformi Solis annuo cursu vnus & idem annus fuerit solaris, constans prædictis diebus, vt optimè ex *Diuo Augustino*, & aliis j. referendis §. 2. *num. 25.* notat *Augustin. Torniellus in Annalib. sacris, anno mundi 1656. nu. 24. & 25.* Respicit ergo annus iste naturalem Solis motum, qui isto dierum spatio conficitur.

Ex quo autem annus solaris ad cursum Solis refertur, annus † VERTENS etiam dicitur, *Rosin. li. 4. Antiquit. Romanarum, cap. 1.* qui potuisset allegare *Censorinum de die natali, c. 19. in princ.* (ita aientem: *Annus vertens est natura, dum Sol percurrens duodecim signa, eodem, vnde profectus est, redit*: & ad illud *Platonis in Timæo* alludentem, ἔστι δ' ἐνιαυτὸς ὁπόταν ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθοι κύκλον) *annus perficitur, cùm sui ipsius peragrauerit ambitum, siue circulum.* Eiúsque meminit *Macrob. li. 1. Saturnal. c. 14. & Ammon. in Categor. Aristot.* & plures Poëtæ, maximè *Iuuenal. Satyra 7.*

——*Et cùm se verterit annus.*

& alij expensi à *Passeratio* illico referendo; *Suetonius* in Caligula: *Immensas opes non toto vertente anno absumpsit.* Et ab his *vertens* mensis dicitur & efficitur ex permensione vnius signi, *Passeratius* ab aliis in *Propert. Eleg. 2. lib. 4.* Ni mauis eum ita appellare ab integro Lunæ cursu & progressu 29.

diebus & dimidio constante, ex dicendis *infr.n.9.*

Dum autem ista adstruo, non me latet annum vertentem, aliter etiam atque aliter apud antiquos dinumeratum, vt colligitur ex *Censorino de die nat.*d.*ca.*18.*in prin.*&*ca.*20.& *Macrob. supr.* At præfata acceptio proprior est & frequentior, & comprobatur ex *Cicerone pro Quinctio & Vitruuio lib.9.* cum aliis adductis à *Beroardo ad Sueton.in Calig.*

7 Lunaris annus† ex vnico Lunæ circuitu primitùs constituebatur apud Ægyptios, cùm enim annus nihil aliud sit quàm circus (nam quo sensu parui circuli appellantur annuli; maiores circi vel circites anni dicebantur, *Varro lib.5. de lingua Latina)* inde erat, vt motus Lunæ à dato cæli puncto ad idem punctum annum lunarem (qui vulgò mensis est) probè isti nominauerint: & nostris temporibus *Ioan.Iouianus Pontanus lib.*10.*Vraniæ:*

——Septem ore figuras
Mutat agens circum, & paruum conuertitur annum.

Dein duobus mensibus annus iste constare cœpit, vt mox idem *Pontan. eod.lib. Ægypti primi veteres facere bimestrem.* Post in tres, & quatuor etiam menses illum secabant, *Solin.*dict. *cap.*3. Quidquid nouè & inaniter excogitauerit *Thom. Lydiat. de var. annor.form.cap.*1. qui prædicta intelligit de anno in duas, tres, quattuórve partes diuiso ad instar horæ, quæ diuersimodè antiquitùs tempora dimetiebatur; stat enim contra istum & simile genus hominum (singulares tantùm opiniones astruere curans) *Censorin. de die nat.cap.*19.& plures alij. Quin & ex *Herodoto in Euterpe lib.*2.*ca.*145. apertè deprehenditur, Ægyptios, & alios, qui minores annos constituerunt, duorum puta aut trium mensium, id egisse vt annorum multiplicatione suæ antiquitatis auctoritatem in posterum apud imperitiores augerent & commendarent. Vtcumque verò sit, istius Nouatoris noua consideratio sustineri non potest, ex prædictis.

Quibus, & his, quæ persequimur, de antiqua annorum constitutione adde *Plutarchum in Numa,* vbi Cares & Arcanes sex mensium spatio annum clausisse firmat: & *Macrobium li.*1.*Saturn.c.*12. vbi Arcadibus annum trium mensium fuisse: Arcananibus sex: Romuleis decem (constantium 304.diebus) notat. Hi enim omnes nec cursum Solis, nec Astrologiam attendebant, maximè Arcades, qui se Luna antiquiores iactabant, *Lucian. de Astrolog.tom.*1.

Sub hæc, & alia similia, duodecim Lunæ cursibus annus constare cœpit à 12.congressibus cum Sole (qui dies 354.cum $\frac{1}{3}$. conficiunt.) Et tandem annus variis modis suppletus fuit, & ad Solis cursum redactus ab antiquis *Censor.de die nat.c.*18.& à Iudæis omnium primis, vt post *Carol.Sigon.Genebr.& Turnel.inferiùs* referendos nouissimè annotauit *Morin. Mersen. in Genes.capite* 1.*versicul.*19.*quæst.*14. *artic.*4. Et cum anno isti lunationibus constanti mensis alius intersereretur: hinc EMBOLYMEVS fuit appellatus.

8 DEMVM annus Ciuilis † dictus est, quem (vt ait *Censorin.de die nat.capite* 19.) diuersæ ciuitates rudes etiam tùm sibi quæque statuebant. Is autem & solaris fuit & lunaris: & ille fixus aut vagus, vti latè videre poteris apud *Vbbon Emmium* post alios *rer.Chron.li.*1.*tit.de mensibus.*

HIS in genere de annorum computatione præhabitis, succedit mensium

sium similis tractatio, quam difficilem ait *Theodorus Gaza in libr.* περὶ μηνῶν, *de mensibus in princ.* Ego verò (omissis his quæ nouissimè prosequitur *Henric. Haruil. in Isagoge Chronolog. libr.* 1. §. 10. *difficul.* 9.) eam mensium summam diuisionem ex *Censorino* & aliis constituo, † vt alij sint naturales, alij Ciuiles. Et naturalium quidem duæ sunt species, nam partim sunt Solis, partim Lunæ. Solaris mensis (omissis *medij* & *veri* rationibus, aliísque Astronomorum, nobis superuacuis) duodecima anni Solaris parte constat, & tempore quo Sol 30. cuiusuis signi Zodiaci percurrit gradus, conficitur: qui hodie apud omnes peræquè gentes Iulianus est. Lunaris autem (qui & olim vsitatissimus: nam vt ait *Varro lib.* 5. *Mensis à Lunæ motu dictus, dum ab Sole perfecta rursus redit ad eum Luna, quòd Græcè olim dicta μήνη: vnde illorum μῆνες, ab eo nostri.* Manil. *lib.* 3. *Astron.*

Luna dabit menses, peragit quod mēstrua cursum.

Et qui maximè in vsu itidē est Astronomis, & aliquādo Philosophis, Medicísque, & præcipuè *Galeno lib* 2. *de dieb. decret. c.* 2. *& seqq.*) triplex est, vt ferè omnes Astronomi & Chronologici agnoscunt, Περιοδικός, Συνοδικός, & Φαντικός, *Periodicus, Synodicus, & Illuminationis.* PERIODICVS est tēporis interuallum, quo Luna motu suo ad eundem Zodiaci locum, vnde digressa fuerat, reuertitur, qui dieb. 27. & horis 8. præterpropter (quidquid aliud excogitauerit *A. Gell. lib.* 3. *Noct. Attic. c.* 10. *Macrob. lib.* 1. *in Somn. Scip. c.* 6.) perficitur: *Plin. lib.* 9. *c.* 9. cū pluribus aliis. SYNODICVS est tempus ab vna coniunctione Solis & Lunæ ad insequentem insumptum: quæ Lunæ à Sole deuiatio, & iteratus ad eum reditus *Censorino* 29. dierum est & dimidij: *Gemino* verò ἀκριβῶς ista consideranti (ac decebat Astronomum) 29. ½ ⅓. & nouioribus insuper Astronomis dierū 29. horarum 12. & 44. minut. 3. secundorum: 10. tertiorum: 58. quart. 10. quintorum. ILLVMINATIONIS demum, seu *Apparitionis* mensis est qui incipit à secundo die à συνόδῳ, seu coitu (qui primus est conspectæ Lunæ) duratque vsquedum deficiat, & ab oculis euanescat. Id quod vulgus diebus 28. contingere existimat, cùm tamen perpetuum non sit: aliàs enim tardiùs, aliàs citius inspicitur, euanescítve Luna, velut cùm Australis est, aut Septentrionalis, vel velocior aut tardior motu, vel in signis est rectè aut obliquè ascendentibus, seu descendentibus. Ciuiles menses sunt in *Censorino capite vigesimo secundo*, & apud quosuis alios, numeri quidam dierum quos quæque ciuitas proprio instituto obseruat.

Ab his facilè dignosces, naturales menses antiquissimos fuisse, omniumque gentium: Ciuiles verò postea institutos, & cuiusque ciuitatis, Reipublicæúe fuisse proprios.

Naturales itidem, quos & *Cœlestes* appellat *Censorin.* tum Solis, tum Lunæ inæquales sunt inter se, nec *dies* (vt iste ait) *totos habent*, id est, integros, sed dierum quoque partes, puta horas, & horarum scrupula, secunda, &c. quæ supra dierum integrorum numerum redundant, aut diebus integris desunt. Etenim Sol non æquè in omnibus Zodiaci signis moratur, nec Luna eodem temporis spatio à synodo in synodum reuertitur, vt iam notauimus. Ciuiles verò non solùm diuersarum ciuitatū varij fuerunt, sed interdum & singularum. Omnes tamen & vbique dies habent totos, alij plures, alij pauciores. Sed communiores ciuiles aut Solares sunt triceni æquales, aut Lunares 29. dierum &

dimidij, qui ab ἔνη ϗ νέα, de qua agemus *infr. in* §. 4. dies adhuc habent totos.

Demum intercalaris, siue interstitij mensis aut mercedini passim mentio habetur, quem sanè omnes gẽtes semper obseruarunt: nam eo medio annus Solaris & Lunaris coæquabantur, déque isto ex professo (vt aiunt) agemus *inf. in* §. ad interpretationem, *l. cùm bisextus* 98. *cum suis* §§. *ff. de verb. significationib.*

Hos verò omnes annos & menses prosequi negotij nostri non est: sat igi-
10 tur † sit, annorum & mensium ciuiliũ potissimorum elucidationem & rationem inire, ex quibus enodanda veniet mẽsium in partionibus humanis computatio.

ISTI. verò (omissa multiplici Barbararum nationum dimensione &
11 computatione) vel sunt † *Hebræi*, vel *Ægyptij, Græcíve* aut *Romani*: quibus præcognitis facilè quiuis dignoscet terminum & tempus mensium partus, quorum mentio est in *Libris sacris*: in *Hippocrate*, & *Aristotele*, aliísque Græcis: in *Iurisconsultis* nostris: in *Plinio*, *A. Gellio, Censorino*, aliísque Latinis. Nec est quid nobis imputetur si re tã seria & perdifficili, & nostrę tractationis exactiori & penitiori cognitioni apprimè necessaria, plus solito fuerimus immorati: quibus enim ista non placuerint, ἀγνωστα ve, aut vltra captum fuerint (*nec enim*, vt est in vetere prouerbio, *omnis fert omnia tellus*) facilè erit ad huius capitis colophonem percurrere (vbi propositum thema prosequimur) & sequentia (magno studio à nobis partim congesta & digesta, partim inuenta) prætermittere.

* * *

§. II.

DE ANNO, ET mensib. Hebræor.

SYNOPSIS.

1 *Hebræi annum Lunarem perfectum maximè obseruabant.*

2 *Iidem habebant annum communem duodecim tricenis mensibus æqualibus distinctum. Et num.* 6.

3 Iosephi Scaligeri *gloriosam assertionem irridet. Et num.* 5. 7. 8. 9. *&* 10. *eundem impugnat.*

4 *Vulgata lectio nobis, qui Orthodoxam Fidem sequitur, omnibus præponenda.*

11 Ariæ Montani *computationem improbat. Et num.* 12. *&* 13. *alias* Torniclli. *Et nu.* 14. *aliam* Basilij Legionensis. *Et remissiuè alias* Saliani, Genebrardi, *&* Gerardi Mercatoris.

15 Chrysostomum, Epiphanium, *& alios, communem ciuilem annum Hebræorum priscorum* 360. *dierum constituentes, laudat. Et nu.* 31.

16 Cap. 7. *&* 8. Geneseos *declarat: & ab eis veram anni supputationem elicit. Et n.* 17. *ab ea tria deducit. Et n.* 18. 19. 20. 21. 22. 25. *& seq. respondet obiectionibus.*

23 *Varios errores* Flauij Iosephi *aperit. Et numer.* 24. *concludit, oleum & operam perdere eos, qui Iosephi dicta Textui sacro adaptari conantur.*

25 *A temporibus Adæ annus fuit Solaris, & perfectus,* 365. *diebus constans. Et num.* 26. *prædicta assertio comprobatur. Et num.* 27. *quod ista non excludunt annum communem duodecim mensium tricenorum.*

28 *Quo tempore annus communis Solari apud*

apud Hebræos coæquaretur, nullibi constat.

29 Martin. Ant. Delrius, *qui omnes anni diluuij supputationes insuperhabuit, reijcitur.*

30 *Paraphrasin ad clariorem perceptionem Tex. sacri in c.* 7. & 8. Gen. *subiungit.*

31 *Ad intellectum* cap. 7. Sapient. *infert.*

32 *Nec Hebræi solùm, sed & Assyrij, Medi, Persæ, Armenij & Chaldæi eandem anni communis formam obseruarunt ab antiquissimis temporibus.*

33 *De anno nouitio Hebræorum remissiuè agit.*

1 HEBRÆI (vt ab his incipiam)
annum Lunarem † perfectum,
de quo *supr.* maximè obseruabant, &
reliquas anni Lunaris formas, vt col-
ligitur ex traditis ab Henr. Haruillæo
nouissimè *in Isag. Chron. lib. 1. §. 2. diffic.*
10. vers. Prima sententia. Nec minus So-
larem vertentem 365. diebus & ¼. con-
stantem attendebant: etsi nunc persidè
Hebraismo persistentes annum cor-
ruperint & deformauerint, vt notat
Hieron. Vecchiettus de anno primit. ca-
2 *pite primo.* Habebant itidem anti-
quiores Hebræi annum † commu-
nem duodecim tricenis mensibus æ-
qualibus distinctum, qui 360. diebus
constabat, vt ex *Chrysost. Epiphan.* &
aliis veteribus Patribus colligitur,
maximè ex *Eusebio Pamphilo Chro-*
nicor. libro priore post princip. vbi ter-
tiam anni partem 120. diebus con-
stare ait. Quibus parum aptè duos
addit dies *Ioseph Scaliger* in ani-
maduersion. super illo loco, vt ex
dicendis *inferiùs* quàm liquidò appa-
rebit.

Ab his Thomas *Lydiatus in lib. de variis annor. formis, c.* 10. annum Israëliticum, ait, partim ad Solis, partim ad Lunæ cursum conformatum, partim ciuili ratione, nonnihil diuersum ab vtroq; habere, quasi clariùs diceret iuxta diuersos vsus, annos & menses Hebræorum diuersimodè acceptos (vt & apud Græcos & Romanos & alios) sicque colligi videtur ex *c.* 7. *&* 8. *Genes.* & *c.* 19. *Exodi,* & ex *Iosepho* 3. *antiquitat. Iudaic. ca.* 10. alioquin ista *Lydiati* somnia sunt, & contra notissimas distinctiones, vel species annorum Hebræorum lunarium: sed & solarium vertentium, & solarium communium 360. diebus constantium.

Et hos vltimos præter *Eusebium*, & sanctos Patres *suprà* relatos optimè astruit doctissimus *Basilius Legionensis in lib. de Agno typico c.* 2. vsque ad 6. & 1. *part. variar. disputation. cap.* 2. *& seqq.* *Pererius lib.* 13. *suorum commentariorum super Genes. parte* 6. vbi id ex pluribus confirmat, maximè ex Cardinali *Caietano*, ita aiente apud eundem *Pererium ad c.* 8. *Geneseos, vers.* 5. *n.* 51. *Annus porrò apud veteres constabat trecētis sexaginta diebus iuxta numerū graduum signorum Zodiaci, vnicuique gradui diem vnum assignando, talisque fuit annus solaris apud Græcos, & Romanos, & vt creditur etiā apud Ægyptios: eundémq; fuisse tempore Mosis, & Noë, licet colligere ex hac Chronologia diluuij, &c.*

Etenim ferè omnibus annos solares & communes apud Hebræos astruentibus semper in animo fuit suam sententiam obfirmare à dictis *capitibus* 7. *&* 8. *Geneseos* diuersimodè computatione inita. Adducta verò supputatio à *Caietano* displicuit *Pererio supr. numero quinquagesimo secundo.* Vbi similem aliam ab eodem ductam principio describit. Et nouiores alij alias diuersas comminiscuntur: tenebras vt plurimum palpantes, præsertim dum *Iosephum capite* 4. *libro* 1. *antiquitatum Iudaicarum*, conciliare, & adaptari conantur Textui sacro *Geneseos* dict.

*cap.*7. *&* 8. in quo plures sibi ipsis parum constantes, in meras nugas prolabuntur.

Sed omnium maximè reiiciendi sunt qui à d. *cap.*7. *&* 8. *Genes.* calculatione intra annum constituunt solarem vertentem 365. diebus constantem vel propè.

Et præ cæteris sanè irridendus, & ex-
3 plodendus est † *Ioseph. Scalig.* qui *lib.*3. *de emendat. tempor. titu. de anno priscorum Hebræor.* duo gloriatur quam euidétissimè demonstrasse ex dictis *capitib.*7. *&* 8. *Gen.* Primum apud Hebræos menses æquabiles tricenos extitisse. Secundum illis annum dictorum 365. dierum fuisse. Sed re vera in vtriusque probatione defecit, & simul toto aberrauit cœlo. In primo res est clara, & per se patens, asserit enim in dict. *cap.*7. *&* 8. *vers.*11. vniuersi terrarum orbis inundationem cœptam *anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis,* & in *c.*8. *vers.*3. *Aquas minui cœpisse post centum quinquaginta dies,* & *vers. seq. Requieuisse arcam mense septimo, decimo septimo die mensis super montes Armeniæ* (qui fuit dies centesimus quinquagesimus primus *versu præcedenti* denotatus) *quibus iungendi sunt* (ait iste) 46. *dies, qui ante diluuij initium effluxerant, vt omnes constituant* 197. *dies, qui sanè per triginta diuisi constituunt sex menses iam transactos cum decem & septem diebus mensis septimi.* Quo nihil clarius dici posse cócludit: sed malè, cùm supponat Mosem asserentem requieuisse arcam mense septimo, decimo septimo die mensis, quando is iuxta lectionem Latinam correctiorem, receptiorem (& amplectendam, ex dicendis illicò) hoc euenisse enarrauerit mense septimo, die vigesimo septimo: additis autem decem diebus, quos *Scaliger* à receptiore dinumeratione detraxerat, quis non videt hanc supputationem respuendam? Quidquid post istum instent eius admiratores (maximè *Ioannes Temporarius lib.* 3. *Chronologicarum demonstrationum in sectione de temporum mensura*) defendentes Hebraicam & Chaldaicam lectionem, quæ habet: *Arcam requieuisse die decima septima mensis septimi.* Vt enim exactissimè notauit, & resoluit *Henricus Haruillæus in Isagog. Chronol. libro primo,* §. 2. *de difficult.*1. nobis qui Orthodoxam sequimur veritatem & Fidem, à vulgata † lectione sanctorum 4
Patrum *Hieronymi, Augustini, Damasceni,* & aliorum, quæ habet *vigesima septima,* deuiare non licet hoc casu & similibus, quod ex *Concilio Trident.* & *Cardinalium declarat.* super eo, & pluribus aliis is Auctor nouè comprobat: & *difficult.*3. causa diuersitatis vtriusque lectionis aperit: & *difficult.*4. vulgatam lectionem *LXX. Interpretat.* & omnium Græcorum Patrum auctoritate confirmat. Mihi verò præ omnibus est *Eusebius* harum rerum diligentissimus indagator *Chronolog. libr. priore* ibi: *Et sedit arca in septimo mense, septima & vicesima die mensis super montes Arath.* Ac subinde *Haruil.* Latinam editionem vulgatam Neotericis cómuniter placuisse asserit. Quin & pluribus sectariis, maximè *Gerardo Mercatori, & Setho Caluisio.*

Præterea calculator ille *Scaliger* deceptus † fuit, dum putauit eodem centesimo quinquagesimo primo die, quo aquæ imminui cœperunt, arcam simul in vno ex montibus Armeniæ resedisse: sunt enim diuersæ illæ orationes *capit. octauo Genes.* (& vt tales distinctæ duobus versiculis) *Reuersæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes: & cœperunt minui post centum quinquaginta dies: requieuit arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniæ:* & clariùs probatur.

batur *Flau. Ioseph. libr. 1. antiq. Ind. cap.* 4. in illis verbis: ἔπειτα τῆς λάρνακος περὶ ἀκρώρειαν ὄρους σταθείσης κατὰ τὴν Ἀρμενίαν, συνεὶς ὁ Νῶχος ἀνοίγει ταύτην, quæ optimè vertit *Ruffinus* dicens: *Destituta deinde arca in vertice montis cuiusdam in Armenia, sentiens hoc Noë aperuit eam:* etenim dictio ἔπειτα (Latinè *deinde*, vel *posteà*) temporis medium interuallum denotat. Sed quid opus istis, cùm ex Textu Sacro quam euidentissimè constet imminutionem aquarum centesimo quinquagesimo die à diluuio eueniſſe, qui fuit anni sexcentesimi vitæ Noë decimus septimus dies mensis septimi (vt alibi clarè demonstrabimus) Arca verò in montibus Armeniæ consederit die vigesimo septimo dicti mensis septimi, vt disertissimè exprimitur in verbis d. c. 8. proximè relatis. Cùm autem ista
6 *Scaligeri* improbamus, mēses † æquabiles & tricenos ciuiles Hebræorum cum eo concedimus, & firmiter quidem eos paulò *inferius* propugnabimus: solam enim mensium computationem (illi à Textu Sacro clarissimum & irrefragabilem) nunc refellimus.

Quod verò ad secundum attinet,
7 *Scaliger* † calculum anni Hebraici 365. dierum iniens & astruens à dictis *capitibus* 7. & 8. *Genes.* ita ratiocinatur *supr. Die primo mensis decimi, hoc est, die 271. à capite anni iuga montium nudata sunt, & ex aquis in emersum prodierunt. Exspectauit 40. dies Noah. Cúmque iam 311. dies à capite anni fluxiſſent, mox immisit coruum, quem liberè ire redire permisit, donec aquæ omnino exustæ fuiſſent. Non designat hoc longum spatium Moses, sed prudenti Lectori ex simili loco conijciendum reliquit, quantum interuallum illud fuerit. Nam eodem modo postquam exspectaſſet septem dies, tunc emisit columbam, & reuersam iterum post alteros septem dies dimisit: sic sanè alteri quadraginta dies ad illos priores addendi, & sic fient dies 351. quibus adde 14. posteriores, quibus bis columba emiſſa, & fient sine dubio 365.* Et demum gloriosus iste λογιστὴς concludit hac sua interpretatione nihil verius esse poſſe, & eam amplis vlnis amplectitur & probat *Vbbo Emnius eius μιμητὴς rerum Chronologic. titul. de mensibus.*

Sed certè à vero tramite valdè deuiat *Scalig.* variisque modis in hac anni Hebræi supputatione, quam, cùm suo ductus superbo Marte, & soluto
captu confixerit, † multa sanè ex inge- 8
nio suo falsa permiscuit. Primo dum 40. dies, quibus Noë distulit arcæ fenestram aperire continuos facit 271. diebus nouem mensium cum altero die, quo cacumina montium apparuere: nam vt suo loco dicemus & euincemus, 40. illi dies iungendi sunt decem mensibus exactis, iuxta veriorem sensum sacri Textus. Dein aſſerit, emiſſum coruum longo temporis spatio (id est 40. dieb.) Nohaum ante dimiſſionem columbæ exspectaſſe: quod ad libitum certè supponit cùm tale quid non inueniatur, nec eliciatur ex Textu sacro: quin potiùs non multò pòst columbam emiſſam, vt patet ibi: *Emisit quoque columbam post eum, vt videret si iam ceſſaſſent aquæ super faciem terræ:* licèt enim sententiam nostri *Bened. Ariæ Montani* aſſerentis *in libello Daniel,* siue *de seculis* (quem in suo insigni *apparatu Bibliorum Regiorum* inseruit) eodem die coruū primò, mox columbam à Nohao immiſſam probare non poſſimus (nam vt Textus sacer innuit, corui detentio in causa fuit, vt Noë columbam emitteret) hoc tamen non multò pòst tempore cōtigiſſe indicant prædicta illa verba: *Emisit quoque columbam post eum, &c.* vt inde (& ex dicendis *infr.* circa interpretationem illorum verborum

d.c.8. *Exſpectatis vltra ſeptem diebus aliis rurſum dimiſit columbam ex arca*) velut clarè demonſtretur, ab immiſſione corui ad inlationem columbæ primitus miſſæ in arcam, dies tantùm ſeptem tranſiiſſe. Id quod video ſenſiſſe *Thom. Lydiatum* (hanc *Scaligeri* computationem impugnantem *de variis annor. form. c.*10. Non eſt ergo cur iſti verioris & receptioris ſacræ Paginæ ſenſus turbatori fides adhibeatur, dum ad fundandam anni ſolaris ſuam nouam opinionem (qua nec eum conſtitiſſe ex dicēdis illico apparebat) 40. dies coruum à Moſe exſpectatum malè exiſtimauit: nouam ſubinde computationem & correctionem eliciens; contra veterum Patrum & Sanctorum communem aſſenſum, & Neotericorum ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ placitis ſecurè adherentium: & contra ea quę is iſte vniuerſali oratione priùs ſt..tuerat *lib.*1.*de emend.temp. tit. de anno*: & inſuper contra ea, quæ is ipſe vno & altero loco in illo eodem *titu. de anno priſc.Hebræor.* (phraſin *Theodori* ſui *Gaza* in §. *ſeq.* referendi ſequutus) aſſeuerarat dicens: *In anno Hebræorum etiam poſt Exodum appendices dies quinque in æquinoxio, aut proxime æquinoxium manſiſſe*: & demum cōtra ea quæ *in notis ad Euſeb. libr.*3.*Iſagog.Chronolog.Can.capit.*2. apertiùs ratus eſt his verbis: *Menſem dierum* (de quo in d.*ca.*7.*&* 8.*Geneſ.*)*vocabant, qui nunquam maior, aut minor eſſet dierum triginta.*

His vt penitiùs iſtum euertas, ſubadde illi in ſuperiori loco, quem improbauimus in confeſſo fuiſſe, nouem
9 † priores menſes (quorum mentio fit d.*cap.*8.*Geneſ.*) tricenos extitiſſe. Supponit ergo anni Hebraici trium vltimorum duos, 32. dierum, alterum 31. vel aliquem 35. aut 34. aut 33. & alium 31. vel 32. dierum fuiſſe; qua nouitate à
nullo vnquam ex:ogitata nihil abſurdius, nil à vero anni & temporū computo deuius dici potuit: nec aduerſantius illis, quæ is ipſe dict. *libr.*1. *de menſibus*, in priore editione edixerat generalibus illis verbis (expēſis à *patre Ludouico Alcaçar in Apocalypſ. ca.*11. *verſ.* 2. *notatione* 2.) *Omnes menſes anni priſci Hebraici fuerunt merè tricenarij, & omnes pleni*: quod ipſum pluries repetit d. *lib.*3. *de anno priſco Hebræorum.* Et quod magis mirandum ſua ipſa commentitia interpretatione veritatem iſtam inuoluit illis verbis: *Annus igitur priſcorum Hebræorum merus Chaldaicus, aut quod idem eſt, Ægyptiacus fuit: cúmque Hebræi ipſi vocabant annum dierum, hoc eſt, æquabilem, ὁμαλὸν: conſtabat enim ex æquabili tributione dierum ſine ſcrupulis: ſimiliter menſem æquabilem τελανοrθήμερον vocabant, menſem dierum vtpotè qui perpetuò ac conſtanter diebus triceni is diſtributus eſſet*, tu ſubaudi, *omnibus vno excepto verſicolore*, contrarium apertè, & præcisè ſupponente in prædicta ſua computatione.

Quam ab impugnatione noſtra nihilo ſeciùs vindicabis, ſi dixeris, quinque vltimos anni ſolaris dies poſt peractos duodecim menſes æquabiles & tricenos anno ciuili addi conſueuiſſe:
nam † (præter quam quòd nullibi hoc 10
ſcriptum reperitur) veriori computationi anni ſexcenteſimi Noë tempore diluuij d.*cap.*7. *&* 8. *Geneſeos* à Moſe enarrati, *inferiùs* expendendæ, adaptari non poteſt. His demum adde alia plura, quæ in euerſionem huius computationis *Scaligeri* ab aliis optimè aſtruit *Haruillæus* (qui ad manus noſtras poſt iſta ſcripta peruenit) dict. *difficult.* 4. *num.*4.

Sed neque admitti debet doctiſſi-
mi † *Bened.Eli Ariæ Montani* compu- 11
tatio, quam ex d.*capit.*7. *&* 8. *Geneſ.* deſcripſit in dict. libello *Daniel, ſiue de ſeculis,*

culis, dum annum solarem, & vertentem ex ea deducere conatur: menses verò illos lunares & præcisos esse putauit, non communes tricenarios. Horum enim impugnatione immorari superuacuum est, cum is ipse agnouerit, ex sua supputatione 570. dies conflari: nec demptis ho.is) quibus lunationes à Solis cursu integro deficiunt) tercentos sexaginta quinque dies cum quadrante anni solaris sine diminutione, aut perfectione integrari.

12 Sed nec felicius eodem themate persistit *Torniellus*, † qui vt annum istum solarem & vertentem efficeret varias computationes parum constántes (quidquid adstruat *Haruil.lib.*1.§.10. *difficult.*9. *fol.*65.) commentus fuit in *Annalibus sacris*, dicto *anno* 1656. His enim omnibus constanter quoque supponit menses, quorum mentio fit dicto *cap.*7. & 8. *Genes.* lunares fuisse. Quin & mensis septimi, decimiq; (de quibus in dicto *capit.* 8. *versic.*4. & 5.) computationem ineundam à die diluuij, non à primo die & mense anni sexcentesimi vitæ Noë. At quod de lunaribus mensibus ait, sacro Textui adaptari nō potest, cùm loquatur tam d.*cap.*7. quam 8. de mensibus dierum, qui Iudæis communes triceni erant, non præcisi aut lunares, vt optimè notauit *Arias Montanus* in d.*libello de seculis*, *ad fin.* *Haruil.*d.*difficult.*9. & in seipsum (vt prædiximus) *Scaliger* dict. *lib.de anno priscorum Hebræorum*, & *in notis ad Euseb.* Et ab his sanè veniunt simul (vt hæc obiter dixerim) impugnandi *Africanus lib.*5. *Annal. Zonar. tom.*1. *Annal.* & alij relati ab *Haruillao lib.*1. *Isagog. Chronolog.* d.*difficult.*9. *ver.secunda sententia*, & Neoterici *Genebrad.* *Pererius*, *Torniellus*, *Salianus*, & alij, quos ibidem refert, dum malè supponunt, menses Hebræorum semper fuisse lunares, etenim media, quibus id probare isti contendunt (quæ diligenter *Haruil.*s̄.congessit, & simul dissoluit) solùm euin:unt, menses lunares Iudæis in vsu fuisse, quod nec nos negamus.

Sub hæc computatio prædictorum mensium septimi & decimi à *Torniello* inita ex die diluuij, planè contrariatur his quæ prædixerat *Moses* in d. *cap.*7. *versic.*11. vbi primum & secundum mensem dinumerat ab exordio vitæ Nohai. Nec satisfacit *Torniellus* † dicens, in scriptura sacra alibi inue- 13 niri annos præter cœptum ordinem ab aliis etiam principiis obiter computari: nam quæ exempla præstantissimus iste vir *in anno* 3095.*nu.*3. (ad quē sese refert d.*anno* 1656. *nu.*24.) adduxit id tantùm præstant annorum scilicet cuiusque Regis computationem aliter atque aliter ab insigni aliqua causa memorandóve casu, aut facto deductā fuisse: quod longè differt à calculatione & computatione diuersa vnius & eiusdem anni eodem orationis filo expressi. Vt enim apud nos in dicterio est, vna & eadem res non debet diuerso iure censeri, *l. eum qui ædes vigesima tertia.ff.de vsucapionib.* cum similibus.

Sub hæc veritati propiùs accedere visus est *Basilius* † *Legionensis* dict. suo 14 perquàm erudito *lib. de Agno typico*, *c.* 5.& 6.& 1.*par.variar.disput. cap.*3. vbi annum istum *Mosis* 360. dierum supponit (quod nos *inferiùs* probabimus) & à Præcepti Dominici die (contenti in *c.*7.*Genes.*) initium mēsium dinumerat; & diebus, quos iuxta suā computationem Moses vel expressit, vel innuit, addit demum triginta nouem fluxos à principio anni sexcentesimi vitæ Noë vsque ad Præceptum. Ex quibus omnibus annum integrum cōficit. Sed computationem istam (quam à præstātissimo omni litteratura *Luisio Legionensi* gentilitio suo accepisse

ait *Basilius*) amplecti non possumus: primò dum numeri mensium principium mutat, illudque à die præcepti Mosi à Domino iniūcti init cum *Torniello*, quem iam refellimus. Secundò lectioni contrariatur Latinæ receptiori (ibi: *Requieuitque arca mense septimo vigesimo septimo die mensis*) quā *suprà* confirmauimus, & verissimam agnoscit *Basilius suprà* dicto *capite* 4. *ad finem*, & 1.*par.variar.disputat. capi. quarto*, illa verò retenta eius dinumeratio non constat: imo nec altera illa *decimo septimo* admissa, nisi aliquos ad libitum addamus dies, ac fecit *Scalig.* in sua.

Sed nec felicius computationem inierunt *Salianus anno* 1656. *numero* 7. quem refellit *Haruillæus* d.*difficulta*.9. versic. *contra hanc sententiam*, *Genebrard. anno* 1657. improbatus ab *Haruillæo difficultate* 10. versic.*contra hanc sententiam*, *Iacobus Gordonius in quæstionib.Chronologic.cap.*5. *Mercator*, & alij j.referendi.

His ergo omnibus, & aliis similibus
15 insuperhabitis. Ego † cum *Chrysostomo*, *Epiphanio*, *Eusebio*, & aliis veteribus Patribus, & cum *Caietano*, *Basilio Legionensi*, & *Pererio suprà* relatis, *Maffæo*, *Gerad.Tempora.* & alios quos refert & sequitur *Haruillæus* dict. *difficultat*. 9. *ad fin.* verissimum existimo communem & ciuilem annum Hebræorum priscorum 360. diebus constitisse, & duodecim mensibus tricenis æqualibus (nunc rationem quinque dierum appendicum omitto) id-
16 que mihi † ex illis duobus *capitibus* 7. & 8.*Genes.* simul iunctis apertissimè probatur. Ait enim *Moses* dict.*capit*.7. *versic*.11. *Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt*, id est, diluuium vniuersale incepit agente Nohao anni sexcentesimi mensem primum cum 17. diebus mensis sequentis, qui efficiunt 47. dies incipientis illius anni sexcentesimi. Posthæc in cap.seq. ita ait *versic.tertio*. *Reuersæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centum & quinquaginta dies* (quibus nulli dubium esse debuit ex iam dictis, & pluribus adductis per *Haruillæum* à *D. Ambrosio*, *Hugone Victore*, & aliis, *in Isagog. Chronologic.* §.19. *difficult*.18. & dicendis illicò à *num*.22. contineri 40. dies *cap. præcedentis* illis verbis expressos, *versu* 12. *Et facta est pluuia super terrā quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*: & iterum *vers*.17. *Factúmque est diluuium quadraginta diebus super terram*) Illæ autem duæ summæ (46. scilicet dierum priorum anni 600. Nohai ante inceptum diluuium, 151. dierum denotatorum per suprà dicta illa verba sacri Textus: *Post centum & quinquaginta dies*) conficiunt 197.dies. Sub hæc ait Textus sacer d. *cap*.8.*vers*.5. *At verò aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimum mensem*, subaudi *completum*: ita vt suprà dictis illis 197. diebus (qui constituunt sex menses tricenos & 17.dies) subaddas alios 103. quibus decem menses complebuntur. Trecentis verò dictis diebus (ex quibus conflati fuerunt decem illi menses) addendi sunt alij quadraginta dies: quibus transactis Noë arcæ fenestram aperuit, & coruum dimisit, vt probatur in dicto *cap*.8. *versic*.6. *Cùmque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum*. Post deinde ait missam columbam, quæ ab eo post septem dies à corui immissione reuersa est ad arcam: idque clarè colligitur ex illis verbis *versic*.10. *Exspectatis vltra septem diebus aliis rursum dimisit columbam ex arca*, expensa dictione illa *aliis*, quæ (vt aiunt nostri) est repetitiua simi-

similium,& facit positionem eiusdem qualitatis ad præcedentia, *l quidam relegatus*,& ibi *Bartol.* & *Socinus* per illum textum *ff. de rebus dubijs*, cum pluribus adductis à *Cenedo singulari 4. numer. 1. & tribus seqq.* Vnde est, vt verba illa: *Expectatis vltra septem diebus alijs*, 14. dies supponant. His demum adde alios septem expressos illis verbis: *Exspectauitque nihilominus septem alios dies*, qui omnes simul iuncti efficiunt 361. annum constituentes 360. dierum, & vnum præterea diem anni sequentis sexcentesimi primi vitæ Noë: quod disertissimis verbis enuntiauit Moses in verbis illis statim sequentib. *vers. 13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram* iunctis illis *ca. 7.* iam relatis: *Anno sexcentesimo vitæ Noe mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, &c.*

Ex quibus apertissimè tria colli-
17 guntur. † primum apud Iudęos annum in ciuili & communi computatione 360. diebus constitisse: secundum, annum hunc duodecim æqualibus mensibus confici: tertium (& hoc obiter) vniuersi orbis inundationem (simul cum prioribus 40. diebus pluuiæ) 314. perdurasse, vt diserè notauit *Caietan.* Et ita tenendum, quidquid nouiores & post cæteros *Haruil.* molitus fuerit *lib. 1. §. 27. difficult. 26.*

SVPEREST nunc, vt his quæ propositæ anni Hebraici dinumerationi aduersari videntur, faciamus satis.

Et primò non obstabit eorum sententia, qui decimum mensem intelliguntab initio diluuij incepti, non verò anni currentis: quæ fuit sententia *Caietani in Genes. Torniell. Anno. 1656. n. 22. & 24. Saliani eod. anno 1656. n. 40. & 50.* Nam contraria (quæ decimum mensem intelligit ab initio anni) communior & verior est: eamque ex multis (quibus non immorer) comprobat *Haruil. lib. 1. §. 21. difficult. 20.*

Secundò erunt, qui cum *Scaligero*, & *Haruillæo difficult. 4. §. 5. vers. deinde* dicant, verba illa d. *cap. 8. Vsque ad decimum mensem* referri non posse † ad 18
decimum exactum, sed incipientem: idque apertè demonstrari subsequentibus illicò illis: *Decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium.* Sed respondetur, proxima ista verba orationem distinctam à precedenti constituere, & ob id seiuncta & dispuncta in correctioribus editionibus Sixtinianis, & aliis inueniri: vt inde percipiamus, aquas (quæ ibant, & decrescebant vsque in finem decimi mensis) prima eius die eò decreuisse, vt cacumina montium tunc apparere cœperint: dein paulisper aquas diminutas, & medios fortèan montes patefactos (etenim par est credere incrementum & recessum aquarum simili temporum intercapedine contigisse) His adde, dictionem illam, *vsque ad* (precedentem & afficientem *decimum mensem*) regulariter includere tempus cui adiicitur, vt argumento *l. non putabam. ff. de conditionib. & demonstrationibus, l. 3. §. qui habebat. ff. de seruitutib. rusticor. prædior.* & ex aliis memini me alibi aduertisse.

Quòd si aliquis replicet & dicat, hoc admitti tantùm posse, si à decimo mense exacto aquę omnino cessassent, & terra exsiccata maneret, quod facer Textus nō admittit, cum abinde multis diebus columba fuerit immissa, nec inuenerit vbi requiesceret pes eius, vt exprimitur in d. *cap. 8. vers. 9.* Respondemus, aquarum † maiorem & præci- 19
puam vim, & inundationē (quindecim cubitis altiorem excelsis montibus, *Genes.* d. *cap. vers. 20*) decreuisse vsque ad mensis decimi finem, adhuc terræ planitie humanæ habitationi inepta, à quo dubio procul intelligenda sunt

Xx

illa verba *cap.8.d.vers.9. Quæ cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super vniuersam terram*, subaudi à Nohao & suis habitandam, quandoquidem multò antea cacumina montium apparuerant, vt dictum fuerat d. *cap.8.versu 5.* Demum & res ipsa hoc clarè demonstrat, quis enim sibi suadebit Nohaum iustum & prouidum dispensatorem generis humani, omniúmque animantium, exquò prima excelsorum montium cacumina apparuêre coruum, & columbam terram habitandam requisituros dimisisse? Maximè cùm Textus sacer decrementum aquarum, & montes demonstratos pluribus diebus ante corui immissionem Nohaum cum suis arca sese continuisse apertè demonstret dict. *cap.8.vers.6.*

20 Verba ergo illa: *Aquæ ibant* † *& decrescebant vsque ad decimum mensem*, κατακλυσμȣ̃, & diluuij persistentē vim, & impetum denotant, & à die 151. (qua aquæ minui cœperunt) easdem versus abyssum & centrum maris effluxisse & refluxisse, inque refluxu partim adeò defecisse, vt prima die mensis decimi, aquis (quæ centesima quinquagesima die excelsiores montes quindecim cubitis superabant) plurimum delapsis, montium cacumina apparere cœperint: ab illo verò mense exacto vndarum traficationem, & refluxum aquarum cessasse; idque (quadraginta post diebus interiectis) Nohao causam prębuisse, vt spe iam meliore concepta coruum immitteret, & mox columbam terram incolendam requisituros.

Quidquòd Moses (alioquin paucis verbis suæ historię multa complectēs
21. vel innuens) multiloquio † vsus videretur, si omnibus illis verbis: *At verò aquæ ibant & decrescebant vsque ad decimum mensem, decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium*, apparitionem montium à decremento aquarum prouenientem tantùm demonstrare voluisset. Nihil igitur est, quod prædictam decimi mēsis exacti suppositionem interuertat, quæ alioquin pluribus mediis obfirmata manet.

Sub hæc nostræ computationi, & dinumerationi non obstabit, † si in- 22
stes, in ea confundi quadraginta priores pluuiæ dies (de quibus in *cap.7. versu 12.*). cum 150. eiusdem *cap.vers. vlt.* quod *Basilius* dicto *lib. de Agno typico, cap.6.* alienum à sacro Textu, ipsique non quadrare putauit, dicens: *Nā cùm diluuium quadraginta diebus factū esse dixisset Möyses, subiecit*: Obtinueruntque aquę terram centū quinquaginta diebus, *satis apertè ostendens, quo tempore aquæ terris dominatæ fuerint, & in eodem statu permanserint.* His enim à *Basilio* subtiliter expensis respond. ex quo 40. diebus ac noctibus continuis pluere cœpit, vt exprimitur dict. *cap.7.vers.12.* verè dictum à Mose terram aquis occupatam 40. scilicet diebus pluuiæ, & 110. inundationis ab aquarum incremento prouenientis. Alioquin diceremus, terram omnem & altiora montium cacumina aquis submersa fuisse priores post 40. dies pluuiæ, & mox centum & quinquaginta dierum spatio aquas ad quindecim illos cubitus, *cap.7.vers.20.* ascendisse quod reliquæ incrementi, & diminutionis aquarum proportioni in Textu sacro expressæ & obseruatæ nemo adaptari poterit.

Dictis subinde addo, Mosem disertis verbis priores tantùm sex menses & 17. dies expressisse, qua forma annotauimus *supr. num.16.* Post verò sub inuolucro verborum cataclysmi perdurationem vsque ad exactum decimum mensem subiungit, ex dictis *supr. d. num.16.* vt inde nos ibidem diebus

à Mo-

à Mose expressis, alios 103. ex eius mente & verbis addiderimus ad decem mensium perfectionem absolutam. A quo fiet, vt asserentibus adhuc quadraginta pluuiæ priores dies non comprehendi sub 150. inundationis: ex hoc capite non liceat à nostra deuiare sententia, cùm quadraginta illi dies aptè aliàs comprehendi possint in 103. diebus ad exactam decem mensium perfectorum calculationem per nos additis.

13 Nec argumentum ab auctoritate † *Flauij Iosephi li.1. antiquitatum Iudaic. c.4.* (quo vtitur *Basilius* d. *cap.6. in fine.*) impedimento nobis esse debet, si consideremus, eum prædicto *c.4.* ab enarratione *Mosis* d. *c.7. & 8.* verissima, & omnino tenenda sæpius aberrasse. Primò dum ait, vim imbrium cœpisse vigesimaseptima mensis secundi anni sexcentesimi vitæ Noë, vbi cum *LXX. Interpretum* lectione communiter improbata (vt patet ex latè traditis ab *Augustino Torniello in Annalibus sacris anno 1656. n.19. & 29. Haruillæo lib. 1. §.8.*) addidit decem dies. Secundò plures illicò detraxit à plena inundatione, dum ait: *Cæterum Deus signo dato imbres emisit, qui cùm nonaginta continuis diebus ruerent, ad quindecim cubitus aqua super terram extitit*, quæ fanè contrariantur d. *c.7. vers. vltimo: Obtinuerunt aquæ terram centum & quinquaginta diebus* (quæ *Sanctes Pagninus* ex Hebræo legit: *Et roborauerunt aquæ super terram quinquaginta & centum dies:* & LXX. Interpretes: *Et exaltata est aqua super terram 150. dies:* & Chaldaica Paraphrasis: *Et præualuerunt aquæ super terram 150. diebus.* Sed & assertio *Iosephi* conuincitur ex d. *c. 8. vers.3. Et cœperunt minui post centum & quinquaginta dies.* Tertiò subsequentibus illis verbis sui textus originalis: Παυσαμένου δὲ τοῦ ὑετοῦ, μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέρας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα ὡς μηνὶ ἑβδόμῳ ἱσταμένου δὲ λῷ ἑβδόμῃ, valdè aberrat à vero, & quadrupliciter quidem. Primò, dum asseuerauit, aquas imminui cœpisse die ipsa centesima quinquagesima, cū hoc contigerit, vt patet ex d. *c.8. vers.3.* post 150. dies, hoc est die centesima quinquagesima prima. Secundò, dum putat, in principio mensis septimi anni sexcentesimi vitæ. Noë aquarum imminutionem accidisse, cùm id euenerit die 17. illius mensis septimi, vt patet ex Textu sacro in illis verbis d. *cap. 8. vers.3. Reuersæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centum & quinquaginta dies*, id est, est, vt prædixi, centesimo quinquagesimo primo ab initio diluuij. Additis autem his 151. diebus aliis 46. priorib. anni sexcentesimi vitæ Noë ante diluuium, efficies 197. dies: quos si per 30. diuidas, conflabis sex mēses & 17. dies. Malè ergo *Iosephus* ἱσταμένου μηνὸς ἑβδόμου, aquarum diminutionem accidisse asserit, cùm tunc temporis maior pars mensis septimi transacta fuerit. Nec satisfacient, qui ἱσταμένου vertunt & interpretantur, *quo instante*: id enim inscitè quidem dictum est ab his qui non calluerunt mensem in tres partes à Græcis diuisum, & in priori appellari ἱστάμενον, siue ἀρχόμενον, in secunda μεσοῦντα, in tertia φθίνοντα, vt ex *Iulio Polluce, Plutarcho*, & antiquo *Aristophanis Interprete* facilè colliges. Superiora ergo verba Græca *Iosephi* (quæ partim lacerata, partim addita sunt à *Ruffino*, dum ait: *Centesima autem & quinquagesima die post quā pluere desiit, tandē cœperūt aquæ sedere mēse septimo, vigesimo die mēsis*) melius ita Latinitati donabis: *Quiescente verò pluuia, dein aqua residere cœpit centesimo quinquagesimo die, in mense septimo, septima eius die instante.* Adhæc apertissimus error

est in computatione & cõfusione 150. dierum cum mensibus sex, & septima die mensis septimi, quæ efficiunt dies 187. nam centum illi & quinquaginta dies *Iosephi* (iuncti prioribus 46. incipientis anni sexcentesimi vitæ Noë ante diluuium) 196. constituunt. Quartò *Iosephus* aberrauit separans priores pluuiæ dies à 150. inundationis, ex iam dictis.

Demum cùm mense septimo, vicesimo septimo die arcam consedisse in vertice montis cuiusdam in Armenia cum Textu sacro sensisset, aut innuisset, subdit hæc: *Sentiens hoc Noe aperuit eam, & videns circa ipsam aliquantulũ terræ, meliore spe concepta, paulisper quieuit, mox post paucos dies magis recedente aqua emisit coruum:* quæ verba si attentè legas, & expendas, maximè aduerbium *paulisper*, & dictiones illas, *mox, post paucos dies*, clarè elicies, breuius tempus *Iosephum* denotasse, quàm quadraginta dierum sacri Textus d. *c.* 8. *vers.* 6. ibi: *Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, emisit coruum:* maximè si eius originale Græcum attendis: ἐπεὶ χρηστοτέρας ἤδη γέγονε ἐλπίδος ἠρέμει ὀλίγαις ἢ ὕστερον ἡμέραις μᾶλλον. ὑποχωροῦντος τοῦ ὕδατος μεθίησι κόρακα: nam aduerbium ἤδη idem est quòd *illicò, confestim, νῦν, nunc. Demosth. Philip.* 2. Ταῦτ' ἤδη λέξω, *Eustachius in explicatione Iliados α*, αὐτὰρ ἔγωγ' ἐπὶ νῆα θοὴν κατελεύσομαι ἤδη: sed & adiectiuum ὀλίγος, η, ον, subadditum nomini χρόνος, ῥῆμα, vel ἡμέρα, breuissimum têporis spatium denotat, vt ex *Thucyd.* & aliis annotarunt *Ioan. Scapula*, & cæteri Neoterici in suis *Lexicis*.

Ex quibus omnibus obiter quàm euidentissimum fit, oleum & operam
24 (vt aiunt) perdidisse † eos, qui *Iosephum* Iudæum (verioris Scripturæ sensus, meliorisque CHRISTI doctrinæ suis temporibus inualentis ignarum) conciliare conantur cum dictis à *Mose in capitib.* 7. *&* 8. *Geneseos*, quando quidê, vt ex prædictis patet, vix aliquod veritatis vestigium in eius scriptis appareat: ita vt nil minus curandum sit in vera anni diluuij computatione, quàm quæ iste à Textu sacro deuians excogitauit in prænotatis. Quibus adde alia quæ in eum notarunt *Baronius & Salianus* relati ab *Haruillæo in Isagoge Chronolog.* §. 8. *difficult.* 7. vers. *ad fundamentum*.

Demum nostræ assertioni & supputationi anni diluuij à *cap.* 7. *&* 8. *Geneseos* deductæ non obstabit, † si quis 25
dicat à temporibus Adæ annum fuisse solarem perfectum 365. diebus & quadrante constantem, vt ex pluribus latè comprobauit sanctissimus & doctissimus *Augustinus lib.* 15. *de Ciuitate Dei* ex *cap.* 10. & maximè in *cap.* 14. *Pererr. Valentinus*, post alios *super Genes. libr.* 7. *capite* 1. *disputat. de longitudine vitæ priorum hominum ante Noe, quæst.* 2. *August. Torniellus*, infrà referendus, *Franc. Floridus lib.* 2. *successiuar. lection. cap.* 3. *Haruillæus* optimè s. §. 11. versic. *Notandum est secundò*, latè & nouissimè *Hieronymus Vecchiettus de anno primit. cap.* 13. *&* 14. vbi asserit, annum solarem durasse vsque ad vltimam Templi desolationem. Id enim nos non negamus, quinimò expressè probari contendimus ex *cap.* 1. *Genes. vers.* 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos:* quibus concinunt illa *D. Psaltis Psal.* 103. *vers.* 21. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum*, iunctis his quæ *Gilbertus Genebrardus* ibi perquam eruditè commentatur. Quis enim audebit dicere, aut excogitare à DEO OPT. MAX. perfectissimam anni dimensionem constitutam non fuisse annuo Solis cursui respôdentem? Démque hoc anno solari & vertenti cum

Augustino suprà, & receptiore Theologorum Schola intelligẽda sanè profitemur, quæ *Moses cap.5. vers.3.4. & 5.* ait de annis *Adæ*: & versibus sequentibus de annis *Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusalam, Lamech* & *Noe* (cuius ætatem posteà facer Textus prosequitur d. *cap.7. vers. 6. & cap.8. vers.13.*) & simul quæ post diuisionem gentium (*Genes. cap.10. vers. vlt.*) dixit *Moses in cap. sequenti* de annis *Sem* filij *Noe*, & descendentium ab eo, & in *cap.12. vers.4.* & *cap.17. vers.1.* de annis *Abrahæ*: & eodem *cap. vers.17.* de annis eiusdem, & *Saræ* vxoris eius in illis verbis: *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonogenaria pariet?* Quæ sanè verba, & illa *subsequentis capitis, vers.11 & seqq.* (*Quo audito Sara risit post ostium Tabernaculi: erãt autem ambo senes prouectæque ætatis, & desierunt Saræ fieri muliebria, quæ risit occultè dicens: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo, &c.*) clarè demonstrant temporibus Abrahæ homines longè minus viuaces fuisse, quàm prioribus Adæ ad Nohæum, & filios eius. Sed & posterióribus Mosis senectus multò ante nonagesimum, & centesimum annum obtingebat, vt clarè colligitur ex *Deuteronomij cap. vltimo, vers.7.* vbi tanquam quid mirandum in Mosis senecta) subditur, quòd cùm esset annorum 120. *non caligauit oculus eius, nec dentes eius moti sunt.* Vnde *Iosephus* in *Laman. ad dies decret. Gal. lib.2.c.2. fol. 303.* *Iam enim* (inquit) *paulatim subtrahebantur de vitæ spatijs vsque ad Mosis ætatem, postquàm centum & viginta annorum terminus Deo finitore est statutus, quantum temporis & ipse Moses vixit*, idque confirmat *Lactantius lib.2. diuinar. institut. cap.13.* Subsequentibus verò temporibus Dauidis, homines eandem, quam nos, viuebant vitam, vt constat apertè ex *cap.1. in initio lib.3. Regum*: *Et Rex Dauid senuerat, habebátque, ætatis plurimos dies, cumq; operiretur vestibus non calefaciebat*, iuncto *cap.5. lib.2. Regum, vers.4. Filius triginta annorum erat Dauid cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit*: & *cap.2. lib.3. Regum*: *Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta sunt*: quę clarè demonstrant, senem, & plurimorum ætatis dierum Dauid vocatum in sacra Pagina, cùm septuagesimum tantùm annum ageret. Quin obiter ex omnibus hisce simul iunctis apertè colligitur Scripturam sacram semper de annis vniformibus, & eorundem dierum loqui, vti ex pluribus alijs annotauit *D. Augustinus* d. *libro 15. de Ciuitate Dei*, ex *cap.10.* & maximè d. *cap.14.* nouissimè *Haruillæus* dict. *difficult.9.* *Torniel. in Annalibus sacris, anno mundi 131.* vbi optimè irridet & refellit eos qui annos antiquorũ Patrũ aut trimestres faciebant (vt apud Arcadas in *Solin. Polyhistore cap.3.*) aut quadrimestres (vt olim apud Ægyptios, *Solin. supr. Plutarch. in vita Numæ*) Et pręcæteris sanè explodendus & notandus est *Scaliger lib.1. cap. de anno*, qui Ethnicum sequutus placitum, ac alter *Ouidius*, generi humano agresti & rudi paulatim mansuefacto, & ad ciuilem societatem redacto, annos admissos ait generaliter à principio vnius mensis lunaris, deinde trium, &c. Quo nihil absurdius, aut leuius dici potuit, attendentibus sacros libros *Genesis* dicto *cap.1* & dicto *Psalmo 103.* (aliàs ad sua passim & pro libito ab hoc hominum genere expensos) & animaduertentibus Mosem auctorem dicti *cap. 1.* à Deo doctum scripsisse, & itidem insigniter edoctum fuisse in Philosophia, Geometria, Astrologia, & alijs

Mathematicis, liberalibúsque disciplinis à prioribus Græciæ & Ægypti hominibus, vt testatur *Philo lib.1. de vita Mosis.*

Adhæc, proposita obiectio corroborabitur, si considerauerimus, annum sacrum solarem fuisse, aut solari
26 coæqualem, alioquin † annus iste (vt in Dei præcepto erat, *Deuteron. cap.16. vers.1.*) non potuisset initium sumere à mense nouarum frugum, qui erat primus verni temporis, in quo Pascha celebrabatur., siquidem illud tantum festum paulatim retrocedens, aliquando incidisset in Hyeme, aliísque temporibus: quo argumento dexterrimè vsus fuit *Augustin. Torniel. in Annalibus sacris, anno 1656. numer.24. & anno 2544. numer.9.* dum Iudæos annos lunares certis statísque temporibus ad solares & æquales reduxisse firmat ex sententia *Caroli Sigonij lib.3. de Repub. Hebræorum, cap.1.* (eius tamen calculatione improbata) & ex *Genebrardo in calce libri 2. suæ Chronolog.* cuius sententiam & computationem laudat & probat.

Hæc autem omnia (quæ nos amplis vlnis amplectimur, nec parum aptè, ni fallor, illustrauimus: cæcutientem *Plinium* simul irridentes, qui *lib.7. c.48.* fabulosas esse ait antiquorum longis-
27 simas vitas) non excludunt † annum ciuilem & communem Hebræorum 360. diebus constantem: ab eis (vt credere par est) admissum facilioris & commodioris rerum vsus causa: velut Ægyptiis, Græcis, Romanísque obtigisse in sequentibus §§. demonstrabimus. Lunari enim anno Iudæi (vt disertissimè ait *Basilius de Agno typico c.7.*) vsi sunt ex *Mosis* instituto ad obseruanda festa: solari verò in annorum computationibus: indéque menses æquabiles & triceni fuerunt in communi vsu & computatione: nec nomine proprio, sed numero tantùm distincti, vt optimè concludit *Arias Montanus d. libello de seculis,* dicens: *Mensium autem antiqua nomina nulla nisi ex numerorum serie obseruauimus, vt Primus, Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, Sextus, Septimus, Octauus, Nonus, Decimus, Vndecimus, & Duodecimus: quorum frequentissima exempla leguntur. Alia enim nomina, vt suo loco exponemus, Chaldaica sunt:* & probatur apertè d. *c.7. & 8. Genes.* & alibi sæpè. At anno prædicto Ciuili & communi (& vt vno verbo dicam cum *Scaligero* à suo *Gaza,* vt prædiximus, edocto, d. *lib.3. de emendat. tempor. tit. de anno priscorum Hebræorum*) æquinoctio, vel id propè etiam post *Exodum* appendices erant dies quinque cum quadrante.

Quo autem tempore annus iste Iu- 28
dæorum † priscorum communis reintegraretur, & solari coæquaretur (ac Ægyptiorum ex *Diodoro,* & *Strabone* referendis in §. *sequenti*) nullibi inuenio expressum ante vnum *Caietan.* illicò referendum.

Et verò quod *Vbbo Emnius,* duce *Scaligero,* ait *lib.1. rer. Chronolog. tit. de annis* (antiquissimos Patres ab Adamo, & rerum omnium conditu annis solaribus fixis vsos, confectos ex mensibus 12. æqualibus tricenis & diebus insuper quinque in exitu annorum adiectis, reseruata horarum 6. æquinoctialium appendice, quæ post certum annorum decursum mensem integrú constitueret) ab istis pro suo libero captu cõfictum puto: velut illud *Thomæ Lydiati,* qui decimum naturalem mensem (cum alij essent triceni) inæqualitati & intercalationi obnoxium ex proprio capite & ductu fecit in *lib. de diuers. anni formis, c.10.* (& sanè istorum opiniones à nostra vera computatione anni diluuij apertè exploduntur.) At tamen necessum est adæquationem istam supponere, vt in anno luna

lunari, cui (cùm minor esset solari vndecim diebus plus minusve) mensis ve Adar (nobis *Embolismus*) addebatur statutis temporibus, & designatis à *Genebrardo* & *Torniello supr.* Vt inde suspicari possimus ex quinque diebus & ¼. mensem vnum post certum annorum numerum conflari consueuisse. Et id quidem par est credere contigisse sexto quoque anno: cui mẽsem intercalarem superadditum firmat *Caietanus in Genes.* nec displicuit *Haruil.* (post *Perer.*) §.10. *difficult.9.* vers: *instabit*, ita vt hac media intercalatione, vel alia simili annus ciuilis communis solaris, cælesti vertenti & naturali coæquaretur. Quod verò in libris sacris nulla sit mentio prædictorum quinque dierum appendicum cum ¼. nil nos debet remorari: nam nec de numero mensium vltra 11. nec de numero dierum mensium vltra 27. vlli bi mentio est, vt patet *Genes. cap. 7. & 8.* & 4. *Reg.* 25. & *Ierem.* 52. *Ezech.* 32. *Esther* 2.3.8.9.13. & 16. & alibi: non tamen aliquis vnquam inficias ibit, menses apud Iudæos saltem 29. dierum cum dimidio fuisse, & anno lunari mensem alterum eos intercalare consuêsse.

Hæc cùm ita se habeant, necessarium non erit ad asylum *Patris M. An-*
29 *tonij Delrij* † recurrere, qui (cùm omnia varia & obscura inuenisset) supputationibus omnibus anni diluuij insuperhabitis Mosem plures dies præter expressos silẽtio inuoluisse nouissimè asseuerauit *in commen. super* d.c.8. *Gen.* Vt enim egregiè annotauit *Basilius in lib. de Agno typico*, d. *cap.6.* Moysi hoc vnum in proposito fuit (*vt prudens Lector facilè intelliget*) *omnes sigillatim, & pluuiæ, & inundationis dies commemorare, quo tempore minui cœptæ sũt aquæ, quoque terræ superficiem detexerint: quibusque terminis exspectatis, quibusque nuntijs id Noe cognouerit: Vnde cùm ea omnia quæ diximus, sigillatim enumerasset, vt ostenderet se singulos expressisse dies, eos quasi in summam redigens, concludit in cap.8. dicens: Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram, aperiénsque Noe tectũ arcæ adspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ:* quasi dicas, Mosem argumento à partium numeratione vsum, vt ostenderet à septimo decimo die mensis secundi anni sexcentesimi vitæ Noe diluuium vniuersale perdurasse vsque ad principium anni sexcentesimi septimi insequentis.

Vt autem ista apertiùs omnibus innotescant, non abs re me facturum putaui, si sequentem Textui sacro in d.
cap.8. Genes. velùt paraphrasin † su- 30
peradderem: ait Textus *vers.3. Cœperunt aquæ minui post centum quinquaginta dies*, id est, mense sexto decimo septimo die mensis, ita vt 40. post dies, vigesima scilicet septima die illius mensis septimi arca Domini sisteret super montes Armeniæ adhuc inundatos, & aqua coopertos, etsi altitudo prior quindecim cubitorũ super excelsiores montes plurimum deflexisset. Dein aquæ ad abyssum Oceani decurrentes vsque ad finem decimi mensis reuertebantur: ita tamen vt prima decimi mensis ab aquarum excursione & defectione montium cacumina apparuerint. Cumque transissent quadraginta dies ab aquarum influxu & refluxu, eæque pacatiores terram adhuc inferiorem (ab hominibus ante diluuiũ cultam) obtinerent, Noe animo concepit terram incolendam sibi & suis (arca, & obscuro illo carcere exire desiderantibus) à Domino concedendam. Et hac spe ductus post illos dies quadraginta arcæ fenestram apperuit, immisitque coruum terram requisiturum, qui hinc inde vagus reuertere recusabat, vsque dum terram

exsiccatam Nohao nuntiaret ex voto:
qui post aliquantulum temporis, at-
tenta corui detentione, emisit & co-
lumbam, vt videret an facies aliqua
terræ inferioris, habitationi aptæ, ab a-
quis esset libera: ea verò non inuenien-
te terræ superficiem exsiccatam, vbi
pes eius sistere & requiescere possit (nã
adhuc vniuersa facies terræ submersa
erat) ad Noë reuersa est, qui eam intu-
lit in arcam. Exspectatis post hæc aliis
septem diebus (cùm ab immissione
corui vsque ad reuersionem columbæ
alij septem transissent) rursum dimisit
columbam, at illa venit ad eum vespe-
ri portans ramum oliuę virentibus fo-
liis in ore suo: à quo signo Noë clarè
percepit, superficiei terræ ab homini-
bus antea excultæ, & imposterùm ha-
bitandæ, plagam aliquam iam demõ-
stratam. Sed nihilo seciùs exspectauit
& alios septem dies, quibus existima-
uit terram à diluuij inuasione liberam
euasuram. Vt verò certior fieret, ter-
tiùm immisit columbam illicò reuer-
suram: ea verò moram faciente, altè &
verè Noë animo concepit in terra re-
quieuisse, ob ídque aperuit arcæ te-
ctum, & confestim terræ superficiem
vidit exsiccatam. Quod (vti ex prædi-
cta dierum dinumeratione clarè de-
prehenditur) contingit anno vitæ Noë
sexcentesimo primo, prima die men-
sis, id est anni insequentis diluuium
prima die. Cœpit namque pluere post
priores 46. dies anni sexcentesimi vi-
tæ Noë: pluuia verò 40. dies perdura-
uit, & inundatio 110. dein aquæ eun-
tes, & à centro redeuntes terram 104.
diebus infestarunt: demum in abyssum
excurrent aliis 61. diebus, qui omnes
361. dies efficiunt, id est annum inte-
grum sexcentesimum vitæ Nohai cum
prima die insequentis & incipientis
anni.

31 Stat † ergo firma, & à Textu sacro
Genes. d. *c.* 7. *&* 8. comprobata commu-
nis sententia *Eusebij, Chrysostomi, Epi-
phanij*, & aliorum veterum Patrum;
Caietani, Basilij, Pererij, & cæterorum
Neotericorum aientium annum com-
munem & popularem antiquorum
Hebræorum 360. diebus, duodecim-
que mensibus τεlακονθημέροις, id est,
tricenis plenis constare. Déque his in-
telligenda illa præcitati *cap.* 7. *libr.* 2.
Machabæor. verba: *Fili mi, miserere
mei, qui te in vtero nouem mensibus por-
taui*, & illa *Sapient. c.* 7 *In ventre matris
figuratus sum caro, decem mensium tem-
pore coagulatus sum in sanguine.*

Nec verò Hebræi solùm, sed & aliæ
pleræque gentes (vt ait *Vbbo Emnius
lib.* 1. *rer. Chronol. tit. de annis*) in Orien-
te: † Assyrij puta, Medi, Persæ, Arme- 32
nij, imprimis autem Chaldæi Astrono-
miæ ante omnes dediti & periti (ex
quibus Abrahamus originem duxit)
hanc anni formam ab antiquissimis
temporibus tenuerunt, quamuis diuer-
simodè anni initium obseruarint. Vt
inde velut demonstratione quadam e-
uicerimus Hebræos annis communi-
bus 360. dierum: & cælestibus verten-
tibus 395. dierum: & lunaribus 354.
dierum minúsue: & mensibus itidem
solaribus, & lunaribus vsos fuisse: Hoc
enim clarè comprobatur ex prædi-
ctis, quin & latè nouissiméque traditis
ab *Henrico Haruillæo* variis in locis,
maximè *lib.* 1. *Isagog. Chronolog.* §. 10.
difficult. 9. *vers. Respondet Temporarius*,
& vers. seqq. Vbi interpretatur *Exodi*
præceptum *ca.* 12. de celebratione Pa-
schali decimaquarta die mensis pri-
mi: & pluribus quæ ex aduerso obiici
solent latè nouéque respondet: & su-
peruacuam interpretationem *Tempo-
rarij* & *Funccij* sectariorum (referen-
tium illa d. *c.* 12. *Exodi: Mensis iste vobis
principium mensium, &c.* ad mensem
Solarem, & illa: *Et seruabitis eum vs-
que*

quæ ad quartam decimam mensis huius, &c. ad mensem Lunarem) reiicit.

A quibus omnibus perquàm euidens fit, explodendum omnino esse *P. Ioan. Bapt. Pozam*, qui *in Elucidar. Deiparæ, lib. 1. Isagog. ad Chronolog. c. 5.* annum Ciuilem Hebræorum Lunarem tantùm fuisse arbitratus est. Et subinde non ferendum, cùm ab istis, aliisque consimilibus in sua inscriptione Chronologica adductis: eaque exacta, ni mauis delibata, eò confidentiæ deuenit, vt in principio tractatus primi sui Elucidarij *præcipites montes, horridasque syluas peragrasse ratus fuerit.*

Hæc de anno Hebræorum Antiquo dixisse sat nobis sit. Quòd si quis plura istius anni videre & scire cupit, adeat eorum scripta, quos in excursu citauimus. Et de anno simul He-
3 bræorum nouitio † qui (nostræ tractationis non est) perlegat, si lubet, plura edifferentem *Scaligerum libro 2. de emendatione temporum, titulo* speciali *de anno Iudæorum nouitio*, & *Thomam Lydiatum*, cum pluribus impugnantem, *de varijs annorum formis, cap. 19.*

§. III.

DE ANNO ET mensibus Ægyptiorum.

SYNOPSIS.

1 *Cur anni Ægyptiaci rationem ineat?* Auctor *aperit.*

2 *Ægyptijs præ cæteris annus varius & multiplex: & ratio redditur.*

3 *Ægyptijs forsan annus fuit Lunaris. Et num. 4. quod communi 360. dierum vsi fuerint. Et numero 6. & 10.*

5 Herodotum *improbat, dum Ægyptios anni inuentores facit.*

7 *Ægyptij Thebani anno Solari vertenti vsi sunt. Et num. 9. Alexandrini eundem habuerunt annum.*

11 *Annus communis Ægyptiorum ad Iulianum redactus fuit, & quo tempore.*

ABISTIVS anni tractatione (quam ob id tantum inimus, ne †anni & mensium Ægyptiorum com- 1
putationem omnium ferè præcipuam silentio inuoluere videamur) facilè nos expediemus, quandoquidem necessaria non est ad mensium dimensionis cognitionem, quam eruere & enodare curamus.

Et quidem inter alia primo loco illud annotandum censemus, Ægyptiis annum varium & multiplicem† 2
præ cæteris gentium fuisse, vt notant *Scaliger lib. 3. Pierius in Hieroglyphicis lib 39. Theodorus Gaza de mensibus, tit.* περὶ ἑρμηνείας τῶν μηνῶν, vbi plura de mensibus Ægyptiorum adducit. Et ante istos *Censorinus. de die natali, capite* 19. Et quidem hoc à causa per nos *supr.* designata *in* §. 1. *num.* 7. eueniebat, quidquid aliud commentus fuerit *Scaliger suprà*. Et inde menstruus illis annus. vt à *Diodoro libr. 1. Biblioth. Historicæ*, & compluribus aliis scripsit *Lindembrogius ad Censorinum dict. ca.* 19. & diximus in dict. §. 1. & prosequemur *tit. §. seq. num. 29.*

Et quidem cùm anni menstrui bimestris, trimestris, & quadrimestris Ægyptiorum ratio nobis sit, ex dictis *supr. §. 1. num. 7.* Lunaris certè integri
3 † duodecim mensibus in initio constantis nec vllam ego inuenio.

¶ Cùm autem Ægyptij ab Hebræis (anni Lunaris ex dictis in §. *præcedenti* obseruatoribus) plura desumpserint, ac clarè indicat insignis cura *Ptolomæi in LXXII. Interpretum* versio-

ne: multóque priſcior curioſitas libros quinque *Moſis* euoluendi in ſua natiua phraſi (de qua teſtatur *Genebrard.lib.2.Chronol.*) Cumque hidem Ægyptij à Chaldæis (quibus annus itidem Lunaris in vſu, *Scalig.libro* 2.) Arithmeticam & Aſtronomiam ab aduentu Abrahami didicerint, *Ioſeph. lib.1.antiquit.cap.9.* & demum cùm Ægyptij antiquiores duos Deos agnouerint omnium primos Solem & Lunam, *Diodor.d.lib.1.* inde veroſimili adducor ſuſpicione, vt exiſtimem ipſis annum Lunarem à 12. menſes integratum in vſu fuiſſe.

Inter iſta dubia & putabunda hoc tamen certum eſt, Ægyptios ſcilicet anno communi 360. dierum conſtante, duodecimque menſibus æqualibus
14 †vſos, *Herodoto teſte libr.2.* ſeu *in Euterpe*, ita dicente: *Quæ autem humanarum rerum ſunt, hæc ita referebant inter ſe conſtare: Omnium hominum primos Ægyptios annum comperiſſe, diſtinguentes eum in 12. temporum menſes: & hæc comperiſſe ex aſtris: qui eò prudentiùs (vt mihi videtur) hoc agunt quàm Græci, quòd Græci quidem tertio quoque anno intercalarem menſem introducunt temporum gratia: Ægyptij verò numero tricenorum dierum, quibus duodecim menſes taxant, adijciunt quotannis quinos dies: vnde eis ratio circuli temporibus conſtat eodem redeuntis.* Et iuxta iſta intelligendus eſt *Clemens Alexandrinus libro 1. Stromat.* dicens: *Primi Ægyptij annum in duodecim menſes diuiſerunt.*

Sed ille antiquus rerum enarrator (qui vana, futilia, & à vero aliena omnium maximè ſcriptis ſuis interſerere conſueuit) damnandus, †& explodendus eſt, dum in prioribus propoſitis verbis aſſerit, Ægyptios anni inuentores fuiſſe (quod miror Neotericos plures *Scaligeri* μιμήτας, & admiratores, & ante eos *Macrobium in Somni.Scipion.lib.1.* approbaſſe.) Eſt enim longè veriùs iſtos, cæteraſque gentes anni rationem, & dimenſionem ab Hebræis habuiſſe, vt clarè colligitur ex *Euſebio Chronicor.li.priore poſt princip.* & clarius ex *Geneſ.cap.1. verſu* 14. in præcitatis illis verbis §. ſuperiore: *Fiant luminaria in Firmamento Cæli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, &* DIES *&* ANNOS: & inſuper ex ratione & dinumeratione annorum Adæ, & ab eo deſcendentium per Moſem facta *Geneſ.cap.5. & ſequentib.* iunctis his quæ tradidimus in §. *præcedenti ex numero* 25.

Cùm autem iſta aſſerimus, ſimul concedimus, ab Ægyptiis Græcos anni menſiumque rationem habuiſſe: quin & Solis, Lunæque & aliorum ſyderum motus didiciſſe, iuxta tradita ab *Strabone lib.vlt. Geographic. Ioſepho* diſertè *lib.1.antiquit.cap.6. Euſeb.libro* 10. *de præpar.Euang. Clem. Alexand.d. libro* 1. *Stromat. Diod. Siculo libr.1. Bibliotb.hiſtoricæ* (qui *Græcos ab Ægyptijs omnia cultiora ſcitamenta mutuatos* aſſerit, ob idque *Solonem & Draconem* leges demultas itidem ab Ægyptiis ſumpſiſſe.) Et poſt alios Neotericos notarunt *Natal.Comes lib.4.Mythol.in princ. Theod.Gaza in lib.de menſibus, in tit.* περὶ ἐνιαυτοῦ, *de anno:* & huc & illuc ſuper hiſce vagatus (ac alter *Lucian.de Aſtrolog.tom.1.*) demum quod attinet ad Aſtrologiam non negauit *Ioſephus Scalig.in prioribus Prolegomenis ad M. Manilij Aſtronomica*: & diſertiùs ratus eſt *in notis ad eius librum* 1. Etenim Ægyptij omnium maximè Aſtrorum ſcientiæ deditì fuerunt, quia regione illa (teſte *Platone in Epitome*) *ſtellæ ſemper omnes clarè cernuntur, & cæli adſpectum nubes & pluuiæ non impediunt*: iidemque notauit *Diodorus d.lib.1.*

Atopi-

6 At opinio *Herodoti* † (vt ad eum
reuertamur) dum Ægyptiorum an-
num 360. diebus constitisse ait, & 12.
mensibus tricenis æqualibus testatissi-
ma est, presertim *Gemino in Apparen-
tiis*, & clariùs eam asserit *Censorinus c.*
18. & subinde *Macrobius lib. 1. in Somn.
Scip.* dicens: *Ægyptij tricenum dierum
omnes menses habent; trecentorum sexa-
ginta quinque dierum annum habent:* no-
tat *Basil. Legionen. de Agno typi. capi-
te septimo. Vbbo Emnius rerum Chrono-
logicarum libro primo, titul. de mensi-
bus.*

Dum autem idem *Herodotus* qui-
nos dies quotannis additos asseuera-
uit, nulla quadrantis mentione facta,
claré supponit eius Ægyptios ratio-
nem implurimùm non habuisse: & ita
post multa deuia sensit *Scaliger de e-
mendat. temporum, lib. 3. tit. de anno Ae-
gyptiaco*, & *Pierius Valerian. in Hiero-
glyphic. lib. 39. Vbbo Emnius lib. 1. rerum
Chronologic. tit. de annis*, & nouissimè
*P. Pozain Elucid. libr. 1. in Isagoge ad
Chronolog. cap. 5.* Sed hos omnes latuit
huiusce rei apertissima assertio in *Ge-
mino*, qui à prætermissione quadran-
tis annui festa & sacra Ægyptiorum
per omnes anni tempestates aberrasse
notauit.

Dixi *implurimùm* Ægyptios qua-
drantis rationem non habuisse, vt
7 Ægyptios † Thebanos exciperem
cum *Scaligero* à *Diodori libr. priore*, v-
bi priscos Thebanos peculiari quo-
dammodo annos & menses compo-
suisse scribit, diésque non ad Lunæ,
sed ad Solis cursum disposuisse, & tri-
cenos cuique mensium adiudicasse,
& duodecim exactis mensibus quin-
que dies cum quadrante superaddi-
disse; & hac norma circulum an-
ni Solis cursui respondentem absol-
uisse.

Et ego addo *Strabonem* idipsum
asserentem *libr. vltim. Geograph. capit.
vltim.* qui mihi † explosis *Heresba-* 8
chio & *Causabono*, ita Latinè loquitur:
*Thebani Aegyptij Astronomiæ & Phi-
losophiæ dediti erant, maximè Sacerdo-
tes. Et horum quidem proprium fuit an-
ni dies non ad Lunam, sed ad Solis mo-
tum æquare duodecim æqualibus trice-
nis mensibus, quinque dein aliis diebus
ad finem anni cuiusque superadditis.
Cùm autem implemento totius anni ali-
quam insuper particulam accedere ne-
cesse esset, omnium dierum & annorum
particulis simul iunctis, spatium quod-
dam temporis conflabant, quod vnum
integrum vertentémque diem constitue-
bat.*

Sed & illo eodem anno 365. diebus
cum quadrante alterius constante, v-
sos fuisse Ægyptios Alexandrinos ego
elicio à † *Dione Cassio lib. 43.* ita di- 9
cente: *Alexandrinus vnusquisque men-
sis triginta diebus constat. Deinde in sin-
gulos annos quinque dies adduntur. Cæ-
sar verò & eos quinque dies, & duos in-
super alios, quos vni mensium detraxe-
rat, reliquis mensibus coaptauit: diem
quoque illam, quæ ex dierum quadranti-
bus efficitur, ad quartum quemque an-
num (tribus in medio annis omissis) ap-
posuit.* Idque clariùs indicant Græca
illa originalia *Dionis* (quadrantis ad-
iectionem afficienti) τὴν μὲν τὴν μίαν
τὴν ἐκ τῶν τεταρτημορίων συμπληρουμέ-
νην διὰ τεσσάρων καὶ αὐτὸς ἐτῶν ἐξήγα-
γεν, maximè expensa geminatione ar-
ticuli τὴν, denotantis quadrantem
tam in Alexandrino, quàm Iuliano
anno exacto quadriennio superaddi
solitum vniformiter, cùm tamen in-
tercalatio quinque dierum diuersi-
modè fiat in Iuliano, vt *Dio* prędixe-
rat. Cui addo *Theonem* insignem
Mathematicum, qui in suo com-
mentario εἰς τοὺς προχείρους κανόνας
ita disertissimè *Dioni Cassio* accinit,

& præfata de quadrante Alexandrino comprobat: ἑξῆς λαμβάνεται ὁ τὸ μὴν καὶ ἡμέρα καθ' Αἰγυπτίους τὸν δὲ πάλιν τὸν τρόπον ἐπείγομεν ὁ καθ' Ἑλλήνας, ἤτοι καθ' Ἀλεξανδρέας ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστὶ τξε' δ'. ὁ δὲ καθ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν τξε' μόνον. δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνεται ὁ καθ' Ἀλεξανδρέας, quæ ad sensum ita Latina facio: *Deinceps menses & dies hanc apud Ægyptios habent formam. Cùm enim apud Græcos & Alexandrinos simul annus sit (vt nobis clarè innotescit) 365. diebus & alterius quadrante constans, & Ægyptius communis annus 365. diebus tantùm integretur, inde manifestum fit quadriennio cuique exacto integrum naturalémque diem ex quadrantibus conflatam ab Alexandrinis adiici.* A quibus *Dionis* & *Theonis* nouè per nos expensis firmè comprobabis quæ in proposito P. Poza d. c. 5. sua tantùm auctoritate, nudáque assertione confirmat.

10 Annus ergo communis † & ciuilis Ægyptiacæ plagæ (Thebanis & Alexandrinis exceptis) 360. fuit dierum, additis insuper aliis quinque, quo tempore & normâ retulerunt *Herodotus, Dio, Geminus, Macrob.* & alij s. relati.

Et hic sanè ad anni Solaris Iulianíque veram computationem † redactus subinde fuit post Actiacam victoriam, vt notabimus *infr.* §. 5. *numero* 21.

11 Hæc de anno & mensibus Ægyptiorum dixisse sit satis; & simul demonstrasse apud eos annum communem ciuilémque 360. dierum, menses verò tricenarios fuisse, velut Hebræis, iuxta dicta in §. *præcedenti:* Græcísque & Romanis, ex dicendis in §§. *seqq.*

§. IV.

DE ANNO ET mensibus Græcorum.

SYNOPSIS.

1 *Apud Græcos annus Lunaris & Solaris in vsu fuit. Et n.* 30.
2 *Et communis* 360. *dierum, & tricenorum mensium.*
3 *Id probatur ex* Herodoto. *Et n.* 4. *ex* Hesiodo. *Et n.* 6. *ex* Plinio. *Et nu.* 7. *ex* Diogene Laërtio *in* Cleobulo: *& iterum & pleniùs in* Thalete. *Et n.* 8. *in* Solone. *Et n.* 9. *ex* Hippocrate *in diuersis locis. Et nu.* 10. *ab aliis variis* Aristot. *Et num.* 12. *à* Polluce, Plutarcho, *&* Galeno. *Et num.* 12. *à* Gemino, Theone *&* Scholiaste antiquo Aristophanis. *Et nu.* 13. *ab* Augustino *&* Epiph. Suida *&* Theod. Gaza. *Et nu.* 14. *à* Cardinali Caietano, Scaligero, Bonauent. Petauio *&* Heruillæo.
5 Bonauentura *notatur.*
15 *Menses triceni an Solares sint? disquiritur.*
16 Hippocrates, Aristoteles *& alij intelligendi sunt de annis communibus, & mensibus tricenis.*
17 Doctor Sancta-Cruz *diuersos menses à* Galeno *parturitionibus accommodandos supponens, improbatur.*
18 Rodolphus Magister *impugnatur.*
19 Hippocrates *in lib. de septimest. partu illustratur. Et numero* 20. *&* 22.
21 Albericus Gentilis *refellitur.*
23 *Causa Hippocraticæ computationis à* Bonauentura *refertur & improbatur. Et n.* 24. *alia adducitur.*
25 Hippocrates *mensibus communibus com-*

communiter fuit vsus.

26 *Causam cur* Hippocrat. *natos* 182. *dies appellauerit septimestres, aperitur.*

27 Solon, *qui trigesimam diem mensis vltimam & primam esse voluit, declaratur. Et n.*28.

29 *Græcanicorum mensium, maximè tricenorum progressus, aliáque traduntur.*

31 *Quomodo intelligendum quod dicitur, Græcos ad Lunam, Romanos ad Solem annum direxisse: & alia.*

32 Theodorus Gaza *Solem naturalem dominum anni & eius partium esse ait.*

33 Iosephus Scaliger *impugnatur.*

34 *Concludit* Auctor *à præcedentibus annos communes Solares Græcorum* 360. *dierum fuisse, menses verò* 12. *æquales tricenos.*

SI præfixo titulo exactam & respõdentem scriptionem aptaremus, vix fieret, vt ab ea (integrum exigente tractatum) explicaremur. At percurrétes illa quę nostri propositi sunt καὶ θήματος, & expromissum in fine §. *præcedentis* adimplentes. Primo loco annotamus, Græcis annum † Lunarem fuisse, vt ex Pythagora probat *Th. Lydiat. de var. annor. form. c.*12. & plerisque itidem Solarem vertentem 365. dierum cum ¼. vt innuit *Diog. Laert. in Thal.* expe.de.dus j. *nu.*7. Et mihi apertè probatur ex *Diod. lib.*1. vbi, ab annorum forma Thebanorum antiquitatem commendans, simul cum illustri scientia Solis & Lunæ & aliorum syderum, vsúque tricenorum 12. mensium, & 5. dierum cum quadrante intercalatione, subdit: ἐμβολίμους δὲ μῆνας οὐκ ἄγουσιν, οὐδ' ἡμέρας ὑφαιροῦσι, καθάπερ οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων, *Menses intercalares* Thebani *non habent, nec dies aliquot subducunt, id quod Græcorum plerisque in vsu est*: & ita sentit *Horat. Augen.* licèt ista non præuiderit, *lib.*1. *de homin. partu, c.*7. Nec dicat aliquis, *Diodorum* annum mensésque Iulianos in hisce attendisse, cùm rem antiquiorem Thebanis, Gręcísque pariter vsitatam descripserit: qui si annorum & mensium sui temporis rationẽ iniret, non *plerosque*, sed *omnes*, aut ferè vniuersos Gręcos annis illis & mẽsibus (præfatis Thebanorum consimilibus) vsos affirmaret. Demùm Gręcis in vsu fuit annus Solaris communis 360. diebus tantùm constans. Et quidẽ hos annos à mensibus communibus tricenariis, adiectis subinde aliquibus appendicibus, & insuper à Lunaribus medio mense embolimo, integrabant, & tempestatibus æquabant, vt colligitur ex *Hesiodo*, qui *lib.*1. *oper. rustic.* mensem Lęneonem (qui postea apud *Plutarchum* Bœotis dictus est) circa brumę Solstitium semper contigisse supponit, quod nisi adhibita dierum intercalatione tempora perequante fieri non potuisset: & probatur apertiùs ab *Herodoto, Censorino*, & aliis inferiùs referendis.

Sed inter alia constitutissimum est (vt prædiximus) annum † communem 2
& ciuilem Græcorum 360. diebus, duodecimque mensibus æqualibus tricenis constare: quemadmodum apud Ægyptios, à quibus ista sumpserunt (vt iam ex *Strabone* & aliis annotauimus in §. *præced.*) quod clarè probatur ex *Herodoto* † antiquissimo Hi- 3
storię parente in verbis expensis in *d.* §. *præced.* & iterum, disertiúsque *libr.* I. siue *in Clio*, ita aiente: *Proponamus homini terminum vitæ ad septuaginta annos, qui anni constant ex vigintiquinque millibus ac ducentis diebus, mense intercalari non posito: quòd si velis alternos istorum annorum addito mense prolixiores fieri, vt tempora opportunè incidentia congruant, menses quidem intercalares per annos septua-*

ginta quinque, dies autem ex his mensib. mille & quinquaginta horum dierum omnium, qui sunt in septuaginta annos numero viginti sex millia ducenti quinquaginta, nullus prorsus qualem alius rem adfert.

Quòd autem his verbis *Herodotus* annum Solarem designare noluerit constantem 365. diebus cum quadrante, vel ex eo euidens fit, quòd 70. anni ducti per 365 & ¼. efficiunt 25ʒ641. dies cum aliquibus horis, qui sanè numerus, conflatum illum ab *Herodoto* 25ʒ200. dierum, 441. diebus excedit. Sed nec prędictum numerum 25ʒ200. dierum aptaberis anno Lunari, qui 354. diebus ferè perficitur: nam multiplicatis 354. diebus per 70. annos integrantur 24ʒ780. dies, desúntque 420. à prędictis 25ʒ200. *Hesiodi*. At si ducas 70. annos per 360. planè efficies prædictos 25ʒ200. dies: vt inde quàm euidentissimè constet, *Herodotum* vt certum supposuisse annum communem Græcorum 360. dierum, mensem verò fuisse tricenarium.

Idque ipsum antea innuerat *Hesio-*
4 *dus* † Homero 400. annis antiquior, si credimus *Herodoto in Euterpe, cap. 63.* vel saltem coætaneus in *A. Gel. lib. 3 c. 11.* vel paulò pòst vigens, *Genebr.* ab aliis, *lib. 1. Chron.*) vt disertè elicit *Bonauent. li. 7. de octom. par. c. 54.* ab illo antiquissimi istius Poëtæ versu:

Πεφραδέμεν δμώεσσι τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην

Præcipe seruis trigesimam mensis optimam:

Vbi ἀρίστην *optimam* appellat Hesiodus *trigesimam* diem mensem implentem & perficientem. Quod autem *Bonauent.* s. subdit de ἔνη καὶ νέα alia res est ad Solonem referenda. Nec enim voces istæ idem denotant, vt magno ductus errore † putauit iste, & facilè
5 quiuis colliget à dicendis *numer. 27. & seqq.*

Adhæc huius Gręcanici anni insigne extat testimonium in † *Plinij lib.* 6
34. nat. hist. c. 6. vbi de Demetrio Phalereo ita scribit: *Nullique, arbitror, plures statuas dicatas, quam Phalereo Demetrio Athenis: siquidem 360. statuere, nondum anno hunc dierum numerum excedente. Quas mox lacerauerunt:* Quibus adde ex sententia *Scaligeri lib. 1. emend. Varronem in Nomo* ista egregiè elucidantem, dum ait Demetrium tot statuas adeptum, quot luces habet annus absolutus.

Istam insuper anni communis Solaris Gręcorum computationem mirè comprobat illud *Cleobuli* † (qui vnus 7
fuit septem Sapientum) ænigma à *Diogene Laertio* relatum in eius vita:

Εἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δυώδεκα, τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι,
αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι,
ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Est genitor proles cui sit bissena, sed horum
Cuius triginta natæ, sed dispari forma:
Hæ niueis totæ, fuscis sed vultib. illæ;
Atque immortales cùm sint, moriuntur ad vnam.

Addit *Diogenes*, annũ hisce designari, quem Cleobulus appellauit parentem duodecim filiorũ, i. mensiũ, quibus singulis triginta sunt natę diuersicolores, i. dies naturales, seu ciuiles die & luce, noctéque & tenebris constantes.

Sed præ cæteris tricenarij mensis Græcanici antiquissimũ vsum quàm euidentissimè demonstrat idem *Diog. Laert. in Thalete*, de quo cùm dixisset, omnium primum Solis cursum à conuersione in conuersionem repetisse, subdit hęc: *Primus etiam mensis vltimã* τριακάδα, *hoc est, trigesimã, appellauit:* quo nihil clarius dici potuit in comproba-

probationem tricenorum æqualiúmque mensium à Thalete obseruatorū: quem credere par est aliquo destinato tempore quinque dies superstites cum interseri iussisse 360. diebus conflatis ex 12. illis mensibus æqualibus, ad implendum Solis vertentis integrum cursum.

At prædictam Thaletis mensium constitutionem, Solon eius ferè coætaneus (vt patet ex epistola Thaletis ad eum in *Diogene*) correxit ex causa assignata à *Plutarcho* j. *nu.* 7. Etenim (vt ait *Diogen. in eius vita*) ἠξίωσε τ' Ἀθηναίοις τὰς ἡμέρας κτ̀ σελήνην ἄγειν. *Monuit Athenienses, vt dies secundùm Lunam agerent.* Quòd clarè supponit † ante Solonis legem menses alterius fuisse formæ, id est tricenarios æquales, ac eos inuenimus in *Hesiodo* & *Thalete* iam expensis. Et huc certè respiciunt quotquot à lege Solonis in mensium constitutione, aut dimensione designanda vsi sunt phrasi illa *Diogenis* κτ̀ σελήνην, *iuxta Lunam*, maximè antiquior *Thucidides* relatus ab *Scalig. li.* 5. qui Atheniensis fuit, & legi Solonis vicinior. Non tamen probo *Lydiati* sententiam d. *c.* 12. supponentis, à Solonis temporibus omnibus Græcis menses ad Lunæ cursum redactos: hoc enim longè aliter sese habuit, vt videbimus j. *n.* 29.

Subinde anni communis Græcorum prædicta computatio apertissimè comprobatur ex scriptis *Hippocratis* & *Aristotelis*, aliorúmque j. referendorum.

9 ¶ Et insigniora sanè inter alia *Hippocratis* † loca veritatem istam præ se ferētia, aptiotáque sunt in *lib. de principiis*; vbi septimestrem partum tres habere decades hebdomadum ait, septuaginta id est diebus constantes, quę 210. dies conficiunt. Si ergo septimestris partus 210. dierum est, mensis quilibet 30. erit dierum; septies enim triginta prædictum 210. dierum numerum componunt, vt optimè arguit & infert *Horatius Angen. de homin. partu, lib.* 1. *cap.* 7. Præterea in *eod. lib.* id ipsum denotauit *Hippocrat.* verbis quibusdam obscuris à *Bonauentura* subtiliter explicatis & emendatis *libr.* 7. *de octomest. partu, cap.* 70. Et demùm id clariùs expressit dicto *lib. de principiis, ad finem*, vbi partum 280. dierum nouem mensium esse ait, & decem insuper dierum, quod mensibus tantùm tricenis conuenit: ait enim, *Nouem verò mensium & decem dierum partus fit, & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum: quatuor enim denarij hebdomadum dies sunt ducenti & octoginta: in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incurrunt.*

Secundò, idem *Hippocrates lib.* 2. *Epidem. sect.* 3. nouem Gręcanicos menses 270. diebus cōstare ait, verbis quidem illis disertis: *Et ad septuaginta ac ducentos dies Græci menses fiunt scilicet nouem.*

Tertiò, in *libro de septimestri partu* sexto quadragenario octauum mensem terminari ait, quod clarè supponit in quoque mense tricenam dierum quantitatem.

Quartò, is ipse *Hippocrates* varia partus tempora dinumerans in *libro de alimentis* pro septem mensibus dies 210. posuit, pro octo 240. assignauit: decem demùm mensibus dies 300. accommodauit.

Quintò, eodem loci dies tres partem decimi mensis esse scribit, dicens: *Tres verò dies pars mensis decima sunt*, quòd nisi menses tricenarios facias, sustineri nec vllo modo posset: & hoc insuper ipsum apertè confirmatur ab aliis eiusdem *Hippocratis* notatis j. *n.* 25.

Prædicta etiam clarè comprobabis ex *Aristotele* †, variis in locis idem 10

asserente. Primò in *lib.6.de histor.animal.c.20.* hoc euidenter expressit dicens : *Gerunt Laconicæ vterum parte sexta anni, hoc est sexaginta diebus, aut vno vel altero, plus minúsve :* & mox: *Sunt quæ parte quinta anni vterum ferant, hoc est duobus & septuaginta diebus, quarum catelli duodecim diebus luce carent : nonnullæ quarta parte anni, hoc est tribus mensibus ferunt.*

Quòd si dicas, verba illa *Aristotelis, Plus minusve* denotare 60. diebus duos menses perfectè & absolutè non integrari (idémque dicendum de cæteris mensibus ab *Aristot.* relatis d.c.20. iuxta regulam *tex.*in *l.Publia 26.§.fi.ff.depositi. Menoch.de arbitrar.casu* 155.ex *num.*4.) Respond. hanc considerationem, siue euasionem nullius esse momenti: nam verba illa : *Plus minusve,* non appellant, vt aiunt Logici, super designatione quotæ partis mensium (quos 30. diebus tantùm, non plus minúsve constare iam clarè designauerat *Philosophus)* sed super tempore partus canum Laconicarum, & aliarum; ac si dixisset, eas duobus mensibus integris & perfectis (60. diebus constantibus) plus minúsve vterum gerere, id est 59. aut 61. diebus: id quod euidentiùs patebit attendenti originale Græcum, καν ἄρα μιᾷ ἢ δυσὶν ἢ τρισὶ πλείονας ἡμέρας καὶ ἐλάττους μιᾷ, id est, *Vno, duobus, tribusve plus diebus, aut vno minus,* prędictorum scilicet dierum sexaginta.

Secundò prædicta probantur ab eodem *Arist.lib.7. eiusdem histor.cap.3.* vbi cùm plura de articulatione disseruisset, tribus mensibus dies 90. tribuit.

Tertiò id expressiùs edixerat *lib.2. dict.histor.animal.c.17.* ait enim : *Costæ totidem quot dies mensem integrum complent, singulis enim tricenæ.*

Istis subiunge nostræ sententiæ di-
11 sertiorem † fautorem *Iulium Pollu-cem* (qui Athenis docuit sub Commodo) is enim *lib.1.Onomast.capite 7.* annum 12. mensium tempus esse, & Solis resolutione, seu circuitu perfici edocuit his verbis : ἐνιαυτὸς, ἔτος δωδεκάμηνος χρόνος, ἡλίου περίοδος. Et vltra progressus *eod.cap.* agens de diuisione vniuscuiusque mensis inter alia ait: *Nouem dies mensis superesse post vicesimam primam :* & sic similiter à prima vsque ad tricesimam & mox, *Diuidenti, inquit, mensem in tres partes, tertia cius pars* δεχήμερον *dicitur.* Quæ omnia planè plenéque concludunt. Græcis ferè in vniuersum menses tricenos fuisse, & diem vltimam (quam Attici ἕνην καὶ νέαν vocant, vt diximus *suprà* ex *numer.*4. & notabimus *infra à numer.27.*) *tricesimam* ab iisdem appellari.

Præterea nostris adstipulatur *Plu-
tarch.in Alexand.* & *in Camil.* expensus ab *Scaligero.*

Nec minus *Galen.libr.1.de morb.populari*bus ita edisserens : *Cæterùm non sunt pro ratione Lunæ menses subducendi, quod multis Græciæ ciuitatibus est solemne:* & mox aliis diuersis illius libri 1. locis. Quòd si liber *Galeni de annuo tempore* extaret (cuius & ipse meminit *lib.3.prædict.* & passim *in li.de mort. vagant.)* hoc certè nobis apertiùs constaret, ac innuunt eius verba proximè expensa. Fateor *Galenum in comment.de septimest.partu,* & *lib.2.de diebus decret.cap.2.* & alibi parturitiones humanas mensibus Lunaribus 29. dierum & dimidij dimensum fuisse: at hoc nihil nobis obstat, imò clarè prædicta comprobat, istúmque ἀρχιατρὸν ad imitationem *Hippocratis* communis Magistri) nunc mensibus Lu-
naribus, nunc Solaribus communi-
bus, prout sese res offerebat, aut exigebat, vsum : etsi semper frequentior fuerit supputatio per menses tricenos Sola-

Solares facta, qua sola cæteri ferè deinceps fuerunt vsi, vt notat *Peramatus de hominis procreatione, c.*43.

12 Prædictis adde melioris adhuc æui subsequentes auctores, primùm *Geminum*, † qui in *Apparentiis* Ægyptiorum & priscorum omnium Græcorũ ante Solonem menses concinentes designans, ita ait de antiquis illis Græcis: οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον, τοὺς δ' ἐμβολίμους παρ' ἐνιαυτόν, *Veteres Græci menses tricenarios agebant, & simul dies intercalares, vt annum Solis cursui coæquarent*: & idem alibi *eod. lib.* ita disertiùs ait: τὸν μὲν μῆνα λέγομεν εἶναι ἡμερῶν λ' τὸν δ' ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τξε' δ'. *Mensem triginta dierum cursum dicimus, & annum 365 cum quadrante.* Deinde *Theon* relatus & expensus in §. *præced. nu.*9. hæc nostra adstruit, dum Græcorum & Alexandrinorum Ægyptiorum annos consimiles facit. Sed & *Scholiastes* antiquus *Aristophanis* Græcis omnibus (Atheniensibus exceptis legem Solonis obseruantibus) menses tricenos fuisse clare demonstrat in verbis referendis *num.*29.

13 Nostris itidem accinunt insignes Ecclesiæ Doctores *Augustin.*† *& Epiphan.* ille *libr.*4. *de Trinitate, c.*4. *& lib.*15. *de ciuit. Dei, c.*14. iunctis ab eo traditis *lib.*12. *ca.*10. vbi tricenorum mensiũ apud veteres vsum confirmat (quidquid aliàs de Lunæ cursus spatio supposuerit) iste *lib.*3. *hæresi* 51. vbi menses Græcanicos communes & Athenienses Romanis consimiles facit. Et subinde clariùs denotauit *Suidas* in voce ἀφόνηται.

Et demùm pro mensibus istis tricenis annóque communi Græcorum stant plures Neoterici ista tractantes, maximè *Theod. Gaza in libr. de mensibus, tit.* Περὶ ἑρμηνείας τῶν μηνῶν, siue *de mensium interpretatione* (vbi menses istos tricenarios πλήρεις appellat, id est plenos, ad differentiam mensis tricenarij Solonis, in quo, vt prædiximus, tricesima dies ἕνη καὶ νέα appellabatur, ex causa *inferiùs numer.*28. assignanda) Cardinalis† *Caietanus* (vir sanè eruditionis eximiæ) in verbis per nos expensis *suprà in* §.2. *Bonauentura* variis capitibus dict. *lib.*7. *Scalig.* latè *lib.*1. *de emendat. temporum. Marsil. Cagnat. lib.*4. *variarum obseruationum, capit.*4. & nouissimi *Dionysius Petauinus in notis ad hæres.* 51. *Epiphanij*, & *Henricus Haruillæus in Isagog. Chronolog. difficult.*10. *in princip. versf. Porrò.* 14

Vbi annum & menses istos non *Lunares*, sed *Solares* † vocitandos ab aliis elicit: nos autem strictè rem tractantes diiudicamus nec Solares, nec Lunares esse, sed *ciuiles* & artificiales, iuxta notata *suprà hoc cap.* §. 1. *num.*9. quamuis communem eloquutionem sequuti *Solarium* nomine eos interdum insigniuerimus, & Solaribus semper adcensendos existimamus, vt quibus propiùs accedunt. 15

A dictis ergo quàm euidentissimum fit, *Hippocratem* & *Aristotelem*, † aliosque Græcos Medicos & Philosophos (quorum scriptis anni & mensium ratio & mentio est) quod attinet ad causam grauidationis & humani partus communiter intelligendos esse de anno isto communi 360. dierũ, mensibusque tricenis & æqualibus, vt post *Bonauenturam suprà*, & alios nouè annotauit *Andreas Laurentius de historia anatomica libr.*8. *cap.*9. A quibus (vt hæc obiter dicam) venit refellendus † *Doctor Sancta-Cruz*, qui *super text.* 71. *in libr. de Hippocrat. Philosoph.* ex præceptore *Galeno* putauit, menses Lunares accommodandos decimestri partui, Solares nonomestri, vt inde in idem recidant: quod sanè longè deuiat à vera sententia *Hippocratis*, *Aristotelis* & aliorum *suprà* relatorum. Velut consimilis concilia- 16 17

tio à *Rodolpho Magistro* † tradita *in libello de limitib. partus humani, sect. 2. c. 8.*

Sed dictis grauiter obstare videtur
19 ille ipse *Hippocrates* † in prioribus
verbis *libr. de septimestri partu*, dicens:
*Porrò septimestres fiunt ex diebus 182.
& parte quæ superest : si enim ex primo
mense quindecim dies computaueris,
quinque verò mensium dies 247.
cum dimidio (siquidem vnde sexaginta
diebus proximè duo menses integrantur)
his inquam sic numeratis ad septimum
mensem constituendum supersunt
dies plures quàm viginti, cùm adhuc diei
pars parti quotæ additæ adiungenda relinquatur.
At hæc summa dimidium
annum conficit.* Quæ difficillima verba
adeò quorumdam Medicorum ingenia
torserunt, vt existimauerint, librum
de septimestri partu non fuisse
Hippocratis : quod sanè contrariatur
Galeni sententiæ eum commentantis,
& Iurisconsultorum *Pauli* & *Vlpiani*
assertionibus (eo tempore emissis, quo
Romæ & Athenis litteræ adhuc florebant)
in *l. septimo mense, ff. de statu hominum*, & in *l. intestato. §. fi. ff. de suis &
legitim. hæred.*

Nec prædictæ difficultati (verbis illis
præcipuè consistenti: *Si enim ex primo
mense quindecim dies computaueris,
&c.*) plenè occurrit *Galenus in commentar. ad*
dictum *librum de septimestr.
partu.* id tantùm concludens quinque
menses integros, & duorum maiorem
partem 182. diebus & decimi quinti
horis constare. Quis enim hoc negauit
in Lunaribus, de quibus *Galenus*
ibi post *Hippocratem* loquitur, quando
& in tricenis hæc eadem propositio
vera est?

Nec feliciùs eam dissoluit *Andreas*
20 *Laurentius* † *libro octauo de historia anatomica
capite nono*, si consideraueris,
Hippocratem per quàm manifestè in
computatione dicto *lib. de septimestri.*
partu facta mensibus Lunaribus vsum:
ait enim, quinque menses cētum quadraginta
quinque diebus & dimidio
constare, quæ sanè summa quinque
menses Lunares, 29. & 30. dierum
alternorum, vel 29. cum dimidio
facit.

Et hac sanè motus causa † vt hęc no- 21
stra non omittam) *Alberic. Gentil.* sectarius
*in libello de diuersis temporum
appellationibus, capite quarto*, magna
audacia & fiducia (vt isti assolent) Medicos
& Iurisconsultos intelligendos
ait de mēsibus Lunaribus: & *Cuiacium*
reprehendit, qui in *notis ad Iulium
Paulum libro quarto, Sentent. tit. 9.* menses
(de quibus *Paulus* ibi, & in d. *l. septimo
mense, ff. de statu hominum*, & *Vlpianus*
in d. *l. intestato. §. fin. ff. de suis &
legitim. hæredib.*) triginta dierum esse
dixit: quod quàm falsum sit in *sequenti*
§. clariùs apparebit.

Sed age num, & *Hippocratis* verum
illorum verborum sensum: *Si enim ex
primo mense, &c.* à multiloquio *Bonauenturæ*
in dict. *libro septimo, capite decimo, & sequentib.* vindica, qui in summa
Hippocratem de mensibus Lunaribus
loquutum securè & verè ratus
† est: & simul septimestres (qui in
plurimum circa plenilunium concipiuntur)
maiorem inde illius mensis
& septimi partem insumere disertè asserit;
etiam si media anni parte tantùm,
id est 182. diebus & 15. horis editi
fuerint.

Et sanè ab his ipsis planè colliges, 22
valde aberrasse eundem † *Bonauenturam*,
dum dicto *libro septimo, cap. 12.* ita
ait: *Hinc verò causa elucet, cur ciuilem
Lunarem mensem hoc loco ipse recipiat,
qui minor est quàm mensis tricenarius,
id enim facit, tum quia huiusmodi mensis
in vsu erat apud Græcos, tum maximè,
quia hac recepta mēsis quātitate plures
dies de primo, & septimo veniunt in*
cem-

computationem dimidij anni ratione: si enim menses tricenarios accepisset, non ampliùs quàm sexdecim dies de primo & septimo sumere potuisset; qui etsi satis fuissent ad septimestrem constituendum, cùm maiorem illorum partem contineant, id tamen non adeò clarè probare videbantur. Sed horum verborum prima ratio nil concludit, cùm *Hippocrates* ferè semper vsus fuerit mensibus tricenis vt clarè comprobant diuersa eius loca per nos *suprà* expensa. At secunda inanis est: quid enim certius & constantius dici, aut excogitari potuit, quàm 16. dies primi mensis cum 150. quidque sequentiũ, & 16. septimi mensis 182. dies integrare: & simul prædictos 16. dies maiorem primi septimíque mensis partem insumere?

24 Vnde tu dic, † ex quo *Hippocrates* plenilunij ratione, vt prædiximus, habita tempus illud 182. dierum & 15. horarum (septimestribus sufficiens) dimensus fuit, & consequenter vsus est dinumeratione à decima quinta die mensis incipiente & continente maiorem mensis Lunaris partem, eum inde coactum fuisse Lunarium mensium sequi rationem: velut in *libro de octimestri partu prope finem*, vbi à ratione mẽsium Lunarium editum 280. die vndecimum mensem attingere ait, ex dicendis & enodandis latiùs in *cap. seq.* Et iisdem sanè motus causis (vt hæc obiter dicam) *Cicero libro secundo de natura Deorum* mensium Lunarium in parturitionibus (Lunæ cursibus maturescentibus) meminit.

25 Cùm autem præfata cessabant, † *Hippocratem* communium mensium tricenorum computatione vsum ex præcitatis eius verbis non ineptè elici puto consideranti duo cum *Bonauentura supra capite decimo tertio*, quorum primum est, sapientissimum istum Senem velut stylo insolito aut nouo Lunarium mensium rationem iniisse: ait enim: *Si pro quinque mensibus computaueris dies* 147. non certè inquit ita semper computationem ineundam esse, *sed si computaueris*, id est mensibus Lunaribus vsus fueris. Secundo loco valde notandum est in iisdemmet verbis tricenorum mensium meminisse, quando ex 60. diebus vno deficiente quam proximè duos perfici menses asseuerauit, dicens: ἢν γὰρ ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρας (subaudi verbum λογίσῃ præcedens & influens) ἐγγυτάτω οἱ δύω μῆνες ἐκτελεῶνται. Adde in iisdem verbis *supr.* expensis *Hippocratem* dimidium anni ex 182. diebus & horis 15. conflari asseruisse, quod ad annum tantùm Solarem referri potest, vt notat *Augen. de homin. part. libro primo, capite septimo.* Sed & paulò inferiùs in eod. *libr. de septimest. par.* sextum quadragenarium (quod 240. diebus constat) octauum mensem terminare ait *Hippocrates*, quod tricenariis mensibus tantùm aptari potest, vt notauimus *supr. numero nono*, quandoquidem 30. dies ducti per 40. efficiunt dicto. ducentesimos quadragesimos sexti quadragenarij.

Quid autem in causa † fuerit, cur tam anxio multiloquio *Hippocrat.* septimestres appellauerit natos 182. die cum 15. horis latè aperuit *Bonauent. supr. dict. capite decimo quarto.* Nobis autem sat sit ab ipso velut per indicem demonstrasse verum sensum illorum verborum *Hippocratis* & simul euicisse *eum* ferè semper intelligendũ de mensibus tricenis. Déque Lunaribus eò loci loquutum ob specialem causam *sup.* expensam. 26

Sub hæc à Nouatoribus quibusdam, & impugnatoribus communis vsus mensis tricenarij apud Græcos expendi solet † illud *Plutarchi in Solone: His igitur peractis, cùm animaduertisset* 27

Solon disproportionem mensium, & commutationem, varietatémque Lunæ, quæ neque in Occasu, neque in Ortu cum Sole conueniret, sed eadem plerúmque die & assequeretur Solem, & præteriret eum, statuit tricesimam & vltimam appellari: eiúsque partem ante congressum Lunæ cũ Sole, finito mensi, & quæ superesset, venienti atque instanti mensi deberi arbitratus est. Quò tendunt & illa *Diogen. Laertij lib.1.in Solone*, expensa *supr. numer.*7. à quibus & aliis consimilibus *lex Solonis* 30. apud *Prateium* ἕνην καὶ νέαν καλεῖσθαι.

Sed hæc omnia nostram potiùs sententiam obfirmant, vt euicimus *suprà num.*8. Et ibi dictis nunc adde, mensem ex lege *Solonis*, Atheniensibus indita, innouatum deinceps illis in vsu fuisse quo ad vsurarum præstationes & terminos iudiciorum aliáque ciuilia, vti facilè quisque colliget ex *Aristophane* in Νεφέλαις *actu* 4. *sce.* 1. Qui eodem *actu sce.*4. hanc nouam *Solonis* sanctionem facetè irrisit, & ab ea enatam iudicum auaritiam notauit.

28 Adhuc autem & post † legem *Solonis* mensis vltima dies *tricesima* appellabatur ex *Plutarch.* & *Aristoph. sup. d. sce.*1. & eius *Interprete* antiquo ibi dicente: οὕτω γὰρ Ἀθηναῖοι ἠρίθμουν, οὐ προςτιθέντες, ἀλλ' ἀφαιροῦντες, καὶ ἀναλύοντες μέχρι τριακάδος. Licèt enim diminutus esset à *Solone* dies ille tricesimus cùm idem vltimus esset mensis exacti, & primus simul insequentis, vt denotant illa ἕνη καὶ νέα (quæ pro eodem malè vsurpabat *Bonauent.* relatus & explosus *supr. num.*5.) clarè tamen ab hisdem demonstratur τριακοστὴν *trigesimam diem* ἕνην τε καὶ νέαν dici, ex ratione Scholiastis *Aristophan.* vbi proximè ἐπεὶ μετέχει τῆς τε παλαιᾶς καὶ τῆς νέας φωτὸς, id est, *quia ab antiqua & noua Luna componitur*: id quod mirè comprobat *Marcus Varro de re rustic.* c.37. dicens: *Dies Lunares quoque obseruandi: qui quodammodo bipartiti, quòd à noua Luna crescit ad plenam, & inde rursus ad nouam Lunam decrescit, quòd veniat ad intermenstruum; è quo die dicitur Luna esse extrema & prima; à quo eum diem Athenis appellant* ἕνην καὶ νέαν τριακάδα. Et *Theodor.Gaz.* (ad prædicta loca *Aristophanis* & eius *Interpretis* respiciens) in *lib.de mensib.tit.* πῶς ἀριθμητέον τὰς τοῦ μηνὸς ἡμέρας. A quibus (vt hæc obiter dicam) intelligenda veniunt illa *Platon.in Cratylo.* Νέον δέ πως καὶ ἕνον ἀεὶ ἐστὶ περὶ τὴν σελήνην τοῦτο τὸ φῶς, *nouum antiquúmque simul lumen semper inuenitur in Luna.* Et ab iisdem facilè excludes quæ circa interpretationem dictorum verborum ἕνη καὶ νέα nouè comminiscitur *Haruil. in Isagoge Chronol.lib.*1.*artic.*10.*diffic.*9.*ad finem.*

Vt autem præfata Solonis cum tota † simul Græcanici anni historica serie deinceps penitius percipiantur sequétia ab Auctoribus iam relatis resuméda & constituenda duco. Primùm antiquissimos omnium gentium (exceptis Iudæis) varios à syderum naturalibus cursibus annos obseruasse, vt inde tot illis anni potuerint esse, quot sunt syderum periodi, vt diximus in §.1. Cúmque Solis & Lunæ cursus omniũ maximè attenderent, inde ab horum duorum præcipuorum syderum reuolutione annos suos. i. temporum dimensiones præcipuè constituisse par est credere: idémque in causa fuisse anno Ægyptiorum vnius tantùm mẽsis in *Scalig.lib.*1.*emend.* & in nostris *sup.* dict.§. 1. & 3. vti prædicta percurrens notat *Haruill.libr.*1.*Isag.Chron.difficult.*10.*in princip.* sed & annum Solis Ægyptios omnium primos iisdem illis temporibus obseruasse argumento velut euidenti sunt, quæ de anno 360. dierum & 12. mensibus tricenis edocuit *Herodotus* 29

dotus

dotus lib.1.& 2.relatus supr.nu.3.

Secundò constituo, primos Græcos in anni & mensium ὥραις, & temporibus designandis nutabundos valde fuisse, eisque omnium priorem Thaletem (ab Ægyptiis fortèan edoctum, iuxta notata in §. præced.) anni periodum demonstrasse & præfiniisse, & menses 12. tricenos æquales ei aptasse, vt ex Diogene in eius vita iam sup. relato num. 7. videtur colligi. Nimanis anni Solaris communis 360. dierum constitutioni eos deseruisse, quod verius puto ex Herodoto relato sup. nu.3. à quo planè colligo priscis Gręcis menses istos tricenos ciuiles & communiores fuisse.

Tertiò animaduertendum duco, prędictos menses tricenos æquales communes Solis & Lunæ cursibus per quam proximos Solonem, dum Athenis ageret, à Lunæ cursu deuios inuenisse: & Lunam itidem non semper cum Sole concurrere, quinimò eadem sæpè die Solem assequi cúmque præterire: qua de causa (disertis verbis expressa à Plutarcho relato sup. num.27.) idem Solon Atheniensium Archon mensium κατὰ σελήνην, i. Lunæ cursui adaptatorum ciuilem vsum hisdem suasit, vt clarè indicant illa Diogenis in eius vita expensa sup. numero vigesimo septimo, quæ simul præ se ferunt, Solonem (quod miror nullum eorum, quos viderim, annotasse) nil noui ex voluntate in anno Solari Thaletis constituisse, quin potius ipsum, & alios deinceps menses illos Lunares eidem coæquare mediis intercalationibus (de quibus illicò agemus) conatos fuisse: & quidem incassum, cùm nec mensis Lunaris exacta dimensio sit à Solone excogitata, & quædam adhuc quoquam mense post 29. dies & ½. scrupula horæ supersint à Mathematicis etiam antiquis obseruata.

Quartò, his vnum valdè notandum, & maximè huius propositi subiicio, Græcis omnibus (omnes dico, vt Athenienses simul comprehendam) & post legem Solonis annum 360. dierum adhuc commũnem popularem fuisse, vt clarè probatur ex Diogene in Cleobulo, & à Plinio libr.34.c.6. relatis supr. num. 6.& 7. si ibi contenta iterum expenderis & simul annotaueris Cleobulum & Demetrium Athenienses, & Solone posteriores fuisse.

Quintò noto, temporibus Thaletis simúlque insequentibus omnes Græcos (Atheniensibus exceptis) duodecim mẽses tricenarios Solis cursui variis modis, media intercalatione adæquare curasse, indéque in magnos prolapsos errores: nam vt apertè supponit Herodot. lib. priore relatus supr. numero tertio, alternis annis. i. biennio exacto, mensis tricenus solidus aliquando fuit intersertus, vt inde annus communis 360. dierum à duodenis mensibus tricenis conflatus ipso Herodoto teste ad 375. dies, cum 15. dimidij mensis addititij, ascenderet (quidquid dixerit Lydiat. de var. annorum form. ca. duodecimo, vbi putat illum ex abundanti, vel suppositiè loquutum) etenim Herodotus Græcos hac intercalatione ad æquandas tempestates vsos fuisse expresè asserit, & eodem loci: Ab his, in conficta Solonis persona (dum Lydię apud Cressum Regem degeret) ab Herodoto enarratis, is ipse libr. seq. ad aliam Græcorum descendit intercalationem, quam tertio quoque anno fieri dixit in verbis per nos expensis in præcedenti §. numero quarto, id est, exacto triennio vt clarè indicant illa Græca, διὰ τρίτου ἔτους: etenim propositio illa διὰ regẽs genitiuum casum rem transactam & exactam denotat, vt διὰ χρόνου, post multum temporis, διὰ πέντε ἐτῶν post quinque annos, & sic διὰ τρίτου ἔτους transactum triennium demonstrat. Vt inde valde aberrauerint qui eandem

vtrobique intercalationem (alternis ſcilicet annis accommodatam) ab *Herodoto* deſignari rati fuerunt: etenim ſecunda διὰ τρίτου ἔτους ad reformationem primæ biennalis indubiè facta fuit: quę cùm certa & apta verè nō fuerit, ab anno tamen curſu minùs certè aberrauit. At intercalationes iſtas *Herodoti* temporibus vigentes eum ſubſequuti Græci immutarunt, & meliore Ægyptiorum quinque appēdices dies in fine cuiuſque anni adiiciente (annotata in §. *præcedenti* & ab *Herodoto* laudata dict. *libro ſecundo*, ſeu *in Euterpe*) ipſos impoſterum vſos, imò & exactiore Alexandrinorum quinque dierum cum quadrāte, clarè percipies à *Diodoro Biblioth. hiſtor. libr. priore* relato *ſupr. numero primo*, cuius generalia verba ibi expenſa Solarium & Lunarium mēſium intercalationem plànè reſpiciunt.

Quod verò ad menſes Lunares attinet eos Solonem Athenienſibus anno peræquare contendiſſe par eſt credere: & inde iſti, & ſi qui alij fuere, qui mēſes Lunares ciuiles habuerint (deſignati à *Cenſorini* verbis illis *capite decimo octauo. Veteres in Græcia ciuitates*) Trieteride prius (quæ re vera Diëteris) poſtea Tetraëteride, & ſubinde maximéque Octaëteride, ſeu Enneateride vſi ſunt in menſium duodecim Lunarium prædictorum cum Solis curſu peræquationibus teſte *Cenſorino ſupr.* & itidem *Gemino* conſimilium ferè intercalationum enarratore cùm *Diodoro* d. *lib.* 1.

Ab his facilè dignoſces magnos *Scaligeri* & cæterorum lapſus, qui menſium Lunarium vnicam & firmam intercalationem omnibus Græcis eodem tempore vſitatam ſui poſuerunt, in quo dupliciter ſanè aberrarunt. Primò, dum intercalationes aliquot diuerſis temporibus admiſſas, voluerunt fixas fuiſſe contra *Cenſorinum*: à quo tantas támque varias percipere potuerunt: & ſola Octaëteride Græcos diu perſtitiſſe. Secundò, dum vniuerſæ Græciæ vnam & eandem cauſam faciunt, quandoquidem apud ſolos Athenienſes inuenimus menſes Lunares ex *Solone* ciuiles fuiſſe, quo tempore cæteris Græcis triceni in vſu erāt, vt clarè percipitur ex *Gemino*, *Theone* & aliis iam expenſis *ſupra numero vndecimo & duodecimo*, & omnium diſertius Auctor ignotus argumenti *orationis Demoſthenianæ aduerſus Androtionem* expreſſit dicens: ἰστέον ὅτι οὐκ ἐψήφιζον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς μῆνας κατὰ τὸν ἡλίακον δρόμον, ὡς ἡμεῖς ἀλλὰ κατὰ τὸν σεληνιακόν, *Sciendum eſt, menſes ab Athenienſibus non ad Solis, vt à nobis, ſed ad Lunæ curſum ſupputari* (quamuis is ipſe ἀγνώστος, vt qui rerum Atticarum ἀνεκ-τος, annos itidem Lunares ciuiles iiſdem Athenienſibus malè ibidem accommodarit.) Eius verò priora, quæ propoſita remanent, aptè confirmat *Scholiaſtes* Ariſtophanis relatus *numero præcedēti*, qui cùm ab ἕνη καὶ νέα induceret ad νουμηνίαν, ſubdit οὕτω γὰρ Ἀθηναίοις ἡ παρ' ἡμῖν τριακὰς, quaſi diceret: *Dies menſis Athenienſium vltima* (quæ à vetere & noua ſimul Luna componitur) *nobis eſt trigeſima tantùm menſis exacti.* Quò inſuper tendunt illa *Varronis* relati *numer. præcedenti*: *A quo cum diem Athenis appellant* ἕνην καὶ νέαν τριακάδα, quaſi aliud eſſet in cæteris Græciæ plagis: in quibus Lunarium menſium vſus ad aſtrorum ſcientiam vigebat, vt colligitur ex ſcriptis *Ptolemæi*, & ſubſequentium Græcorum Aſtronomorum. Quin & Athenienſes poſt Solonem menſibus tricenis communiter vſos in rebus maximè Naturalibus, Medicíſque deſignandis comprobatur apertè ex *Hippocrate*, *Ariſtotele*, & aliis *ſuprà relatis* ex *num.* 9.

Et iſthæc, ni fallor, anni menſiúmque

que formæ fuerunt apud Græcos, vsq;
dum Iulianum annum admiſerunt.
Quin & eo admiſſo Lunarium & tri-
cenorum ſubinde menſium ratio illis
adhuc erat in aliis extra ciuilia, & ma-
ximè in concernentibus aſtrorum &
rerum naturalium ſcientiam, vt prædi-
ximus, & clarè colligitur ex *Polluce,*
Gemino & cæteris *ſupr.* relatis triceno-
rum & ſimul Lunarium menſium ra-
tionem & mentionem ſæpè & ſæpiùs
poſt annum & menſem Iulianum re-
fricantibus.

Hæc nobis in re iſta adeò obſcura,
& vſque dum indiſcreta occurrunt,
quæ fortè aliis eadem latiùs tractatu-
ris in cauſa erunt exactiùs illa diſqui-
rendi & illuſtrandi: cùm & ipſis no-
ſtram diligentiam in tot melioris no-
tæ perquirendis Auctoribus (annum
Græcum communem 360. dierum &
menſes 12. tricenos adſtruentibus) &
in diſtinctione temporum, & Græ-
ciæ regionum (Græcanicorum men-
ſium antiquorum veram dignoſin e-
ruente) non diſpliciturain ſpere-
mus.

Demus igitur rigidis quibuſque, &
30 tenacioribus menſis Lunaris † Græ-
canici propugnatoribus cum magno-
pere Græcis in vſu fuiſſe (vt nouiſſimè
poſt alios adſtruit *Vbbo Emn. rerum*
Chronol. lib. 1. tit. de menſib.) certè inde
nil contra nos inferunt, vt ex proximè
dictis, & in initio huius §. præpoſitis
clarè patet.

Nec quidquam agunt qui dicunt,
Græcos ad Lunam, Romanos ad So-
31 lem annum † direxiſſe (vt poſt *Theo-*
dor. Gazam lib. de menſib. in tit. περὶ ἑρ-
μηνείας τῶν μηνῶν) notauit *Vbbo Em-*
nius ſupr. Nam is ipſe reſpondet, hoc
intelligendum eſſe, quod attinet ad
cæleſtes dimenſiones, & Aſtrologicas
obſeruationes & ſimilia, idque ex *Pto-*
lemæo, *Cenſorino* & aliis confirmat. At
mihi verius & certius eſt, prædictam
πρόθεσιν in ſe veram non eſſe, vt cla-
rè demonſtrant vſque dum per nos
hoc §. tradita. Quibus addimus, i-
ſtam propoſitionem ab alia ſuperio-
re paſſimque vſurpata explodi, quæ
teſte *Gemino*, *Gaza* & aliis, *Græcos*
annum ad Solem, menſes ad Lunam ἄ-
γειν *dirigere* prædicat, id eſt, annos
Solares illis in vſu fuiſſe, menſes verò
ad Lunam accommodaſſe: ac re vera
cum Athenienſibus fecit Solon, teſte
Plutarcho in eius vita: & ab iſtis for-
tèan alij, maximè Aſtronomica, Me-
dica & Naturalia tractantes. Nec
quidem hoc ſemper: nam Græcos e-
tiam Aſtronomos Solaribus cœleſti-
búſve menſibus vſos probat *Vbbo* §. à
ſuo *Scaligero.*

Adhæc, quod *Theodorus Gaza in li-*
bro de menſibus, tit. περὶ χρήσεως τῶν μη-
νῶν, ex Plethone ait † natura ita eſſe 32
comparatum, vt ad Solem deducatur
annus, menſis verò ad Lunam, im-
probat is ipſe *Gaza* ibidem, & Solem
naturalem dominum anni & eius
partium, id eſt menſium, eſſe conten-
dit.

Demum, quæ † *Scaliger libr. 1 ca. de* 33
anno minore æquabili Græcorum, in no-
ſtra (adducta §. *num. 29.*) aſſerit, nullius
certè ſunt momenti, & ea impugnauit
& quidem diſertè *Thom. Lydiat. de va-*
riis annorum formis, cap. 12.

Ab his ergo omnibus clarè conſe-
quimur, † annos communes, ſeu ci- 34
uiles Græcis omnibus 360. dierum
fuiſſe, & eoſdem (Athenienſibus ex-
ceptis) menſes æquales tricenos ha-
buiſſe vſque ad anni Iuliani vbique
ferè gentium admiſſionem. Deque
menſibus iſtis intelligendos regula-
riter *Hippocratem* & *Ariſtotelem* no-
ſtra tractantes, non de Lunaribus,
vt communis Medicorum aſſen-
ſus parùm aptè ſupponit: & ex no-

ſtris malè putauit *Alberic. Gentilis* relatus *ſupr.nu.21.* & nouiſſimè *D.Laurent. Ramirez de Prado in Pentecont. cap. 3.*

§. V.

DE ANNO ET menſibus Romanorum.

SYNOPSIS.

1 *Anni Romani computatio difficilior eſt quàm difficillima.*

2 Ioſephus Scaliger *exiſtimans annum iſtum initio 12. fuiſſe menſium, & 354. dierum refellitur. Et num. 3.*

4 *Anni luctus dimenſio demonſtratur.*

5 Roſinus *triplicem annum Romanum conſtituit.*

6 *A Romuli primis temporibus vſque ad emendationem Cæſarianam annus multis, variiſque modis acceptus.*

7 *Communis tamen ſupputatio ſemper eadem fuit Romanis quæ Hebræis & Græcis.*

8 *Romani poſt Numam annis etiam & menſibus Lunaribus vſi ſunt: imò & poſt emendationem Iulianam.*

9 *Intercalationis cauſam apud Romanos aperit. Et num. 10. eam Pontificibus fuiſſe commendatam ex* Liuio *& aliis notat.*

11 *Annum Iulianum deſcribit, eiúſque inducendi cauſam.*

12 *Intercalationis & biſſexti tractationẽ init. Et n. 13. & 14. vbi & num. ſeqq. 15. 16. 17. &* 18. l. cùm biſſextus. ff. de verb. ſign. *cum ſuis §§. declarat.*

19 *Pontifices etiam poſt Cæſarianam emendationem intercalandi poteſtate abutebantur.*

20 *Id in cauſa fuit Auguſti Cæſaris vltimæ emendationi.*

21 *Non omnes prouinciæ Imperij Romani Iulianum illicò admiſerunt annum.*

22 *Æra computatio propria eſt Hiſpanorum. Et nu. 23. quòd ea ſunt vſi in temporum dinumeratione.*

24 *Definitionem Æræ ab* Schedilio *tradit. Et num. 25. 26. 27. & 28. etymologiam.*

29 *In Concilio Niceno. Aeræ 363. fit mentio. Et cauſa traditur.*

30 *Improbantur* Ambroſius Morales *&* Scaliger.

31 *Æra dicebantur nummi notæ. Et nu. 32. inde tranſlatitiè temporis quantitas hoc indice demonſtrabatur.*

33 *Quo tempore Æra fuerit introducta. Et num. 34. & 35. quid fuerit in cauſa eius introductum ante 38. annũ Natalitium* IESV CHRISTI.

36 *Æra dinumeratio Caſtellæ immutata anno Domini 1383. Et num. 37. in Regno Aragon. anno 1359. Et num. 38. in Luſitan. anno 1415.*

36 *Hiſpania omnium Prouinciarum & Regionum prima* Plinio *Italo poſt Italiam. Et eius laudes.*

40 *Poſt annum Iulianum anni communes 360. & menſes 30. dierum perdurarunt.*

41 *Leges de menſibus partionum mentionem facientes intelligendæ de menſibus communibus.*

42 *Cùm in iure menſium fit mentio, de iiſdem intellig.*

43 Alberic. Gentilis *impugnatur.*

44 *Variæ limitationes à noſtris adductæ examinantur. Et numer. 45. 46. 47. 48. & 50. vbi* Alberic. Gentilis *&* Menochius *multipliciter impugnantur.*

49 L. vbi Lex, ff. de diuerſ. regul. iur. *intelligitur cum* Ræuardo *& aliter cũ* Cuiacio.

51 *Annus ciuilis Romanorum poſt emendationem Cæſarianã 365. dierum eſſe cœpit: & rationem tradit* Auctor.

52 *Annorum omni æuo initium remissiuè notat.*

53 *A præcedentibus infert natos post 270. diem decimestres esse. Et nu. 54.* CHRISTVM *Dominũ nostrum decimo natum mense.*

55 Henricum de Gondauo *(notantem* Diuum Augustinum*) refellit.*

56 Picum Mirandulanum *in carmine ad* VIRGINEM *ad prædicta reducendum ait.*

57 *Concludit, decimestres parturitiones cæteris frequentiores & perfectiores.*

1 ANNI Romani antiqui computatio difficilior est quàm quæ † difficillima, vt in qua nec primi Auctores, nec sequentes conueniunt: & omnium maximè Neoterici dissentiunt. Hanc difficultatem & dissidentiam agnouit *Censorinus de die natali, cap. 20.* dum ait: *Sed vt hos annos mittam caligine iam profundæ vetustatis obductos, in his quoque qui sunt recentioris memoriæ, & ad cursum Lunæ, vel Solis instituti, quanta sit varietas facile est cognoscere, si quis vel in vnius Italiæ gentibus, ne dicam peregrinis, velit acquirere*: & cùm dixisset, alium Ferentinis, alium Lauiniis, alium Albanis, alium denique Romanis annum fuisse, subaddit: *Annum vertentem Romæ Licinius quidam Macer, & posteà Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt: sed magis Iulio Gracchano, & Fuluio, & Varroni, & Suetonio, aliisque credendum, qui decem mensium putauerunt fuisse, vt tunc Albanis erat, vnde orti Romani.* Hosque menses diebus trecentis & quattuor constare ait. Posthæc, siue à Numa, siue à Tarquinio duodecim mensium annum factum asserit, qui dies habebat trecentos & quinquaginta quinque.

Iosephus verò † *Scaliger*, quo semper æstuauit nouitatis amore, & veris conficta permiscendi, nouum se Licinij & Fenestellæ assertorem facit *lib. 2. de emendatione temporum, tit. de veteri anno Roman.* annumque Romanis initio Lunarem fuisse 354. dierum cum triente, & paulò plùs quàm duorum horæ triennium, duodecimque mensium asserit: eumque Numam, siue quem alium immutasse ait, & 347. dierum fecisse. Et sub hæc *Varronis* decimestrem annum reiicit, aliaque suo libito in futurũ edicit: quæ amplis velùt vlnis amplexus fuit pedisequa *Vbbo Emm. rer. Chronol. li. 1. tit. de mensibus*, & antea asseuerarunt *Aldus Manut. de quæsitis per epist. cap. 3. Alberic. Gentil.* *Bodinum* eiusdem genij hominem in testem adciscens in *lib. de diuersis temporum appellat. cap. 3.* vbi illud *Ouidij lib. 1. Fastorum.*

Quod satis est vtero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.

interpretatur de anno luctus, qui decem mensibus intercludebatur: at inde non sequitur (ait iste) annum itidem vulgarem decem fuisse mensium. Et quod valdè notandum, eiusdem sententiæ fuit *Thomas Lydiatus* (aliàs diligens *Scaligeri* notator) *in lib. de varijs annorum formis, cap. 17.* Vbi subdit, *Plutarchum*, & alios (existimantes Priscorum annum Romanorum decem mensibus constitisse) simul ratos fuisse, illos decem menses anni vertentis spatia integra continuisse, idque factum fuisse, adsignatis quibusdam mensibus plurium dierum quàm 30. Et in istam suam nouam sententiam *Lydiatus* testes vocat *Censorinum, Macrobium* & *Seruium Honoratum in Virgil.* At certè sustineri non potest. Nec enim *Censorinus de die natali, capite 20.* dixit aut sensit quod ei *Lydiatus* imponit. At *Macrobius* apertè contrarium asserit *libr. 1. Saturnal. cap. 12.*

vbi annos Romuli ex 304. diebus constari dixit. *Seruius* verò *Honoratus* intercalationes solas admittit: quas etsi concederemus Romuli temporibus, impedimento tamen esse non debebant, quominus annus Romulæus sua prima constitutione, quod attinet ad annum luctus (de quo agemus in *cap.* 13.) & alia quæque simul, reque vera decimestris esset. Adde subauditione ista nobis opus non esse, qui ex *Macrobio* d. *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 13. clare discimus, intercalationes Numæ temporibus adinuentas (quod iste *Lydiatus* concedit in *cap.* 13.) & quinquaginta dies anno Romuli additos, sex detractis à sex prioribus mensibus illius anni. Ex quibus obiter quam apertissimè refellitur idem *Lydiatus* dicto *cap.* 17. dum asserit, Numam initium anni tantùm mutasse, & mensium numerum, non verò dierum anni: quo nihil à veritate deuius dici potuit.

Nouissimè demum *Hieronym. Vecchiettus de anno primitiuo mundi, cap.* 13. Romulæum annum decem mensiũ improbat à *Macri* & *Fenestellæ* auctoritate: & ea satis debili innixus ratione, quòd par non sit credere tot Reges Latinos anno adeò imperfecto vsos. Cumque hisce *Liuius* multùm obstaret in verbis illicò expendendis eum pro libito addit & dilacerat.

Sed certè istà omnia inania sunt, & apertè aduersantur generali orationi *Ouidij lib.* 1. *Fastorum:*

Tempora digereret, cùm conditor Vrbis in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Et mox:

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquos addidit ille duos.

Et *lib.* 3. *Fastorum:*

Annus erat, decimum cùm Luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Sed & aliis (vltra captum *Scaligeri* & *Lydiati*) per nos adductis *inferiùs in cap.* 13. ex *numer.* 7. circa annum luctus, quam euidentissimè refellitur eorum opinio: & insuper ex *Cicerone pro A. Cluentio*, & *Seneca de consolatione ad Heluiam, cap.* 16. *in princepio*, & *libr.* 8. *Epistolarum*, decem menses & annum luctus pro eodem vsurpantibus. Et clariùs ex *l.* 2. *C. de secundis nuptiis* (quæ est *lege* 1. *titul.* 8. *libro* 3. *Codicis Theodosiani*) vbi anno antiquo & communi luctus alij duo menses superradduntur: quæ clarè demonstrant, annum antiquum Romanorum decem tantùm mensibus constitisse. Id quod & video adseruisse *S. P. Theophilum* (cuius meminit *Eusebius lib.* 4. *de Ecclesiasti. histor. cap.* 19. *&* 23.) *in libro* 3. *ad Autolicum.*

Vt inde abiiciendi sint renouatores isti opinionis *Licinij Macri* & *Fenestellæ*: præsertim cum vltra relatos, huius decimestris anni insignes habeamus adsertores, *Liuium decade* 1. vbi de Numa ita ait: *Atque omnium primum ad cursum Lunæ in duodecim mensibus describit annum:* quibus verbis apertè demonstrat hunc annum Romulo incognitum, & decimestrem tantùm illi in vsu fuisse, *A. Gellium libr.* 5. *Noctium Atticarum, capite* 16. *ante finem*, *Plutarchum in Numa Pompilio*, ita aientem: *Multi etiam sunt, qui duos hosce menses additos à Numa inquiunt Ianuarium atque Februarium: ab initio enim decem mensium in vsu annum exstitisse:* & paulò inferiùs: *Quòd autem Romani menses decem in annum ordinauerint, & non duodecim, coniecturam adfert vltimi appellatio, cum enim Decembrem nunc etiam vocant. Quòd*

Quòd autem Martius primus in ordine vocabatur, obscurum non est: nam quintum ab eo Quintilem, sextum Sextilem nominabant, ac reliquos deinceps singulos eodem modo: nam Ianuario, Februarioque ante Martium positis contingebat mensem illum Quintilem dici quidem, septimum verò numerari. Præterea verò non erat à ratione alienum, Martium qui Marti à Romulo sacratus sit, primum nominari. Censorinus verò ita disertiùs in proposito loquitur *de die natali c.22. Nomina decem mensibus antiquis Romulum fecisse Fuluius & Iulius Auctores sunt: & quidem duos primos à parentibus suis nominasse Martium à Marte patre, Aprilem ab Aphrodite, id est, Venere (vnde maiores eius oriundi dicebantur) proximos duos à Populo, Maium à maioribus natu, Iunium à iunioribus, cæteros ab ordine quo singuli erant: Quintilem vsque ad Decembrem perinde à numero, &c.* His adde *Macrobium lib.1. Saturnalium, c.12.* qui ita scribit: *Romani, Auctore Romulo, annum suum decem mensibus ordinatum habuerunt, qui à Martio incipiebat, & conficiebatur diebus 304.* Et *Ioannem Rosinum antiquitatum Romanarum lib.4, c.1. Stephanum Pighium lib.1. antiquitatũ Romanarum, fol.16. & 24.* Quin & ex Iurisprudentibus hoc ipsum firmant *Alciatus in l. cùm bissextum, ff. de verbor. signific. Tiraq. de vtroque retractu, tit.1. §. 1. gloss.10. in princip. Iacobus Cuiacius li. 6. obseruationum, c.32. Barnabas Brissonius lib. de iure connub. ad finem. Iacobus Reuardus lib.1. variorum, c. finali, Franciscus Hotmanus lib.9. obseruation. c.9.* Et ex nostris *D. Ioannes Pareja in repetitione legis Papiæ, 2. part. nu.32. Torreblanca de Magia, li.2. c.42. n.49.*

Et ab iis (vt hæc nunc obiter dicam) annus luctus, † de quo in *l. liberorum, §.1. ff. de his qui not. infam.* cum aliis, venit dimetiendus, & ex notatis à *Cuiacio* & *Reuardo* s. & subinde ab his quæ in *capite sequenti* latiùs prosequemur.

Vnde aliis omissis (ad annum Romanorum redeuntes) ego verissimam puto sententiam † *Rosini d. c.1. li.4.* tri- 5
plicem ex communi aliorum assensu constituentis annum Romanum, & primum Romulo, secundum Numæ, tertium Iulio Cæsari tribuentis: & subinde asserentis primum decem mensibus & diebus 304. secundum duodecim mensibus, & diebus 354. tertium duodecim etiam mensibus, & diebus 365. & ¼. integrari.

Dum tamen his addas, à Romuli † 6
primis temporibus vsque ad emendationem Cæsarianam multis aliis variisque modis annum apud Romanos computatum, vt patet ex traditis ab *Vbbone Emnio lib.1. rerum Chronologic. titul. de annis*, vbi & de anno Lunari Romanorum latè agit.

Sed & communis † anni supputa- 7
tio eadem fuit Romanis quæ Hebræis, Ægyptiis & Græcis, ita vt annus in peragendis negotiis, maximè ciuilibus: quin & in gestatione fœtus (ex dicendis j.) 360. diebus constaret, & duodecim mensibus tricenis æqualibus, vt clarè percipitur ex *Ciceronis lib.6. epistolarum ad Atticum, epistola 1.* illis verbis (ante castigationem anni Iuliani planè emissis) *Pompeius autem cùm ob cæteras causas plus potest vnus, quàm cæteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse venturus, & tamen sic nunc soluitur, tricesimo quoque die talenta Attica xxxiij. & hoc ex tributis, nec id satis efficitur in* VSVRAM MENSTRVAM. Si enim triginta dierum vsura *Ciceroni* menstrua tunc erat, nemo negare poterit menstruum spatium hoc dierum numero definiri ex eius sententia. Et hoc ipsum innuunt illa *Plutarchi in*

Numa: Præterea cælestium rerum studium Numa attigit, non accuratè quidem, sed nec omnino imperitè tamē: nam Romulo regnante præter & rationem & ordinem mensibus vtebantur, alios quidem neque dierum viginti, alios verò plurium supputantes: Lunæ autem, Solísque inæqualitatis cognitionem habebant nullam, sed vnum duntaxat obseruabant, vt dies trecentos & sexaginta annus contineret.

Quinimò & post Iulij Cæsaris annum (diebus 365. & ¼. constantem) anni & mensium Lunarium, communiúmque tricenorum simul vsus Romæ non defuit, vt suo loco quàm euidentissimè demonstrabimus.

8 Demum post Numam † Romanos mēsibus Lunaribus, præcipuè iis quos progressionis appellamus, vsos omniū apertissimè edocuit *Censorinus* d.c.22. dicens: *Maiores quoque nostri idem sunt æmulati, cùm annum dierum* 335. *haberent.* ¶ 355. dixit: nam anno Lunari (354. diebus constanti ab emendatione Numæ) diem vnum addiderant. *Ea superstitione* (vt ait *Censorinus cap.*20.) *qua impar numerus plenus, & magis faustus habebatur*: & ab his forsan magis ac magis commendatum à *Pythagora* annum istum videmus in eodem *Censorino c.*10.

Sub hæc præposita prosequuti notamus, anni & mensium diuersas dimensiones & supputationes (quibus ab initio Vrbis conditæ Romani sem-
9 per vsi fuerunt) in causa fuisse, † vt aliis vterentur suppletionibus & intercalationibus, quibus mediis anni communes aut Lunares Solaribus & vertentibus coæquarentur. *Liuius* s̃. & *li.* 3. *decade* 5. *Plutarchus in Numa, Censorinus de die natali, c.*20. *Macrobius li.*1. *Saturnalium, c.*13. *Solinus c.*13. & omniū latissimè *Iosephus Scaliger libr.* 2. *de emendatione temporum, tit. de veteri anno Romanor.* & *Aldus Manut. de quæsit. per epist. c.*3.

Hoc autem negotij Pontificibus † 10
datum est, *Liuius lib.*9. *Cicer lib.*5.6.15. & 16. *epist. ad Attic. Censorin. d.ca.*20. & probat apertè *lex xij. Tabular.* apud *Antonium Clarum Siluium* Aduocatū Parisiensem *lib. singulari in leges Regias, c.*5. *Feriis iurgia admouento, eásque in famulis operibus patratis habento: itaque vt cadat in annuis anfractibus descriptum esto.*

Cùm autem Pontifices auctoritate sibi concessa abuterentur (*Sueton. in Iulio Cæsare, c.*40. *Amianus Marcellinus lib.*26. *Solin. d.c.*3. *Macrobius libr.*1. *Saturnalium, c.*14. *Censorinus d.cap.*20. *Horum plerique*, ait, *ob odium, vel gratiam, quo quis Magistratu citius obiretur, diutiúsve fungeretur, aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro, damnóve esset, plus minusve ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam vltrò deprauarunt*) hac potissima de causa † *C. Cæsar Pontifex Maximus* (vt ait idem *Censorinus* s̃.) *suo tertio, & M. Aemilij Lepidi Consulatu, quò retrò delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem in mensem Nouembrem & Decembrem interposuit, cùm iam mense Februario dies tres & viginti intercalasset, &c. Nam intercalario mense sublato, annum ciuilem ad Solis cursum formauit, itaque diebus* 355. *addidit decem, quos per septem menses, qui dies vndetricenos habebant, ita distribuit, vt Ianuario, & Sextili & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eósque dies extremis partib. mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cuique mensis à loco submouerentur. Quapropter nunc cùm in septem mensibus dies singuli, & triceni sint, quatuor tamen illi ita primitùs instituti eò dignoscuntur, quod nonas habent septimanas: cæteri quintanas. Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, vt*

peracto quadriennij circuitu, dies vnus, vbi mensis quondam solebat, post Terminalia intercalaretur, quod nunc bissextum vocatur. Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur. Deque ista Cæsaris emendatione (quam *dum Alexandriæ versaretur, addidicerat, Dio cas.lib.43.*) plura sunt in eodem ibidem, & in *Ouidio libr.3 Fastorum, Appiano lib.11. de bello ciuili, in fine, Suetonio in Iulio Cæsare* d.c.40. *Plinio libr.18. naturalis historiæ, c.25. Plutarcho in Cæsare, Solino* d.c.5. *Macrobio lib.1. Saturnalium. cap.14. Firmico lib.8.* qui Cæsarem (aliàs in Mathematicis peritissimum) ope *M. Fuluij Scribæ, & Sossigenis Aegyptij* peritissimi annum firmasse aiunt. Et his adde nouiores ferè omnes relatos s. *in* §.1. Et demum *Siluium Clarum* ita disertè loquentem *in libr. singulari ad leges Regias*, d.c.5. *Melius Cæsar annum disposuit, vt testatur Tranquillus & Plutarchus in Iulio, non ad Lunæ, sed Solis cursum, vt duodecim menses ex diebus 365. componerentur: quadrantis autem ratio tunc haberetur, quũ integer dies esset perfectus, nimirum post quatuor annos; quia quadrans diei sunt sex horæ, quæ per quatuor multiplicatæ viginti quatuor efficiunt horas, seu diem vnum qui bissextus dicitur, quod quarto quoque anno sexto Kalendas Martias interponeretur: ita fit, vt duo dies sexti sint, & pro vno computentur, qui ideò bissextus appellatur, l. cùm bissextum, §.1. de verborum significatio. Idque à Græcis desumptum est, apud quos vnaquæque Olympias quarto quoque anno (qui Romanis bissextus est) celebratur, ea sola ratione, quod tunc Solis cursus integretur. Diodorus lib.1.* ἠδ' ὀλυμπίας κληροῦται κατὰ τέτταρας χρόνους, ἔτι δὲ ὅπερ οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι βισσέξτον. Libuit ista huius insignis Iurisconsulti referre, quæ claram, & omnibus innotescendam in hac re lubrica demonstrant viam. Nec minus ea quæ latè in proposito prosequuntur *Thom. Lydiatus de variis annorum formis, cap.18. Vbbo Emnius libr.1. rerum Chronolog. titul. de mensib. fol.28. Hieron. Vecchiettus lib.1. de anno primit. mundi, c.9.* Qui *in c.2.* D. Petrum, & ab eo vniuersam Ecclesiam annum Iulianum sequutum asserit.

Cùm autem intercalationis † sæpiùs, nũc verò bissexti meminerimus: harúmque rerum cognitio Iurisconsulto apprimè conueniat (aliàs non percepturo decisionem *Celsi* Iurisconsulti in *l. cùm bissextum 98. cum suis §§. ff. de verborum significatione.* cum aliis *inferiùs* expendendis) non abs re erit vtriusque pauca hoc loco delibare. 12

Ab intercalatione, † Græcè ἐμβολισμὸς, incipiens (cuius etymon, definitionem, & progressum optimè post alios notauit *Horatius Augenius lib.1. de hominis partu, c.4.* & nouissimè *Vecchiet. lib.1. de anno primit. ca.15. & 16.*) noto, ea media annum, maximè Lunarem (omitto alias plures intercalandi rationes Græcis, & aliis gentibus vsitatas) suppleri consueuisse, & Solari, vertentíque coæquare. Intercalare enim idem est quòd *interserere, l.3. §. minorem, ff. de minorib.* vbi inscitam *Accursij* interpretationem notat *Budæus.* Cùm autem 12. menses Lunares, quibus annus, ex *Liuio* s. d. *lib.1.* describebatur, dies 354. cum triente tantùm (Luna duodecies cursum suum conficiente) efficerent, & ob id vndecim dies Lunari anno deessent: inde vt solari responderet Numa omniũ primus, teste *Plutarcho in eius vita*, 22. dies quoque biennio intercalabat & interserebat: vel alternis annis binos & vicenos: alternísque trinos & vicenos ex sententia *Censorini de die natali ca.20.* 13

Macrob.lib.1.Saturnal.c.13. Idque ab eo factum fuit sub finem duodecimi mensis, qui tunc erat Februarius, *Varro lib.5. de lingua Latina: Terminalia* (inquit) *quòd is dies anni postremus constitutus, duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cùm intercalatur inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense.* Intercalaris autem is mensis (qui 22. aut 23. diebus constabat) *Merkedonius* itidem appellatus est à *Plutarcho in Numa*, & ab eodem *in Cæsare*, & à *Macrobio lib.1.Saturn.* d.*cap.13. Solino* d.*c.3.*

Inter alia verò, quæ intercalationis rationem dubiam & nutabundam, & ad Pontificum placitum fecerunt, fuit illa sæpius agitata contentio, & disquisitio, quænam esset mensium reliquorum ad Februarium proportio? Et verò nodum istum optimè soluit *Cato* Iurisconsultus, qui Auctore *Celso* in *l.cùm bissextum 98.§. Cato, ff.de verbor. significat. Mensem intercalarem additicium esse aiebat, omnésque eius dies pro momento temporis obseruarat. Eósque extremo diei Februarij attribuit Quintus Mutius.* Licèt ad minus essent 22. dies, ita vt totus Merkedonius velut extremo die Februarij intersereretur: idque iure factum fuit, nam cùm additio accessio fit, inde est, vt partem in toto non faciat, *l.de accessionib.* cum similibus, *ff.de diuersis & temporalibus præscriptionib.* Et hæc pro nunc de intercalatione dixisse sat sit: qui plura desiderat, præallegatos legat, & *Scaligerum*, in ista congerentem, *libr.2. de emendatione temporum, tit.de veteri anno Romanor.* Omnia enim perquirere negotij nostri non est.

14 Ad Bissextum † ergo deuenientes prænoto, Iulium Cæsarem ex causis designatis annum emendasse, & 365. dierum cum quadrante, id est, horis 6. constituisse ex *Censorino*, & aliis ꝫ. relatis, quibus concinunt *Paulus* in *l.cùm hæres 4.§.Stichus, ff. de statu liberis, Iulianus* in *l.ita vulneratus 51.§.æstimatio, ff.ad legem Aquil. Celsus* in *l.anniculus 134 ff.de verb.signific.* Vt autem dictarum sex horarum ratio haberetur, quarto quoque anno ad 6.Kal.Mart. Cæsar diem vnum intercalari iussit, vt post iam citatos disertè notauit *Cuiacius* πολλυδιδάσκαλος ad *l.ideoque, ff. de vsucapionib.* Et hinc factum est, vt post *Iulij Cæsaris* emendationem méses intercalares antiqui cessauerint, & dierum deinceps intercalatio succederet: quæ cùm vnius tantum esset diei, & 6 Kalend.Mart.contingeret, appellari cœpit *Bissextum, de quo in d.l.cùm bissextum, ff.de verb.signific.* Quę ab his & à dictis ꝫ. circa dictum *§.Cato* eiusdem legis, claram interpretationem recipit in illis verbis: *Cùm bissextum Calendis est, nihil refert, vtrùm priore, an posteriore die quis natus sit, & deinceps sextum Calendas eius natalis dies est: nam id biduum pro vno die habetur; sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideò quo anno intercalatus non est, sexto Calendas natus cùm bissextum Calendis est, priorem diem naturalem habent.* Faciunt quæ post alios annotarunt *Franciscus Hotmanus*, & *Iacobus Cuiacius in commentar. ad illum textum.*

Demum nota (vt totum huius *l. cùm bissextum* contextum prosequamur) verba illa finalia: † *Mensis autem is intercalaris constat ex diebus viginti octo*, intelligi non posse vt Interpretes nostri communiter putant de mense Februarij, qui nobis hodie post Cæsarianam emendationem in vsu est, quã attenta (vt prediximus) iam non menses, sed dies intercalantur: intelligi ergo debent de mense Februarij primo, cui merkedonius, vel embolymæus vigintiduorum aut vigintitrium dierum

dierum interseritur, quicquid in contrarium adstruat *Scaliger* s̃. Qui tamen non malè ratiocinatur, dum ait, *Tribonianum*, si verba illa intellexisset, ea in Pandectis transcripturum non fuisse.

16 Nisi mauis dicere, † finalia illa *Celsi* verba referenda ad priora *textus*, quæ duos dies pro eodem accipiunt, ita vt mensem intercalarem dicamus &eum in quo post Cæsarem dies vnus interseritur: accipiens mensem intercalarẽ pro eo in quo fit intercalatio, vt ait *Andreas Alciatus* ibi. Vt inde mensis iste intercalaris (qui 29. diebus naturalibus constat) quod attinet ad iuris dispositiones ex viginti & octo tantùm conflatus videatur. Et ista multò magis locum habent attenta communi ferè omnium Codicum lectione vltra Florentinos, quæ ita se habet: *Quintus Mutius, mensis, ait, intercalarius constat ex diebus* 29. quasi diceret, etsi biduum, de quo in principio dict. *l. cùm bissextum*, pro vno tantùm die regulariter habeatur, si tamen dispositio siue legis, siue hominis (vt nostri loquantur) certum dierum numerum designet bissextilis dies (vt qui verus & naturalis) inter cęteros computabitur, *l. 2. ff. de diuers. & tempor. præscript.* vbi *Marcellus: In tempore* (a t) *constituto iudicatis, an intercalaris dies proficere iudicato, necne debeat, quæritur. Item de tempore quo lis perit? sit sine dubio æstimandum est, vt auctum litis tempus intercalari die existimetur, veluti si de vsucapione sit quæstio, quæ tempore constituto expleri solet: aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur, vt ædilitiæ pleraque actiones: & si quis fundum ea lege vendiderit, vt nisi in diebus triginta pretium esset solutum, ineptus esset fundus, dies intercalaris proficiet tempori:* vel emptori. vt est in vulgaribus Codicibus, &c.

Et ne obstent illa verba finalia: *Mihi* † *contra videtur:* tu, aliis omissis, cũ 17 *Accursio* ea refer ad immediata illa: *Et si quis fundum, &c.* ita vt cùm dilatio temporis indulgetur per species, vt ipse ait, puta per annua, vel menstrua spatia anni, vel mensis, dies intercalaris non consideretur: aliud verò sit, si in indiuiduo dierum mentio facta sit, quo casu dies intercalaris numerum faciet.

Quod si instes in dicto versic. † *Et* 18 *si quis fundum*, dies expressim designatos ibi: *In diebus triginta*. Respondeo, communis Iurisprudentium phrasi de qua (agemus) menses per dies triginta significari, vt sint velut synonoma. Hæc cùm cessent in præcedentibus exemplis dict. *l. 2.* in ea vtique non refluent illa verba: *Mihi contra videtur.* Quin potiùs totum contrarium intrepidè tenendum est cum *Marcello* in prædictis prioribus illius legis exemplis: & cum eo dicendum, SINE DVBIO, intercalaris diei tempus æstimari debere. Et sanè hac *Accursij* interpretatione attenta, admittenda, vel respuenda sunt, quæ cæteri interpretes Iuris de die intercalari computando, vel supprimendo comminiscuntur, maximè *Bart. & Paul.* in d. *l. 2.* *Alciat. Rebuff.* & *Gœddæus* in d. *l. cùm bissextum.*

Sed & post annum Cæsaris licentia †. illa Pontificum perdurauit, hi 19 enim insuperhabita intercalandi diei forma ab eo data (& facienda sexto Calend. Martias quarti cuiusque anni, vt prædiximus cum *Anton. Saluio Claro supr.* ex *Suetonio* & *Plutarcho*) ac si vagè & imperfectè Cæsar dictam quarto anno intercalationem fieri ordinasset (vt malè putauit *Scaliger. de emendat. tempor. libr. 5. tit. de Bissexto ab Augusto correcto*) quarto anno ineunte diem intercalabant, *Macrobius libro primo Saturnalium, cap. 4.* ita vt duodecim annis (in quibus Cæsar

tria bissexta intercalanda supponebat) quarum intersereretur. Et inde
20 Cæsar Octauianus: † *Annum* (teste *Suetonio in eius vita, cap.*31.) *à Diuo Iulio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum, atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cuius ordinatione* Augustus (non Iulius, vt malè putabat *Hieronymus Vecchiettus de anno primitiuo mundi ad Iulianum lib.*1.*cap.*9.) *Sextilem mensem ex suo cognomine nuncupauit. Solin. c.*3. & prosequitur latè *Macrobius* d. *libr.*1. d. *capite* 14. vbi Augustam emendationem concludens, ait: *Et omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incissione mandauit.* Quo facto cessauit error in intercalatione, qui ab emendatione Iuliana 30. annis perdurauerat.

Sed adhuc Cæsariana anni computatio alia indiget subductione, vt notant Mathematici, & agnouit *Dio libr.*43. ita dicens: *Iam ne horis quidem annorum error nisi perquàm exiguus incidere potest, qui tantus est, vt intercalatione vnius diei* 1471. *quoque anno indigeat.* Sed nec ista vltima vera sunt, attenta verissima emendatione anni per *Gregorij XIII.* Kalendarium ex plurium insignium virorum totius Orbis Christiani concordi assensu confectum, post excogitata ab *Antonio* quodam *Lilio*, & eius germano, vt ipse *Gregorius* attestatur *constitut.*74. *in Bullar. magn. tom.*2.

Sub hæc noto, non omnes Populi Romani prouincias Iulianum annum
21 illicò † recepisse, sed quasdam citiùs, quasdam seriùs, vt cura, vel deuotio, aut tenacior priscorum annorum obseruatio apud eas fuerat. Alij enim nisi victi illam anni formam non admiserunt: vt Ægyptiis accidisse post victoriam Actiacam (Regno in Prouinciam redacto) ab aliis testatur *Vecchietus supr. libr.*1. *cap.*20. *Scaliger de emendatione tempor. libr.*5. *tit. de Aera Hispanica.* Vbi à debellatione (quam *Dio refert. lib.*48. aliquibus interiectis paginis ante finem) hoc ipsum accidisse Hispanis ait: à *Baronio* (cuius nomen suppressit) edoctus, & aliquantulum ab eo malè deuians, vt *infrà* notabimus *num.*34.

Nunc autem ista nostra altiùs repetentes, primùm constituimus, Æram istam Hispanis (quidquid *Scaliger. supr.* contra præfixum suæ tractationis titulum adstruere conatus fuerit) propriam, † peculiarémque fuisse 22 in designatione, & numeratione temporum, vt post alios notat *Genebrard. libro* 3. *Chronolog. Baronius in notis ad Roman. Martyrol. sub die* 22. *Octob. Petrus Mexia in vita Cæsaris Augusti, capit.*2. Quòd si aliæ Prouinciæ hoc nomine ÆRA vsæ sunt, id certè translatitiè, vel morem Hispaniæ imitatæ fecerunt, vt dicemus *infrà*; & disertè aduertit *P. Lælius Bisciola tom.*2. *horar. subsecinar. lib.*12. *cap.*10. *num.*26. Et sanè huius Auctoris verissima consideratione attenta facilè dilues quæ *Ioseph. Scaliger* in ista obseruare conatur à Conciliorum Carthaginiensium, & Arelatensis IV. inscriptionibus per eum expensis *libr.*5. *de emendat. temporum. titul. de Aera Hispanica prope finem.*

Hispani ergo in temporum dimensione & numeratione Æræ nomine sunt † vsi: vt *Lustri* Romani & *Olympiadis* Græci. 23

Adhæc in gratiam gentis nostræ, non abs re erit inquirere Æræ definitionem, siue descriptionem & etymon, priorem vsum: & introductionis rationem. Quę nec à proposita anni Iuliani explicatione aliena sunt. Et mihi sanè præ cæteris arridet definitio † *Herm. Schedelij* qui *in initio* 24 *vniuersæ Ecclesiæ mundi* (oratione parum Latina, vera tamen & apta vt ait

vt ait *Bisciola suprà*) ita ait: *AEra tempus est famosum alicuius gentis vel sectæ incipiens ab aliquo effectu, qui est notabilis bonitatis vel malitiæ*: quod etiã ex *Ptolemæo* Astrologorum Principe (qui sub Antoninis floruit) & ab alijs notat idem *Bisciola* d.c.10.*n*.14.29. & 32. Et inde Æræ frequens fuit vsus in temporum decursorum quantitatibus designandis, vt clarè percipies ex *Proœmio Septem Partitarum*, & *August. Torniel.* (post ceteros) *in Annalib. sacr.* sæpè & sæpiùs *Aeræ* (in hoc sensu sumpæ) mentionem faciente: præsertim *Aeræ Hebræorum* ab exitu de Ægypto, sub anno ab Orbe condito 2544.*nu*.1. *Chaldæorum*, sub anno 3744. *num*.1. *Græcorum*, sub anno 3473. *num*. 1. *Dionisy*, sub anno 3769. *num*. 2. (cuius etiam meminit doctissimus *Dionys. Petau. ad hæres. 51. Epiphan.*) & demum *Hispanorum* sub anno 4014. *num*.2.

Sed ad Æræ etymon descendens,
25 noto, plura passim † hac in re commisceri non solùm à Chronolographis, sed & à ceterarum scientiarum professoribus, vt facilè colliges ex *Couarru. libr.1. variar. c.12. Scalig. d. tit. de Aera Hispanica, Baron. in not. ad Martyrol. sub d. die 22. Octob. Bisciola* d.c.10. *à n*.2. *Ioan. Ginesy de Sepulueda*, & aliorum
26 etymologias improbantibus. Quin ex *Baron.* clarè refellitur *Parladorus* † *lib. 2. rerum quotidian. cap.22.* dicens: *Erae nomen principium trahere à verbo illo* ERAT, *quòd in rerum gestarum relatione, ac memoria passim in Scriptorum monumentis occurrere solet, vt cum alias sæpè* (ait) *obseruare licebit, tum in illud Euangely Ioannis, vbi Apostolus ipse, &c. in altissima illa verba prorumpit: In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum: Geneseos quoque* (dicere debuit *Genesis*) *ad eundem modum inchoatur.* Et alia similia adducit exempla, qui si plura persequi vellet, facilè ei fuisset plures implere paginas his inanibus; quæ facile dilues, si cum *Baronio* (vt prænotaui) dicas in designandis cuiusque actionis in præsens factæ temporibus scripto apponi solere, *Annus est*, non *Annus erat*.

Vnde his superuacaneis omissis, & alijs pluribus circa veram etymologiam huius nominis ÆRA adductis ab *Isidoro* (quæ probat *Baroni.* & *Tornicllus* dicto *anno* 4014. *num*. 2.) *Anton. Nebrissens.* & *Bodino* (quos omnes refert & refellit *Bisciola* d.c.10.*num*.16. 28. & 31.) Et demum insuperhabitis quæ adduxit Archiepiscopus Toletanus *Garcia de Loaisa in notis ad Concil. Illiberit.* verbo *Aera* (quem præ cæteris laudat & probat *D. Picaard. in Epigraphe proœmij institutionum, n.13.* cum alijs relatis à *Seuerino Bimio* paulò *inferiùs* referendo. *Nonium* † *Marcellum* audiamus ita dicentem in *cap. 2. Æra numeri nota Lucilius l.b.29. Hæc est ratio peruersa Aera summa & subducta improbè.* Ex quibus verbis planè deprehenditur in primo æreæ, monetæ vsu ante argenteam & auream, vel in quibusuis nummis æris nomine denotatis, moris fuisse (qui apud nos inuoluit) vt simul insculperetur numerus summã denotans. Demus *Couarruuiæ, Scaligero,* & *Bisciolæ*, post *Turnebum, Nonio Æra* in plurali dicta (vt *Ciceroni* in Hortensio: *Quid tu, inquam, soles cùm rationem à dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta fuit non probare?*) nemo tamen inficias ibit, & in
singulari fœmineo † antiquitùs eodem 28
sensu Æræ nomen vsurpatum *Ruffus Festus in breuiario rerum gestarum populi Romani. Parebo* (inquit) *libens præceptis, quippè cùm desit facultas latiùs eloquendi, ac morem sequutus calculorum, qui ingentes summas æris breuioribus exprimunt, res gestas signabo,*

non eloquar. Sed & *in vetere breuiario* Cod.Theodosiani *Aera* 22. vocatur titulorum numerus. Et multò ante in
29 inscriptione † Concilij Niceni Primi appofita exstant verba ista, *Aera* 363. (qui fuit annus salutis 325.) vt notat *Seuerinus Bimius in notis ad dictum Concilium*, quod est *in* 1. *tom.*1.*part. Concilior.General.* Et fortè an in hoc magno Concilio (sub Constantini & Syluestri temporibus incepto) Æræ fuit mentio, quia in eo interfuit notissimus ille *Osius* Episcopus Hispanus Cordubensis, qui propriam Hispanorum numerandi rationem inscriptione Concilij interseri curauit, vt notat *Baronius in Annal.* dict. *anno* CHRISTI 325. *Bisciola* d.*cap.*10.*nume.* 28. Et inde facilè refelles *Ambro-*
30 *sium Morales* † & *Scaligerum* eius approbatorem, existimantes, Æræ Hispanicæ antiquiores testes esse Concilia Carthaginiensia, & alterum Toletani Concilij librum, in quo in peruetusta membrana ita scriptum est: *Incipiunt exemplaria professionum in Concilio Toletano contra sectam Priscilliani Aera* 438. His alias sepulchrorum antiquorum inscriptiones subdit *Ambrosius Morales* (à quo ista mutuatus est *Scaliger*) sed omnes posteriores sunt præfatæ Concilij Niceni Primi.

31 Æra ergo dicebatur nummi † nota, quæ mutis numeris summam eius, & valorem (quem Monetarij *extrinsecum* appellãt) designabat *Couarruuias* optimè d.*c.*12.

Et ab his per translationem fa-
32 ctum, † vt hoc eodem nomine temporis quantitas velut indice demonstraretur, vt cùm dicimus, *Aera Casaris millesima sexcentesima sexagesima quinta*, annum salutis præsentem 1627. denotemus, ex *inferius* dicendis. Et cùm nostri iidem Hispani, & ab his reliqui, dixerunt, *Aera* *Hebraorum*, *Gracorum*, aut *Romanorum* (vt prænotauimus) istarum gentium tempora & annos propria nobis notula & indice denotari dicendum est, vt apertissimè probat prædictus Prolog.Partitarum, ibi: *Este libro fue començado à fazer, è à componer víspera de san Iuan Baptista, à quatro años y quatro dias andados del cominço de nuestro Reynado, que començo quando andaua la Aera de Adan en 5021. años Hebraicos, è 287. dias. En la Aera del diluuio en 4353. años Romanos. En la Aera de Nabuchodonosor en 1998. annos Romanos. En la Aera de Philippo el gran Rey de Grecia en 1564. años Romanos. En la del gran Alexandre de Macedonia en 1562. años Romanos. En la Aera de Casar en 1289. años Romanos, En la Aera de la Encarnacion en 1251. años.*

Subhæc illud restat ex propositis † & 33
disquirendum, quo tempore, quare introducta fuerit Æra Hispanica. Et sanè de tempore res est indubia ex *Sancti Iuliani* Toletani Archiepiscopi patenti assertione *libro* 3. *contra Iudaos ad Eurigium Regem*, ita aientis *in Baronio* suprà: *Aera inuenta est ante triginta & octo annos quàm* CHRISTVS *nasceretur.* Et hæc fuit antiquorum quasi inconcussa sententia, & in ea iam hodie omnes consentiunt, teste eodem *Baronio.*

Quid demum fuerit in causa, † vt 34
Æra nostri Hispani 38. annis ante salutare Dei Natalitium vsi fuerint? valdè dubium est. Et sanè varij varia intermiscent, quæ egregiè prosequitur & refellit *Baronius suprà* (à quo, vt prædiximus, *Scaliger* vel desumpsit, vel desumere potuit dicta *suprà num.*21.) quibus addit ipse *Scaliger* anno Iuliano octauo (post triumphum de Hispanis actum in præcedenti,

denti anno à Domitio Caluino Proconsule) Æræ dinumerationem ab eis admissam. Sed veriùs *Baroni.* hoc accidisse ait ex *Dione* d.*lib*.48. ipso eodem anno triumphi de Cerretanis in Hispania rebellantibus acti (qui fuit quartus à Triumuiratu) Et quidem isto anno partæ victoriæ ab Hispanis, adeò ingentia fuerunt spolia, & vis pecuniæ collectæ, vt non tantùm ad triumphi impensas (ex aliis ciuitatibus exigi solitas) necessaria suppeditauerit, sed & restaurationi Palatij Vrbis incendio assumpti affatim deseruiret, vt ait *D.o supra* (quamuis *Suetonius in Augusto capite* 57. non solùm ab Hispanis, sed & ab aliis collatam asserat pecuniam huic reædificationi) Vtcunque tamen sit, ab hac insigni
35† victoria Romanorum (qui in victos ritus, mores & linguam maximo conatu introducebant, vt præ aliis disertè notauit *D. Augustinus libr*.19. *de Ciuitate Dei, capite* 7.) factum est, vt perdomiti Hispani annum Iulianum dicto quarto anno à Triumuiratu admiserint, eúmque sua notula & proprio iudice futuris temporibus sub nomine ÆRÆ CÆSARIS designauerint. Igitur à tanta victoria Æræ Cæsaris initium deduco, tanquam *effectum notabilis bonitatis, vel malitia* (vt ita loquar cum *Schedelio suprà* relato) non à persoluto ære, vt post *D. Isidorum* putabat *Baronius suprà.*

Hanc tamen annorum computationem Æræ nomine cohonestatam,
36 Rex IOANNES † huius nominis PRIMVS (imitatus temporum rationem Romæ introductam, & ab Abbate *Dionysio Romano* sub Imperio Iustiniani (admissam) immutauit anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio, & imposterum à Natali die Domini nostri IESV CHRISTI iniri iussit, vt ex eius Chronico colligitur, & asserunt *Gregorius Lopez in l.*54. *titul*.18.*part*.3. verb.*la Æra, Couarruu. lib*.1.*variar*.d.*c*.12. *Parladorus lib*.2.*rerum quotidianar*.d.*c*.20.*num*.3.*Ambros. de Morales lib*.8.*c*.51. *Frater Hieronymus Roman. in suis Rebus public*. 2.*part. libr*.9.*capite* 6. Id quod prius in Regno Aragonum † admissum fuit anno mil- 26
lesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Et in Lusitano † multò pòst, 27
anno scilicet millesimo quadringentesimo decimoquinto. Quidquid in contrarium excogitauerit *Baronius supra.*

Illud vltimo loco subnotare liceat, non omnino perdomitam Hi- 28
spaniam † ab Æræ vsu (quem deinceps retinuit) sicut Ægyptus, aliæque Prouinciæ ab anni Iuliani admissione. Hispania enim (cui primam laudem *Plinius libr. vltim. cap. vltim.* post Italiam Italus tribuit) robusta, & magni nominis in patria fertili, vt (ex *Diodoro libr*.5 *de vniuersi Orbis Regionibus*) ait Episcopus *Gerundensis libr*.1. *Paralip. Hispaniæ*: & quæ fortissimos Romanorum æpiùs terga vertere coegit, *Cæsar libro primo de bello ciuili*, & alibi: vix tandem post diuturnum bellum subacta est à Romanis, vt ex *Dione, Floro, Iustino, Orosio*, & aliis constat: *Ita enim Hispani Romanorum pacem semper oderunt, vt nullo tempore legiones deficerent Pop. Roman. in hac Prouincia haberi*, vt inquit *A. Hirtius libro primo de bello Hispaniarum, in fine.*) Sed & tanta adeò Hispanici belli moles fuit Populo Romano, vt aliquando Consulari opus fuerit Imperatore, & exercitu. Imo tempore Numici belli contra Sertorium duo Consules Duces, & exercitus nonnunquam tres fuerint missi, vt ex aliis obseruauit *Ioan. Vasæus in Chronologic. Hispaniæ, capite* 8. Sed præ

cæteris notanda sunt illa *Iustini li.*44. *Postea cum ipsis Hispanis grauia bella gesserunt, nec priùs perdomitæ Prouinciæ iugum Hispaniæ accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus perdomito Orbe victricia ad eos arma transtulit.* Nec antea Octauianus Augustus Cęsar (qui quatuor annis pugnauit in *Cantabros, Vaccæos, Austures*, & *Illiturgos*) Iani portas claudi iussit, quàm hosce victos videret.

Et inde Hispaniæ AVDACIS nomen *Tibul.lib.*4.*ad Messal.*

——*Nec latis audax Hispania terris:*

non aliunde, vt pessimè excogitauit *Passerat.*& contra *Tibullum* ibidem:

Iam simul audacis veniant certamina Martis.

Et concinit *Manlius libr.*4.*Astronom.* *Gallia per censùs, Hispania maxima belli.* Et *Flauius Vegetius de re militari lib.*1.*cap.*1. vbi ita ait: *Hispanos quidem non tantùm numero, sed etiam viribus corporum nostris præstitisse, manifestum est.* Hæc autem omnia & similia (quæ strenuam virtutem, tenaciorem apprehensionem, & superiores animos Hispanorum semper demonstrarunt) in causa dubio procul fuere, vt ritum & rationem anni, nouè à Romanis inducti, seriùs admiserint, & Æræ simul nomen tanto tempore retinuerint.

Demum hoc vnum isto §. subad-
40 dam, & post annum Iulianum † Romanis ciuiles, & communes tricenos æquales fuisse, vt præmonstraui s̃.*n.*8. & clarè probatur ex *Gai.* responso in *l. si venditor* 28.*ff.de ædilitio edicto*, ibi: *Intra duos menses*, iuncta *l.quod si nolit* (quæ Auctorem habet *Vlpianum*) *§.si quid ita*, ibi: *Intra sexaginta dies*, & iterum ibi: *Si tempus sexaginta dierum præfinitum*, & in *l.ædiles aiunt* 38. (eiusdem *Vlpiani*) *ff.illo titul. Paulus* in *l.vbi lex* 102. *ff. de diuersis regulis iuris.* At *Gaius, Vlpianus* & *Paulus* mulro tempore post annum Iulianum scriptis suis ista commendarunt; quæ etiam placuerunt *Iustiniano* in *l.fi.§.similique modo, cum seq.C.de iur.deliber.* vbi tres menses & nonaginta dies pro eodem vsurpat, & clariùs in *Nouella* 115. *vt cùm de appellat.cognoscitur, c.*2. quæ est *Authentica iubemus, C.de iudiciis.* Et hac vnica causa (id est, vsurpatione mensis & triginta dierum pro eodem in iure) innititur ratio decisionis *Marcelli* in finalibus illis verbis *d.l.*2.*ff.de diuersis & temporal.præscription. Et si quis fundum ea lege vendiderit, vt nisi in diebus triginta pretium esset solutum, inemptus esset fundus, dies intercalaris proficiet emptori, mihi contrà videtur:* vt iam s̃.ex *Glossa* ibi eruimus, & probauimus.

ET INDE velut euidenter † inferri 41
videtur, leges de mensib. partus mentionem facientes (eæ sunt *l. septimo mense* 12.*ff.de statu homin.l.intestato* 3.*§.fin.ff.de suis & legitim.hæredib. l.Gallus* 29.*ff.de liberis & posthumis, l.fi.C.de posthumis hæredib.instituend.*) intelligendas de mensibus communibus tricenis æqualibus, non de Iulianis, vt supponit *Menoch.lib.*2.*de arbitrariis, casu* 89.*n.*44.& 45. nec de Lunaribus, vt putauit *Alberic.Gentilis*, iam relatus, & j̃.refellendus.

Et hanc mensium computandi rationem in iure communem & sequendam scribit *Ioannes Andreas* post additionem *Glossæ Accurs.* verb. *secundò*, in *l.*3.*§.fi.ff.de suis & legitim. hæredib.* & ab eod. *Ioann.Andr.* obseruat *additis Glossæ in c.quam sit, §.*1.*de electionin* 6. vbi *Franc.n.*4. *Decius* & *Cagnol.in d.l. vbi lex, ff.de diuers.regul.iuris:* iste *nu.*1. ille *n.*2, *Menoch.de arbitrariis li.*2.*casu* 50.*ex nu.*12. *Hieronym.Gonzalez*, post alios, *ad regul.*8.*Cancellariæ gloss.*11.*n.*8. *Mascard.de statutorum interpretat.conclus.*

clus.3.numer.17. *Marius Giurba*, plures referens, *in consuetudin. Messan. capite 2. gloss.15. num.13. par.1.* *Cuiac.* optimè *de diuers. & temporalib. præscriptionib. c.10.*

Ab his fit, vt regulariter cùm in iure
42 † mensium fit mentio, de tricenariis intelligatur. Et hoc sensu accipienda est *l. cùm bissextum 98. de verbo. signific.* *Authent. ei qui, C. de temporib. appellat.* (quæ est *Nouella 49. in princ.*) cum cæteris, in quibus mensis mentio fit. Et *l. non tantum, 19. C. de legat.* quæ de duobus nuptiarum primis mensibus loquitur, quibus legare, vel inuicem heredes sese instituere olim sponsi non poterant. Et *l. vnica, C. de noui oper. nuntiat.* quæ loquitur de tribus mensibus intra quos debet terminari noui operis inhibiti nuntiatio. *l.2. C. de vsuris rei iudicatæ*, vbi condemnationis retardatæ solutio vltra quatuor menses vsuras centesimas parit. Et *l. properandum 13. §. siquidem, Cod. de iudiciis*, quæ de septimestri litibus fiscalibus finiendis præstituto agit. Et *Authentica qua in prouincia, C. vbi de crimine agi oporteat* (quæ est *Nouella 69. §.1.*) quæ de nouem mensibus, citatis ex longissima Prouincia concedendis, tractat. Et *Authentica nouo iure, C. de pœna iudicis, qui malè iudic.* (quæ est *Nouella 124. c.2.*) vbi decem menses post latam sententiam conceduntur ad accusandum da..tes, aut accipientes pecunias, vt iudicem corrumpant, vel aduersarium. Ita vt leges istæ, & plures aliæ mensium rationem habentes, intelligantur de mensibus ciuilibus communibus, id est, de tricenis æqualibus.

Huius autem rei ratio (explosa noua & irridenda *Alberici Gentilis in tractatu de diuersis tempor. appellation. c.4.* sumpta à vulgari regula *l. maiorem, ff. de pactis*: & alia, quam refert & refellit *Menoch. d. casu 50. à num.15.*) ea
† mihi est, quòd ad communem gentium vsum tricenus mensis accommodatior esset, vt qui semper vno æquali & rotundo numero constaret: & ita faciliùs conciperetur, *l. Labeo*, cum notatis, *ff. de supellectili legata.* Quin ex eadem mensis dimensione faciliùs negotia expediuntur dubia, litésque cessant in maiore, minoréve parte dierum, aliàs mensibus assignanda. 43

Sed hanc communem & regularem mensium computationem nostri variis modis limitant. † Primò in mensibus ad prosequendam appellationem datis, qui 31. dierum sunt in *l.2. & vltim. C. de tempor. appellat.* Nam cùm terminus in fauorem appellantis datus fuerit, vt ex prædictis legibus, & aliis clarè patet, inde menses plurium dierum, id est, 31. appellanti indulgentur in illis legibus: id clarè ita decidentibus hoc vnico casu, *Cuiac.* in *d. l. vbi lex, ff. de diuers. regul. iuris*: quasi standum esset communi regulæ mensium tricenorum; nisi aliud disertis verbis prædicta iura statuissent. Quod vltimum miror nostros præteriisse, maximè *Menoch. de arbitrar. libr.2. d. casu 50.* *Alberic. Gentil. d. c.4.* *Giurbam d. gloss. 15.* qui ex professo ista tractarunt. 44

Ab his verò aliam conflauerunt limitationem *Menoch.* † *d. nu.2.* *Marius Giurba d. glos.15. nu.16.* dicentes regulæ propositæ standum non esse, quo casu ex verbis, vel mente legis constiterit, de quo mense actum fuerit: quod vltimum tantummodo verificatur in decisionibus *d. l.2. & fin. C. de tempor. appellat.* 45

Tertiò limitari solet in mense alicui præfixo ad aliquid agendum, quem nostri eorundem esse debere dierum dicunt, quos habet mensis

præfixionis: vt si die quinta Martij mẽ-
sis terminus assignetur, is die quinta
Aprilis finiatur, quæ fuit sententia
46 † *Glossæ* verbo *mensem*, in d.*c. quàm sit,*
de elect. in 6. & *Glossæ* in *l. 2. ff. de diuers.*
& temporal. præscriptionibus. Bartoli &
Alciati in d.*l. cùm bissextum, ff. de verb.*
signif. & aliorum plurium, quos refe-
runt & sequuntur *Menoch.* d.*casu 50.*
n. 21. & seqq. Giurba d.*Gl. 15. nu. 15.* Sed
ego non video in iure rationem vl-
lam, qua ista communis assertio possit
inniti, & casum istum à communi re-
gula excipere: id quod sensisse videtur
Bald. in d.*l. 2. §. sin autem, C. de tempo-*
rib. appellationum. Decius in d.*l. vbi lex,*
ff. de diuers. regul. iuris, qui communem
istum Doctorum assensum ex benigni-
tate potiùs quàm iuris rigore proce-
dere dicunt: & disertè quidem, quic-
quid *Menochius* dixerit s̃. *num. 22.* Qui
suo Marte ibidem ab hac communi
resolutione excipit mensem Februa-
rij. Hæc autem iuridicę veritatis ama-
toribus velim tantù n dicta: nam com-
munem, & inueteratam Interpretum
sententiam quis non videt praxi te-
nendam & sequendam?

47 Quartò limitat † *Menochius* in mẽ-
se vtili, quem ad locupletandum suum
de arbitrariis tractatum, arbitrarium
fecit: & ideò nulla ductus ratione, vel
lege communem improbauit Iuris
Interpretum assensum, qui mensem i-
stum tricenum affirmant: & rectè qui-
dem iuxta *Vlpiani* insignem decisio-
nem in *l. mariti 29. §. sex mensium, D. ad*
leg. Iuliam, de adulter.

48 Quintò limitat † *Albericus Gentilis*
d.*ca. 4.* si plurium mensium mentio fa-
cta fuerit, & de excusanda contum a-
cia, aut qualibet culpa agatur: *Tunc e-*
nim (ait iste) *iuxta rationem* d.*l. vbi lex,*
de regulis iuris procedemus, & benignè
ex legis sententia, qua poterit longiorem
mensem super includemus: ita vt si
trium mensium dilatio data sit, eum
nos, & qui nonagesimo secundo die ve-
nerit, audiemus. Sed generalis ista pro-
positio aptari non debet d.*l. vbi lex,* † 49
quæ (vt acutè & plura adducens ten-
tat *Iacob. Rauard.* ibi) singularem deci-
dendi rationem habet, quod & eius
inscriptio videtur innuere.

Nisi velis cum *Cuiacio* asserere, nil
noui in casu illius *legis* statuendum, vt
in qua abundant verba illa, *primo die,*
quod mirè comprobat *Cuiacius* in illa
lege. Et antea annotauerat *in tractat. de*
diuersis præscription. c. 13. à *l. pater 30. §.*
sexaginta, ff. ad l. Iuliam, de adulteriis,
vbi *Paulus* ait: *In diebus sexaginta* (qui
pro duobus mensibus reputantur) *&*
ipse sexagesimus est. Addit *Cuiacius* in
lib. περὶ χρονικῶν διαστημάτων (ab ipso
luce donato) *sexagesimo* tantùm legi
ibi: ἐὰν δύο μῆνας εἴπῃ ὁ νόμος, τὰς ἑξήκον-
τα ἡμέρας ἀντὶ τούτων προσδέχου. Et
idem in *Basilικῶν* libris scriptum an-
notauit *Petrus Faber* (*Cuiacium* sequu-
tus) in d.*l. vbi lex.* Quæ si latiùs voluit
accipere menses, cur, quęso, (cum *Cu-*
iacio) non ait, & qui sexagesimo se-
cundo die venerit: cùm ampliores mẽ-
ses fauorem personę, cui terminus prę-
figitur, attendentes, 31. dierum sint in
d.*l. 2. & fin. C. de tempor. appellatio-*
num?

Adhæc communi lectione attenta
d.*l. vbi lex* omnia quæ de mense trice-
no dicta sunt, ex iuribus s̃. adductis,
corruunt: est enim generalis proposi-
tio huius *textus* omnes casus compre-
hendens in legibus mensium mentio-
nem facientibus contentos. Demum
mihi persuadeo ab ignorante ratioñe
dictæ *l. vbi lex*, attenta lectione *Cuiacij*
(quam ipse & *Faber vbi s̃.* adstruunt)
additam dictionem, *primo*, vt est in
vulgaribus Codicibus, vel *& in primo,*
vt est in Pandectis Florentinis.

Dices, ista contrariari omnium Co-
dicum receptæ lectioni, & ideò non
admittenda. Primum concedimus,
con-

consequentiam respuimus, ne omnes veterum librorum illustres castigationes inconsultò damnemus: quis enim ignorat in textus Digestorum multa inscië passim irrepsisse, quæ ineuitabiles emendationes *Cuiacij*, *Antonij Fabri*, & aliorum (non omnes inde probo) exposcunt. Hoc autem verosimilius est accidisse, vbi causa vel color aliquis veri textus interuertendi deprehenditur. Nec adeò tenaces esse debemus in propugnatione communium lectionum, vt ab istis veras & irrefragabiles iuris rationes supprimi & deuinci sinamus. Cui verò ista non placuerint, adeat *Ræuardum* citatum *supr.*

Sexto & vltimo loco propositam
50 communem mensis communis rationem & computationem limitat† *Alber. Gentil. de diuers. tempor. appellat.* d. *cap. 4. In casibus* (ait) *qui vulgi non sunt, nec nostri, sed artis alterius & exquisitioris, in libris Astronomicis & Physicis inque horum sententijs non cum vulgo, sed cum ipsis Astronomis & Physicis sentiendum est. Ita menses eos intelligemus apud ipsos, de quibus ipsi sentiunt. Hoc moneo* (subdit) *propter l. septimo mense, ff. de statu hominum, quam non de mensibus triginta dierum (vt Cuiacius vult ad Paulum lib. 4. Sententiar. tit. 9.) Nec de his qui surgunt à ratione, l. vbi lex (vt Albericus scripsit ad d. l. septimo mense) sed de Lunaribus intelligemus. Nec tamen de septem Lunaribus perfectis, quod Paulus d. titul. 9. notat, & Macrob. ad Somn. Scipion. lib. 1. cap. 8. Nec de centesimo octuagesimoquarto die mensis septimi ex Alberici calculo. Nec de centesimo octuagesimo secundo, secundo septimi ex supputatione Menochij & Cuiacij: sed de exactis sexto mense quinque diebus & horis quindecim septimi, id est, anno dimidio.* Sed ista *Gentilis* (quæ aliquibus veris, aut verosimilibus intermixtis pluribus scatent erroribus) in priori & principali propositione (quam nunc prosequimur) non procedunt, reiiciendáque sunt, & exterminanda attentis per nos traditis in *isto* §. & *superioribus*, clarè demonstrantibus communem & peræquè apud omnes gentes inueteratum vsum mensis triceni ab *Hippocrate* & *Aristotele* (principibus Medicæ artis, & Philosophicæ scientiæ) præ cæteris admissum sæpè & sæpiùs in suis scriptis iam per nos *supr.* expensis. Fatemur *Hippocratem in lib. de septimestr. part. in princ.* (quò loci respexerunt *Vlpian.* in *l. intestato. §. fin. ff. de suis & legitim. hæred.* & *Paulus* in *l. septimo mense* 12. *D. de statu homin.*) mensibus Lunaribus in dimensione illa 182. dierum septimestris partus vsum fuisse: hoc tamen (quod singulari causa ita ab *Hippocrate* initum est ex adductis per nos in *§. præceden.*) regulæ generali ab *Alberico Gentili* confictæ adaptari nec debet, nec potest. Longè ergo verius est d. *l. septimo mense*, & dict. *l. intestato* de mensibus communibus tricenis æqualibus intelligendas, cum d. *l. Gallus, ff. de liber. & posthum.* & dict. *l. fin. C. de posthum. hæred. instituend.* ex iam dictis & notatis per nos: ita vt 182. dies (de quibus *Hippocrates supra*, & *Vlpianus* in d. *§. fin. l. 3.*) secundum diem mensis septimi attingant, vt strenuè annotarunt *Cuiacius* & *Menochius* relati ab isto *Alberico*.

Hæc cùm ita se habeant, quod attinet ad mensium dimensionem & computationem etiam post annum Iulianum, eo tamen attento, †ciuilis vsus 51
non admisit in annorum computatione, vt clarè probat d. *l. anniculus* 134. *ff. de verbor. signif.* *l. ita vulneratus* 51. *ff. ad leg. Aquil.* cum aliis *supr.* adductis, in quibus clarè exprimitur, annum ex 365. diebus conflari: notat *Gouean. libro 1. lection. variar. ca.* 10. *Cuiac. de diuersis temp. præscrip. cap.* 10. & in *l. cùm bissex-*

tum 98. ad fin. ff. de verb. signif. Hoc ideò forsan tam variè euenit (vti ergo vltra omnes existimo) quia anni post Cæsarem vna eadémque semper dinumeratio est, cùm & annus quo dies intercalaretur, eodem numero dierum constaret, iuxta *textum* in d. *l. cùm bissextum 98. in princ.* & in § *fin. ff. de verb. signifi.* At menses dispares remanserunt, & eorum vera ratio & dinumeratio variis dubiis & litigiis exposita, ni ciuilis & communis vsus eos tricenos æquales faceret, vel (vt propriùs loquar) conseruaret.

Hæc mihi de communium ciuilium annorum & mensium Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum computatione dicenda occurrerunt, quæ ad mensium partus constitutionem Theologo, Iurisconsulto, Philosopho & Medico necessaria duco. Qui plura scire cupit, adeat præallegatos. Etsi forsan annorum o-
52 mni æuo initium † scire desiderat (post *Philonem in libr. de vita Mosis, Plin. lib. 18. c. 18. Solin. cap. 45. Firmicum Maternum lib. 8. c. 3.* & vltra *Scalig.* relatum & impugnatum à *Thoma Lydiato de diuers. annor. form. c. 2.* & præter nouissimos *Merin. Mersenium in Genes. c. 5. vers. 4. quæst. 61.* & *Dionys. Petauium in animaduersion. ad Epiphanij libr. 1. tom. 1. hæresi 27. & 51.*) perlegat ex nostris *Albericum Gentilem de diuersis tempor. appellat. capite 3. Elbertum Leoninum lib. 5. de emendationum, cap. 12.*

ILLATIO AD priora capitis.

SIT IGITVR omnium prædictorum verissima, & constans con-
53 clusio: † & propositæ quæstionis sub initium huius capitis certa resolutio, editos post ducentesimum & septuagesimum diem, ex quo decimum mensem communem tricenum attingunt, & ab eo quod noni mensis superest (vt loquamur cum *Hippocrate in libr. de septimestri partu in princip.* iam s. relato) decimo mense natos videri, & decimestres appellandos. Vt inde Na-
talitium † DOMINI (quod 276. die- 54
bus ab incarnatione sacrosancta obuenit) decimo mense, à virginea DEIPARÆ, Reginæque Angelorum grauidatione obtigisse dicamus: quod disertissimis quidem verbis, doctissimorum doctior & sanctissimus Augustinus expressit *lib. 4. de Trinitate, c. 5.* iam per nos citato, cùm ait: *Et quadragies sexies seni fiunt ducenti septuaginta sex: qui numerus dierum complet nouem mēses & sex dies, qui tanquam decem menses parientibus fœminis imputantur. Nō quia omnes ad sextam diem post nonum mensem perueniant, sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum producta comperitur, sicuti à maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas.*

Quæ cùm *Henricus de Gundauo* non percepisset, † nec mensium trice- 55
norum æqualium rationem & dimésionem calleret, *D. Augustinum* miratur, & ferè redarguit, *quod lib. 15. qu. 13.* dicens: *Sed ratione talis conceptionis secundùm vtrumque modum quæstionis competenter celebratur festum conceptionis* CHRISTI, *quod vocatur festum Annuntiationis, & celebratur 25. die Martij, videlicet octauo Calendas April. à quo vsque ad diem Natiuitatis Domini, quod est die 25. Decemb. videlicet octauo Calen. Ianuarij fluxerunt 39. septimanæ & duo dies, qui sunt decem menses vsuales præter quatuor dies, computando 28. dies pro mense, computando verò menses Lunares in vno mense 29. dies, in alio verò 30. sunt nouem menses & decem dies: computando verò menses Calendarij sunt nouem menses nec plus nec*

nec minus: *Augustinus autem computās menses breuiores, nescio qualem computum dierum in mense sequutus, computat tantum nouem menses & sex dies.* Sed quis non videt tenebras istum palpasse, attētis omnibus prædictis? Ad quæ is reducendus est † *Ioan. Picus Mirandulanus in carmine ad Virginem:*

Voluitque nouem
Gestarier aluo
Mensibus integris.

Et ab eadem causa, & principiis secutè tenendum est cum nouissimo *Pat. Ioan. Baptista Poza in Elucidar. Deiparæ, tract.6.cap.1.& seqq.* conceptum VIRGINIS & CHRISTI Præcursoris decimum attigisse mensem, ita vt MARIA, & IOANNES Baptista decimestres fuerint, ac CHRISTVS Dominus. Quidquid in contrarium nouissimè excogitarit *Paul. Zacchias in Medico-legal.tit.2.quæst.2.num.22.*

Demum prædictæ illationis & resolutionis sit velut subalterna & necessaria sequela, decimestres partus frequentiores† & perfectiores cæteris: 57
& pro eis in dubio nobis semper præsumendum & iudicandum (quidquid Interpretes Iuris relati in initio huius capitis securè & sinistrè in cōtrarium existimauerint, præmaximè nouissimus *Paulus Zacchias in Medico-legal. lib.tit.2.*dict.*quæst.2.vers.sed dubitatur*) Horum enim sententia apertè refellitur ex s̄.traditis, & dicendis in *cap. sequenti*, maximè à *num.5.*

CAPVT XIII.

DE NATIS IN MENSE decimo, & obiter de anno luctus.

SYNOPSIS.

1 *Interpretes Iuris, vno aut altero excepto, decimestres partus probarunt, & legitimos agnouerunt.*
2 *Lex Decemuiralis & aliæ stant pro decimestribus. Et n.3. pro eis Formula Galli Aquilij, cum aliis expenditur.*
4 *Notatur & refellitur* Anton. Faber *decimestrium impugnator.*
5 *Inconcussa omni æuo Philosophorum & Medicorum opinio decimestres partus perfectiores & frequentiores voluit.*
6 *Mensis decimestris frequentissimus est apud bonos auctores.*
7 *Annus* Homeri *decimestris est.*
8 *Tēpus 10. mensiū partionibus cōmuniter cōcessū, ab Antiquis* annus *appell.*
9 *Annus luctus 10. mensium. Et nu.10. hoc probat* Auctor *ex* Cicerone *& aliis. Et n.11. ex* lege Theodosij.
12 *Hodie & post Ius Cano. aliquas pœnas siue multas secūdo nubentes incurrūt.*
13 *Causam interdicendi nuptias intra annum luctus expressit* Vlpia. *in* l. liberorum, ff. de his qui nota. infam.

14 *Opinio* Mercerij *ad dictam* l. liberorum *impugnantur.*

15 Auctor *nouam & necessariam interpretationem ad d.* l.liberorum *adsignat. Et num.16. & 21. Et comprobat ex* Harmenopulo *num.17.*

18 Harmenopulus *(existimans viduam intra annum luctus nuptias nouas inire non posse, etsi pepererit intra legitimum tempus) impugnatur. Et num. 19. reijcitur concordia ab eius Interpret. adducta.*

20 *Improbatur iudicium Pontificum pro Augusto, adducente Liuiam Drusillam vxorem Domitij Neronis.*

22 L. consensu, vers. si verò, C. de repud. *interp. Et ratio secunda ad d.*l. liberorum *adsignatur.*

23 *Aliam ex* Accursio *adducit rationem ad d.*l.liberorum. *Et num.24. aliam ex* Cuiacio.

25 *Causam incertitudinis prolis impugnat.*

26 Cuiac. *distinguens inter matrimoniũ solutum morte, vel diuortio refellitur. Et num. itidem 27. eius distinctionem impugnat à* l.consensu, §. hæc nisi, C.de repud.

28 *A principe olim impetrari solebat, vt mulieri intra annum luctus nubere liceret. Et num.29. Iure Canonico, & nouioribus legibus prædicta immutata notatur.*

30 *Annus luctus continuus erat.*

31 Ræuardi *& aliorum distinctio inter verba* lugêre *&* elugêre *impugnatur.*

32 Ræuardus, *qui decretum citatum à* Gordiano *refert ad cladem Canensem, impugnatur. Et num.33. ad aliud. Senatusconsultum refertur.*

34 *Senatusconsulta aliquando instante Principe fiebant.*

E H I S actum plenè fuit *superiore capite*, & inibi quàm euidenter demonstratum omnium humanarum partionum perfectiorem, firmiorem, & frequentiorem eam esse, quam decimo mense Natura edit in lucem: explosa Interpretum Iuris contraria sententia, qui ista nonomestri partui tribuebant.

At ibi dictis addendum est; nõ ideò † Doctores nostros (qui editis nono mense maiorem perfectionem tribuebant) partus decimestres improbasse, & à Naturæ cursu alienos diiudicasse: omnes enim (vno aut altero excepto; ex dicendis *infrà*) eos in naturalium, legitimorumq; numero constituerunt, maximè *Bart.* & reliqui *à Gilkenio* relati in *l.Gallus n.52.D. de liber. & posth.* vbi *Donel. in princ. Pichard.* ibidem, *cap.3. à num.* 201. *Menoch. de arbitrar. lib. 2. casu* 89. ex *nu.40. Hotman. libr. 9. obseruationum cap. 9. Dalnerus de iure hominis, par. 6. num.*14. *Hadrian. Negusant. in sylua responsor. quæst. 400. nu.37. Henricus Salmuth ad Pancirolum tom. 2. rer. memorabil. tit.* 10. Idque euidentissimè probatur in lege † Decemuirali (quæ *Ricardo Vito* est 45.) ita aiente: *Si mulier post viri mortem in decem mensibus proximis parit, qui, quæve ex ea nascetur, suus, suáve in viri familia hæres esto:* & in illa altera ab *A Gellio libr.3. Noct. Attic. Prateio* & alijs vsque ad *Gothofred. in fragmentis legum xij. Tabulr.* sub *tit. de statu homin.* ita concepta: *Decemviri in decimo mense gigni hominem, non in vndecimo:* quibus concinunt *Vlpian.* in *l. 3. §. post decem, D. de suis & legitim. hæredib. Paulus libr.4. Sententiar. tit. 9. §. septimo mense,* cum aliis adductis ab *Hotmano libro 3. antiquit. Roman. cap.*8.

Sed præ cæteris hac eadem receptissima veritate innititur formula † *Galli Aquilij* (relata in *lege Gallus* 28. *D. de libr. & post.* in illis verbis: *Intra decem menses proximos mortis meæ natus, &c.*) & *Marcelli* in *l. fin. ff. de fideicom. libert.* ibi: *Intra decem menses. natus, natáve*

natáve erit: & *Iustinian.*in *l.vltim.* ibi: *Intra decem mensium spatium*: & mox ibi: *Intra decem menses proximos mortis meæ nascentur. Cod.de posthum.hæredib. instituendis.* Ex quibus planè deprehenditur, primis Iuris Ciuilis Romani conditoribus, & sequentibus Iurisconsultis, & posterioribus Imperatoribus decimestres partus non solùm legitimos, verùm & frequētiores, maturioresque fuisse.

Vt inde valdè sit notandus *Ioannes Lalamantius*, qui *in commentar. sup. ca. 2. libr. 1. de dieb. decretor. Galeni, fol. 297.* partiones decimestres velut abortiuas
4 putauit. Nec minùs *Anton. Faber* † qui *in suo C. lib. 5. tit. 7. defin. 7. schol. vlt. in fin.* contra prædicta (omni tempore irrefragabilia) ausus fuit asserere, præsumendum non esse parientem decimo mense à morte mariti ex semine defuncti concepisse, quo nihil dici, aut excogitari potuit deuius à Iuris Ciuilis decisionibus.

5 Quin & ab inconcussa omni † æuo sententia Philosophorum & Medicorum (quos expendimus in *cap. præcedenti*) expressè affirmantium, decimestrem partū perfectiorem & frequentiorem omnibus. Stetit enim omnis antiquitas pro decimestribus, vt disertè à *lege xij. Tabul.* & aliis elicit nouissimè eruditus *Rodolph. Magistr. de limit. humani partu.* Id quod mihi vltra tradita in *capite præcedenti*, aptissimè probat *Tertullian. lib. de anima, cap. 37.* dicens: *Legitima natiuitas fermè decimi mensis ingressus est. Qui numeris ratiocinantur, & decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt. Ego potiùs ad Deum argumentabor hunc modum temporis, vt decem menses decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur.*

6 Et sanè ab his frequentissimus † est hic mensis apud bonos Auctores, maximè, *Plautum in Sticho actu 2. scena 1. versu 6.*

Nam me illa in menses gestauit decem.

Et *in Trucul. actu 2. scena 4. vers. 48.*

Quoniam iam decimus mensis aduentat prope.

Et mox:

Amicam decimo mense post Athenas Attias viso,
Quam grauidam reliqui meo compressu.

Sed & *Terentius* ita in proposito *in Adelphis* scribit *actu 3. scena 4.*

——Virgo ex eo
Compressu grauida facta est, mensis hic decimus est.

Et *in Hecyra actu 5. scena 3.*

Nam memini ab hinc menses decem ferè ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, &c.

Seneca *in Thebaide, actu 4.*

——Per decem menses graues
Vteri labores, pérque pietate inclytas
precor sorores.

Virgil. *Eclog. 4.*

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Ouidius *lib. 2. Fastorum*:

Luna nouum decies impleràt cornibus orbem,
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.

(quæ & ad menses Lunares relata nouem communibus mensibus non includuntur: quandoquidem decem Lunæ impletæ seu perfectæ 270. dies, quibus nouem mēses communes constant, clarè prætergrediantur.) Idem *Ouid. lib. 3.*

Seu quia bis quino fœmina mense parit.

Et *lib. 5.*

Iámque decem menses & puer ortus erat.

Statius *lib. 1. Syluarum* in Epithalam. Stellæ:

Acceleret partu decimum Bona Cynthia mensem.

Et *Cæcilius* ante illos relatus ab

A. Gellio lib.3. Noct. Attic.cap.16.

Insolétne mulier decimo mẽse parere?

Aristophanes *in Cerealibus:*

Δέκα μῆνας αὐτ' ἐγὼ ἐκύισχον:

Decem menses ipsam ego gestaui.

Menander relatus ab *A.Gel.libr.3. Noctium Atticar.d.cap.16.*

Γυνὴ κυεῖ δεκαμηνος:

Mulier decimo mense pariens.

Homer. citatus ab eodem *A.Gel.suprà:*

Χαῖρε γυνὴ φιλότητι περιπλομένε δ' ἐνιαυτῦ

Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα, ἔπει ἐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ

Ἀθανάτων.

Nunc gaude, dilecta, ast cùm se euoluerit annus.

Illustres (nec enim Diuum cubilia vana)

Natos nixa dabis.

7 Hoc autem loci Homer. † illis verbis περιπλομένε ἐνιαυτῦ, vel denotare voluit temporis περίοδον. i. circulum (erat enim vulgaris ἐνιαυτὸν περίοδων denominatio) quo partus perficiebatur: vel annum appellauit tempus tantùm decem mẽsium, ex quibus *Homeri* ætate componebatur, vt annotabimus in *ca.15.* vbi ista *Homeri* prosequemur latiùs sub *num.1.& 4.*

Vtcunque verò sit decem mensium commune tempus humanis partionibus designatum, *annus* apud Antiquos

8 †appellari consueuit, vt ex *Ouidio, Plutarcho,* & aliis probauimus in *cap.præcedenti, §.5.*

9 Et inde annus luctus † (de quo in *l. 1.* & in *l.genero 8. l.liberorum 11. ff. de his qui not.infam. l.decreto 15. Cod.ex quibus caus.infam.irroget. lege prima, Cod. de secund. nupt.*) decem tantùm erat mensium ex *Ouid.lib.1.Fastor.* iam relato in *cap.præced.§.5.* Id quod per quam optimè notarunt *Iacobus Cuiac.lib.6.obseruat.cap.32. Rauard. libro primo, variar. capite vigesimo, Balduinus ad leges xij. Tabul.in l.decima septima, numero duo-*
decimo, Brisson. Gothofred. Osuald. & alij, quos nouissimè recenset & sequitur *D. Amaia lib.1.obseruation. capit.2. numer.11.* Idque mihi probat † *Cicer.* 10
pro A. Cluent. Quæ mulier obtestatione viri decem illos menses, nec domum quidem vllam nisi socrus suæ nosse debuit, hæc quinto mense post viri mortẽ ipsi Oppianico nupsit: quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt: erant enim non matrimonij dignitate, sed sceleris societate coniunctæ. Et *Seneca* cùm *epistola 63.* scripsisset: *Annum fœminis ad lugẽdum constituere maiores,* & hoc ipsum repetiit *in libr. de consolatione ad Heluiam capit. 16. in princ. Maiores* (inquit) *decem mensium spatium lugentibus viros dederunt.*

Nec admitti potest concordia *Antonij Clari libr. singulari ad leges xij. Tabularum capite vigesimo quarto,* intelligẽtis *Senecam ad Heluiam* in luctu viduarum, quem decem mensibus præfinit, & in dict. *epist. 63.* in luctu parentum, & aliorum, quem anno integro 12 mensibus constante concludi putat ex *Dionysio Halicarnas. lib. 5.* Nam *Seneca* vno & altero loco iisdem ferè vtitur verbis: *Et maiores lugendi tempus constituisse* ait, &c. nullibi autem inuenimus, annum integrum mulieribus cõcessum ad lugendos parentes & necessarios. Ad hæc *Seneca* dict. *epist. 63.* loquitur de luctu viduarum, vt clarè indicant verba illa subsequentia: *Quã tamen mihi ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo, vix à cadauere reuulsis, cui lachrymæ in totũ mensem durauerint?* Vt inde quam euidẽtissimum sit, *Senecam* & *Halicarnaseum suprà,* & *Sidoniũ 4. epist.* & cæteros antiquos anni luctus mentionẽ facientes, intelligẽdos de anno decimestri. Nec subinde impedimento nobis esse potest *Clari* consideratio, qui (cùm à tempore Numæ annus duodecim esset mensium) putauit temporibus insequẽtibus anni nomen ad decem tantùm menses referri.

ferri non potuisse. Nam luctus prædicti spatium semper & omni tempore anni nomine indigetabatur, vsque dũ
11 ex † *l. Theodsij* (quæ est 2. *C. de secund. nupt.* & in *C. Theodosiano* 1. *tit.* 8. *libr.* 3.) anno communi luctus decem mensium alij duo sunt additi.

Quas quidem leges cùm ignorasset *Lipsius*, magno lapsus fuit errore *in scholijs ad* dictum *cap.* 16. *de consolatione*, in conciliatione prædictorum locorum *Senecæ*, quem optimè refellit *D. Amaia lib.* 1. *obseruationum, capit. secundo, numer.* 11. à *l. parentes, ff. de his qui notantur infamia.* Est enim constitutissimi iuris (*Lipsio* ignoti) à tempore *Legis Theodosianæ* prædictæ annum luctus vertentem, Solarémve esse cœpisse, cùm anteà decem tantùm mensibus constaret: & ita ab omnibus Iurisprudentibus in hodiernum vsque vsum percipi notat *Cuiacius* (quasi errorem notans Grammaticorum & aliorum, qui politioris litteraturæ nomine cohonestantur) in πραγματεία, siue *de diuersis tempor. præscript. cap.* 13. & ante eum *Balduinus ad leg. xij. Tabular. l.* 17. *nu.* 12. & cum eo *Donellus*, *Gothofredus*, & alij, quos refert & sequitur *D. Amaia d. cap.* 2. *nu.* 11. Et probatur in *cap.* 1. *de secund. nupt.*

12 Quod summè necessarium † scitu est: nam licèt hodie Iure Pontificio *ca. penult. & vltim. de secund. nuptijs*, & *ca. de viduis* 27. *quæst.* 1. cum pluribus aliis decisionibus relatis ab *Ant. Augustin. in epito. Iur. Pontif. veter. libr. vigesimo octauo tit.* 30. (quas praxis totius Reipublicæ Christianæ in vtroque foro amplexa est, vt quæ *Apostoli* auctoritate muniuntur, 1. *ad Corinth. cap.* 7) pœnæ infamiæ & aliæ secundo nubentibus impositę à legibus *supra* relatis & similibus, abrogatæ fuerint: & nobis etiam est *tex. in l.* 5. *titulo primo, libro quinto, ordinam.* hodie *l.* 3. *tit.* 1. *li.* 5. *Recopilat.* correcta anteriore, *l.* 13. *tit.* 1. *libr.* 3. *Fori*, & *l.* 3. *tit.* 12. *p.* 4. *l.* 5. *tit.* 3. *par.* 6. cum *l.* 3. *titul.* 6. *part.* 7. sunt tamen & hodie plures aliæ pœnæ, vel (vt propriùs loquar) incommoda interantibus nuptias obuenientia, quæ non tam vindictam & punitionem, quàm amissionem lucti à primo coniuge prouenientis respiciunt: velut amissio virilis partis proprietatis, lucrorum nuptialium, educationis tutelæque liberorum, & alia plura cõtenta in *l. fœminæ* 2. *cum seqq. C. de secun. nuptiis*, & in *Nouel.* 22. *de nupt. ca.* 40. (à quo desumpta est *Authent. eisdem pœnis*, *Cod. illa titul. de secund. nuptiis*) & in legibus Patriis relatis *suprà*, vt notat *Gregorius* in dict. *l.* 5. *tit.* 12. *part.* 4. *gloss.* 3. *in fine*, *Couar. in* 4. 2. *p. c.* 3. §. 9. *nu.* 5. *Costa* in *cap. si pater*, 1. *pa. verbo legauit. nu.* 34. *de testam. in* 6. *Ceuallos quæst.* 460. & 742. *Barbosa* in *l.* 1. 7. *par. num.* 18. *ff. soluto matrimon.* P. *Sanchez de matrimon. li.* 7. *disputat.* 78. à *num.* 21. & *disputat. seq. per totam*, nouissimè Petr. *Gudelin. lib.* 1. *de iure nouissimo, ca.* 12. *de secund. seu iterat. nupt.*

Sed ad propositum annum decimestrem luctus rediens noto, eius inducẽdi, & iteratas nuptias statò illo tempore interdicendi causam † expressisse *Vlpianum* in dicta *l. liberorum*, *ff. de* 13
his qui notantur infamia, ibi: *Qui solet elugeri propter turbationem sanguinis*, id est, vt ferè omnes interpretãtur, ob vitandum vteri incertum, vel dubiam prolem, vt disertis verbis dixit Imperator *Theodos.* in *l. consensu* 8. §. *hæc nisi*, *vers. si verò*, *C. de repudiis*, ibi: *Et nubendi post annum* (*ne quis de prole dubitet*) *permittimus facultatem.* At ratio ista nõ videtur concludere, imò nec verificari in ea muliere, quæ prægnans citra dubium esset à marito defuncto, in qua nulla prolis dubitatio, aut confusio inueniri potest.

Quid quòd turbatio sanguinis alia res est longè differens à confusione & incertitudine prolis, ex di. ẽdis illicò,

maximè *numer.16.in fine.*

14 Quare † *Ioannes Mercerius lib.2.opinion. & obseruation.opin.20.* vt difficultatem istam effugeret, nouè ait, *sanguinem* in dicta *l.liberorum* pro cognatione accipi, vt in *l. vel sanguine, ff. de manumiss. vindict. l. dotem, §. hæreditatem, ff. de castrensi pecul. l. iura sanguinis, ff. de diuers. regul. iur.* vt in *Horat. libr. 2. carmin. Ode vlt.*

------*Non ego pauperum*
Sanguis parentum: non ego quem vocas,
Dilecte Mæcenas, obibo.

Vt inde *turbatio sanguinis* idem sit *Vlpiano*, quòd confusio progeniei, cognationis nominis, familiæve: & hanc confusionem obuenire posse, ait, & in vidua effœta, si in secundis nuptiis superfœtare contigerit. Et ab his infert, *Vlpianum* in dicta *l.liberorum* in præcitatis verbis ad superfœtationem respexisse, quam *Iulianus, Paulus*que agnouerunt in *l. si pater 57, ff. de solut.* & in *l. antiqui, ff. si pars hæred. pet.* (de qua nos *infra in capite decimo nono* acturi sumus.

Sed ista *Mercerij* nimis restringunt generalia verba *Vlpiani*, & ad casum valdè singularem, & vix contingentem superfœtationis ea redigunt. Quinimò nec omni superfœtationi conueniunt (vt ipse *Mercerius* agnouit dict. *opin. 20. in fine*) sed ei tātùm, quæ intra quattuor menses τὰ πλεῖστα, vel ad summum contigerit: nam si vidua à quattuor mensibus prægnationis secundo viro nupserit, & superfœtauerit, partum secundum, etiam septimestrem minorem 182. dierum (de quo *suprà in cap. 10.*) transacto decimo mense edit, quo tempore in dubium erit à secundo marito genitum fuisse, iuxta *textum* in dict. *l. intestato 3. §. post decem menses, ff. de suis & legitimis hæredibus.* Quis autem sibi suadebit, casum adeò singularem & insolitum anno luctus causam præstitisse?

Adde *sanguinis* verbum ab *Vlpiano* prolatum cognationi adaptari non posse, quæ translatitiè *sanguis* appellatur in legibus à *Mercerio* expensis, vel saltem propriùs prolem denotat, vt in *l. consensit, vers. si verò, Cod. de repud.*

QVARE ego † vltra omnes tentari posse puto *Vlpianum* in dicta *l. liberorum*, de turbatione sanguinis intelligendum, quæ ex commixtione seminum prolificorum prioris & secundi viri euenire posset, si quæ effœta erat à primo viro, incubaret secundo: ita vt verbum *sanguinis*, quo vsus fuit *Vlpianus*, τὸ σπέρμα, & semen hominis generationem (vt communiter fertur) producentem ibi denotet. Etenim semen, & lac, quæ à sanguine proueniunt, appellatione lata, & propria quidem, *sanguinis* continētur, vt Philosophis & Medicis in cōfesso est, præcipuè *Galeno* qui *lib. 14. de vsu part. c. 4. & 8.* de lacte ait, id menstruo germanum esse. Sed & *Phauorinus* apud *A. Gellium lib. 12. cap. 1.* lac SANGVINEM appellat sæpè & sæpiùs in verbis per nos expensis in *cap. 3. §. 4. nu. 29.* simul cum *Plutarcho in lib. de amore prolis.* Déque eodem lacte dixit *Clemēs Alexan. in Pædagogo li. 1. ca. 6. prope fi. Quòd autē lac ex sanguine fiat per mutationē, iam quidem clarum est. Verùm id etiam ex pecoribus & ex bobus licet cognoscere. Hæc enim animalia tempore anni, quod Ver vocamus, cū humidior sit aer, herbæque & pascua sint melioris succi, & magis roscida, sanguine prius implētur, vt ex venarū quæ incuruātur, vasorū extēsione licet cognoscere: ex sanguine autē lac funditur vberius: cōtra autē æstate ab æstu adustus, & arefactus sistit sanguis mutatione, & ideò minus mulgentur.* Vnde lac sanguinem album rectè appellauit *Peramatus de homin. procr. ca. 15. & 16.*

De se-

De semine verò, si *Aristotelis* scripta perlegeris *libr.1.de gener.animal.c.19.*& *lib.4.cap.1.*& iterum in *lib.de spiritu,ca.6.sanguinem* id appellasse inuenies. Deque eo *Plutarch.lib.5.de placit. Philos.ca.3.Pythagor.* (inquit) *spumam esse subtilissimi sanguinis, & superfluitatem alimenti sicut sanguinem & medullam.* & hoc ipsum tenet *Clem.Alexand.supr.d.c.6.* Demus semen superfluitatem esse sanguinis ex *Plutarcho*, aut eiusdem excrementum ex *Aristot.d.lib.1.de gener.animal.c.19.* vel ex parte sanguinis aërea, oleosa, & pingui semẽ gigni, vt dixit *Peramat.in lib.de semine*, hoc sanè impedimento esse non debet, quominus semen *sanguinis* etiam nuncupetur: velut sanguis menstruus, qui excrementalis est, & simul necessarius ad formationem partium, vt plures putant, & nouissimè *Iacob.Guillemaus de gener.fol.256.*

Prædicta mirè approbat *Virgilius 2. AEneidos:*

--- *Quo sanguine cretus.*

Et *Cicer.pro Rosc.Amer.Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternúsque sanguis.* Indeque apud nos, & omnes *consanguinitatis, & consanguineorum* denominatio, quæ ab eodem scilicet semine & sanguine venientes denotat. Et sanè Antiquitas *cõsanguinitatis* nomine fraternitatem (vt ita loquar) solam denotabat, etsi Canonistæ hoc nomine abusi sunt in significanda omni cognatione, vt ait *Anton.Conti.in notis ad tit.2.lib.3.instit.*

Sed & in prædictorum cõprobationem ita eleganter edisserit Ἀρχιατρὸς *Galen.lib.1.de semin.ca.8. Vnà verò cum spiritu per arterias subtilior quidam, ac calidior, quàm is qui in venis est, sanguis attrahitur, ex quo videlicet calidissimum omnium viscus fabricatur, &c.* idem *eod.lib.c.12. Arteria & vena ad vtrumque testem descendere conspiciuntur, nõ recto itinere, vt reliquæ omnes, sed instar capreoli, aut hederæ variis modis inuolutæ. Vnde, vt puto, à dissectionis professoribus partim hederaria, partim capreolaris natura ipsarum fuit appellata: in his verò capreolis, & anfractibus, quos faciunt antè quàm ad testes prouenian, albescere paulatim sanguinem videre licet: tum demum vbi iam ipsos testes attigerint, seminis substantia in ipsis manifestè apparet:* & mox ita ait: *Quòd si ita est, in ipsis proculdubio seminis generatrix natura inerit, at ex sanguine in ipsis diutiùs immorante ipsum procrearunt; hunc enim vsum anfractus præstant, atque ita alteratum sanguinem in semen immutarunt:* & plura consimilia ibidem paulò inferiùs ex *Arist.* protulit. Et conferunt quæ *Plin.* edocuit in eleganti *cap.37.lib.11.* circa sanguinis per membra humana compartitionem, *Franc.Valles.li.2.controuers. Medicin. cap.7. Henric.Salmuth* (ex *Ioan.* Langio, & *Andr.Vesalio* insigni dissectore) ad *Pancirol.tom.2.tit.10.* egregiè noster *Pet.Garc. in Auicen.disput.35.c.1.n.2.ad fin.* vbi cur semen albescat, aperit: & *c.3.& 4.* à sanguine conflari ex pluribus probat.

Et sanè ab his omnibus improbãda venit sententia *Hippocr. in lib.1. de genit.in princ.& paulò inferiùs,* existimantis semen ab omnibus corporis partibus prouenire, quod & *Aristoteles* disertè impugnauerat *lib.1.de generation. animal.cap.17. & 18.* & nouè pluribus adductis *Marsil. Cagnatus lib.1.variar. resolutionum, capit.secundo.* Quibus adde *Platonem in Timæi dialogo ad finem,* ita dicentem: *Ipsum potus discursum quò per pulmones sub renes in vesicam defluens, & spiritus mixtus, elisúsque depromitur alij in fistulæ modum in compactam medullam à capite per ceruicem, & spinam deriuauerunt, quod quidem sperma, id est semen, in superioribus nũcupauimus.* Et conferunt latè tradita

suprà à *Pet.Garc.* d.c.3.*&* 4.

QVÆ omnia mirè comprobãt nostram nouam interpretationem ad illa verba: *Propter turbationem sanguinis,* d.*l.liberorum.*

Et sanè cuique attentè legenti contextum d. *l. liberorum*, velut euidens
16 fiet, si annotauerit † *Vlpianum* ibi generaliter proposuisse à morte prioris viri, etiam qui morte maiorum elugeri non oportuit, mulierem legitimo tẽpore nuptiis abstinere debere; *Prætor enim* (ait *Vlpianus*) *ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur*: *qui solet elugeri propter turbationem sanguinis*, quasi diceret, turbationis sanguinis incõueniens militare, & quo casu vir ob delictum, vel infamiam elugendus nõ esset, & ideò intra annum luctus secũdis nuptiis nullum superfore locum. Ex contrario infert illicò *Vlpianus* ex sententia *Pomponij*, viduam quæ legitimo tempore enixa est, statim nubere posse; ait enim: *Pomponius eam quæ intra legitimum tempus partum ediderit, putat statim posse nuptiis se collocare, quod verum puto*, id est, viduam, & ab eo viro qui elugeri debet partu legitimo edito, posse non exspectato luctus anno, nubere, quia causa & ratio turbationis sanguinis cessat isto casu. Tu his subadde ex sententia *Põponij* & *Vlpiani* (eum referentis) viduam septem & amplius mensibus effœtam (quo tempore nec vlla in prole incertitudo dari potest, etiam iuxta opinionem *Mercerij suprà* relati) nuptum collocari non posse; posse verò eam quæ illicò à morte viri peperit. Ex quo facilè percipies, turbationem sanguinis, de qua loquitur *Vlpianus*, non tantùm aptè & commodè, verùm & necessariò ad seminis prolifici concursum & commixtionem referendã, non verò ad incertum tantùm prolis vitandum. Et enim hoc euidentius fiet cuique consideranti proprium significatum dictionis illius TVRBATIO, à verbo, *turbo, as*, quod admixtionem, siue concursum infelicem, iniquum, vel parum aptum denotat, *Cicero de legibus*: *Omnia infima summis paria fecit*, TVRBAVIT, *miscuit*: idem *de Haruspicum responsis*: *Miscere, &* TVRBARE *omnia.* Inde *turbæ*: sed & *turba* in *Nonio Marcello capit.*12. (ex *Plauto, Terentio, Cicerone*, & aliijs quos refert) seu *turbelæ* in *Sext.Pomp.Festo*: & *turbulentæ*, siue *turbidæ* res, *Cicero Philippic.*2. *Verumtamen homines quãuis in turbidis rebus sint, tamen si modò homines sunt, interdum animis relaxantur.* Ergo turbatio sanguinis in d.*l.liberorum* idem est quod diuersorum seminum commixtio, vel concursus. Qui re vera datur, etsi à primo viro conceptus, esset septimestris, vel octomestris, quo tempore mulier secundo nubit. Et hunc demum vitare lex ciuilis voluit procul dubio, ob honorem priori viro debitum, qui illæsus vtique non remaneret, si eius posthumus (charum pignus) sanguine, aut semine secundi viri madefieret, & conturbaretur.

Adhæc, nostram prædictam interpretationem respexisse videtur † *Constant. Harmenop. in* Προχείρῳ, siue *Epitome Iur.lib.*4.*tit.*6. §.60. vbi turbationem sanguinis interpretatur *σύγχυσιν τῆς γονῆς*, i. *confusionem sanguinis*: etenim *γονὴ* nomen (quod ἀπὸ τοῦ γίνομαι deriuatur) & semen prolificum propriè denotat, vt ab illo *Hesiodi*: *μηδ' αἰδοῖα γονῇ πεπλασμένος*, notat *Ioannes Scapula* post *Henricum Stephanum.* 17

Sed dum ipse *Harmenopolus* † *suprà* existimauit, prohiberi viduam intra annum nouas inire nuptias, etsi legitimo tempore pepererit, sustinendus non est, vt qui expresse contrariatur *Pomponio* & *Vlpiano* proximè relatis.

A qui-

A quibus ſimul cum interpretatio-
ne per nos *ſupra* tradita venit damnã-
19 da diſtinctio, vel conciliatio *Interpre-*
tis † eiuſdem *Harmenopoli*, qui rem
iſtam componit, aſſerens, τῶν ἀτιμῶν
ἀνδρῶν, id eſt, infamium & ſontium
(qui elugeri non ſolent) viduas legiti-
mo tempore partus edentes poſſe ſta-
tim nubere: τῶν verò ἐντιμῶν, & inte-
græ famæ (qui elugeri debent) non ita.
Hæc namque diſtinctio nullibi in Iu-
re Ciuili Romanorum inuenitur, &
contra eam ſtant apertè dictæ *l. libero-*
rum rationes.

Quas iniuſtiſſimè quidem inſuper-
20 habuerunt Pontifices † in *Dione libro*
48. His enim ab Auguſto conſultis ſu-
per Liuia Druſila vxore à Domitio
Nerone abducta (cùm prægnans eſſet,
Sueton. in Auguſto cap. 62. in fine) & in-
terrogatis, an nondum edito partu re-
ctè nuberet? *Dion Caſſius ſupra*, eos ita
reſpondiſſe ait: *Siquidem ex quo mulier*
concepiſſet, dubitaretur, opus eſſe vt nu-
ptiæ differrentur; quia verò de eo conſta-
ret, nihil impedire, quin ſtatim fierent.
Quo ſanè nihil iniquius reſponderi
potuit, & potiſſimæ cauſæ anni lu-
ctus inducendi aduerſantius: & ita
ſenſiſſe videtur ipſe *Dion* in verbis
illis preinſerta ſtatim ſubſequentibus:
Id quidem, vt in Iure à Maioribus tra-
dito inuenerint, fortaſſis fieri potuit: ſed
profectò ſic reſponſuri fuere, vt maximè
ita non inueniſſent: quaſi ſentiat legem
(qua Pontifices moti fuêre) ipſi ignotam:
& ſimul eorum reſponſum rationi
congruum ſibi non videri. Id quod
apertiùs denotant originalia *Dionis*
verba: τάχα μὲν πȣ̃ καὶ ὄντος ἐν τοῖς πα-
τρίοις τȣ̃το εὑρόντες, πάντως δ' ἂν εἰ καὶ
μὴ εὗρον, αὐτὸ εἰπόντες, quæ ita aptè La-
tinitati donabis: *Forſan in legibus pa-*
trijs ita diſpoſitum inuenientes, idque
ipſum omnino, ſi non inuenerunt, edi-
cturi.

Sed & prædicta noſtra interpreta-
tione admiſſa ad dict. *l. liberorum*, eius
ratio † in illis verbis: *Et propter turba-* 21
tionem ſanguinis, generalis eſt, & de-
cem menſes, ſiue annum luctus (tem-
pore *Vlpiani* vigentem) à prioris viri
morte indiſtinctè complectitur, eis
verò tranſactis ceſſat attenta lege De-
cemuirali in xij. Tabulis poſita, & re-
lata *ſuprà*, quæ decem menſes, vt ſum-
mum finem, hominis gignendi præfi-
niuit: & poſteà confirmauit *Vlpianus*
in dicta *leg. inteſtato* 3. §. *poſt decem*, D.
de ſuis & legitimis hæredibus. Et ita
cum tabis mancas & parum concluden-
tes rationes incertæ prolis, & ſuper-
fœtationis: quæ ſanè annui luctus
inductioni in potiſſima cauſa eſſe
non potuerunt, attentis *ſupra tradi-*
tis.

Et ne obſtet dicta *l. conſenſu*, † verſ. 22
ſi verò, C. de repud. Reſpond. rationem
illis verbis expreſſam: *Ne quis de pro-*
le dubitet, ſecundariam eſſe, & aptan-
dam nuptiis illicò poſt mortem prio-
ris viri contractis à muliere, quæ ig-
norat, vel detegit recentem defuncti
fœtum, viuentis forte an diuitiis in-
hians.

Tertiam inſuper rationem † dedu- 23
xit optimè *Accurſius* in dicta *l. libero-*
rum, ex *Nouella* 32. *de reſtitutione, & ea*
quæ parit, cap. finali, dicens, mulierem
quæ ad ſecundas feſtinauit nuptias,
malignæ ſuſpicionis nota inuri, & fa-
cto iſto velùt demonſtraſſe ſeſe mœ-
cho nubere: imò non nubere, ſed fa-
teri anteactam laſciuam vitam, vt in
propoſito ait *Martialis lib. 6. Epigram-*
mat. 22.

Quòd nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modò nunc facis maritum,
Ne lex Iulia te notare poſſit:
Non nubis, Proculina, ſed fateris.

Et huc exſpectat aliud eiuſdem *Mar-*
tialis, quod ex venerandæ vetuſtatis
exemplari reſtituit *Hadrian. Iun. lib. 5.*
animaduerſ. cap. 17. id tamen prætereo,

vt quod castas non deceat aures.

24 Demum quartam† anno luctus Au-
ctores nostri assignant rationem at-
tendētem mariti defuncti memoriam
& reuerentiam (quam maximè pla-
cuisse video *Cuiacio in li. de diuers. tem-
por. præscription. c. 20. vers. Quintum est*,
& *Gudelino* d. c. 12. & *D. Amaia* d. *c. 2. n.*
13.) Sed facilè impugnatur ex dictis à
Pomponio (quem refert & sequitur *Vl-
pianus* in d. *l. liberorum, vers. Pomponius*)
reuerentiam istam planè insuperha-
bente, & eam re vera tantùm admit-
tente, quam considerabamus *supra nu.
16. ad fin.*

25 Ab his refellendi † etiam veniunt
quotquot Interpretum turbationis,
& commixtionis sanguinis causam (de
qua in *Vlpiano* in d. *l. liberorum*) con-
fundunt cum ea quæ ab incertitudine
prouenit prolis, de qua in d. *l. consensu.*
vers. *Si verò.* E quorum numero no-
uissimè sunt *D. Laurent. Ramirez in
Pentecontarcho, c. 3.* & *D. Amaia* d. *c. 12.
nu.* 12. ab antiquis edocti, & demum à
Cuiacio lib. 21. obseruat. c. 12. quem cęte-
ri sequuntur.

Insuper ex vero generalioris ratio-
nis sensu ab *Vlpiano* adsignatæ in d. *l.
liberorum*, & per nos illustratę, destrui-
26 tur distinctio † *Iacobi Cuiacij suprà*, &
lib. 6. obseruationum, d. *c.* 32. inter matri-
monium solutum morte, aut diuortio,
vt primo casu nubere non conceda-
tur, nisi ex indulgentia Principis, *l. so-
let, ff. de his qui notantur infamia* : se-
cundo verò liceat mulieri statim alij
nubere, nisi *prægnans* sit. Eadem enim
militat ratio, turbationis scilicet san-
guinis, siue matrimonium dissoluatur
morte viri prioris, siue diuortio. Nec
quidquam iuuat *Cuiacij* distinctionem
responsum Pontificum relatum à *Ta-
cito* & *Dione supra* citatis, quo ipse in-
nititur, cùm longè alius sit eius sensus
ab eo, quem *Cuiacius* supponit iam per
nos adsignatus.

Demum distinctionem istam peni-
tus euertit *Theodosij* † constitutio in *l.* 27
consensu 8. § *hæc nisi*, vers. *hæc verò*, *C. de
repudijs*, & alia *Anastasij* in *l. si constan-
te* 9. *C. eod. tit.* generalioribus illis ver-
bis concepta: *Licebit mulieri non quin-
quennium exspectare, sed post annum
ad secundas nuptias conuolare.*

Sub hæc in causa annui luctus (quā
prosequimur) annotandum est cum
Paulo in *l. solet* 10. *ff. de his qui notantur
infamia*, à Principe † hoc impetrari con- 28
sueuisse, vt intra legitimum tempus
mulieri nubere liceret: addit *Cuiacius*
in d. *c.* 36. ex *Plutarcho*, & à Senatu id
ipsum peti solere: quæ gratia ex *No-
uella Iustiniani* 22. *de nuptijs, §. primæ si-
quidem*, non aliter concedenda erat
existentibus ex priore toto liberis, nisi
mediam partem substantiæ suæ eis do-
naret. Quam Principi apud nos admit-
tebat, si nupsisset licentia non obten-
ta ex lege antiquissima Patria *Gotho-
rum* 1. *tit.* 2. *lib.* 3. *Fori iuzgo*, & d. *l.* 13. *tit.*
1. *lib.* 3. *Fori.*

Hæc autem omnia iam hodie ces-
sant attento Iure † Canonico, & no- 29
uioribus legibus huius Regni relatis
supra.

Sed nec illud silentio prætermit-
tendum duxi, annum istum luctus cō-
tinuum † esse, & ignoranti currere, *l.* 30
genero 8. *ff. de his qui notantur infamia*,
Sanchez, post plures, dicto *lib. 7. de ma-
trimonio*, d. *disputat.* 87. *nu* 2. A qua ta-
men regula excipiendus est casus *No-
uellæ vt liceat matri & auiæ* 117. *cap.* 11.
vers. *& postquam hæc gesta.*

Qui alia singularia circa annum lu-
ctus videre cupit, & insigniorum lo-
corum *Liuij, Lucij Apulei, Valerij Ma-
ximi*, & aliorum aliqualem illustra-
tionem, perlegat disertissimum *Iacob.
Reuardum lib. 1. varior.* d *cap.* 20.

A quo tamen & *Gutherio de iure
Manium libr. 3. c.* 28. (relato & probato
à *D. Amaia* d. *c.* 7. *n.* 11.) dissentimus † in
diffe-

differentia, quam totis viribus in responsis Prudentum, & constitutionib. Principum adstruere isti conantur inter verba *lugere & elugere*, vt primum referatur ad lugubria atræ, vel albæ vestis, & similia exterioris habitus, (quorum fit mentio in d. *l. genero* 8. *ff. de his qui not. infam. l. item apud Labeonem*, §. *generaliter, ff. de iniur.* d. *l. decreto* 15. *C. ex quib. caus. infam. irrog. Paulo lib.* 1. *Sentent. tit.* 21. §. 3. *Plutarc.* qui *in quæst. Roman.* de mulieribus in luctu albas vestes, albásque vittas gerentibus agit: & in *Lipsio* plura notanda adducente, & tempora distinguente in excursibus ad *Tacit. lib.* 2. *lit. M.* & *Pancirolo in Thesau. variar. lectio. lib.* 2. *casu* 208. & in aliis relatis ab *Amaia* d. *c.* 2. *num.* 17. *Ant. Silu. Claro* mihi cæteris disertius, *lib. singul. ad leges xij. Tabul.* d. *c.* 24.) Secundum verò ad annum luctus, ita vt lugeatur maritus lugubribus: elugeatur verò per annum ad turbationem sanguinis vitandam, *l.* 1. d. *l. liberorum* 11. *ff. de his qui not. infam.* Id quod euidentissimè probari ait *Rauard.* in d. *l. decreto* 15. vbi decreto amplissimi ordinis luctu fœminarum diminuto tristior habitus, cæteráque hoc generis insignia mulieribus remittuntur. A quibus elicit, cùm luctus diminuitur, lugendi, hoc est à conuiuiis, ornamentis, & alba veste abstinendi, prohibitionem cessasse, non verò elugendi, hoc est, viduitatis annuo tempori derogari. Et alia demum similia comminiscitur, quæ subtilia sunt, & simul inania. Nec enim probantur in d. *l. decreto*, quin potiùs totum contrarium, cùm *luctus* nomen ibi, & variis aliis iuris locis ad lugubrium gestationem, & viduitatis annum promiscuè referatur. Nullibi namque in iure inuenitur *eluctus* anni mentio: vt inde quàm euidentissimum sit *lugere*, & *elugere* pro eodem (sicuti *luceo, eluceo: doceo, edoceo: mundo, emundo*, & alia) à Iurisprudentibus, cæterísque Latinis vsurpari. Qui verborum elegantiam, & sonoram phrasin attendentes, nunc isto, nunc illo verbo vtebantur: ac *Cicero* qui in Familiaribus: *Eluxi* (ait) *obitum Reipublicæ, magis quàm mater vnicum filium:* vbi *eluxi* dixit *Orator*, non *luxi*, quia non ita aptum, & auribus accommodum. Et ab his factum, vt Imperatores) ad sensum animi sui exprimendum in suis constitutionibus apprimè attendentes) in eis eleganti & perpolito illo verbo *elugere* nunquam vsi fuerint.

Et sanè ab iisdem corruit alia consimili differentia inter verba ista, *lugere*, & *elugere*, excogitata à *Cuiacio ad lib.* 1. *quæst. Papinian. in comment. ad l. final ff. de his qui notant. infam.* vbi verbum *elugere* refert ad luctum annuum consummatum, *lugere* verò ad instantem, nondúmque completum. Sanè si *Iulianus* in *l.* 1. §. *qui eam, ff. illo titul. Linius*, & *Vetus* quidam *Grammaticus* (is est *Agrætius*) quorum auctoritate iste innititur, vsi fuissent verbo *lugere* in locis à *Cuiacio* expensis, idem dubio procul denotassent & expressissent. Adde, *Agrætium* de constituenda differentia inter verba *eluxit*, & *illuxit* egisse in loco illo à *Cuiacio* expenso, dum ait: *Eluxit qui luctum deponit, illuxit cùm lumen apparuit:* in quo & Grammaticus iste aberrauit supponens illud *eluxit* ab *eluceo* deductum. Vtcunque verò sit, eius sententia longè diuersa est, & alterius propositi. Demum, quod *Cuiacius* subiungit de verbis *ago, exigo, vinco* & *euinco*, res alia est: nam in hisce & similibus (velut *lego, eligo, capio, excipio*) composita per metaphoram in aliud transeunt significatum. Non tamen ob id nego, luctus affectum efficaciùs demonstrari per verbum *elugeo*, sicuti lucis & doctrinæ, per verba *eluceo, edoceo*. Fateor plus debito hisce grammati-

calibus nos immoratos, sed non aliter euerti possent, quæ tanti Iurisconsulti *Rauardus* & *Cuiacius* nouè adstruere sunt conati in verba ista ciuilia cognitu valdè necessaria.

Errat itidem *Rauardus* (vt ad eum
32 reuertamur) † dum supponit, Senatusconsultum ob cladem Canensem latũ, ne Matronæ vltra triginta dies luctus suos extenderent (cuius meminit *Liuius l.b.22.Valer.Max.lib.1.*) perpetuũ fuisse, & ad tempora *Gordiani* Auctoris d.*l.decreto* durasse: cùm tantùm ad sacra Cereris illius anni peragenda hoc decretum & indultum fuerit à Senatu, propter multitudinem maritos suos illo bello concissos elugentium, vt patet ex *Festo, Lucio*, & *Valerio*, quos iste citat. Quin & subsequentibus temporibus lugubribus toto anno luctus vsas clarè probant illa *Pauli libr.1.Senten.§3. Qui luget abstinere debet à conuiuiis, ornamentis, & alba veste:* & colligitur ex *Tacito* d.*lib.2. Annal. Varrone lib.3. de vita Populi Romani, Plutarcho*, & aliis relatis à *Lipsio* s̃. Et à contrario sensu probatur *c.1.Festo lib.7. de verb.signific.* ita dicente: *Minuebatur populo luctus ædis dedicatione, cùm a censoribus lustrum concedebatur, cùm votum publicè susceptum soluebatur:* quasi aliud esset luctu ex dictis causis (quas optimè explicat *Rauardus*) non diminuto. Erant enim Antiqui in luctus annui inconcussa asseruatione nimij, vt patet ex relatis. Et reuera innuit *Paulus ad Thessalonic.1.c.4.vers.1. Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.* Vnde par est
33 credere, † verba præcitata *Gordiani* in d.*l.decreto* (dum ait, decreto amplissimi ordinis fœminarum luctum deminutum) referenda nõ esse ad decretum cui Canensis clades causam dedit, sed ad aliud pro bono forsan regimine, & ad compescendum lugubrium abusum, postea latum (vt apud nos est *l.2. tit.5. de los lutos, i cera, lib.5. Recopil.* cuius obseruatio iteram commendata est in *l.21.tit.26.lib.8.Recopil.*) his namque & similibus decretis latis, prout casus temporáque exigebant, amplissimus Senatus Romani ordo Populum continebat, *l.2 ff.de his quæ vt indign. l.aufertur 2.§.1.l.si decipiendi, ff.ad Senatusconf.Velleian.l.2.C.eod.tit. l. libertinum, C.de interdict. mat. l. Diuo Marco C. qui manumit.non poss.* cum aliis. Idque 34
instante † Principe aliquando decernebat, vt colligitur ex elegantibus Tiberij litteris ad Senatum in *libr.3. Annal.Taciti* à pluribus optimæ notæ viris meritò commendatis alibi sæpè.

Hæc non vulgaria in scriptione ista perquàm trita, & passim Iuris Interpretibus obuia nobis percurrisse liceat, & nouis annotationibus illustrasse.

Demum illud vnum, quod attinet ad caput istud, & præcedentia inuestigandum superesse videbatur (maximè hodie, quando ex permissione Canonica, & lege Patria nouiore, iteratæ nuptiæ intra annum luctus adeò sunt frequentes) an partus septimo, octauo, nono & decimo mense editus à morte prioris viri referendus sit ad primum, vel secundum maritum, cui vidua statim nupsit? Quam sanè quæstionem à nostris variè & nutanter pertractatam, verosimiliore resolutione Lector enodatam adinueniet *j.in cap.20.* vbi ista, inter alia partus humani miscellanea prosequimur.

CAPVT

CAPVT XIV.

DE VNDECIME-STRIBVS.

SYNOPSIS.

1 *Insignis & agitata quæstio est, an partus vndecimestris sit naturalis, & legitimus?*
2 *Philosophi antiqui, vno excepto* Aristotele, *vndecimestrem exploderunt. Et n.10. quod eum non agnouerunt.*
3 *Post* Aristotelem *plures Philosophi pro vndecimestribus steterunt.*
4 *Medicorum communis Schola vndecimestres admisit ab* Hippocrate *malè percepto in* lib. de octomest. part. *Et n.5. & 7.*
6 Hippocratem *optimè declarauit* Bonauentura.
8 Hippocratem *itidem strenuè calluit Rex noster* Alphonsus in l. 4. tit. 23. part. 4.
9 Hotmani *&* D. Laurentij Ramirez *interpretatio ad* Hippocratem *ex pluribus impugnatur.*
11 Hippocrates *partum vndecimestrem non probauit.*
12 *Nec* lex xij. Tabul. *cum aliis.*
13 Accursius, Bartolus, *& alij videntur stare pro vndecimestribus.*
14 *Decretum* Hadriani *vndecimestrib. fauet. Et n.18. de eius intellectu.*
15 *Vndecimestris partus approbari videtur* Nouella 39. Iustiniani, de restitut. & ea quæ parit in vndec. mens. *Et nu.19. agitur latè de eius vero sensu, & ex variis causis suam interpretationem* Auctor *confirmat.*
16 Iacob. Cuiac. *& nouissimè* Franciscus Raguellus *rem adhibita distinctione componere tentarunt. Et nu.24. ad certos terminos reducta approbatur.*
17 *Opinio quæ stat contra vndecimestres* Auctori *magis placet. Et nu.23. eam declarat.*
20 *Parientem in vndecimo mense pœnas non incurrere secundo nubentis, successione tamen partum priuari contendit, & rationem assignat. Et nu.21. id etiam* Iustiniano *placuisse demonstrat.*
22 Alciat. lib. 3. paradox. c. 7. *improbatur.*
25 *Decisionem Senatus Lusitani in fauorem nati* 303. *diebus probat. Et nu. 26. rationem* Gamæ *improbat.*

INSIGNIS † & vexata (vt ait *Francisc. Hotman. lib. 9. obseruat. c. 9.*) quæstio illa est, an vndecimo mense editus partus sit naturalis & legitimus? In qua (delibatis primò loco his quæ Philosophi & Medici tradiderunt) deinde quæ nostri variè tractarunt, differemus: & demum rem apta resolutione componemus. 1

Philosophi antiqui, vno excepto † *Aristotele*, vndecimestres exploderunt, vt testatur *Censorinus de die natali, capite 7. in fin.* dicens: *Cæterùm vndecimum mensem Aristoteles solus recepit,* 2

cæteri vniuersi improbarunt. At ab *Ari-*
3 *stotele* plures † fuerunt partus vndeci-
mestris assertores, maximè *Plin. libr. 7. natur. hist. c. 5. A. Gell.* post *Varronem, li. 3. Noct. Attic. ca. 16. Pontan.* post alios, *in libr. sententiar. Ptolemæi, sentent. 51. Speron Speroni in Dialogo de tempore parturitionum, paulò post princ.*

Medicorum verò Schola commu-
4 nis †. vndecimestres admisit ex *Hip-*
pocrate, id in *lib. de octomest. partu, ad fi.* (vt putant) asserente illis verbis: ὥστε πολλάκις δοκεῖ ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἐνδεκάτου μηνὸς τὰς ὀγδοήκοντα, καὶ διηκοσίας, τούτων γὰρ ἐστὶν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδες: quæ sic aptè Latina fecit *Lalamant.* relatus ab *Hotmano* ꝰ. *Itaque persæpè vndecimum mensem attingere, & dies ducentos octuaginta, hæ autem dierum septem quadragenariis vterum sibi gerere videntur.*

Quinimò *Auicenna lib. 9. de animal.* (citatus in *c. seq.*) hoc vt certissimum supponit, & post alios firmat *Cardan. in commentar. ad Hippocr. lib. de septimest. partu*, vbi Iurisprudentes irridet, qui propositionem illam: *Partus ex vndecimo mense aliquid recipit*, à Medicis receptam, ignorasse testatur. Ex cõtrario verò (vt hæc obiter dicam) *Iacob. Guillemaus de generat. tit. de semine, fol. 212.* Iurisprudentes vndecimestres partus adstruentes falli asserit. Vt inde Medicorum inconstantiam, & in Iuris Interpretes superbam, inconsultámque ἀντιπάθειαν, & repugnantiam facilè arguas.

Superioribus adde *Ludouic. Mercadum*, qui post alios *lib. de mulier. affectio. c. 1. Ex doctissimorum* (inquit) *decreto iudico, iustum & maximè secũdùm naturam grauidationis limitem decimũ mensem, nec vltra illud tempus ob alimẽti penuriam, & loci angustiam consistere fœtus in vtero posse, nisi fortè ad duos vel tres dies vltra decimum mensem partus sese extendat. Nam totos vndecim menses consistere in vtero fœtum naturæ ratio non admittit: & hoc est quod intelligunt Hippocrates lib. de octomest. partu, & Aristot. li. 7. de histor. anim. c. 4. quasdam nimirum mulieres vndecimum attingere, hoc est, vndecimi mensis paucos dies insumere, idque esse quàm rarissimum.* Nouissimè *Rodolphus Magister in tractatu de limitib. humani part. sect. 2. c. 8.* vndecimestrem fieri toto etiam percurso decimi mensis spatio asserit: quod idẽ est ac si diceret, & vndecimum mensem partum contingere posse: idque clariùs dixerat in *cap. 7.* vbi inquit, eos vndecimestres suspicione non carere, qui octauum diem sui mensis excedunt. Et demum *Paulus Zacchias in Medicolegalib. tit. 2. qu. 6. numer. 7.* partiones humanas vndecimum mensem attingere posse asserit ex *Hippocrate*, & *Aristot.* & *Horatius Augen.* eas (post longam disputationem in *lib. 2. de partu hominis, capit. 20. & 21.*) admisit in *c. 23.*

Idque maximè † accidere quidam 5
ex istis putant in genitis post plenilunium, qui necessariò vndecimum vsq; mensem dicunt durare, per dies tamen perpaucissimos: quod apertè probari contendunt in illis verbis *Hippocratis* in d. *lib. de octomest. partu prope fin.* ὅτι ἢν γὰρ ἔξω τῆς διχομηνίης ξυλλαμβάνει ἡ γυνή, τούτῳ πάντων ἀναγκαῖον ἐστὶ τοῦ ἐνδεκάτου μηνὸς ἐπιλαμβάνειν, quæ *Caluus* ita interpretatur: *Nam si mulier post medium mensem concipiat, partus ad vndecimum mensem necessariò peruenit.* Cornatius sic: *Nam cùm vltra plenilunium mulier concipit, necesse est conceptum vndecimum mensem attingere, atque apprehendere.* Lalamantius: *Nam si mulier post medium mensem concipiat, partus in vndecimum mensem necessitate quadam, & lege naturæ differtur.* Demum *Ferdinand. Mena in commentar. de partu septimestr.* ita: *Cùm vltra plenilunium mulier concipit, necesse est*

est eum conceptum vndecimum adtingere pariter ac apprehendere.

Tu his omnibus adde cum *Bonauentura lib.7.de octomestri partu, c.* 192. è prædicta verba † *Hippocratis* referenda ad immediata illa (iam *suprà* expensa (ὥστε πολλάκις,&c. in quæ resluit vniuersalis illa τοῦ πᾶν, *hoc omne*, vt sit sensus, cùm mulier vltra plenilunium conceperit, hoc ipsum dierum interuallum (quod iam dixerat *Hippocrates* septem constituere quadragenarios, scilicet dies 280.) vndecimum mensem apprehendere.

Hæc vt faciliùs quiuis percipiat ex eodem *Bonauent. suprà capite.* 126. *& seqq.* noto, *Hippocratem* sæpiùs in illo libro *de octomest. partu*, & aliis locis relatis in *capite præcedenti* asseruisse, limitem perfectissimam gestationis septem quadragenariis, hoc est 280. diebus præfiniri. Dixerat itidem in *l.* proximè præcedenti *de natura pueri*, mulieres decipi, & allucinari putantes plures quàm decem menses sese fœtum gestare. Demum dixerat in *lib. de septimestri partu* ex dimidio anni, centum scilicet & octuaginta duobus diebus septimestres fieri. His ergo omnibus occurrunt præfato Hippocratis verba iunctis illis subsequentibus: οἱ δὲ ἑνδέκαμηνοι τῶν τόκων, καὶ ἐνδεκάμηνοι ἐκ τῶν ἑπτὰ τεσσαρακοντάδων, τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται. *Sanè decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenariis eodem modo fiunt, veluti ex dimidio anno septimestres.* Hippocratis ergo sententia hoc loci ea est, mulieres non semper decipi, dum partum putant vndecimo mense editum, nā perfectissimus 280. dierum (septem constans quadragenariis si mulier vltra pleniluniū concipit) vndecimū mensem necessariò attingit: & inde euenit, vt partus iste vndecimestris assimiletur septimestribus cōstantibus 182. diebus, de quibus latè egimus in *cap.* 10. & latiùs in *cap.* 12. §.4.

Huius propositionis præcipuæ & prioris partis comprobationem sic facilè erues: conceptione vltra plenilunium contingente, vt plurimùm 13. dies prioris mensis Lunaris supererunt, quibus si iungas 265. dies cum ⁝. nouem integrorum subsequentium mensium, 278. dies & ⁝. assurgent, vt inde necessum omnino sit partum istum perfectissimum 280. dierum vndecimum mensem Lunarem attingere, & in eius die secundo quando minus perfici.

Comparationis autem septimestris partus 182. dierum cum isto vndecimestri ex septem quadragenariis modo prædicto contingente, vis & ratio in eo consistit, quòd quemadmodum in septimestri 182. dierum desumenda est pars primi mensis cum quinque sequentibus integris, & parte alia mensis septimi sequentis, ita in computatione istius vndecimi mensis Lunaris (ex 280. diebus conflati) prioris mensis portioni (non maiori 13. diebus) addendi sint nouem integri menses & pars aliqua vndecimi subsequentis. In hoc verò septimestris 182. dierum (de quo in *lib. de septimest. partu* Hippocratis (differt ab vndecimestri (de quo in *lib. de octomest. partu*) quòd ille prioris & posterioris mensis maiore parte perficitur, hic autem ex minore vtriusque componitur.

Ab his autem quàm euidentissimū fit, omnes *suprà* relatos † (simul cum 7 nouissimo *Andrea Laurentio libr.8. de histor. anatom. cap.6. quæst.*30.) valdè errasse, dum putarunt, partum vndecimestrem decem mensibus communibus æqualibus tricenis constantem & aliqua parte vndecimi Hippocratem approbasse in *li. de octomest. partu*, cùm eo loci contrarium apertè supponat, & maiori partui 280. dies præfiniat, quibus nec decem menses communes integrantur. Quod ergo ibi *Hippocra-*

tes in mensium Lunarium dimensione (sic inita ex particulari causa iam à nobis demonstrata in *cap.* 12.d.§.4. *ad finem*) docuit, trahi non debuit ad decisionem propositæ quæstionis, quo sensu Medici existimarunt: cùm potiùs à prædicta *Hippocratis* sententia totum contrarium eruatur: eumque vndecimestrem partum nec agnouisse, nec approbasse. Quod disertissimè asseruit & docuit Sapientissimus Rex
8 noster † ALPHONSVS XI. in *l.*4. *tit.* 23. *p.* 4. in prioribus illis verbis, *Ippocras fue vn Philosopho en arte de la physica, è dixo, que lo mas que la muger preñada puede traher la creatura en el vientre son diez meses.* Et ita securè tenendum est, quidquid isti in sapientissimi Senis & Præceptoris vero sensu re vera euertendo adstruere conati fuerunt, dum ipsum enodare & interpretari curabant, vt patet apertè ex variis interpretationibus *Cardani, Gorræi, Lalamantij, Ferdinandi Mena, Vallesij, Mercadi*, & aliorum, quos refert & optimè refellit *Bonauent.* d. *lib.* 7. *cap.* 48. & pluribus sequentibus.

A dictis insuper facilè explodes quæ in enodando *Hippocrate* à *Theodoro Zuuingero*, & *Lalamantio* Medicis suæ tempestatis annotauit † *Hot-*
9 *man. lib.* 9. *obseruat.* d. *cap.* 9. Et quæ simul de aliorum sententia nouè tradidit *D. Laurent. Ramirez in pentecontarcho cap.* 3. vbi 280. dies septem quadragenariorum *Hippocratis* vndecim menses lunares 27. dierum & horarum 8. (de quibus putat intelligendum) attingere ait. Hanc enim propositionem (quæ præcipuæ resolutiones istius eruditissimi sanè Auctoris, per totum ferè cap. adductæ, innituntur) facilè dilues. si annotaueris, *Hippocratem* magna præcautione, & verborum apparatu in dict. *libro de octomestri partu* edocuisse, & demonstrasse conatum fuisse, qui fieri posset, vt 280. dies (quibus septem quadragenarij constant) necessariò mensem vndecimum attingant, idque accidere ait, si conceptio post pleniluuium accidat. Quæ omnia certè superuacua, & indigna tanto essent Philosopho & Medico, si de mensibus Lunaribus 27. dierum & aliquot horarum eloqueretur, vt qui semper vndecimum mensem ineuitabili modo attingant. Secundò, *Hippocrates* ex 280. diebus, vel septem quadragenariis decimestres & vndecimestres partus fieri ait, quod nec vllo modo admitti posset, si de mensibus Lunaribus 27. dierum loqueretur, quandoquidem decem istis lunationibus mensis, quem vocant apparitionibus, 27. diebus & horis 8. constantis, prædictus numerus 280. dierum non integratur. Tertiò, *Hippocrates* decimestres & vndecimestres partus ex septem quadragenariis, id est 280. diebus, eodem modo fieri docet, ac ex dimidio anno fiunt septimestres. Hi autem iuxta eiusdem computationem initam in *libro de septimest. partu in princ.* (quam nos persequuti sumus in *capite* 12. §. 4) fiunt ex 282. diebus demptis 15. ex priore mense Lunari pro maiore eius parte, & additis 147. diebus cum dimidio (omitto minuta & secunda) quinque mensium sequentium: qui omnes 162. dies cum dimidio constituunt, ita vt reliquos 19. dies & dimidium septimestres isti desumant à maiore etiam parte septimi mensis. Quis ergo non videt *Hippocratem* ibi loquutum de mensibus lunaribus maioribus, quos vocant coniunctionis, deque eisdem intelligendum in *libr. de octomest. partu*, vt ipse clarè demonstrat præcitatis illis verbis, Τὸν αὐτὸν τρόπον γίνονται, &c. *Eodem modo fiunt veluti ex dimidio anno septimestres.* Quartò

Quarto *Hippocratem* nunquam in mensium & temporum partionum humanarum dimensione, vsum videbis mensibus Lunaribus apparitionis 27. dierum, vt inde quàm euidens fiat illo loci de eis intelligi non debere: maximè cùm sese referat ad similem aliam computationem mensibus Lunaribus 29. dierum cum dimidio constantem.

Ex dictis vsquedum ego ad propositæ quæstionis in *initio capitis* resolutionem duo clara elicio.

10 Primum, omnes † Philosophos *Aristotelis* antecessores partum vndecimestrem nec approbasse, nec agnouisse, ipsum verò & reliquos post eum vndecimum mensem attingere posse ratos fuisse.

11 Secundum, *Hippocrati* † partum istum nō probari, ac *Auicennæ*, & cæteris Medicis, qui rerum experiētia edocti, idem cum *Aristotele*, & asseclis tenēt, & partum sub initium mensis vndecimi naturalem, legitimúmque firmant. Vt ab his clarè inferas, *Aristotelem* iniusta nota inuri ab *Andrea Laurentio suprà libr.* 8. *cap.* 6. d. *quæst.* 30. dum illum ingratissimum appellat, quòd ea quæ de vndecimestri partu ab *Hippocrate* didicerat (ac cætera ferè omnia quæ de natura animalium scriptis suis interseruit) sibi arrogarit, nec vnquam eius meminerit: quæ sanè animaduersio huius propositi non est, cùm *Aristoteles*, quod attinet ad vndecimestres, diuersus sit ab *Hippocrate*.

12 His præcognitis, restat videndum, quid Iurisprudentes † in proposita quæstione sequi & resoluere debeamus? Et sanè vndecimestres partiones apertè explosit *lex* illa *xij. Tabul.* ab *A Gellio* eruta, relata in *capite præcedenti*, quæ *Decemuiris in decimo mēse gigni hominem, non vndecimo*, ait, Quæque à Iurisprudentibus semper probata videtur, *l.* 3. §. *post decem*, *ff. de suis & legitimis hæredibus*, *l. Gallus* 28. *ff. de liber. & posthum.* cum aliis adductis sub initiū *cap. præced.* Quibus concinit *Agidis* responsum (relatum à *Xenophonte libro* 3. ἑλληνικῶν *Æmilio Probo*, & *Plutarcho in Agesilao*, *Pausania libro* 3. *Athenæo libr.* 12. *P. Ærodio libro* 2. *rer. iudicat. tit.* 4. *cap.* 3.) qui Leotychidem natum ex Timæa vxore post decem menses filium suum negauit, & ob id præcipuè Regni Lacedæmoniorum successione fuit priuatus, quia summum finem nascendi veteres intra decem menses constituerunt. Quod etiam *Censorino* placuisse videtur *de die natali, capit.* 7. *in fine*, Et nobis apertè probatur in dict. *l.* 4. *tit.* 23 *part.* 4. in illis verbis iam relatis: *Lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vientre, son diez meses:* & idem ibi: *Mas si la nascēcia de la criatura tañe vn dia del ozenos mes despues de la muerte del padre, no deue ser contado por su hijo:* & sentit *Gregorius* ibi *glossa* 4. *Accursius in l. septimo mense, ff. de statu hominum:* vbi *Ioan. Oroscius* post alios hanc sententiam magis communem & receptam asserit, *Aretinus* in *l. Gallus, numero* 3. *ff. de liberis & posth.* vbi *Alexand. num.* 11. *Iason. nu.* 63. *Gilkenius*, alios referens, *num.* 59. *Eguinar. Varo* perquamoptimè in *l. septimo mense, ff. de statu hominum*, & in *l. liberorum, ff. de his qui notantur infamia*, *Torreblanca libr.* 2. *de Magia*, *cap.* 43. *nume.* 35. nouissimè *Robles Salzedo de repræsentat. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. Et in Gallia ita receptum testatur *Mainardus* (arrestum referens) *libr.* 4. *quæstion. cap.* 3. & 4. *Paponius lib.* 21. *tit.* 3. *in appendice*, §. *vltimo*.

A quibus planè venit notandus & irridendus *Horat. Augenius*, qui cæterorum communem interpretationem *Hippocrati* d. *libr. de octomest. partu* assignatam prosequutus, *in lib.* 2. *de hom.*

*partu, cap.*25. & ibidem interpretationem aggressus, *l.*3.*§. post decem, D. de suis & legitim, hæredib.* legem illam tulisse *Vlpianum* censet magis ad terrorem mulierum, quàm quòd in omnibus obseruare debere voluerit: *Atque hac* (inquit) *mea sententia est circa hanc legem.* Quæ certè non tantùm à vero Iuris tramite deuiat, & notissima *legis xij. Tabul.* decisione, verùm & in facto peccat: quis enim istum docuit leges ad libitum (ac supponit) Iurisconsultos promulgasse? contra ea quæ plenè & planè resoluimus in *cap.*2.*num.*246.

13 Sed pro vndecimestribus † stare videtur *Accursius*, velut sibi contrarius in d *l.Gallus*, vbi *Bart.* ex *Gentili Medico* à *n.*12.& reliqui ad *Salomoniũ*, existimantes, natum vno aut duobus diebus post decem menses illius *textus* admittendum: idque approbarunt plures Iuris Interpretes, maximè *Tiraquellus*, variis adductis, in *l. si vnquàm, verb. susceperit liberos, nu.* 210. *in fine, C. de reuocand. donation. Minsynger. centur.*6. *obseruat.* 40. *Menchaca libr.*2.*de succes. creat.§.*20.*nu.*13. *Anton. Gama*, qui ita in Lusitano Senatu decisum adierit, *decis.* 326. vbi eius Additionator *Flores de Mena*, *Renat. Choppin. ad leges Andium libr.*1.*cap.*44. ex *num.*6. *Petrus Gregor. libr.*9. *Syntagmat. iur. cap.*26.*num.*22. vbi asserit, *Iustinianum in Nouel.*39. *de restitut. & ea quæ par.* tantùm impugnasse partum post vndecim menses editum. Quin & vltra progreditur *Cagnolus* (referendus in *cap. seq.* simul cum *Alciato*) & post *Cuiacium* & alios paulò *inferiùs* referendos, ita nouissimè tenent *Marius Giurba in consuetudin. Messanens. cap.*1.*glos.*5.*num.*53. *Ioannes Langlois ad* 50.*decisiones Iustini. decis.*29. *qu.*1.*nu.*1. *Petrus Gudelinus de iure nouissimo libr.* 1.*capite* 12. *post princip. vers. Ac Decemviri, D, Amaia* (absolutè vndecimestres approbans, & *Tiraqu. Menoch.* & alios sine delectu referens) *lib.*3.*obseruation. c.*1.*§.*3.*nu.*54.

Et sanè horum sententia approbari videtur decreto *Hadriani* † relato 14
ab A.*Gellio lib.*3.*Noct. Atticar. cap.*16. vbi Diuum *Hadrianum* causa cognita requisitis veterum Philosophorum & Medicorum sententiis decreuisse ait, in vndecimo quoque mense partum edi posse. Et idem probari videtur dicta nouiore *Iustiniani* † *Nouella* 15
39. *de restitutione, & ea quæ parit, cap.*2. in illis verbis (ducto argumento à cōtrario sensu) *Nondum enim completo anno vndecimo mense perfecto peperit.* Quæ sanè Græco originali (quidquid alij dixerint) concinunt, dum ait: ὑπο ἐξήκοντες τοῦ ἔτους κατὰ τὸν ἑνδέκατον μῆνα περαινόμενον ἔτεκε, quæ apertè mensem vndecimum transactum & exactum denotant: & apertiùs comprobant sequentia: πρὸς τῷ πέρατι τοῦ ἔτους &c. quæ in Latinis sic se habẽt: *Et ante luctus tempus pepererit mulier circaterminum anni, vt indubitatum sit sobolem non ex priore consistere matrimonio, &c.* quasi clarè senserit *Iustinianus*, natum ante completum vndecimum mensem legitimum & naturalem esse, idque comprobari posse videtur ex *Plauto in Cistellaria, actu* 1.*scena* 3.

——*Tum illa, quam compresserat,*
Decimo post mense exacto hic peperit filiam.

Et in *Amphitruone actu* 1.*sce.*2.*vers.*19.
Alter decimo post mense nascetur puer,
Quàm seminatus,

Et iterum:
—*Ad quam, prabendam adueni domum*
Decimo post mense.

Et in *Aulularia act.*4.*sce.*10.*vers.*68.
Nam tua gratia peperit decumo mense post.

Et *Theocritus* de Alcmena Herculis matre:

Ipsa

Ipsa quidem longos menses bis quinque peregi.

16 At † *Iacob. Cuiac. in tract. de diuers. tempor. præscript. c.19.* & in notis ad *Iulium Paulum lib.4. Sentent. tit.9. §. septimo mense, Menoch. de arbitrar. lib.2. casu 89. à num.45.* & nouissimè *Francisc. Raguell. ad decisiones Iustiniani super l. vltim. in fin. C. de posthum. hæredib. instituend.* rem distinguunt, & natos sub initium mensis vndecimi legitimos partus, & naturales appellant, pòst deinde non ita: & iuxta hanc distinctionem intelligunt *Decretum Hadriani*, & *Nouellam Iustiniani*.

17 Sed harum opinionum priorem † s. propositam *n.12.* nobis veriorem iudico, vt quæ apertè probatur in *lege duodecim Tabul.* & aliis s. relatis. Eámque mirè placuisse video *Lalamant. in commentar. ad dies decret. Galeni, libr.2. c.2.*

18 Nec obstare potest Edictum *Diui Hadriani*, † quod nec in constitutionibus Codicis *Iustinianæi*, nec vllo alio inuenitur.

19 Minus obest † *Nouella Iustiniani 39. cap.2.* ibi enim proponitur facti series eodem quo accidit modo ad *Iustiniani* decisionem relata, vt contextus clarè indicat.

Sed nec argumentum à contrario sensu ex illo *textu* elicitum admitti debet, vt quod ad correctionem iuris e-ruitur contra tradita à *Socino regula 28. Bellono lib.2. supputat. c.17. Cardinali Mantica l.3. de coniect. vltimar. volunt. tit.17. & 18. Euerard.* latè *in Topicis, loco 4. limit.2.*

His adde, ex verbis negatiuis (qualia sunt d. *Nouellæ*, j. referenda) argumentum à contrario sensu desumi non posse, vbi non procedit dispositio affirmatiua, vt firmat *Paul. de Castro* (exemplo ista comprobans) in *l.1. §. huius rei, ff. de officio eius cui mand. est iurisdict.* vbi *Alexand.* & *Decius n.47.* Qui rationem deducunt à *l. legata inutiliter. ff. de adimend. legat.* Idque vltra casum *l. si quis ita libertatem 13. §. vlt. ff. de statu liberis)* tenendum duco, quicquid alij adstruant ex *l. Titia 39. §. final. ff. de manum. testam.* cui (omissa *Emanuel. Costæ* interpretatione *lib.1. selectar. c.25.)* ex integro fecit satis *Bart.* in *l. actione n.1. prope finem, C. de transact.* & in *l. si eum, §. qui iniuriarum, n.4. ff. si quis caution. iudicio sisten. caus. fac. non obtemp.* vbi *Ioannes Oroscius nu.7. Riminald.* in d. *§. huius rei, n.456.* cum traditis à *Couarruu. in 4.2.p.c.4.§.1.n.7.*

Tertio loco annoto ex verbis dictæ *Nouellæ*, nec vllo modo argumentum à contrario sensu posse desumi: sunt enim vaga, non præcisa, illa *Iustiniani: Nondum enim completo anno mense vndecimo perfecto peperit: vt non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus, nec enim in tantùm tempus conceptionis extensum est:* quin & illa: *Et ante luctus tempus pepererit mulier circa terminum anni: vt indubitatum sit sobolem non ex priore consistere matrimonio.* Quæ sanè id solùm concludunt, natum post vndecimum mensem à morte mariti absque vllo dubio illegitimum esse, & arcendum ab eius successione: non tamen inde quis rectè inferet, natum in vndecimo mense à morte defuncti ad eum referendum. Sunt enim hæc separata: alioquin quæ *Iustinianus* protulit, vt indubia magnam parerent difficultatem. Quòd si ab his aliquid à contrario sensu liceret inferre, id tantùm esset, natum scilicet in vndecimo mense, non adeò certam & indubitatam sobolis illegitimæ notam præ se ferre, ac natus in duodecimo; cùm is citra omnem controuersiam (ex dicendis in *cap. sequenti)* illegitimus sit, ille verò non ita attentis his quæ ante *Iustinianum* edixerat *Diuus*

Hadrianus, & alij s̃. per nos relati. Argumentum ergo à contrario sensu admitti non debet in dicta *Nouella*. Id quod video annotasse (quamuis prædicta non præuiderit) *Gomez Arias in l.*11. aliàs 13. *Tauri n.*11.

Demum his omnibus adde, *Iustinianum* in d. *Nouella* 39. id tãtùm principaliter egisse, & decidisse, vt mulier circa terminum anni luctus pariens priuetur antenuptiali donatione, & omnes secundo nubẽtis incurrat pœnas ob stuprum, hoc casu absque omni dubio commissum, vt probant illa verba: *Non esset possibile dicere, quia de defuncto esset partus:* & mox ibi: *Indubitatum sit sobolem non ex priore consistere matrimonio.*

Neque enim aliter pœnæ similes infligi debuerunt, quàm concurrentibus apertissimis indiciis ad probationem indubitatis iuxta regulam *tex.* in *l. fi. C. de probation. l. quia sententiam, C. de pœnis, l.* 2. *C. quorum appellationes nõ recipian. l. si confessus, C. de custodia reorum:* quorum iurium argumento *Pet. Caballus*, post alios, *centur.* 3. *casu* 288. *n.* 2. resoluit, indicia ad condemnationem in causis pœnalibus talia esse debere, vt faciant præsumptionem iuris & de iure non admittentem probationem in contrarium, qualia sunt (vt ego hisce in causis annotare soleo) *indubitata & euidentia*, de quibus in d. *l. final.* & in *l. qui adulterij* 34. *C. ad leg. Iuliam, de adulter. l. planè* 34. *§. sed non corpus. ff. de legat.* 3. *Liquida*, de quibus in *l.* 2. *C. de in litem iurando. Certa*, de quibus in *l. indicia* 19. *Cod. de rei vindicat.* Vel *à iure prodita, l. cùm citra* 15. *Cod. de iure dot.* Vel *liquidissimas, manifestásque probationes continentia, l. optimam* 14. *in fin. C. de contrahen. & committen. stipulat.* Vel *manifestas rationes præ se ferentia, l. libertas* 17. *§ fi. ff. de manumiss. testamen.* Vel *apertissima rerum argumenta, l.* 3. *§. præterea, ff. de suspect. tutor.* Aliàs indicia, quantumuis vehementia non sufficiunt, vt ex *Paulo de Castro* (post *Iacobum Butricarium, Albericum, Marsilium, Mascardum*, & alios) notat *Caballus* s̃. *nu.* 10. *Hector Felicius allegat.* 89. *nu.* 10. Et ab his fit, vt vidua quæ enixa est mense vndecimo completo, id est, duodecimo, pœnis secundo nubentis, & aliis (contentis in d. *Nouella* 39. quas prosequitur *Pater Sanchez*, post alios, *lib.* 7. *de matrimon. disput.* 90.) afficiatur, non sic illa (ex mente *Iustiniani* ibidem) quæ ante finem mensis vndecimi peperit, cùm ex hoc natura euenire forsan possit, ex casu à traditis per nos s̃. & nullam hoc casu à iure & *lege xij. Tabular.* inductam pœnam videamus, nisi quòd soboles post decimum mensem legitima non reputetur, ob vitanda absurda iam per nos annotata in *c.* 9. Qui sanè casus longè differt ab eo quem *Iustinianus* nouè decidit in d. *Nouella* 39. Sed & isto mulier de adulterio à marito accusata extraordinariæ tantùm subiacebit pœnæ arbitrio iudicis infligendæ, iuxta d. s̃. *c.* 9. *n.* 41. *ad finem*.

Ex quibus omnibus consequimur, 20 † viduam in vndecimo mense parientem (dum tamen integræ sit famæ, iuxta dicenda in *c. seq.*) antenuptiali donatione mariti non esse priuandam, nec pœnas secundo nubentis ob id tantùm incurrere, ex *Iustiniano*, loquente in ea quæ duodecimo mense peperit: filium tamẽ legitimum defuncto marito non videri edidisse post decem menses à *lege xij. Tabular.* & nobis à d. *l.* 4. *tit.* 23. *part.* 4. præfinitos: vt istis hoc casu peccandi præcludatur via, vti dicasu peccandi præcludatur via, vti disertè annotauit *Bonauentura incompe diosa disputat. de octomest. partus natura, c.* 5. *&* 6. Id quod in quaque muliere procedet, sine vlla distinctione, quamuis bonis & honestis moribus fuerit prædita (qualem depinxit *A. Gellius lib.* 3. *Noctium Atticarum, c.* 16.) nam

nam adhuc prædictæ *leg. xij. Tabular.* generalem regulam obseruari voluisse *Iustinianum* (quod attinet ad partus legitimos) vel ex eo clarè patet, quòd in suo Codice rescriptum, aut constitutionem illam † *D. Hadriani* nec inseruit, nec probauit, vt iam aduertimus: & multò clariùs, quia in *l. fin. C. de posthu. hæredib. instituend.* vsus est iterum atque iterum illa, notissima & generali formula instituendi posthumos nascituros: *Intra decem* scilicet *menses proximos à morte testatoris.* Quæ vsitatissima semper fuit, ex his quæ de *Varronis* sententia adducit *A. Gel. libr. 3. Noct. Attic.* d. c. 16. Quinimò *Iustinianum* decimestres tantùm partus admisisse apertissimè demonstrant illa verba d. *l. fin.* (per nos iam expensa in *cap. præcedenti.* *Sed siue viuo testatore, siue post mortem eius intra decem menses à morte testatoris numerandos, filius vel filia fuerint progeniti, maneat testatoris voluntas immutilata, &c.* Quis autem dicet, hæc omnia interuersa per d. *Nouellam* 39? quæ longè diuersam definiuit quæstionem, ex iam traditis per nos, & à nullo (quod valdè mirandum) animaduersis. *Iustinianus* ergo vndecimestres exclusit absolutè; quod video annotasse (licèt perfunctoriè) *Peramatum de homin. procreat. capite* 9. Ibidem tamen iste Iuris professores temerè refellit, vt probatur ex dictis.

Et à præfata vera interpretatione d. *Nouellæ* 93. quàm euidentissimum sit, longè à vero itidem aberrasse † *Andream Alciatum libr. 3. Paradoxor. c. 7.* qui ab omnibus his deuians, & *legem xij. Tabular.* & Ius commune Romanorum euertens, & demum *Iustiniani* decisionem in d. *Nouella c.* 2. iniustè notans, vt optimè notauit *Duare.* ad *l. Gallus, §. nunc de lege Vellea ff. de liberis & posthum.*) partum vltra vndecimum mensem editum legitimum & naturalem asseruit, contra ea quæ in *c. sequenti* resoluemus, vbi istum cum asseclis impugnabimus.

Cùm autem vndecimestres Iuris Nostri & Ciuilis Romanorum dispositionibus attentis non admittimus, non tamen ideò excludimus natum vno † aut duobus diebus, aut aliis vs- 23
que ad septimum post decem menses mortis patris: nam cùm decem isti menses computandi sint à tempore conceptionis, & ista accidat aliquibus diebus, septimo implurimùm, post emissionem seminis (& contingere possit post mortem patris, ex his quæ satis superque adduximus & probauimus *s. cap. 1. in princ.*) inde fiet, vt à numero decem mensium detrahendi sint priores illi dies conceptionis, in marito maximè, qui repentino casu vel ictu vita functus est. Vt inde verissimam & sequendam putemus sententiam *Accursij, Bartoli,* & reliquorum in *l. Gallus, s. relatam*, quamuis ex alia causa longè diuersa ab ea, quam isti supponebant. Et ab his insuper quam euidentissimè elicimus, falsam esse *Tornieli* sententiam à *Menochio* relati *de arbitr. casu* 89. *n.* 48. si eam absolutè, ac ipse voluit, desumamus.

Sed & distinctio † *Iacobi Cuiacij,* 24
& *Menochij s.* adducta, ad hosce terminos reducta certa erit, & admittenda.

Et ab hac eadem causa laudamus † 25
decisionem Senatus Lusitani in causa dictæ *decisionis Gamæ* 316. cùm à die mortis infirmi mariti, (quo etiam generationi aptus præsumitur, ex adductis ab isto *Auctore*, & eius *Adduionatore*) ad diem editi partus 303. tantùm ibi dies effluxerint, qui decem menses tricenos constituunt, cum tribus aliis diebus, quasi partus ille conceptus & editus fuerit intra decimum mensem. At rationem † *Gama* (ista 26
tribuentis vndecimo mensi, in eóque

partum legitimum edi asseuerantis) improbamus, cum aliis quæ *iste* & eius *Additionator Flores de Mena* adstruunt, partuum decimestrium naturæ & constitutionis ignari.

Attenta igitur hac nostra consideratione, & nota (à dictis s̃.d.c.1.deducta) super hac re dissidentes sententiæ ad concordiam reduci facilè possunt.

CAPVT XV.

DE HIS QVOS 12 13, & 14. mensibus nasci nonnulli rati sunt.

SYNOPSIS.

1 Homerus *duodecimum mensem humano partui aptum sensisse videtur. Et n.4.intellig.*

2 Plinius *singularem in proposito refert casum.*

3 Varro, Auicenna, *& alij duodecimo mense hominem nasci posse rentur.*

5 A.Gellius *&* Phauorin. *improbantur.*

6 Phauorinus *natione Gallus erat.*

7 *Apud Ethnicos quanto antiquiores, tanto minores erant anni.*

8 *Emendatio* Cuiacij *ad* Plinium *reiicitur.*

9 *Apud Iurisconsultos constitutissimum est partum duodecim mensium non admitti.*

10 *Ratio Interpretum improbantium partus duodecim mensium, & deinceps, refellitur.*

11 *Consilij Parisiensis decretum à* Choppino, Gothofredo, *& aliis approbatum impugnatur, simul cum casu à* Peramato *confictio, vel excogitato.*

12 Hotmanus *notatur.*

15 Dominicus Arumæus, *&* Paulus Zacchias *refelluntur.*

14 *Maleficio fieri posse, vt partus ad duodecimum & vltra mensem differatur, notat ex* M.Ant.Delrio.

15 Doctor Sorapan *improbatur.*

16 A.Gell.lib.3.Noct.Attic.c.16.*interpret.*

MENSEM duodecimum τόκιμον, & humanis partionibus aptum agnouisse videtur † *Homerus* ὀδυσ.λ. 1 cùm de Neptuno loquens (qui Tyrorem ad Enipei fluuij ostia sopitam compressit) ita rem cecinit.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.
Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἐτέλεσσε θεὸς φιλοτήσια ἔργα,
Ἐντ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ, ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζε.
Χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκν' ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ
Ἀθανάτων.

Quæ

Quæ Lalamantius (j. referendus ita apte Latinitati donauit:

Virgineum soluit cestum, placidúmque petiuit
Coniugis infusus gremio per membra soporem.
At postquàm munus Numen perfecit amoris,
Et dedit amplexus, atque oscula dulcia fixit.
Hic prensare manu, & dictis compellat amicis,
Gaude hoc complexu: nam cùm se voluerit annus.
Illustres natos paries: haud irrita diuûm Connubia.

Quibus velut clarè *Homerus* demonstrasse videtur mulierem περιπλομένȣ ἐνιαυτȣ (vt ipse loquitur) id est, *resoluto anno* parere posse. Et *Plinius* quidem *lib.7.natur.hist.c.5.* hoc disertioribus verbis expressis, & nobis quidem aptioribus, dum ait: *Massurius Auctor est, L.Papyrium Pretorem, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm mater partum 13. mensibus diceret tulisse, quia nullum certum tempus pariendi statutum videretur.*

Sed & *Charisius Grammaticus lib.1.* & *Cælius Rhodig. antiqu.lect. lib.24.c.4.* post *Varronem*, duodecimo mense natum asserunt Gracchũ: & inde Gracchi nomen à gerendo vel gestãdo deriuari. *Auicenna* itidem *li.de animalib.* 9. affirmat, se pro certo accepisse mulierem 14. menses vterum gessisse, & dentes paulò post puero enatos. His addit *Nicolaus Florentinus*, relatus à *Bonauentura lib.7.c.33.* ob varietatem formationis, & motus in fœtu non solùm vndecimo mense partum gigni posse, sed duodecimo, tertiodecimo & quartodecimo. Quod placuisse etiam *Cyno* à *Gentili* (insigni Medico) testatur *Bart.in l.Gallus n.12.ff.de liber.& posth.* Adhæc *Petr.de Apono in Aristot.probl.* 41.*partic.*10.& *in lib.* cui titulũ fecit *Cõciliator, differ.*19. à fide digno audiuisse ait, *quandã puerum post* 14.*mensem enixam.* Et his concinunt illa *Pontani in libr.sententiarum Ptolemæi, sentent.*51. *Ipse* (inquit) *à grauissimis viris accepi, Nicolaum Picinum clarissimum Ducem duodecimo mense editum:* Speron itidem *Speroni in Dialogo de tempore partus, in principio*, & paulò pòst, & iterum atque iterum in excursu partum 13. imò & 14. mense edi posse contendit.

Sed & *Peramat.in lib. de homin. procreat.cap.9.Gaudet* (inquit) *natura sæpè huiusmodi varietate quasi nobiscum ludens, & non solùm vndecimo mense, verum & 12.13.& 14.interdum partus profert: siue ob imbecillitatem fœtus perfici ante nequiuerit: siue ob frigiditatem temperaturæ aerem externum non ante postulauerit, nec respirare statuerit: siue copia alimenti defuerit, seu sibi suppetierit abundè. Quòd si cum his facultas vteri retentrix iungatur valida, & expultrix retentiua, seriùs quàm aliter edetur in lucem infans.* Addit *Hieronymus Cardanus lib.1.contradiction.Medicin.tractatu 3.c.8.* patrem suum decimotertio mense natum. Et *libr.9.de natura animalium c.5.* scribit à fideli homine audiuisse quendam editum post decimumquartum mensem. Et ex nouioribus à *Cardano* tradita approbauit *Ioannes Brodæus lib.10.Miscellanear.c.11.* Et *Horatius* insuper *Augenius* partus annui historiam sui temporis prolixè enarrat *lib.2.de partu hominis, cap.26.* & vlterioris temporis alias historias in *cap.27.* Demum decimoquarto mense hominem posse nasci ex *Aristotele* (malè allegato) asserit *Ioannes Schenkius lib.4.obseruationum, titul.de partu, obseruatione* 8. Qui *obseruatione* 9. meminit nati mense vigesimo. Et *obseruatione decima*, biennio. Et *obseruatione* 11. triennio. Et *obseruatio-*

ne 12. quadriennio: vt mirum sit, istum per omnes hominis ætates non percurrisse.

3 Nec defuerunt ex nostris † præfatæ sententiæ assertores (quorum præcipui *Cagnolus*, qui ista *Aristoteli* improuidè attribuit, in *l.1.ff.si certum petatur*, & nouè *Paulus Zacchias in Medicolegali lib.tit.2.quæst.6.nu.3.*) *Andreas Alciatus lib.3.Paradoxων,cap.7.* (improbatus in *capite præcedenti*) *Tiraquellus* in *l.si vnquam,verbo,susceperit liberos,nu.210.Petrus Gregorius*, sibi parum constans, *libr.9.Syntagmat.iuris,cap.26.à n.22.Negusantius in Sylua responsorum,quæst.400.numer.74.& sequentibus,Iacobus Concenatius quæstionum iuris lib.2.qu.9.num.10.* Et *Dionysius Gothofredus in scholijs ad cap.2.Nouellæ 39. de restitutione & ea quæ parit in vndecimo mense: Audio* (inquit) *apud Parisienses arbitrio doctissimorum Aduocatorum, & inter eos Chappearum domini admissam fuisse viduam, quæ quartodecimo mense peperisset. His autem circumstantijs omnes mouebantur: quòd vidua apud hæredes defūcti mariti diligentiùs semper exspectata vixisset: quòd eorum vxoribus assidua comes semper fuisset, nec ab earum latere quodammodo discessisset: quòd hæredes ipsius defuncti nihil eius honori, vel pudicitiæ detraherent: quin potiùs de solemni, continuoque propter mortem mariti luctu testarentur. His ita propositis summi Iuris Antistites, ac Prudentes communis, vulgarisque partus rationem tanti faciendam esse non putarunt, quin matronæ moribus honestissimis præditæ* (*cui nihil quidquam obijceretur aliud, quàm quòd extra vulgarem mulierum morem pareret*) *audiretur.* Sequitur *Henricus Salmuth ad Pancirolum rerum memorabil.lib.2.cap.10.* vbi asserit, prædictam mulierem ad bonorum possessionem ventris nomine admissam. Sed & is, rationi *Plinij supra* relati (hoc tribuentis incerto partus tempori) hæc addit (sumpta à *Petr.Ærodio libr.2.rer.iudicat.tit.4.cap.5.* eiusque nomine suppresso) *Sui iuris natura est, nec ad leges humanas componitur, aut semper ex formula respondet, modò properat, modo vota præcurrit, modo lenta est, & remoratur, vt ex Papyrio Fabiano ait Seneca. Nam vt arborum fructus, ex diuturna frigore, sic fœtum ex acerbissimo dolore mariti defuncti sisti, ac sustineri posse.* Quæ sanè luculenter, & disertissimè prosequutus fuit *Ioannes Lalamantius* (quem isti non viderunt) *in commentar.ad Galen.libr.2.de diebus decretorijs,cap.2.post principium.* Et his demum concinunt quæ in proposito annotarunt *Angelus Matthæacius de* *legatis & fideicommis.cap.17.* *Mynsinger.centur.6.obseruation.cap.40.* *Francisc.Duaren.ad titul.ff. de legibus,cap.4.* & *ad l. Gallus,§.nunc de lege Vellea*, vbi post duodecimum mensem partum edi ex Philosophorum sententia ratus est: nisi istum intelligas de Philosophis ab Hadriano apud *A.Gel. lib.3. Noctium Atticarum,cap.16.* interrogatis.

Sed hęc & similia duodenum mensem † τόκιμον, & partionibus aptum † nobis constituere neutiquam possunt, contra ea quæ in *capite præcedenti* resoluimus; & contra placitum *Aristotelis lib.7.de histor.animal.c.4.* & *Hippocrat.* variis locis superioribus capitibus expensis.

Nec nos *Homeri* auctoritas debet remorari in versibus *num.1.* expensis: quorum tres vltimos *A.Gellius libr.3. Noctium Atticarum,cap.16.* ad commplures Grammaticos attulisse refert, & in quæstionem posuisse an περιπλο- μένου ἐνιαυτοῦ, id est, confecto, vel conuerso anno mulier parere posset? & cùm aliqui dixissent *Homeri* ætate annum fuisse decem tantùm mensium (ac notauimus in *cap.13.*) & alij conuenissent

venissent Neptuni maiestati concessum, vt fœtus ex eo grandesceret, & alijalia nugalia proferrent. *Phauorinum* demum adiisse ait, & ab eo didicisse περιπλομένον ἐνιαυτὸν, non confectum, sed affectum annum esse, ac si per participiale præsens diceres, *vertentem annum*, quo nomine rem adhuc in motu consistētem significamus: *affecta enim* (ex *Marco Tullio*, & aliis veteribus elegantissimis) *ea propriè dicebantur* (ait *A. Gellius* à *Phauorino*) *quæ non ad finem ipsum, sed proximè finē progressa, deductáve erant*. At ista † inter alia, quæ velut nugalia *A. Gellius* reiecit, connumeranda sunt, vt quæ apertè contrariantur vero sensui illorum verborum *Homeri* περιπλομένου ἐνιαυτοῦ, quæ anni completionem denotāt, vt clarè probant illa de Plaiadibus *Hesiodi libr. 2. operum, & dierum in principio:*

αἳ δὴ τοὶ νύκτάς τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
κεκρύφαται, αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
φαίνονται:

Hæque quater decies latitant, noctesque diesque,
Tum rursum apparent, confecto scilicet anno.

6 Etenim par est credere *Phauorinum* † (natione Gallum ex Arelate oppido prope Rhodanum, vt scribit *Cæl. Rhodigin. lib. 19. cap. 12.*) Romæ agentem à consistenti & longo vsu obseruato anno Solari Iuliano, existimasse Homericum annum eidem coæqualem fuisse, cùm re vera non esset, sed decem tantùm mensium, vt innuimus in *cap.* 11. §. 4. & in *cap. 13. num. 7.* Quanto e-
7 nim antiquiores tanto minores † erāt anni apud Ethnicos, vt clarè colligitur ex his quæ resoluimus in dicto *cap.* 13. §. Vt inde in regione Æolorum (à qua ex communiore assensu *Homerus* oriundus erat) eius seculo antiquissimo (*A. Gellius libr. 17. cap. 21.*) annus Græcus (ab Arcadibus desumptus, *Macrobius lib. 1. Saturnalium, capit. 8.*) esset decimestris. Qui temporibus subsequentibus à Thalete Solis cursui fuit adæquatus, vt ex *Diogene Laertio in eius vita*, annotauimus d. *cap. 13. §. 4.* Et ab his (verissimis quidem, ni fallor) facilè explodes, quæ nouè in enodando *Homero suprà*, excogitauit *Zacchias in Medico-legalibus tit. 2. quæst. 2. num. 10.*

Ad id verò quod de *Plinij* loco opposuimus *num. 2.* † *Cuiacius in notis ad* 8
Nouellam 39. Iustiniani respondit dicens, corruptissimum esse, & pro *tredecim mensibus* legendū *decem*, vt scriptum asserit in veteribus codicibus. Sed emendatio ista sustineri non potest: nam vt disertè annotauit *Hotmanus lib. 9. obseruationum, cap. 9.* (præterquàm quòd nulli tales exstant Codices) ea attenta *Plinius* rem dubiam, & passim obuiam, & *lege xij. Tabularum* notissima definitam, vt memoratu dignam, & valdè singularem enarraret. Adde *A. Gellio* (communem retinenti lectionem *libr. 3. capit. 16.*) hanc *Plinij* assertionem ideò extra fidem visam fuisse.

Demus igitur ista *Plinij*, & alia similia *Varronis*, *Auicennæ* & aliorum *supr.* relatorum, ita accidisse ac ipsi cōmemorant, & per consequens natura posse contingere, *l. si maior, C. de legitimis hæredibus.* Demus itidem Philosophis & Medicis liberè super hisce sentiendi facultatē: non tamen isthæc probari nobis † possunt, qui termi- 9
nos partus legitimi & naturalis à lege *xij. Tabularum* Iure communi & Patrio in *l. 3. §. post decem, D. de suis & legitimis hæredibus* & in *l. 4. tit. 23. part. 4.* decem mensibus præfinitos habemus. Vt inde nullo modo in iure sustineri possit opinio *Cagnoli, Alciati*, & cæterorum, quam meritò impugnant, post

alios, Perotus in *l. Gallus, nu.* 12. vbi *Petrus Gilkenius n.* 59. & nouiores Hotmanus dict. *lib. 9. obseruation. ca. 9.* Pancirolus *cons.* 15. *num.* 7. *Torreblanca libro secundo de Magia operatrice, cap.* 43. ex *numer.* 33. & alij: ea vsi ratione ex *Theophrasto* (relato à *Iulio Paulo* in *l. antiqui* 3. *ff. si pars hæreditatis petatur*) quod Iurisconsulti non quid ἐκ παραλόγου, & præter vsitatũ naturæ ordinẽ, sed quid ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & plerũq; accidat, exspectant, τὸ γὰρ ἅπαξ, ἢ δὶς παραβαίνουσι δὶ νομοθέται, dict. *l. antiqui, l. sed etsi restituatur, §. si paterfamilias, ff. de iudic. l. si quis* 9. *ff. de liberis & posthumis, l. ea quæ rarò accidunt* 64. *ff. de diuers. regulis iuris.*

10 Sed nec ista † mihi probantur: nã (vt memini me iã sæpiùs hac tractatione annotasse, ex d. *l. si maior.* 12. *C. de legit. hæred.*) ea quæ in natura rarò contingũt, semper in iure cõsiderantur, suúmque sortiũtur effectum: post decimum verò mensem natos ius nec vllo modo admittit, non quia raros, sed quia nullos esse posse supponit & præsumit, & super præsumptione ista ad euitanda magna absurda & dãna disponit: vnde appositè *Varro* apud *A. Gell.* d. *libr.* 3. *Noctium* Atticarum, *cap.* 16. Antiquos *Romanos* (ait) *non recepisse huiuscemodi quasi mõstrosas raritates, sed nono mense, aut decimo, nec præter hos alias portiones mulieris secũdùm naturam fieri existimasse.* Nec contrarium probat dicta *l. antiqui,* attenta eius textus interpretatione, de qua iam suo egimus loco: & latiùs tractabimus in *cap. decimo octauo numero* 12. veritatem propositorum ibi à *Paulo* Iurisconsulto examinantes.

11 Ab his euidens fit, quàm deuium † à iuris verioribus resolutionibus fuerit placitũ illud Prudentum Parisiẽsium, quod referunt & amplexi sunt *Gothofred.* & *Salmuth. supra* citati. Quis enim non videt, nil concludere, & inania omnia illa esse, quæ isti in fundanda pudicitia illius viduæ, & excusando partu 14. mensium adducunt?

Quemadmodum & illa, quæ finxit, aut excogitauit. Peramat. *de homin. procreatione,* d. *cap.* 19. *ad finem,* dicens: *Et herclè si mulier honestis moribus, & probatæ pudicitiæ (de qua nemo ambigat) ante, aut post mariti mortem, vel absentiam concepisse se perhibet, & vterus indies magis ac magis attollitur, posteà verò partus producitur in vndecimum, duodecimum, decimumtertium, & decimũquartum mensem, iniustè admodum vocabitur in ius à marito, redeunte, aut ab agnatis ipsam ab hæreditate mariti excludere volentibus. Ratio enim naturalis præponi debet* (ait iste) *cuicunque quantumuis frequenti supputationi.* Fallitur enim tam in sentẽtia principali, quàm in assignata eidem causa: cùm mulier post viri mortem, aut longam absentiam, ad congressum amasij obtegendum, possit grauidationem illicò simulare, vel menstruorum detentione, vel occulta eorũ effusione tribus, aut quattuor mensibus: cúmque sese verè prægnantem senserit, vel anteà, vel in dubio, culcitram (prægnationẽ trium, aut quattuor mensium denotantem) ventre superimponere: & subsequentibus mẽsibus, linteola addititia, fictioni & suppositioni coaptare, & postea partum editum legitimo tempore (putà nono aut decimo mense) ad maritum mortuũ, vel absentem, abinde 13. vel 14. mensibus, facilè referre. Quæ clarè demonstrant, sententiã Peramati ratione naturali ineuitabili (ac ipse putabat) non inniti, quandoquidem ab eo considerata labefactari possent facillimo negotio.

Fallitur insuper † Hotmanus *d. c. 9. in fine,* dùm putat, casus istos raros partionum duodecim mensium, & deinceps ad

ceps ad facti quæstionem referendos, & in arbitrio iudicis residere, *l. quæsitum 13. ff. de testibus*, *l. continuus 137. §. cùm ita, ff. de verborum obligationibus, l. penult. in fine, ff. ad legem Falcid.* Etenim cùm notissima *lege xij. Tabularum*, & dict. *l. intestato 3. §. post decem, ff. de suis & legitimis hæredibus*, & nobis dicta *l. quarta, titul. 23. part. 4.* expressè decisi fi.at, clarè consequimur, nullum arbitrio superesse locum. Et ex hoc capite facilè euertes ea omnia quæ his
13 casibus, & similibus arbitrio † iudicis committunt *Dominicus Arumæus libr. 2. decisione vltima, numer. 82. Paul. Zacchias in suis Medico-legalibus li. 2. quæstione 1.*

Vnum tantùm casum ego exciperem,
14 is est, si fortè maleficio † tempus grauidationis ad duodecimum mensem & vltra prolatũ fuisse probetur: quod euenire posse firmat *Pater Martinus Delrius libro 3. disquisition. Magicarum par. 1. quæst. 4. sect. 3.* ex *Apuleio libr. primo de Asino aureo*, ita dicente: *Eadem amatoris sui vxorem, quod in eam dicaculè probrum dixerat, iam in sarcinam prægnationis obsepto vtero, & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnauit. Vt cuncti numerant, octo annorum misella illo onere, & velut elephantum paritura distenditur*; & ex Pausania, cuius Latina ista refert, *Pharmacidas Thebani à Iunone missas aiunt, vt parturienti Alcmenæ impedimẽto essent, sed eas dum Alcmenæ partum inhiberent, à Tiresiæ filiæ Historide tali commento delusas: ex eo námque loco vnde illæ facilè audire possent, clamauit, peperisse iam Alcmenam: illas ea voce deceptas statim abiisse. Alcmenam illicò puerum enixam*: & conferunt alia à *Macrobio* tradita *lib. 1. Saturnalium, cap. 8.* Quæ omnia miror *Torreblancam* harum rerum diligentem disquisitorem aufugisse, cùm de partu isto duodecim mensium, & vltra sermonem iniisset *lib. 2. de Magia oper.* dict. *cap. 43. nu. 33. & sequentibus.* Nisi fortè ad ista respexit dicto *lib. 2. ca. 45. nu. 9.* vbi ex *Martino Delrio* in loco præcitato *Grilland.* & aliis tenet partum dæmonis arte & calliditate difficilem reddi.

Demum noto, valdè à vero aberrasse † *Doctorem Sorapan in 2. part. suorum prouerbiorum Hispanorum*, dum 15
partus istos abortiuos, vel monstrosos facit: & *Plinium*, cæterósq; in præcitatis locis de monstrosis partionibus loquutos asserit: & ideò ad consequentiam (vt aiunt) trahendos non esse. Similes námq; raritates abortui, monstróve tribui non possunt, vt clarè demonstrabunt dicenda in capitibus sequentibus. Nec obstabit *A. Gellium* ex *Varrone, suprà* relato, *in libr. 3. Noctium † Atticarum*, d. *cap. decimo sexto*, 16
has raritates *monstrosas* appellasse in verbis iam expensis. Id enim dictum fuit *monstrosi* lata significatione attenta, quæ ad omnia præter naturæ solitum ordinem contingentia extenditur ex *Aristotele* (hoc sensu partum octomestrem monstrosum appellante) *lib. septimo de historia animalium*, dicto *cap. 4.* Qui & geminos monstrosos ait *lib. 4. de generat. animalium, capit. 4.* iunctis his quæ annotauimus *suprà ca. 11. num. 53.* & latiùs prosequimur *infrà cap. 17.* vbi monstrorum varia genera distinguemus, & quis propriè partus monstrosus sit, demonstrabimus.

CAPVT XVI.

DE PARTV ABORTIVO.

SYNOPSIS.

1 *Diuersas abortus acceptiones ex* Hippocrate, Aristotele, *& alijs adducit.*

2 *Latinis* aborsus, *&* abortus *nomina tantùm in vsu, & in quo differant.*

3 *Albertus ad duas vteri deperditiones principaliter referuntur. Et nu.4.& 5.vtriusque exempla iuridica afferuntur.*

6 *In plurimum abortiones vel initio grauidationis, vel sub finem contingunt.*

7 *Summam partui abortiuo constitutionem præfinit.*

8 *Definitionem abortus communem Medicorum ex* Galeno *impugnat: & aliam* Petri Garciæ, *& aliam* Varandæi: *& abortum sine exclusione fœtus dari posse contendit* Auctor.

9 *Alteram definitionem Iurisprudentibus & cæteris conuenientem affert.*

10 *Abortus longè differt ab* ἐκρυσει.

11 Aristotelis *maior nota vitatur.*

12 *Abortus ex pluribus & leuibus quidem sæpè causis procedunt.*

13 *Abortus maiore mulierum periculo & damno fiunt quàm partus.*

14 *Abortus partui naturali contrarius.*

15 *Octomestris partus abortiuus non est.*

16 *Abortiuus partus, & non editus iure in idem recidunt.*

17 *Conditio:* Si sine liberis: *ob partum abortiuum non deficit.*

18 *In iure omnis partus naturalis & vitalis præsumitur, non abortiuus.*

19 *Signa abortus duplicia sunt, quædam respiciunt abortum perpetratum, alia imminentem & futurum.*

20 *Abortus cõiecturam ex sola tussi tempore partus superueniente improbat* Auctor.

21 *Nec illam probat, quæ ex morte mulieris in ipso puerperio aliqui eliciunt.*

22 *Si pellis, qua partus inuoluitur, matura non appareat, non est sufficiens coniectura abortus.*

23 *Nec eam præstat admodum tenuis vox aut vagitus recèns editi.*

24 *Nec quòd partus non lallet, aut lactet, nec vbera matris sugat.*

25 *Nec partus tenuitas, aut liuidus, aterve eius color.*

26 *Nec illico eidem superueniens mors.*

27 *Nec aures adhærentes & conglutinatæ capiti.*

28 *Nec solæ declarationes Medicorum & obstetricum.*

29 *Omnibus coniecturis suprà positis simul iunctis abortus non probatur. Et num.31.limitat* Auctor.

30 *In causa abortus non procedit quod communiter dicitur plures imperfectas probationes simul iungi ad constituendam perfectam probationem.*

32 *Quattuor casus distinguit cum* Marco Antonio Eugenio *ad dignoscendum & probandum abortum. Et nu.33. coniecturas ab Interpretibus communiter adduci solitas ad quendam tantùm casum reducit.*

34 *Quid nobis tenendum attenta* L. 13. Tauri *aperit.*

35 *In quibusdam prouinciis frequentiores sunt abortus,& quare.*
36 *Abortus præseruationes & præcautiones remissiuè traduntur. Et nu.37.incantationes ad partum retinendum etiam remissiuè.*
38 *At in iudicio finali abortus suscitabuntur? quærit, ex* Augustino,*& aliis.*

DICTIS & enodatis in capitibus præcedentibus consectaria est abortiui partus tractatio; licèt enim demõstratis partionibus, quas Natura & Ius Ciuile agnouit, regula generalis posset constitui, cæteras à Natura, & à Iuris dispositionibus nobis excludens, non tamen facturum me satis existimo, nisi abortiui partus peculiaria hoc loci fuerim prosequutus, & simul *in capite sequenti* monstrosarum,& prodigiosarum partionum iniuerim scriptionem ac Iurisconsultum decet.

1 PRINCIPIO noto (vt à diuisione † more Logicorum res ista pertractetur) apud Medicos & Philosophos, quin & apud Iurisconsultos diuersas inueniri huius nominis acceptiones: sunt enim *Hippocrati* & *Aristoteli*, aliísque *inferius* referendis voces præcipuæ, infelicem hanc fœtus editionem denotantes, ἀπόλυσις, siue ἀποφθορὰ, *deperditio*: ἄμβλωσις, *imperfecta emissio*: ἔκτρωσις, *imperfecta genitura*: ἔκρυσις *effluxio*, vel *corruptio*. At Latinis † *abor-* 2 *sus*, & *abortus*, siue *abortionis* nomina tantùm in vsu fuere: abortiuum enim *Isidoro libro decimo, Etymolog. in princip.* dicitur, *quidquid non oritur, sed aboritur & excidit:* & *Sextus Pompeius Festus de verborum signific.* abortum dictum putat, *quòd non sit tempestiuè ortum.* Vt inde verbum, *abortus*, propriè etiam ad plantas & arbores referatur: *Theophrastus libro quarto, histor. cap.4. Plin. libro duodecimo, cap. secundo. Arborum etiam abortus inuenimus.* Fiunt enim & arte arbores pumiliones, *& coactæ breuitatis*, *Plinius* ibidem. At noster sermo de abortu tantùm erit circa generationem humanam contingente; cuius causa nomina prædicta *abortus* & *aborsus* omnes deperditiones, per verba superiora Græca denotata, continebunt; nisi quòd aborsus (omitto ἔκρυσις *effluxiones* ante conceptionem contingentes, de quibus egimus in *capit.1. in princip. numero vigesimo*, & in *eodem ca. §.2. sub initium*) in cõceptus exordio, vel prioribus mensibus contingat, abortus verò prope tempus pariendi, vt notauit *Nonius Marcellus de proprietate sermonum, capit.5. de differentiis nonnullarum dictionum, in fin.* & ab eo *Cuiacius super libro decimo nono quæstion. Papinian. in comment. ad l. in lege Falcidia.9. ff. ad leg. Falcid.* Et sanè ab his † com- 3 munis Medicorum & Philosophorum assensus ἔκτρωσιν cum aborsu, ἀπόλυσιν verò, & cætera nomina cum abortu componit: déque priore certè locutus est *Hippocrates 5. sect. aphorismo 44. & 45.* vbi bimestrium, & trimestrium mulierem aborsum semper ἔκτρωσμὸν, siue ἔκτρωσιν appellat. Ex diuerso *in 5. Epidem.* cùm historiam mulieris Larissæ, & mortui fœtus editionem decimo mense contingentem enarrasset, ἀπολύσεος nomine fuit vsus. Etsi promiscuè his & aliis nominibus Græcos aliquando vsos clarè demonstrauerit *Bonauent. in compendiosa disputat. de octomest. part. cap.7.*

Sic & in Iure nostro † (vt optimè 4 annotauit *Anton. Contius in libr. singulari de hæred. & bon. possessor. paulò post princip.*) prioris aborsus, siue deperditionis habemus exemplum à *Tryphonino* in *l. Cicero, ff. de pœnis*, in Milesia illa, quæ accepta pecunia à secundis hæredibus partum sibi medicamentis

ipsa abegit,& visceribus suis vim intulit:& in *l. si mulierem, ff. ad leg. Corneliã de sicariis*, & in *l. si quis*, §. *qui abortionis, ff. de pœnis*, cum aliis per nos *inferiùs* referendis. De posteriore verò deperditionis specie, contingente partui iam perfecto & maturo, loquitur Imperator *Diocletianus* cum *Socio* in *l. vxoris abortu* 2. *Cod. de posthum. hæredib. instituend.* Aliter enim *textus* ille dubitandi careret ratione in illis verbis: *Vxoris abortu testamentum mariti non solui: posthumo verò præterito, quamuis natus illicò decesserit, non restitui ruptum:* si de priore abortionis specie prioribus mensibus contingente intelligerentur. Sed & secundam
5 † istam abortionem agnouit *Iustinianus* in *l. quod certatum* 3. *C. eod. tit.* eámque innuit in illis verbis: *Hoc tantummodo requirendo, si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum, vel prodigium.* Quò loci vox illa, *tantummodo* (quæ posita est ad excludendam vocis emissionem à Proculianis requisitam in legitimo partu, ex dictis per nos *suprà in cap.* 9.) simul demonstrat nil aliud requiri, vt partus naturalis, legitimúsque diiudicetur: nisi quòd perfectè nascatur, siue viuus ad orbem totus procedat: quasi *Iustinianus* clarè excludere voluerit partum perfectum, qui vel mortuus nascitur, vel in ipso ortu nondum totus vtero egressus mortuus fuit. Sed nihilosecius *aborsus, abortus, aborti*, & *abortionis* nominibus promiscuè hoc cap. cæteros sequuti) vtemur, ad denotandos partus immaturo tempore editos. Quos *Festus, exterricineos*, appellauit (vt quos in plurimum mater exterrita aluo ciecerit)& Græcis communi nomine κλιθεμλώοι vocantur tanquam fallentes, deficientésque in tempore partionibus naturalibus requisito.

Ast notandum hîc illud est (quod à dictis elicitur) abortiones scilicet in initio, vel sub finem grauidationis in plurimùm contingere. † Primum ma- 6
nifestò comprobabis ex iam dictis per nos in *cap.1. in princip.*& in §.2. Quibus adde *Hippocratem in lib. de partu septimestr.* (ab aliis) asserentem abortiones plurimas in primis quadraginta dies contingere, prosequitur *Vallesius de sacra philosophia, cap. octauo.* Et ex nostris *Couarru. in Clement. si furiosus, 2. part.* § 3. *numero primo, de homicid. Menoch. de arbitrar. lib.2. cent.4. casu 337. n. 3. Ant. Cont. suprà. Iuuenalis* (Iuliam & Domitianum Imperatorem patruum notans) *Satyra 2.*

Cùm tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam
Solueret, & patruo similes effunderet offas.

Sueton. in Domitiano, cap.22. Secundum comprobatur ex eodem *Hippocrate 5. Aphorism. 12.* & *Aristotele problem. 9. sectio.1.& lib.7. de histor. animalium, ca. 4.* Nec ideò tamen negamus, abortus sæpè & sæpiùs cõtingere (iuxta tradita à *Petro Garcia de locis affectis dispu.76. cap.7.*) in tertio, quarto, quinto & sexto mẽsibus ex multiplicibus causis *inferiùs* designandis. At suprà dictis temporibus frequentiùs accidunt ob proprias, naturalissimásq; rationes, quas prosequuntur Medici, maximè *Federic. Bonauent. lib.3. de octomest. partu, cap. 71.& libro septimo, c. 106. & seqq. Petr. Garc. d. disputat. 76. à ca.3.* & nouissimè *Ioan. Varandæus de morbis & affectibus mulierum, lib.2. cap.7. vers. Videamus, & vers. Causæ.*

Svmma verò abortiui partus constitutio ea erit, vt quicunque † imma- 7
turo tempore editi fuerint, vel maturo mortui fuerint eiecti, aut morientes, inter abortus connumerentur, vt optimè annotarunt *Bonauent. de octomest. partu lib.3. d. cap.71. & libr.9. cap.9. in fine, Petr. Garc. de locis affect. d. disputat.76.*

tation.76.cap.1.num.1.

VIDIMVS diuersos abortionis modos & tempora, nunc ex ordine definienda † est: & sanè illa est Medicorum communis definitio ex *Galeno 6. lib. de morbis vulgarib.p.1.comment.2.* (probata à *Hieronym.Mercuriali*, post alias, *lib.2. de morb.mulier.cap.1.*) vt sit *imperfecta fœtus eiectio.* Quæ certè definitio diminuta est, vt ex dicendis illicò apparebit. Vnde *Pet.Garcia de locis affectis*, d. *disputat.76.ca.1.nu.1.in fine*, vt in definito comprehendatur fœtus delitescens vtero mortuus, abortum definiens ait: *Aborsus est fœtus imperfecti emissio, aut mortui.* Sed ex eodem capite ista non placent, & multò minùs ex notandis 7.

Nec admittendam censeo nouissimam definitionem traditam à *Ioanne Varandæo*, qui *lib.2. de affectib. mulier.* d. *cap.7. in princip.* Abortum (ait) *fœtus immaturi esse exclusionem cum insigni matris noxa*, cùm aptari non possit abortui nono, aut decimo mense cõtingenti, quo tempore fœtus maturus & perfectus, & ad viuendum est aptus. Adhæc is Auctor hac sua definitione supponit, abortum dari non posse sine exclusione, vel eiectione fœtus: & subinde sentit eum in vtero ex poculo, vel percussione mortuum & putrefactum, vel induratum, paulatimque delitescẽtem, non priùs abortum dici posse, quã prægnans damnum passa, onus illud eidem molestum, & iam à natura alienum eiecerit.

Sic velut per transennam (vt aiunt) resoluens arduum illud dubium Philosophorum & Medicorum enixè disquirentium, An fœtus in vtero mortuus sub nomine *abortus* veniat? In qua quæstione eos valdè laborasse percipies, ex his quæ in proposito isto nouissimè annotauit *Petrus Garcia de locis affectis*, dict. *disputat.75.cap.1.num.1* Vtcunque verò sese ista habeant, apud Philosophos & Medicos, nobis tamẽ citra omne dubium est, fœtus procuratam deperditionem ante exclusionem, & sine ea verè abortum dici, & vt talem debere puniri. Nam cùm gestari possit in vtero fœtus (quamuis mortuus) per plures annos, vt mulierũ exempla testantur, & inter cætera portentoso illa lithopædij, seu putrefacti embryonis per viginti octo annos gestatio (quam descripsit *Ioannes Albosius* Regis Galliarum Medicus apud *Andream Laurentium libro octauo de historia anatomica, cap.9. quæst.19.*) & latissimè enarrauit (eius naturales assignans) *Horat. Augenius in historia fœtus petrificati*, post *libros de hominis partu* posita: & cùm accidere possit, vt ex percussione prægnans cum fœtu in vterò retento simul moriatur, nemo sanè negabit, hisce casibus abortus crimen commissum, & per consequẽs quibuscunque aliis deperditionibus fœtus, quamuis eum mater non eiecerit. Quid quòd *Hippocrates in libro de mulieribus* clarè docet mulierem aborire, & cùm puer non excluditur.

9 Vnde ego † abortionem ita aptiùs apud nos & omnes definiri posse puto, vt sit: *Fœtus extinctio à causis efficientibus, vel commouentibus matri cum graui periculo, aut noxa præter naturam contingens.*

Dicitur FŒTVS, vt distinguatur ab ἐκρύσει septem prioribus diebus ab immissione seminis contingente, quæ abortio non † est, vt iam 10 ex pluribus annotauimus *suprà in capite 1.*

Et ab his obiter liberabis † *Aristo-* 11 *telem in libr.7. Politicor.cap.16.* à communi nota existimantium, non solùm non improbasse abortiones, verùm & suasisse: nam verba illa, πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωήν, id est, *Prius quã sensum & vitam nanciscantur*, clarè

demonstrant, Philosophum non de abortu, sed de aborsu rei inanimis, id est de ἐκρυσι, loquutum, vt optimè annotauit *Iacob. Cuiac. lib. 19. obseruat. ca. 9.* Sed nec nos ista *Aristotelis*, vera CHRISTI lege attenta, admittimus: quæ & à ciuili ratione deuiant, & punitione digna sunt, ex dicendis *infr. hoc cap. §. vnico.*

Insuper *fœtus* dicitur in definitione, vt distinguatur à molarum informiũ, grumorum sanguinis, flatuum, aquarumque copiæ confertim vtero retentarum eiectionibus, quæ aliquando veræ grauidationes reputabantur.

Dicitur A CAVSIS EFFICIENTIBVS AVT COMMOVENTIBVS, vt
12 putat† à flatu vterũ diuellente, aut quadam agitatione præpostera matris tenuissimas adhuc fibras disrumpente, imprimis imùm ob nimias humiditates, quæ vteri acceptabula relaxare solent, vel aëris inclementiores constitutiones sese inuicem, & quasi immediatè subsequentes, quæ cùm inæqualiter corpora infestant, abortiones etiam frequenter inducunt, ex *Hippocrate aphoris. 12. lib. 3.* & *in lib. de natura pueri.* Vel ob cibi, potusque nimiam copiã, quæ fœtus sępè comprimit & suffocat: vel mediis vomitionibus violentis forás intempestiuo tempore eiicit. Sunt & plures aliæ abortionis consimiles causæ, velut ictus, obcursus, morsus, vulnera, animi conturbatio, tussis vehemens in partu superueniens, oscitatio, affectus vel appetitus nimius, esculentorum præcipuè (quem nos *antojo* vocamus) Sed & tetri vapores, halitus, quin & extinctæ lucernæ odor abortibus causam præstare solent. Deque ista vltima causa (eam inter miseras hominis sortes connumerans) ita ait *Plinius libro septimo natur. historiar. capite septimo. Miseret, atque etiam pudet æstimantem, quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cùm plerumque abortus causa fiat odor à lucernarũ extinctu.*

Sed & plures alias abortionis causas adducit idem *Plinius libro decimo quarto, capite decimo octauo*, & *lib. 21. capite decimo octauo*, & *lib. 24. capite 5. & 16.* & *libr. 25. capite nono.* & *libr. 26. cap. 15.* & *lib. 27. cap. 12.* & *libr. 28. cap. 7.* & *lib. 30. cap. 14.* & *lib. 31. capite primo*, & *libr. 32. cap. 10.* Et in hisdem multus itidem est *Auicenna libr. tertio Fen. 21. tractat. 2. capit. 8.* Qui *in cap. 9.* abortionis signa refert. Et *in capit. 10.* præcautiones enarrat. Et *in subsequentibus* de regimine abortum passæ latè agit. *Galenus in commentar. ad aphorismos Hippocr. lib. 5. aphorism. 30. 31. 34. 45. & 55.* & *lib. 3. de facultatib. natural. Soranus ad lib. Hippocr. de fœtu. Ætius lib. 16. cap. 12. Ioan. Schenkius tom. 2. obseruation. Medicin. lib. 4. tit. de partu, & tit. de fœtib. put. Forest. tom. 1. obseruat. lib. 28. obseruat. 66. & seq. Hieronymus Mercurialis lib. 2. de morb. mulier. cap. 7. Eucharius Rhodio* (qui simul cum causis abortus eiusdem plura signa, seu demonstrationes adducit) *in lib. de partu homin. cap. 8. Ambrosius Paræus lib. 23. cap. 40. Varandæus d. cap. 7. Peramat. in lib. de homin. procreat. cap. 8. Ioan. Heurnius de morb. mulier. cap. 7. tom. 2. Bonauent. l. b. 5. de octomest. partu, ca. 60.* nouissimè *Petr. Garcia* (de abortu ex affectu proueniente multa edisserens) *in lib. de locis affect.* dict. *disput. 76. cap. 3.* Et ex Philosophis (citra *Plinium, supra* relatum) *Aristotel. sectione prima problem. 9. A. Gell. lib. 3. Noct. Atticar. cap. 16. in fine.* Et ex nostris *Iacob. Menochius* (plures casus & causas aborsus dinumerans) *consil. 248. num. 11. lib. 3.* & *lib. 6. præsumptio. 52.* à *num. 22. Peregrin. consil. 11. nu. 4. l. b. 3. Marius Giurba in consuetud. Senat. Messanen. capit. 10, glos. 1. num. 6.*

Dicitur CVM INSIGNI PERICVLO ET NOXA: nã licèt partꝰ naturalis dolo-

doloribus & periculis maximis sit suppositus (vt memini me aliquando annotasse, & latiùs prosequemur *in cap.fin.*) abortus tamen, ob violentiam diuulsionémque pręcocis fructus, ma-
13 iore † sanè periculo & damno mulierum fiunt, vt docet *Hippocrat.in lib.de natura pueri,* & *in lib.de morbis, Petrus Garcia,* post alios, *de locis affect.*d.*disp.76 cap.2.nu.*4. Maximè si à sexto mense, quando fœtus iam grandior est, abortus contingat, *Varandæus* d.*cap.*7. *vers.Ex his prognosin.*

Vnde ab istis fit, vt inter omnia symptomata, quibus imprægnantes infestari solent, nullum sit frequentius & periculosius abortione, vt rectè notat idem *Varandæus* d.*cap.7.in princip.*

Demũ dicitur in definitione, PRÆTER NATVRAM CONTINGENS,
14 quia abortus partui † naturali contrarius est, vt ex *Galeno* notat *Trincauel. lib.1.consilior.cons.*34. Et inde est, vt à cõtraria causa ortum ducat: quod acutè cognouit *Iacob.Cuiac.ad Pauli lib.4. sentent.tit.9.§.septimo mense*, cùm ait: *Nati nõ videntur, qui mortui nascuntur: & contra naturam ac leges nasci videntur, qui immaturo partu eduntur: & qui ante septimum mensem.* Vt inde, obiter, ex hoc etiam capite facilè refellas *Parisij,* & aliorum sententiam (iam impugnatam *cap.*11.) existimantium
15 octomestrem partum † abortiuum esse, contra *Aristotelem lib.7. de historia animal.cap.*4. & eius Paraphrasten *Plinium lib.7.natural.histor.cap.5.* Quibus locis (si ea attentè perlegeris: simul cum traditis à *Petro Garcia de locis affectis disput.76.ca.1.num.2.*) ista nostra apertè comprobabis: quæ video placuisse *Andr.Laurentio lib.8.de histor. anatom.cap.8.quæst.*29.

Ex quo verò partus abortiuus inter naturales non adnumeratur, inde fit, vt in iure abortiuus & non editus pro
16 eodem † reputentur, vt nostri passim notant, maximè *Socinus Sen.*in *l. cùm auus,num.*110.*ff.de condition.& demonstrat. Alciatus respons.23.lib.9. Marius Giurba in consuetudin.Senat.Messanens. cap.10.gloss.1.num.*4. Et ex Medicis *Bonauent.*post *Cardanum, libr.3.de octom. partu, cap.*40. Paria namque sunt, non nasci, vel ita editum fuisse partum, vt viuere non possit, *lege final.Cod.de institutionib.& substitut. Philip.Corneus cons.276.num.16.vol.3. Philipp. Decius cons.227.nu.11. Curtius, Cephalus. Menoch.Raudens.*& alij relati à *Giurba* d. *num.*4.

Et indè etiam est, vt ob partũ abortiuum fideicommissum † si sine liberis 17
non deficiat, iuxta notata à *Doctoribus* per *textum* ibi in *l. ex facto 17.§ si. quis autem, D.ad Senatusconf.Trebellia. Socin.cons.275. num. 20. volum.2. Card. Parisius cons.56. num.8. volum.2.* Nec scriptis hered.bus talis partio impedimento sit, §.*posthumi, vers.idcóque, institutio.de exheredat.liberor.Paulus Castrens.*in *l.vxoris abortu, C. de posthum. hæredi.instituẽd.Peregrinus,* post alios, *cons.11.num.1.volum.3.* Nec testamentum rumpat, d.*l. Vxoris abortu, Menochius cons.284.num.2.libro 3.* cum aliis, quos refert & sequitur *Giurba* d.*glos. 1.nume.*3. Fateor abortum aliquando *partum* appellari, vt in *Hippocra.li.de natura mulier.Galen.libr.3.de morb vulgar.commen.*7. cum alijs relatis à *Zacchia in Medico legalib tit.4.quæst.3.nume.*8. Quin & *filium,* vt in *l.Diuus 4.D. de extraordin.crimin.* Sed id impropriè dictum est, & addito verbo *abortiuus* in prædictis locis & alijs similibus,

Cùm autem partus iste abortiuus odio habeatur, & præter naturam sit, inde fit, vt quamuis non solùm difficile, verùm & impossibile sit probare partum maturo & legitimo tempore editum (cùm huius rei congruam rationem testes adsignare non possint, vt ab alijs disertè notauit *Marc. Ant.*

18 *Eugen.cons.28.nu.8.*) in iure tamen † omnis partus naturalis, vitalis, & iusto tempore editus præsumatur, scilicet à septimo decimum vsque mensem editus, vt optimè considerat *Socin.Iun. cons.35.nu.24.& 25.vol.2.* cum aliis per nos relatis *supr.in cap.6. post initium*, & post eum *Francisc.Bursat.consil.63. num.20.M.Anton.Eugen.*dict.*consilio* 28.ex *nu.*74.& insuper citati à *Giurba* d.*glos.1.n.5.* Vbi appositè ait (ex *Decio cons.623.ad fin. Menoch.*dict.*consi.*284. *num.2.& 9.*) eum qui asserit abortum, teneri illum probare saltem coniecturis.

Ad quas sanè necessum est hoc casu pluries recurrere, iuxta notata in *l. Gallus, in princip.ff. de liber.& posthu.* & à *Socino* d.*cons.35.n.31.Bursato suprà Alciato* d.*respon.23.num.4.Parisio* dict. *consil.56.num.*17. & quidem nouem adducit is Auctor, illicò prosequendas.

Dum primò cum *Varandæo* d. *cap. 7.vers.Quòd ad diagnosin abortus*, ad-
19 notemus, signa † in duplici esse differentia, & quædam esse abortus iam facti & consummati, quædam imminentis & futuri. Prioris differentiæ cognitio ad Iurisconsultum maximè spectat, iuxta ea quæ de abortu procurato & incusso aduertimus *infra* suo loco: secunda verò tractatio propria est Philosophorum, Medicorum, & Anatomicorum, quorum etiam & obstetricum iudicio prudens iudex vtetur in dignoscendo abortu iam patrato, ex pluribus adductis à *Giurba* d.*cap.10.num.21.* idque fit (vt *Varandæus suprà*) *exploratis diligenter locis muliebribus*, à quibus *facilè erit pronuntiare de facto aborsu recēti: quia adhuc sunt ita madentia & aperta vt facile sit tunc conijcere aliquid obruptum violenter, & ex vtero depulsum fuisse. In aborsu autem inueterato* (ait iste) *post vigesimū diem, aut circiter, non est ita, facilè comprehendere, si quid aut violentia quadam rescissum fuerit, aut etiam deiectum ex vtero, quoniam huiusmodi partes rursus inuicem coeunt, atque coalescunt, & paulatim in integrum restituuntur.* Et mox disertè prosequitur futuri aborsus indicia & signa, quæ ibi dilucidè notata inueniet curiosus rerum harum indagator. Nec minus in *Auicenna* relato *supra n.12.*

SVPEREST vt nostra tractantes per signa & coniecturas discurramus abortionis seriò patratæ, vel fato cōtingentis. Et (seriem *Menochij cons.284.* & *Cardin.* sequuti cum *Mario Giurba*, & *Tuscho inferiùs* referendis) priorem † 20 coniecturam ex *Menochio sup.nu.15.* & *Giurba* d.c.10.*n.*6. post *Galenum* & *plinium* ab eis relatos, ab ea tantùm causa aliqui componunt, quòd mulier effœta graui & vehementi tussi tempore partus affecta fuerit. At *Giurba* post *Menochiū* d.*cons.284.n.18.& seq.* agnouit (& rectè quidem) hanc coniecturam leuem esse, & paruipendendam, si partus præfinito à natura tempore editus fuerit, & ideò is, & ab eo relati subdunt, necessum esse aliquod immaturitatis signum apparere ad præsumendam abortionem ex tussi, alióve quouis motu. Quod certè idem est ac si dicas, ex hisce tempore partus obuenientibus nihil induci: nam aut partus maturus est, & nullius sunt momenti, etiam quoad præsumptionem; aut est immaturus, & citò morturus, & per consequens euidenter abortiuus: vt inde nullo in casu necesse sit recurrere ad leuissima ista indicia & perfunctoria.

Secunda coniectura † partus ab- 21
ortiui erit iuxta *Parisium*, & *Alciatum suprà* citatos, & *Menochium dict. cons.284.num.2.* cum aliis quos refert *Giurba* dict.*cap.10.num.8.* si mulier in ipso puerperio, vel paulo pòst decesserit; sed eam à dictis in præcedenti

impro-

improbat *Giurba* post *Menochium* d. *nu.*21. *Cardin.Tuschus littera P. concl.* 106. ita vt necessum sit probare mortem enixæ obuenisse ex accidentibus, quæ mulieres patiuntur, vbi partus est immaturus quæ à Medicis tradiderunt *Paris.*d.*cons.*56.*nu.*19. *Peregrin.*d. *cons.*11.*n.*3.*ad fin.*

22 Tertia † erit, si pellis, qua partus inuoluitur, matura non appareat, nec sanguinem emittens, *Paris.*d.*cons.*56.*n.* 11.*Menoch.*d.*cons.*284.*num.*25.& comprobari posse videtur ex traditis de disruptione membranarum ab *Hippocrate in lib.de natura pueri*, & denuò à *Petro Garcia de locis affect. disput.*76.*c.*1.*nu.*4. Sed eam præsumptionem explodit idem *Menoch.nu.*29.*&* 30. Nam partus maturo tempore execto ventre & pelli illa extractus, non est abortiuus, sed legitimus, iuxta ea quæ resoluimus latè s.*in c.*6. at matura tunc temporis pellis illa non est: alioquin mulier eniteretur sine ventris lectione, vt *Menochius* & *Giurba* considerant. In quo sanè falluntur, cùm detentio partus ab aliis atque aliis causis, consideratis à Medicis, & Philosophis (quibus non immoror) prouenire possit.

23 Quartam † coniecturam elicit *Menochius* d *cons.*284.*n.*4.*Tusch.littera P. conclus.*107.*num.*4. & *conclus.*108.*n.*30. & *Giurba* s.*numer.*11. à debili admodum & tenui voce vagientis partus. Sed ipse *Menochius supr. & numer.* 31. *Giurba num.*12.*Marc.Anton.Eugen.* d. *cons.*28.*num.*10. eam reiiciunt, vt quæ nec lege, nec ratione probatur. Et certè quotidiana simul experientia demonstrat permultos partus vitales, & naturales nasci, qui ob debilitatem, vel aliquod aliud impedimentum vagire, vel nequeant, vel debiliores & tenuiores vagitus emittunt, quod mirè comprobabis ex adductis per nos *supr. in cap.*9.

Quinta † coniectura ab eo enascitur, 24 ex *Menoch* s.*n.*31.*Giurba* d.*c.*30.*n.* 13. quod editus partus nec lallat, aut lactat, vberáve sugit: sed hanc illationem: *Nō lactat, ergo immaturus est partus*, ipsi idem reiiciunt, cùm id euenire posset ab aliquo temporario, vel accidentali impedimento, vt puta si menstrua in os fœtus denuò effluxerint, vt notant *Menoch.*& *Giurba supr.*ille *nu.* 31.iste *n.*14.

Sextam † cōiecturam desumit idem 25 *Menoch.*d.*nu.*32.à partus debili, tenuíque affectione, eiúsque liuido, atróve colore, & faciunt tradita à *M.Anton.Eugen.*d.*cons.*28.*n* 18. Sed eam *Menochius* & *Giurba supr.*explodunt, & meritò quidem, cùm plures partus, maximè septimestres, debiles nascantur, ex latè per nos ab *Aristotele lib.*7. *de histor.animal cap.*4. annotatis *supr. in cap.*10. quæ in proposito optimè prosequitur *Menoch* d.*cons.*284.*nu.*33. 34.*&* 35. & *lib.*3.*de arbitrariis*, *casu* 89. *n.*37.

Septimam † immaturi & abortiui 26 partus coniecturam eruit *Menochius suprà nu.*38.post *Socin.*&*Chassan.*quos allegat, à morte statim partui superueniente: quæ fuit etiam sententia *Iosephi de Rusticis de fideicommiss.lib.*4.*c.* 9.*n.*2. At *Menoch.supr.nu.*39.nec istam vrgentem asserit, maximè si editus aliquas vixerit horas, & baptizatus fuerit, id quod post alios plures referendos in *Scholiis* ad dict.*l* 13.*Tauri*, notarunt optimè *Marc.Anton.Eugen.*d. *consil.*28.*numer.*31. *Peregrin.*d.*consil.*11. *nu.*29.

Octauam † adstruit coniecturam 27 *Menoch supr.nu.*35. ex quo sanguinolenti infantis aures adeò adhærent & conglutinatæ sunt eius capiti, vt nec aqua calida disiungi potuerint. Sed hæc coniectura nihil concludit, cùm

septimestres, teste *Aristot.li.7.de histor.animal.*d.*c.*4. & *Plinio lib.*11.*natur.hist.* *c.*37.cum relatis à *Giurba* s.*nu.*20.sæpè obtusis aurium, & narium foraminibus edantur, cùm tamen partus sint verè naturales & legitimi iuxta tradita s.*in c.*10.

28 Nonam † demum coniecturam à declaratione Physicorum & obstetricum pendentem faciunt, *Marc.Anto. Eugenius* d.*cons.*28.*nu.*25.*& seqq.Menoch.*d.*cons.*284.*nu.*40. *Giurba* s.*nu.*21. Sed eam solam aliis coniecturis non coadiuuatam, ex pluribus refellit *Menoch.*d.*n.*40. *& seqq.*

Vbi optimè elicit, nón tantùm singulis hisce coniecturis (præcedentem excipio) abortum non probari, verùm
29 nec simul iunctis: † vt quæ nec à lege nec à Iurisprudentibus optimæ notæ fuerint probatæ.

30 Vnde est, vt huius propositi non sit † quod communiter dici solet, plures imperfectas probationes simul iungi ad constituendam perfectam probationem, *l.instrumenta* 5. vbi *Gloss.G.de probationib.c.cùm causam* 13. vbi *Gloss.* & omnes, *extra, eod.tit.* vt streuuè notat *Giurba* s.*n.*23.post *Peregr.& Tusch.* quos ibi refert.

At prædictis coniecturis, vel saltem
31 earum aliquibus, † ego multum iure communi attento tribuerem in casu dubio, cùm liquidò non constiterit, an partus perfecto tempore editus fuerit, an immaturo? Nam prędicto casu plurimum sanè prædicta iuuabunt causam partum improbantis vt abortiuum, apud bonum virum, iudicémve ista decisurum.

32 Quem moneo, quatuor casus † distinguam cum *M.Anton.Eugenio* ista acutè discutiente d.*cons.*28.à *n.*1.Quorum primus ipsi est, quando elatè constat fœtum mortuum editum cũ squalore fœtore id denotantibus: in quo nulli dubiũ esse potest, partum abortiuum diiudicandum quoad omnes iuris effectus, d.*l.vxoris abortu, C.de posth. hæred.instit.*

Secundus sit, cùm ad sensum patet partum viuum esse, vt quia vagit, mébra distendit & mouet, & similia, & tunc Auctor iste subdistinguit: nã aut editus certè est immaturo tempore, puta ante septimum mensem, vel in octauo, & abortiuus est; aut tempore perfecto natus est, septimo scilicet, nono aut decimo mense, & tunc vitalis & naturalis est. Quæ nos certè probamus, eo tantùm excepto, quod in octomestrem partum supponit contra ea quæ adduximus, & quàm euidenter comprobauimus in *c.*11.

Tertius casus est, quando omnino non apparet, an partus viuus editus fuerit? habet tamen membra sua perfectè articulata & organizata, & ante vagitum emissum occubuit, in quo post *Franciscum Marcum decis.*168.*num.*15. *par.*2.ad signa recurrendum est: nam si spirauerit, anhelauerit, membra distéderit, vel aliquantulum se mouerit, & alia signa, quantumuis minima vitæ dederit, & licèt illicò, paulóve pòst moriatur, tamen quoad iuris effectus vitalis, naturalísque partus regulariter censendus est, *l.quod certatum* 3.*C.de posthum.hæred.instit.*cum aliis per nos adductis in *c.*6.*& seq.*

Quartus demum casus *M.Antonio Eugenio* est, quando in partu nec mortis nec vitæ (vt in præcedentibus) signa certa apparent, sed moriens editus est, quem casum vltra sensum & captum hominum esse dixit *num.*13.*& seqq.* vbi ex *D.Augustino lib.*13.*de Ciuit.Dei, ca.*11. mortem in instanti obuenire ait, nec hominis viuentis & morientis statum dari posse, quidquid in contrarium innuerit *Bart.*in *l.qui duos, §. hæc conditio, ff.de manumiss.testam.* Vt inde:

inde Iurisprudentes casum istum nunquam considerauerint, sed partum viuum aut mortuum edi, vt certissimum semper supposuerint.

Ab his quæ latiore stylo prosequitur *M. Ant. Eugenius* d. *cons*. 28. à *nu*. 1. vsque ad 19. facilè percipies commemoratis s. † coniecturis ex *Menochio* & aliis, nec in primo, nec secundo, quartóve casu locum esse; admittendas verò fore in tertio, dum tamen iudicis prudentis arbitrio & trutinationi supponantur.

33 Iure verò nostro Regio *l*. 13. *Tauri* attento omnia ista cessare † videntur, nec vllis partus abortiui coniecturis iam locum superfore, quandoquidem à definitione generali illius legis, nullus sit partus maturus & vitalis, qui viginti quatuor horas ab editione non superuixerit, & simul fuerit baptizatus. Sed adhuc tu dic, coniecturas imminentis & futuri, vel patrati abortus locum habere in casu exceptionis illius legis positæ in versic. *Pero si*, quem alibi sumus prosequuti: ac subinde tractabimus in scholiis ad prædictam l. 13.

35 Vltimo loco in materia ista coniecturarum nota, † in quibusdam Prouinciis frequentiores esse abortiones, vt latè & optimè considerauit, & prosequutus fuit *Federicus Bonauentura* lib. 5. *de octomestri partu*, c. 60. Et sanè in regionibus Austrinis plures quàm in Septentrionalibus contingere firmat *Ælianus de animalium historia*, *li*. 12. *cap*. 17. his verbis: *In Austrinis (vel regionibus, vel tempestatibus) partus magis relaxari, atque adeò excidere, Democritus ait, quam Septentrionalib. Quod quidem ipsum cur fiat, causam affert: quia ventrem ferentibus corpora Austro laxentur & dissoluantur. Idcirco receptaculo dilatato, & longè latéque diffuso, & malè comparto, partus errare & vagari: eosdémque calefactos, huc & illuc dilabi & diffluere; ac iam locis disclusis, & remissis, faciliùs excidere. Contra, si tempestas sit frigida, & Septentriones venti sint, locorum adstrictione fœtus contrahi, & comprimi, vt de locis dimoueri, & depelli nequeant. Nec sanè dissolutione & laxitate quasi tempestate quati, præsertim cùm à perturbatione conquiescant, & firmissima sede distringantur, ita vt facilè ad pariendi tempus durare possint. Quamobrem frigida constitutione (inquit Abderita) fœtus manent, calore verò vt plurimùm excidunt; hoc enim superante, fieri posse negat quin nerui & artus laxentur & fatiscant.* Cur autem in humana specie (vt hæc obiter dicamus) crebriores sint abortus? optimè resoluit *Bonauentura de octomestri partu lib*. 5. *c*. 60. dicens: *In humana specie frequentiùs ea fortasse de causa contingunt abortus, quam in aliis animalium speciebus, quia cùm multiplex habeat tempus pariendi, & menses multos, vnicuique mensi tum propria, tum aliorum mensium imminent incommoda & abortiones, vt lib. 3. expositum fuit: exempli gratia, nono, septimi, octaui, decimi, & de reliquis idem iudicium: quare & abortus fiunt crebriores. At aliis speciebus vnicum est tempus præfinitum, ab vnico verò tempore difficiliùs contingit naturam aberrare: itaque meritò in illis non fiunt adeò frequentes abortus.*

Quòd si præseruationes † & præ- 36
cautiones abortionis obseruare cupis, recurre ad ea, quæ (citra Medicos, maximè *Auicennam* relatum s. *numer*. 12. & nouissimum *Varandæum de morbis & affectionibus mulierum*, *lib*. 2. dict. *capite* 17.) annotarunt *Plinius libro* 19. *cap*. 6. *Plautus in Amphitr. actu* 2. *scena* 2. *vers*. 91. *Petrus Gregorius* (qui de puniendis incantationibus ad retinendum partum adhibitis agit) *lib*. 14. *de Republica*, *cap*. 2. *numero* 5. Deque ipsis
† incantationibus *Bulengerus* (ex *Iulio* 37

Polluce) lib.2.aduerſ.Magos,cap.20. in princ.

Demum ſi diſquirere velis, an par-
38 tus abortiui in iudicio finali † ſuſcitabuntur: vide *Diuum Auguſtinum*, relatum à *Tiraquell.* in *l.ſi vnquam, verbo ſuſceperit liberos, n.209. in fin. C. de reuocandis donationib.* & *Athenagoram*, diſertiſſimè iſta tractantem, in *Apologia pro Chriſtianis, circa finem*, & *Diuum Gregorium*, eleganter, piè, ac doctè eadem proſequentem *libr. 4. Moral. expoſ. c.2. in medio.*

§. VNICVS

DE ABORTV procurato, & eius pœnis.

SYNOPSIS.

1 *Omnibus temporibus & gentibus magno ſemper odio habitum abortus crimen. Et n.2. quid lex Exodi in eo ſtatuat, & lex Ciuilis & cæteræ proponit velut in genere.*

3 *Verba notanda conſtitutionis* Sixti V. *in deteſtationem huius criminis expendit.*

4 *Conſtitutio* Sixti V. *etiam poſt nouiorem* Gregorij XIV. *in pluribus adhuc viget, ac ſubſiſtit.*

5 *Cap.21. Exodi expenditur & declaratur.*

6 *Iure Ciuili variæ ſunt abortionis pœnæ pro caſuum diuerſitate.*

7 *Poculum prægnanti propinans, à quo eius mors, vel fœtus vltimo ſupplicio damnandus.*

8 *Quæ viſceribus ſuis accepto pretio vim intulit, morte punitur. Et n.10. Et nu. 9. aſſaſſinatus tenetur, ſi fœtus fuerit animatus.*

11 *Interuentu pecuniæ delictum atrocius fit.*

12 Menochij *interpretatio ad* l. Cicero, ff. de pœnis, *impugnatur, & vera aſſignatur n.14. & 20.*

13 *Communem ſententiam diſtinguentium, ad pœnas aborſus, fœtum animatum ab exanimi aliquibus confirmat* Auctor. *Et num. 15. vbique receptam, & deinceps admittendam agnoſcit.*

14 Fulgoſij *opinionem refert, & iuribus confirmat. Et n.16. ſummo iure tenendam aſſerit. Et n.22. rationem* Fulgoſij *expendit.*

17 L. ſi quid aliquid, §. qui abortionis, ff de pœnis *interpr.*

18 *Antiqui potiones, aut maleficia agnouerunt, quibus marito ſubminiſtratis via ad vxoris, vel concubinæ abortum pararetur.*

19 *Homicidium, in quo maleficium interuenit, atrocius eſt.*

21 L. ſi quis, ff. ad leg. Corn. de ſicar. *interpr.*

23 Anton. Theſaur. *cum aliis diſtinguentes inter abortum fœtus animati maturi & immaturi refellitur. Et nu. 24. diſtinctionem iſtorum nec iure Canonico aut Patrio admittendam* Auctor *notat.*

25 *Sententia* D. Solorzani *indiſtinctè aſſerentis, matres fœtus animatos aborientes parricidij pœnis ſubiici, improbatur.*

26 *Iure Ciuili abortus pœna regulariter erat arbitraria. Et num.29. idem Iure canonico & noſtro attento dicendum.*

27 *Quæ viſceribus ſuis vim inferebat, & partum proiiciebat, mortis exilio multabatur.*

28 *Ob abortus crimen marito licebat ab vxore diuertere.*

30 *Quæ ſuaſionibus impiæ matris abortiuit punienda, etſi minor 25. annis, maior tamen 17.*

31 *Etiam*

31 *Etiam monstrosi futuri hominis abortioni causam præbens puniendus est.*

32 *Percutiens prægnantem si animo abortus patrandi hoc faciat, punitur condigna pœna.*

33 *Si casu,& præter intentionem abortio eueniat, mitior debet esse pœna. Et numero 62. idem resoluitur in abortu sine dolo à parentum quoquam patrato.*

34 *Velut in muliere res familiares tractante, & impar onus sustinente, vel alia similia faciente.*

35 *Vel in ea quæ ludendo causam abortui præbuit.*

36 *Vel in ea quæ ad recuperandum salutem, vel vitandum dolorem poculum vel acceperit, vel dederit.*

37 *Pharmacopolæ similia pocula præbentes grauiter puniendi, etsi sine dolo id fecerint, & rationem reddit. Quæ militat in quouis Artifice num. 38. In indice numero 39. In Aduocato, vel Adsessore numer. 40. In Medico num. 41. In Obstetrice numer. 42.*

43 *Stolidi homunciones, & viles mulierculæ imperitæ, & obstetrices sine consilio Medicorum potiones præbentes, ex quibus aborsus sequitur, seuerissimè sunt puniendæ. Et num. 44. hoc tunc maximè locum habere, cum similes potiones in casu non necessario subministrantur, puta ad conceptionem vel quid simile. Et num. 46 morte sequuta vltimo supplicio afficiuntur. Et num. 45. limitatur in mulieribus honestioribus id nulla spe lucri patrantibus.*

47 *Medici & obstetrices saluti prægnantis consulentes, si abortioni causam dederint aliqualiquali pœna tenentur. Sed limitatur ab aliquibus.*

48 *Limitationem* Thesauri *impugnat* Auctor. *Et num. 49. aliam* Couarruuiæ, & *aliorum ex sententia* Patris Basilij Legionensis.

50 L. si seruus, §. si mulier, D. ad leg. Aquil. *declar.*

51 *Pecudes & serui adæquabantur in Iure Ciuili. Et quod vix casus dari potest in abortione immunis à pœna.*

52 *Ad infligendam pœnam distinctio* D. Augustini *inter fœtum animatum & exanimem amplectenda est. Et nu. 53. redditur ratio. Et num. 54. aborsus fœtus animati, & infanticidium æquiparantur.*

55 *Leges antiquas Gothorum in abortientes latas expendit. Et num. 56.* l. 8. tit. 8. part. 7. *Et num. 63. & 64. declarantur.*

57 *Ex lege nostra patria morte sequuta abortioni causam præbens capitali pœna puniendus est. Et distinctio inter fœtum animatum & inanimatum est obseruanda.*

58 *Quando dicatur fœtus animatus tractat* Auctor *ad prædictorum interpretationem. Et num. 59. quòd in dubio præsumitur exanimis.*

60 *Limitationem* Nauarri & Augusti. Barbosæ *improbat.*

61 *Abortus puniendus, etsi ob tegendæ turpitudinis causa fuerit patratus.*

62 *Alias varias pœnas abortioni procuratæ adhibendas notat remissiuè.*

65 *Generationem ex congressu coniugum impedientes puniuntur seuerè.*

66 *Pœnæ cessant in abortu citra dolũ contingente, & in dubio non præsumitur, & ratio redditur.*

67 *Nunquam inuenies indices solicitos in disquirendis abortionis causis. Et num. 68. quòd in mulierculis deperditis & vagantibus curiosi esse deberent. Et* Petri Gregorij *singularia verba in proposito expenduntur.*

HIs sic in genere circa causam abortus prænotatis, subintrat tractatio (iam à nobis expromissa

in *cap.2.§.4.in fi.*) quæ punitionem abortionis, ictibus, veneficio, aliisque medicamentis procuratæ, respicit.

Et ante omnia in detestationem huius impij criminis annotamus, omnibus † ferè temporibus & gentibus magno semper odio habitum maximè apud Hebræos, *Exod.c.* 21. cum aliis *inferiùs* adducendis: & deinde apud Christianos, vt colliges ex *Apologia Athenagoræ* Græci Oratoris *pro Christianis* ad Imper. M. Aurelium Antodinum, & Lucium A. Commodum, vbi mulieres medicamentis abortiuis vtentes rationem Deo reddituras minatur, & subdit: *Qua ratione iam natos & perfectos homines nos iugulabimus? non enim eiusdem est fœtum in vtero animal esse? Ideóque curam eius à Deo suscipi existimare, & postquam in lucem editus est interficere, &c.* Quin & inanimati fœtus aborsum contra *Aristotelem lib.7.Politic.c.*16. damnat *Tertullian. in Apologet.c.9. Nobis* (inquit) *homicidio semper interdicto, etiam conceptum vtero dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet: homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert natum quis eripiat, an nascentem disturbet; homo est & qui est futurus: etiam fructus omnis in semine est.* Quò tendit ratio quam assignat *Orator in Cluentina,* verbis (immediatè sequentib. his, quę referuntur à *Tryphonino* Iurisconsulto in *l.Cicero 39 ff.de pœnis,* de Milesia muliere capitali pœna damnata, quòd substitutis posthumo ex se nascituro accepta pecunia partum medicamentis abegit) per nos expendendis j.n.10. Et subinde *Ouid.lib.2.Amorum Eleg.*14. appositè ita ait:

Quæ prima instituit teneros auellere fœtus
Militia fuerat digna perire sua:
Scilicet vt careat rugarum crimine venter,
Sternetur pugnæ tristis arena tuæ?
Si mos antiquis placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit.

Et mox idem:

Quid plenam fraudas vitem crescentibus vuis?
Pomáque crudeli vellis acerba manu?
Spontè fluent matura sua, sine crescere nata:
Et pretium parua non leue vita mors.
Vesta quid effoditis subiecta viscera telis?
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida respersa puerorum sanguine culpant,
Atque sua cæsum matre queruntur Ityn.
Vtraque sæua parens, sed tristibus vtraque causis,
Iactura socij sanguinis vlta virum est.
Dicite quis Tereus, quis vos irridet Iason
Figere sollicita corpora vera manu?
Hæc nec in Armentis Tigres fecere latebris,
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.
At teneræ faciunt, sed non impunè, puellæ:
Sæpè suos vtero quæ necat, ipsa perit.
Ipsa perit, fertúrque rogo resoluta capillos,
Et meritò clamant, qui modocunque vident.

2 Hinc lege diuina † *Exod.cap.21.* delictum culpabilis (vt ita loquar) aborsus indistinctè & seuerè punitur.

Eundem Iure Ciuili inuenies prohibitum & damnatum in *l.Cicero ff.de pœnis, l.si quis 38.§.qui abortionis, eodem titul.* (quæ desumpta fuit à *Paulo libr.5. Sententiar.tit.23. §.qui abortionis*) *l.necare, ff.de liber.agnosc. l. Diuus 4.ff.de extraordin.crimin. l.si seruus, §.si mulierem, ff.ad leg. Aquil. l.si mulierem, ff. ad l.Corn.de sicar.* & in *constit.31. Imper. Leonis: Quæ mulier mariti odio abortit, repudiari ab illo potest.* Sed & Ius Cano-

Canonicum crimen istud coercuit in *cap. si aliquis* 5. *cap. sicut ex litterarum* 20. *de homicidio, cap. aliquando* 7. *cap. quod verò* 8. *cap. Moyses* 32. *q.* 2. *cap. consuluisti* 20. 2. *q.* 5. Et *in Concilo Illerdensi sub Ioanne II.* §. 2. Et *in Constantinopol. VI. can.* 9. Et *in Moguntino sub Leone IV. cap.* 21. Et *in Vvormatiensi sub Hadriano II. cap.* 35. Et demum *Motu proprio Sixti V.* (quem maximè extollit *Ioan. Baptist. Siluaticus in cont. med. ca.* 82.) is est 2. *p. Bullar. magni, const.* 87. *& Gregor. XIV. constit.* 8. Et nobis est huius propositi *l.* 8. *tit.* 8. *p.* 7. Prosequunturque latè *Bossius, Iul. Clarus*, & alij criminalium rerum Scriptores, quos refert *Farinac. de homicid. qu.* 122 *p.* 5. *& 6. Nauar. in Manua. c.* 27. *num.* 222. *Couar. libr.* 2. *variar. c.* 20. *nu.* 10. Et *in Clemen. si furiosus,* 2 *p.* §. 3. ex *n.* 1. *Thom. Sanchez de matrimo. lib.* 9. *disput.* 20. *num.* 9. *Petrus Ærodinus lib.* 8. *rer. iudicatar. c.* 5. *num.* 15 *Marquard. lib.* 1. *parerg. ca.* 17. *Anton. Thesaurus decis.* 12. *Menoch. de arbitrar. casu* 357. *Petr. Gregor. li.* 7 *Syntagmat. iur. cap.* 1. *num.* 11. *& lib.* 36. *ca.* 15. *nu.* 17. *&* 18. & *lib.* 38. *c.* 3. *num.* 34. & *libro* 14. *de Republ. cap.* 1. *numer. fin.* vbi verba valdè singularia profert (per nos expendenda ad finem huius capitis) & multa congerit *Bulenger. lib.* 2. *aduersus Magos, cap.* 20.

Sed præ omnibus valdè notanda sunt, quæ in detestationem huius criminis † *Sixtus V.* edixit in dicta sua *constitutione* 87. cùm ait: QVIS *enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed, quod grauius est, etiam animarum certa iactura sequitur? Quis non grauissimis supplicijs damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda* CHRISTVS *Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatam, à beata Dei visione exclusit, reparationem cælestium sedium, quantum in ipsum fuit, impediuit, Deo seruitium suæ creaturæ ademit, qui liberos prius vita priuauit, quàm illi à natura propriam lucem accipere, aut se à materna custodia corporis ab efferata sæuitia tegere potuerunt? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eò vsque processit, vt etiam venena procuret ad conceptos fœtus intra viscera extinguendos, & fundendos, etiam suam prolem prius interire, quàm viuere, aut si iam viuebat occidi antè quàm nasci, nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet grauissimis supplicijs illorum scelera, qui venenis, potionibus ac maleficijs sterilitatem inducunt: aut ne concipiant nec pariant maleficis medicamentis impediunt? Maleficos (inquit Dominus ad Moysem) non patieris viuere: nimis enim imprudenter contra Dei voluntatem se opponunt. Qui (vt S. Hieronym. ait) dum natura recipit semen, receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias Dei manus semper operatur, idemque corporis Creator & animæ est, impiè despicit bonitatem figuli, id est Dei, qui hominem plasmauit, fecit, & voluit: siquidem (vt sanctus testatur Ambrosius) non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Diuinum donum est fœcunditas parientis, eodémque tempore diro hoc flagitio priuantur liberis parentes qui generauerunt: vita filij qui generati sunt: matres coniugij præmijs: terra quæ ab his coleretur: mundus qui ab eisdem cognosceretur: Ecclesia quæ deuoto numero plebis aucta gauderet.*

Et quamuis communiter dici soleat constitutionem istam varias infligentem pœnas (præter excommunicationem, cuius absolutio Sedi Apostolicæ fuerat reseruata) ad terminos iuris cõmunis reductam fuisse per *Gregorium XIV.* dicta sua *constitutione* 8. (ad casus etiam tempore Sistinianæ const-

tutionis contingentes extendenda, vti ex verbis Gregorianæ optimè elicit. *Leonard. Duard. in commentar. in Bullam cœnæ Domini lib.* 1. *capite* 3. *quæst.* 5. *num.* 3.) Hoc tamen
4 † intelligi tantùm debet, quòd absolutionem prædictam Sedi Apostolicæ reseruatam (quam hodie hoc casu inter alios Episcopi sibi reseruare solent, *Augustinus Barbosa de officio & potestate Episcopi, allegat.* 51. *casu.*9. *numero* 136.) nam pœnæ priuationis, inhabilitatis, degradationis, traditionis curiæ sæculari, & præuentionis impositæ à *Sixto V.* animati fœtus abortionem patrantibus, & hodie durant: etsi quo casu fœtus nondum est animatus in totum cesset Sixtina constitutio, résque sit redacta per *Gregorium XIV.* ad terminos iuris communis, de quo in *cap. sicut, in* 2. *de homicidio*, vt post *Quarantam in summa Bullarij*, verbo *abortus, num.* 3. *Flauium Cherubinum in compendio Bullarij super dicta constitutione* 8. *Gregorij XIV.* nouissimè notat *Augustinus Barbosa de officio Episcopi* dicta *allegat.* 51. *numer.* 136. & *allegat.* 110. *num.*20.

His sic in genere ad veram dignosin huius delicti præcognitis, subsequitur disquisitio particularis pœnarum in iure abortui doloso infligendarum, & omissis regulis & conclusionibus à Doctoribus super his excogitatis, maximè à *Menochio*, post alios, *de arbitrariis*, d. *casu* 357. *Thesauro* d. *decis.* 12. *Farinac.* d. *quæst.* 122.) ego, præter omnes quos viderim, quid quoque Iure statutum sit sigillatim inuestigandum censeo, vt exactior sit huius rei resolutio.

CONSTITVO ergo primo lo-
5 co, lege diuina † *Exod.* d. *cap.* 21. *vers.* 22. abortum ita puniri, vt *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint: sin autem mors eius fuerit sequuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Ex quibus verbis planè deducitur, eum qui mulierem prægnantem percusserit, eius morte sequuta, mortis pœna hac lege puniendum: si verò ipsa vixerit, marito in percutientem actionem dandam, ad quod interest arbitrio iudicantium consequendum. Vnde *Iosephus lib.* 4. *antiquitatum Iudaicarum, cap.* 4. ita ait: *Qui mulierem vterum gerentem calce percusserit, si quidem mulier aboriat, pecunia multetur à iudicibus, quòd corrupto fœtu populum vno ciue diminuerit, & aliam præterea pecuniam det marito mulieris. Quòd si illa moriatur, & ipse det pœnas capite, quandoquidem vitam pro vita reponi iustum est.*

At ista intelligunt *LXX. Interpretes* & *Philo in libr. de specialibus legibus* (per nos relati & expensi *in c.*1.§.2.*nu.* 14.&15.) adhibita distinctione, an partus sit animatus, vel examinis; vt optimè (verba *LXX. Interpretum expendens*) notat *Cuiacius li.*19. *obseruat.c.*9. Et dictis ab eo adde per me latè notata *c.*1.d.§.2.ex *n.*14. *vsque ad* 17. *à Philone, Augustino, Hieronymo, Gregorio Nisseno, Chrysostomo, Anselmo, Lactantio, & D.Thoma.* Quibus omnibus insuper adde *Tertullianum* ista comprobantem *de anima, cap.*37. & ita egregiè aptèque dicentem: *Moysi lex tum abortus reum talionibus iudicat, cùm iam hominis est causa, cùm iam illi vita & mortis status deputatur; cùm fato iam scribitur, etsi adhuc in matre viuendo cum matre plurimùm communicat sortem.* Mortis ergo pœna lege illa *Exodi* indita tunc tantùm insequebatur percutientem

tem, vel medicamenta noxia prægnãtiad abortionem præbentẽ, cùm mors subsequebatur. Vt inde fiat, hoc casu, extraneum percutientem tanquã homicidam, maritum verò tanquam vxoricidam puniendos; sin autem mulier à percussione salua euasisset, vel ipsa spontè abortum passa sospes esset, mitiùs illa *lege Exodi* res agebatur, vt patet ex d.c.21.

6 SECVNDO LOCO constituo, Iure Ciuili varias † in præbentes abortioni causam statutas fuisse pœnas pro casuum diuersitate.

Sed vt certa ab incertis separemus, casus aliquos distinguendos duco.

7 Primus sit abortionis à qua mulieris mors subsequitur † ex poculo aliáve re cõsimili ei adhibita, in quo mortis pœna damnandus est is, qui causam præbuit, d.*l.si quis aliquod, §.quod abortionis*, *ff.de pœnis*, in illis verbis: *Quòd si ex eo mulier, vel homo perierit, summ. supplicio afficiuntur.* Vnde mulier tale quid passa à proprio viro ei tanquam vxoricidæ pœna *legis Pompeiæ de parricid.* venit imponenda, *l.1. & 3. ff.ad leg. Pompeiam de parricidiis,* iunctis iis quæ in proposito annotauit *Ioannes de Solorzano in* sua eleganti *disputatione de parricidij crimine lib.2. cap.13.* Extraneus verò quiuis vt verus homicida puniendus erit.

8 Secundum casum constituo in ea quæ accepto pretio † visceribus suis vim intulit, in quam certè mortis pœna statuenda est cum *Tryphonino* ab auctoritate *Ciceronis* ita edocente & asserente in d.*l.Cicero,ff.pœnis*.

9 Quinimò ex sententia † *Iod.Damhouderij in pract.rerum crimin. c.88.nu. 10.in fine.* assassinatus crimen hoc casu committitur. Et sanè eius sententia mihi valdè arridet, dum tamen eam intelligamus in abortu fœtus animati pretio & præmio à matre procurato. Nec obstabit, si dicas assassinum eum dici, qui accepta pecunia, & mandato alterius hominem occidit, *ca.1.de homic.in 6.* cum pluribus aliis congestis à *Farin.de homic.qu.123.numer.19.& 20. Pet.Cabal.in tract.de homic.nu.2.Hect. Felic.2.p.alleg.117.n.3.* eum verò qui in vtero est, hominem dici non posse, iuxta latè per nos notata in *c.2.* Nam vt ibidem aduertimus in *§.4.num.fin.* ab illa regula Iuris Ciuilis, quæ adstruit, nondum natum nec in rerum nec in hominum natura æstimandum, velut excipitur fœtus animatus, quem mulier dolo, malitiáque propria, seu alterius abortiuit, vt clarè probatur in d.*l.si quis aliquid 38. §. qui abortionis, ff.de pœn.* iuxta communem eius intellectum, quem illustrauimus in *cap.1.§.2.nu.17.*& latiùs ĵ. persequemur.

Sed & quo casu fœtus nondum † 10 animatus fuisset, adhuc in specie d.*l. Cicero* iustè indita videtur mortis pœna Milesiæ illi, quæ vno tempore varia commisit delicta atrocia, dum alienæ auida pecuniæ propriis non pepercit visceribus, & graue damnum, furto proximum, substitutis inferre curauit, & *spem parentis* (vt præponderauit *Cicero in oratione pro A.Cluentio,* vnde lex ista sumpta est) *memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum Reipublicæ ciuem sustulerit:* quæ omnia in causa fuerũt, vt mulier illa vltimo supplicio fuerit affecta, vt præsensit *Bart.in l. Diuus, ff. de extraordin.crimin. Felin.in cap.si aliquis, de homicidio, Menochius* hos referens, *lib.2.de arbitrariis, casu 357.nu.13. & 14.* Vbi rectè notat, delictum atrocius diiudicari ob interuentum † pecu- 11 niæ, *cap.pro humani, de homicidio in 6.* Quod ipsum annotauit *Cuiacius lib.9. obseruation. c.9.* & nouè confirmat *D. Solorzan. in disputatione de parricidio, lib 2.cap.12.* Et ita aliud agens deducit *Capitius* ab eadem *l.Cicero,* & aliis iu-

ribus per eum expensis, *decis.155.nu.11. in fin. & sequentib.* quem & alios refert *Menoch.suprà.* Vt inde velut euidenter inferri videatur, pœnam capitalem dict. *l.Cicero*, locum itidem habere (vt præposuimus) in partu adhuc exanimi à muliere pecunia corrupta abacto: quod placuisse video pluribus iuris communis Interpretibus, maximè *Hippolyto de Marsiliis*, & aliis, quos refert & sequitur *Farinacius* d.*qu.*122. *par.6.num.*154 & probat *D.Solorzan.* à *Couarruu.* & *Menochio* (malè tamen à *Budæo*) d.c.12. vt ita pretium tanto facinori adhibitum pœnam ibi adaugeat, vltimum vsque supplicium, & faciunt per nos iam notata in *c.5.nu.13. & 14.*

Et ab his planè venit improbandus
12 *Menochius* † d.*casu* 357.*n.*13. vbi conatur interpretari illa verba: *Rei capitalis fuisse damnatam* d.*l.Cicero*, vt intelligantur de pœna exilij, aut deportationis, quæ capitalis est, vt probant expressi *textus* (quos miror pro sua sententia non allegasse) in *l.2.ff. de pœnis*, & in *l.sed et si quis 4. ff. si quis caution.* Nam ista interpretatio adaptari non potest menti *Ciceronis*, nec *Tryphonini* eum referentis: *Ciceronis*, planum fiet contextum Cluentianæ orationis expendenti: nec enim tantus Orator Oppianici damnandi causam ex capite interfectæ vxoris fratris grauidæ bene commendaret, si Milesia illa, cuius meminit, vltimo supplicio non fuisset affecta, sed tantùm exilio, ita vt exempli (quo Rhetores omnium maximè vtuntur, *Aristot.lib.1.Rhetor. c.9. Quintilian.libr.3.institut.Orator.c. 10.ad fin.*) inductio imperfecta (ex *Aristot.supr.c.2.& lib.2.c.20. Quintiliano lib.5.c.11.*) imperfectior esset eo casu; si Milesia illa vltimo supplicio non fuisset damnata. Sed nec *Tryphonini* menti prædicta interpretatio conuenit: is enim in 2.*par.* d.*l.Cicero* diuersum casum constituit à verbis illis: *Sed si qua visceribus suis vim intulerit,&c.* in quo mulierem exilio temporali coërcendam asserit. Quòd si eadem, aut æquali, vel consimili pœna esset damnanda ob magnum illud facinus relatum in 1.*par. illius legis*, capitalis sanè pœnæ mentionem ibi non fecisset, sed deportationis, ita vt priore casu perpetuo, secundo verò temporali exilio mulier esset coërcenda. Adhæc, quid, quæso, notandum haberet condemnatio Milesiæ illi mulieri facta, si contra naturam (vt ait *Gasp.Thesaur.in addition. ad* d. *decis.*12. patris *Antonij Thesauri*) peccantem, & visceribus suis, & partui vim inferentem, & maritum spe successionis, Rempublicam ciue defraudantem, & his omnibus pecuniam (qua corrupta fuit) plus æstimantem, exilij, vel ciuitatis amissionis pœna tantùm subsequeretur? Debet ergo d.*l. Cicero* intelligi de pœna capitali vltimi supplicij, ita vt verba illa: *Rei capitalis damnatam*, maiorem capitis pœnam respiciant, vt *textui* illi singuli in facinore patrato singularis correspondeat pœna.

Tertius casus erit abortus procurati, in quo nec mors mulieris interuenit, vt in primo: nec pretium grauidæ repensum est, vt in secundo. Et certè tunc communior est Interpretū
† consensio distinguens partum ani- 13
matum ab exanimi, & in animato pœna mortis delinquentem damnans, in exanimi verò pœna exilij, vel alterius mitioris: quæ fuit doctrina *Glossæ* in d.*l. Dinus 4.ff.de extraordin.crimin. Bart.* ibidem ante *num.1.* & post alios, ita tenet *Iul.Clar. in §.fin. quæst.68. nu. 2. Decin.in tract.crimin.lib.9.cap.8.nu. 13. Petr.Geor.* d.*lib.7. syntagm.iur. capite 1.nu.11.* & d.*lib.36.cap.15.num.17.& 18. Cuiac.li.19.obseruat.*d.*c.9. Fachin.cons. 95.nu.*

*93.nu.11.lib.*1. cum pluribus aliis, quos
refert *Farin.*d.*qu.*122.*part.*6.à *num.*134.
Marius Muta,alios adducens, *decis.*
79.à *nu.*15.nouissimè *Hadrian.Negu-*
*sant.in sylua responsor.q.*100.*nu.*93.*Au-*
gustinus Barbosa de officio Episcopi, alle-
*gat.*51.*n.*140.*Aloysius Riccius*,pluribus
adductis, & variis limitationibus in-
teriectis,*in collectan.decis.*590.3.*part.*&
1336.*part.*4. Et ex nostris *Anto.Gomez*
*tom.*3.*variar.c.*3.*n.*32.*Couar.in Clement.*
si furiosus,1.*p.*§.3.*Villadiego de irregula-*
*rit.c.*6.*nu.*32.*Pet.Plaza in epitome deli-*
*ctor.lib.*1.*c.*9.*n.*10.& *c.*26.*nu.*8.*Azeued.*
*in rubrica tit.*23.*lib.*8.*Recopilat.nu.*6.*D.*
*Solorzanus in disput.de parricid.lib.*2.d.
*c.*12.

Et sanè horum sententia apertè
probari videtur in d.*l. si quis aliquid*,
§.*qui abortionis*,ibi: *Quòd si eo* poculo
mulier,*aut homo perierit*,*summo suppli-*
cio afficiuntur.ff.de pœnis, iunctis his
quæ in huius *textus* interpretatio-
ne annotauimus in *capite* 1.§.2.*nume-*
ro 21.

Secundò pro ista sententia expen-
di poterit d.*l.Cicero* 39.*ff.illo tit. de pœn.*
ducto argumento (vt aiunt) ab specia-
li, dum ob fœtus exanimis abortio-
nem vltimi supplicij pœna ibi impo-
nitur mulieri pecunia substitutorum
corruptæ, & visceribus suis vim infe-
renti: quasi aliud sit in abortu non ita
qualificato.

Tertiò huius sententiæ irrefraga-
bilem quidam putant *textum* in *l. si*
quis,*C.ad leg.Corn.de sicariis.*

Sed contraria sententia non distin-
14 guentium † inter abortum inanima-
tum,& exanimem (quæ placuit *Ful-*
gosio in d.*l.si mulierem,nu.*1.*ff.ad legem*
Cornel.de sicar. & *Alexandro* in *l.quod*
dicitur,*ff.de liber.& posthum.* & antea
Baldo ibidem) etsi minus communis
sit,verior tamen visa fuit *Menochio* d.
casu 357.*n.*2.7.*& seqq. Antonio Thesau-*
rod,*decis.*12.*n.*4.

Et quidem opinio isthæc apertè
probari videtur in d.*l. si mulierem* 8.*ff.*
ad leg.Cornel.de sicar. & in d.*l.*4.*ff.de*
extraordinar.criminib. & in d.*l. Cicero*
in secundo responso,*ff.de pœn.* in quibus
aborienti, & vim visceribus suis infe-
renti,temporalis exilij pœna indistin-
ctè insligitur.Sed & istorum sententię
maximè fauet dicta *l.Cicero*, *in primo*
responso, ex quo enim ibi mulier mor-
te damnatur, quia pretio fuit corru-
pta, & furtum commisit in secundos
hæredes, apertè colligi videtur,vbi i-
sta abortus crimen grauantia non in-
terueniunt, exilij temporalis pœnam
imponendam,vt in dict.*l.*4.cum aliis.
Nec quidquam facies,si iuxta s. tradi-
ta dixeris, *Tryphoninum* in d.*l.Cicero*
loquutum de abortione fœtus exa-
nimis: hoc enim merum figmentum
est *Menoch.Couarruu.* & *Solorzani* re-
latorum *suprà num.*1. & contrarium
velut innuunt *Ciceronis* verba expensa
*n.*10.

His sic præhabitis, ego (qui agno-
sco † *Glossæ* sententiam & distin- 15
ctionem inter partus anima constan-
tis & exanimes praxi vbique gentium
receptam, & deinceps admittendam)
simul existimo Iure Ciuili, eiúsque
regulis & decisionibus attentis † *Bal-* 16
di & *Fulgosij* sententiam veriorem &
tenendam esse ex dict.*l.*4. *ff. de extra-*
ord.crim. cum aliis proximè expen-
sis.

Neque obstat † d.*l.si quis*, §.*qui a-* 17
bortionis,*ff.de pœnis*:nam (vltra tradita
in d.*c.*1.§.2. *n.*21.) responderi poterit,
verba illa, *homo perierit*, referri posse
ad maritum prægnantis. Etenim An-
tiqui † potiones, aut maleficia agno- 18
uerunt, quibus marito subministratis
via ad vxoris vel concubinæ abortum
pararetur: id quod insinuasse videtur
*Pat.Mart.Delrius lib.*3.*disquisit. Ma-*
*gicar.*1.*part.quæst.*4.*sect.*3.& faciunt ab
eodem tradita ibidem *quæst.*5. Sed

hac subtilitate superuacua omissa, secundò securè respondeo, dictum §. *qui*
19 *abortionis* loqui in abortu † maleficio patrato: est autem constitutissimi iuris poculum abortus, vel amatorium prębentes veros veneficos esse, & vti tales puniendos, prout delicti qualitas expostulauerit, ex *l. Constantini 3. tit. 16. de Malefic. & Mathematic. lib 9. C. Theodos.* in illis verbis: *Eorum est scientia punienda, & seuerissimis meritò legib. vindicanda, qui Magicis accincti artibus, aut contra hominum moliri salutem, aut pudicos ad libidinem defixisse animos deteguntur.* Vt inde morte mulieris vel fœtus subsequuta tale quid patrantes vltimi supplicij pœnis meritò afficiantur in d. §. *qui abortionis.* Vt enim ait Imperator *Antoninus* in *l. 3. C. de Malef. & Mathematic. Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio,* prosequitur perquam optimè *Martinus Delrius lib. 5. disquisition. Magicar. sect. 16. vers. qui prabet poculum,* & *vers. si mors sit al. cuius maleficiati subsequuta, Molina de iustitia & iure, tract. 3. disput. 27. n. 7. ad finem, Clarus* d. *§. final. quæst. 68. Stephan. Gratian. disceptat. forens. c. 72. n. 17.* nouissimè alios allegans *Augustin. Barbòsa de officio Episcopi allegat. 52. n. 142.* & mihi omnium melius *Antonius Gomez,* varia iura huius propositi expendens, *libr. 3. variar. c. 3. nu. 7. & 9. Iulius* ergo *Paulus* in d. §. *qui abortionis* in pœna vltimi supplicij non tam attendit abortum, quàm modum & medium; & illis verbis, *homo perierit,* non tam verum hominem, quàm *spem* Iure Ciuili *hominis, l. 2. ff. de mortuo infer. l. cum inter veteres 14. C. de fideicommiss. libertat.* aut *hæredem familiæ, designatúmve Reipublicæ ciuem* (vt ait *Cicero* in d. *oratione pro A. Cluentio*) demonstrauit. Nisi velis expressè egisse de abortione fœtus animati, iuxta tradita in *c. 1. §. 2. nu.* 21. vbi ad ista nosmet retulimus.

Sub hæc d. *l. Cicero* † quicquam non 20 obstat iuxta iam notata *n 14.*

Insuper non obest † d. *l. si quis, C. ad* 21 *leg. Cornel. de sicar.* nam illius *textus* decilio alterius est propositi; loquitur enim de infanticidio, hoc est, de homine vero, in rerúmque natura existenti occiso, & inde *lege Cornelia de sicariis* iustè vindicando, *Hotman. cons. 96.* Id quod miror *Ræuardum*, acutissimum alioquin virum, latuisse, qui malè infanticidium cum abortione confundit, *lib. 3. coniectaneorum, c. 1.*

Denique prædictis non obstabit, si opponas de *lege Solonis* expensa à *Galeno in lib. an animal sit id quod in vtero est? ad finem libri,* ita aiente: *Lycurgus & Solon firmum de fœtu, ac indubitabile argumentum prabuerunt, nisi enim animalia essent, non in ipsos abortus auctores legibus proposita pœna animaduertissent: quoniam verò animalia esse dicebant, idcircò pœnam instituerunt:* & mox in fine ita ait: *Leges Cretensibus Iupiter dedit, Lacedæmoniis Pythius ipse, Pallas Atheniensibus: horum igitur discipuli legislatores Lycurgus & Solon per hæc quæ modò dixi capita duo, firmum nobis de fœtu ac indubitabile argumentum prabuerunt: nisi enim animalia essent, non in ipsos abortus auctores legibus apertè proposita pœna animaduertissent; quoniam verò animalia esse dicebant, idcircò pœnam instituerunt.* Hæc enim nullius sunt momenti, vt quę ab ignoto Græculo & garrulo prolata: liber namque ille *Galeni* non est, sed inter alios adscititios eius operibus insertos, ad auctoritatem comparandam suppositus fuit. Id quod euidentissimè demonstrabitur cuique consideranti similis *legis Solonis* mentionem non fecisse *Demosthenem, Diogenem Laertium, Clemētem Alexandr. A. Gellium,* & alios, à quibus *Præteius* Veterē

Iurisprudentiam conflauit, hoc est *leges Solonis* & *Draconis* compilauit. Demus *lege Lycurgi* aut *Solonis* puniri fœtus animati abortioni causam præbentes, certè adhuc Iure Romanorum distinctio inter fœtum animatum & inanimatum admitti non deberet: vt quæ nullibi expressa; & quia omnis partus ante editionem eodem iure apud Romanos censebatur, vt satis superque probauimus s. *in c.* 2.

Ex quibus omnibus clarè elicimus abortui solo, vel non qualificato Iure Ciuili pœnam mortis inditam non
22 fuisse, quod nulla alia † ex causa euenire potuit, nisi quia in vtero existens homo aut animal Iure nostro non dicitur, sed *pars* tantùm *viscerum* matris, *l.* 1. *§. ex hoc rescripto, ff. de ventre inspic.* aut *spes animantis*, d. *l.* 2. *ff. de mortuo inferendo*, cum aliis iam per nos latè adductis *in cap.* 2. Et video disertè annotasse subtilem *Raphaelem Fulgos.* in d. *l. si mulierem, nu.* 1. *ff. ad leg. Cornel. de sicariis.*

Ab istis quæ in Iure Ciuili verissima adeò diiudico, quàm quæ veriora, varij reteguntur Interpretum Iuris Ciuilis, & aliorum lapsus circa pœnas abortui irrogandas.

Et sanè omnium mihi maximus, &
23 præ cæteris notandus est error † *Antonij Thesauri* d. *decis.* 12. *n.* 5. (quem adstruit *Torreblanca*, alios referens, d. *c.* 43. *n.* 13.) differentiam constituentis inter abortum fœtus animati immaturi, & eum qui (vt isti loquuntur) formatus est, & partui proximus. Quod quidem Iure Ciuili (in vtero existentem pro nato non habente.) sustineri non potest, ex iam dictis. Sed nec Iure Ca-
24 nonico † aut Patrio (vt ista hîc obiter interseram) prædicta distinctio admitti debet, quandoquidem apta differentiæ ratio dari non potest inter fœtum tenellum, recénsve animatum, aut multis antea diebus efformatum, iámque maturum. Alioquin & alia media pœna constituéda esset in eum qui abortionem curauit ventris animati tribus aut quatuor mensib. quod nullus vnquam dicet. Vt inde distinctio ista omnino veniat explodenda. Etsi *Bonauent. lib.* 9. *de partu octomest. c.* 8. eam affirmare conatus intrepidè asseruerit, Iurisconsultos & Imperatores ita statuisse. Leges enim quas iste expendit (& nos s. variis locis retulimus) tale quid non probant.

Secundò, ex eodem capite improbandus est † *Dolor Zanus* absolutè existi- 25
mans d. *lib.* 2. *cap.* 12. matres abortus facientes pœna parricidij damnandas. Hoc enim Iure Ciuile attento nō procedit, imò nec ab eo ordinaria mortis pœna mulieres istæ regulariter damnari poterant, ex iam dictis. Nec *Minutius Felix in Octauio* à *Solorzano* vbi s. expensus (qui parricidij nomen isti abortui indidit) aliquid de pœna egit: quinimo futurum tantùm hominem deperdi sensit, & velut deplorauit illis verbis: *Sunt quæ in ipsis visceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciunt antè quàm pariant.*

Tertiò, à dictis clarè infertur, sustineri non posse interpretationem *Pauli Zacchiæ in Medico-legal. tit.* 2. *quæst.* 9. *n.* 2. ad dict. *l.* 4. *ff. de extraordinar. criminib.* d. *l. Cicero, ff. de pœnis*, d. *l. si mulierem, ff. ad leg. Cornel. de sicariis.* dict. *l. si quis, C. eodem titul.* dum putat, tres priores loqui de procurante abortum inanimatum, posteriorem verò de interimente fœtum iam animatum: subdens & alia futilia in materia ista, quam Medicus homo callere non potuit.

SED ETSI ob delictum istud pœna mortis Iure Ciuili regulariter imposita non fuerit, nec alia certa, aut spe-

cialis., delinquentes tamen puniri ar-
26 bitrio † iudicis debebant, qua quiſ-
que pœna extraordinaria dignus fuiſ-
ſet. vt ex *Medices*, *Menoch.* & aliis op-
timè notat *Theſaurus* d. *deciſ.*12. *num.*
2. *ad finem.*

27 Vnde eſt, vt mulier,† quæ ſuis viſ-
ceribus vim intulerit, & partum pro-
iecerit, exilio debeat multari, dict. *l. ſi*
mulierem, *D. ad leg. Cornel. de ſicar.* d. *l.*
Cicero, *in ſecundo reſponſo*, *D. de pœnis*,
d. *l. Diuus*, *D. de extraordin. crimin.*

Sed & viro (ita poſtulanti) ab ea
28 diuertere † licebit ex dicta *Nouella*
Leonis 31. comprobante ſimilem *Iuſti-*
niani deciſionem in *Nouella* 22. *de nup-*
tiis, *cap.*16. *verſic. has itaque cauſas*, &
improbante contrariam eiuſdem *Iu-*
ſtiniani ſententiam in *Nouel.*117. (quin-
que abinde annis lata) *Vt liceat matri*
& auiæ, *cap.*8.

Et ſimiles inſuper, aut alias arbitra-
29 rias † non tantum Iure Ciuili, ſed &
Canonico, Patrioque (vt iſta commix-
tim tractemus) ſubibunt pœnas de-
linquentes circa cauſam abortionis in
caſibus ſequentibus.

Primò, ſi mulier prægnans ſuaſio-
30 nibus impiæ † matris, & ad detegen-
dam propriam turpitudinem, etiam
minor annis 25. (maior tamẽ 17. nobis
ex *l.*8. *tit.*31. *part.*7.) hoc ſcelus perpe-
trarit (quidquid in contrarium dixerit
Menoc. d. *caſu.*357. *num.*20. *Theſaurus*
d. *deciſ.*12. *num.*12. *&* 13. *D. Ioan. Vela*,
Magiſter meus, *de delictis*, *cap.*15. *num.*
6. *Farinac. quæſt.*93. *nu.*136. *& quæſt.* 97.
*num.*150. & d. *q.*122. *num.*128.) Etenim
in plurimum ab iſtis hoc mali maio-
re, & callidiore patratur dolo, vel ad
ſecurius ſcortandum ſine prolis ſpe,
vel eo iniquo animo, vt mulieres iſtæ
à viris iam cognitę tanquã intactæ de-
inceps nuptui tradantur, non ſine ma-
gna iniuria paſſim (proh dolor!) ob-
uia. In quo ſanè obſtetricum, & perdi-
torum hominum, vel mulierum cal-
liditas & audacia ſeueriſſimè punien-
da erit, *Petrus Gregorius* (qui in hoc ge-
nus hominum iuſtè inuehitur) *libr.*14.
de Repub. d. *cap.*1. *num. vltimo*, & *cap.*2.
*num.*5.

Secundò idem dicas, quamuis ab-
ortioni cauſam præbens monſtroſum
† futurum hominem occiderit, *Bald.* 31
per *textum* ibi in *l. quod dicitur*, *D. de*
liber. & poſthum. Dum tamen formam
habeat humanam, non ſuinam, equi-
nam, vel ſimilem, vt ex *Baldo*, *Angelo*,
Paulo, *&* *Alexãdro de Imola* in d. *l. quod*
dicitur notat *Anton. Gomez.* d. *lib.*3. *ca.*
3. *num.* 32. *in fine*, vbi pro iſta ſententia
optimè expẽdit *textus* in *l. non ſunt li-*
beri, *D. de ſtatu homi.* & in *l.*3. *C. de poſt-*
humis hæredib. inſtituend. & ſequitur *P.*
Molina dict. *diſput.*27. *num.*3. Sed & in
propoſitæ exceptionis ſpecie aborti
cauſam præbens non debet omnino
liber à pœna euadere.

Tertiò, condigna itidem omni Iure
punietur pœna percutiens † prægnan- 32
tem aborſu ex percuſſionibus ſubſe-
quuto, ſi animo abortum patrandi ta-
le quid commiſerit, iuxta tradita à
Farinac. d. *quæſt.*122. *num.*151.

Quòd ſi caſu, & præter † intentio- 33
nem id acciderit, percutiens mitiùs
erit puniendus, vt ex *Alberico*, & aliis
notat *Menoch. ſupr. num.*16. *Theſaurus*
d. *deciſ.*12. *num.*2. *in fine.* & probatur
in dict. *cap. lator*, cum ibi notatis, *de*
homicid.

Et hoc ipſum dices, & reſolues in
muliere prægnante res familiares tra-
ctante, vel curante, quæ pondus † im- 34
par ſuſtinens, vel aliam vim ſibi incon-
ſultò faciens abortiuit, *Farinac.* cum
relatis *ſupr.* d. *q.*122. *nu.*157.

Et in illa, quæ ludendo † aborſui 35
cauſam dedit, ex adductis à *Farinacio*
ſupr. dict. *num.*157.

Quartò, puniri is etiam debebit, qui
occultas † rerum naturalium igno- 36
rans cauſas ad recuperandam ſalutem,
vel

vel vitandum dolorem, vel causa amotis liciti, vel ob bonum finem, puta conceptionem, poculum dederit, vel medicamenta applicuerit, fecerit, aut acceperit, ex quibus citra intentionem abortus fuit prosequutus *Anton. Gom. libr. 3. variar. cap. tertio, num. 33. Molina post Carrerium*, dict. *disputat. 27. num.* 8. & probatur in *l. 6. tit. 8. part. 7.* Quæ ita rem componit, & casus distinguit, vt Medicus vel Chirurgus inscius medicamentorum, quæ infirmo adhibuit, morte subsequuta, in insulam quinque annis relegetur, & vlterius artis & officij vsu priuetur. Quòd si seruum incuria, aut inscitia occiderit, domino eius quanti seruus æstimatus fuerit, ab arbitris ab hoc electis rependat; si verò dolo id fecerit, vltimo afficiatur supplicio: ac Pharmacopolæ, qui potiones fortes sine delectu, & Medicis inconsultis subministrant, ex quibus mors infirmorum subsequitur.

Et licèt hoc vltimo casu *Molina* d. *disput. 27. in fine*, mitius agendum putet cum Pharmacopolis istis, quando dolus absfuerit, & benigna interpretatione ita in casu occurrenti res esset peragenda, indubium tamen est gra-
37 uiter isto, † delinquere, & inscitiam hisce casibus dolo comparari, præsertim cùm id agant pretio vel mercede accepta, & ignorantia (qua se damno sequuto tutari volent) sit affectata: & ideò æquè punienda ac dolosa actio, *l. ita fidei* 40. *D. de iure fisci*, quam optimè in proposito expendit *Celsus Bargal. in tract. de dolo lib. 4. cap. 6. num. 22.* Et conferunt quæ de ignorantia voluntaria, vel crassa prosequitur *Ioan. Bapt. Costa in tractat. de facti scient. & ignorant. inspect. 81. num. 9.* Et præ omnibus regula *textus* in *l. culpa* 36. & in *l. imperitia* 132. *D. de diuers. regul. iuris.*
38 Quæ maximè locum habet in quouis ARTIFICE † terminos suos egredien-
te *l. si quis fundum* 10. §. *Celsus*, *l. item quæritur* 13. §. *si gemma*, *D. locati.* Quin
& in IVDICE † *l. 5. §. si iudex, D. de o-* 39
blig. & action. l. si iudex 6. *D. de var. & extraordinar. crimin. princip. institutio. de obligationibus, quæ ex quasi delicto nasc.* In ADVOCATO, † vel *Asses-* 40
sore, l. 2. ff. quod quisque iuris. In MEDICO †, *l. illicitas, §. sicuti, ff. de offic. Præ-* 41
sid. §. imperitia, institut. de lege Aquilia. In OBSTETRICE † *l. item obstetrix* 9. 42
ff. ad leg. Aquil.

Vnde hæc animosa inscitia seuerissimè venit punienda in quibusdam stolidis homunculis † & imperitis mu- 43
lierculis medicis rebus sese immiscentibus. Quin & obstetricibus sine consilio Medicorum potiones aut medicamenta noxia subministrãtibus. Quę iudicem requirunt seuerum & attentum similia corrigentem & punientẽ, prout delicti vel doli qualitas expostulauerit, iuxta tradita a *Thesauro* d. *decis. 12. num. 11. vers. quod si absque Medicorum consensu, Pet. Gregor. de Repub. lib. 14.* d. *cap. 1. in fine, Anton. Gomez lib. 3. cap. 3. num. 33.*

Et hoc tunc maximè locum habebit cùm potiones istæ, aut alia medicamẽ-
ta ab his adhibentur in casu † non ne- 44
cessario, puta ad conceptionẽ vel quid simile, in quo *ex Senatusconsulto relegari iussa est ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ illud acceperat, decesserit*, vt ait *Martianus* in *l. eiusdem* 3. §. *sed ex Senatusconf. ff. ad leg. Cornel. de sicar.*

Quem *textum* † ego intelligerem in 45
muliere honestiore quæ bono animo, & nullo pretio vel præmio tale quid
patrauerit. Nam cum † mulierculis, 46
homuncionibúsve illis (qui quæstus causa his rebus dant operam) seueriùs quidem res agenda esset, & vindicanda.

Quòd si abortioni, aut perpetuæ

sterilitati suis potionibus & medicamentis inconsultis causam præstiterint (sicuti omni æuo accidisse comprobatur ex pluribus traditis à *Bulengero lib.2.aduers.Magos*,d.*cap.20.Iuuenal.satyra 6.vers.594.*

Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
Quæ sterilem facit, atq; homines in ventre necandos.)

tunc sanè mortis pœna in istos indicenda erit, si mors prægnanti, vel fœtui ex subministratis potionibus obueniat,ex iam dictis *suprà numer.19.ad* dict.*l.si quis aliquid,§.qui abortionis, ff. de pœnis*, vel saltem alia grauissima, iuxta tradita ab *Anton. Gomez lib.3.c.3. num.32.* P.*Molina* d.*disput.27.numer.7.* Quidquid in casu simili resoluat *Barbosa de officio Episc.allegat.51.nu.159.ad fin.* Imò & morte non sequuta similes curiositates à iudice vellem curiosè exquiri, & pœna condigna animaduerti eos, eásve quæ sine delectu lucri solius causa herbas & alias res naturales,quarum virtutem, proprietatémque ignorant, quin & violentas, complicatásque confectiones vteris applicant mulierum, partus anxiè auidarũ: & fortè an hoc medio inhiantium opibus mariti, vt suis posteris consulãt, vel amasiis,vel sibi ipsis: non timentes ab his veneficis mulieribus venefica accipere pocula, & suffumationes penitioribus vteri locis induci, quibus conceptioni ineptiores & desperatiores redduntur:& (quod valdè dolendum) harum sagarum vanis promissionibus inescatæ, vel amentes, vel infirmæ valetudinis(vt in simili ait *Molina* dict.*disput.27. num.7.*) solent euadere. Et quod plus est; vitam morte miserè commutare febri lethali superueniente à partium ad generationem aptarum adustione. Sed dum hisce immoror, verendum sanè est, ne potior sit eorum ratio,qui huiusmodi detrimentis oblectantur, quàm mei, qui in his agnoscendis abutor tempore & ingenio.

Sed etsi damnum nullum inferrent istæ ἰατραὶ conceptum medicamentis adiuuantes, exterminandæ penitùs erunt, vel minis grauissimis à Magistratibus terrendæ, vt quæ magno Reipublicæ præiudicio vagantur. Eásq; semper odio habitas colliges ex *Iuuenali satyra 2. Ouidio 2.Fast.* & alibi, acutè illas insequentibus: & his temporibus *Oriuasius de locorum affect.curat. capit.* 112.*Nicol.Myrepsus sect.7.ca.2.3.& 4.*

Etenim si mulieres istæ) in plurimũ infimæ plebis & notæ, quæ dolis & inanibus promissionibus sese cœtu matronarum & honestissimarum immiscent)pœnis condignis punirentur, sua dubio procul starent classe: rebus familiaribus vacarent: & victum quærerent, qua norma matres & auiæ earum inculpatam vitam agentes sibi pararunt:sed de his satis.

A prædictis verò pœnis eximendi videntur Medici † & obstetrices, qui 47.
grauidæ mulieris saluti consulentes abortioni causam dedêre,quos ideò excusant *Marian.Socin. Ludouic. Carrerius*,& alij, quos refert *Menoch.d.casu* 357.*nu.*18.Vbi & *nu.seq.*in hosce aliquã pœnam infligẽdam asserit (& hoc maximè si sua auctoritate, & inconsulto Magistratu tale quid fecerint)idẽ probat *Couarru. in Clement.si furiosus, 2. par.§.3.n.1.in fine,vers.hinc est, Farinac.* d.*quæst.122.pãr.5.n.124.* nouissimè *Thomas Actius*,post alios *in tract.de infirmit.legali,ca.43.nu.47.*

Sed hoc in duobus videtur posse limitari. Primò,cùm mulier ex puerperio moritura aliàs vero similiter speraretur, tunc enim impunè abortionis poculum ei subministrari posse existimarunt plures,maximè antiquus Græ-

cus *Ar-*

cus *Artius Amidenus*, & Arabes *Rasis* & *Auicenna*, & ex Latinis *Theodorus Priscianus lib.3. ad Vestoriam, cap.3.* vbi: *Sicut arboribus* (ait) *arescentium salutaris accõmodatur abscissio, & naues pressæ onere, cùm graui tempestate iactantur, solùm ex damno habẽt remedium, ita fœminis, aut matricis vitio, aut ætatis impotentia (sub qua præpropere partus eueniat) periclitantibus, & in vitæ discrimine constitutis, sub vnius partus iacturam, salutem mercari certissimam conuenire.* Idque ex consilio Medicorum probãt *Felinus* & *Socinus*, & subinde *Antonius Thesaurus*, qui eos refert & sequitur dict. *decis.12. numer.11.* Cùm enim in simili conflictu (inquiunt isti) mors prægnanti & partui simul immineat, ex duobus malis minus eligendum est. Et humanius insuper videri asserunt vitam matris præcauere, quæ alios incolumes Republic. liberos forsan dabit. Sed contrariam sententiam video placuisse *Syluestro in Summa verb. Medicus, numer.4. vers. secundum.* Et sanè eam strenuè defendit *Ioann. Baptist. Siluaticus in controuers. Medicis, cap.82.* vbi præcitatorum rationes & fundamenta euertisse videtur, dicens, nullum dari casum in quo certum sit prægnantem periclitantem, sospitem ab abortu futuram, & partu violentia non eiecto morituram: & inde *Prisciani* medicinam methodicam esse ait, nõ verò rationalem: & idipsum dicendum puto de *Felini* & aliorum proximè relatorum sententia. Et inde contrariam *Syluestri* omnino sequendam.
48 † Quæ mihi mirè comprobatur ab his quæ post alios strenuè notant doctissimus *Pet. Garcia de locis affectis, disput.75. cap.4. vers. sed gradum, P. Basil. de Leon lib.10. de matrimon. cap.13. nu.3.* Qui in *numeris seqq.* discutit alia huius propositi apud eum videnda, post tradita à *Sanchez de matrimon. disput.20. lib.9.* Quibus omnibus adde, semper aborsum omnino videndum asseruisse *Platonem lib.5. de legib.* vt inde improbes dicta ab eius *discipulo lib.7. Politic.* d. *cap.16.*

Secundò præposita conclusio limitatur, quo casu dubium erat fœtum non esse animatum, ex traditis à præcitatis Doctoribus, maximè *Couarruuias* & *Syluestro suprà, Sanchez*, post alios, *lib. 9. disput.20. n.9.* Sed improbat, & rectè, †*Basilius de Leon de matrimon. lib.19.* d. 49
ca.13. nu.2. ex *P. Varquez* & *Nauarra*, si id directè fiat: at rectè ratus est licere medicamẽta ad sanitatem directè applicare, etsi inde sequatur aborsus.

Nec his quæ remanent decisa circa abortus pœnam & punitionem obstat *text.* in *l. si seruus 27. §. si mulier,* † *ff. ad* 50
leg. Aquil. vbi prægnantem pugno vel ictu percutiens, ex quo sequitur abortio, *lege Aquilia* quasi rupto (de quo in *§. rupisse eiusdem legis*) tenetur: nam, vt optimè post *Cuiacium* notat *Ant. Thesaur.* dict. *decis.12. nume.2. textus* ille loquitur de ancillæ prægnantis damno ex aborsu proueniente, æstimando & resarciendo, iuxta *textum* in dict. *l. si seruus, §. tertio autem capite,* ita vt æstimatio ineatur, habita consideratione non tantùm temporis, quo occisus, eiectúsve fuit partus, sed etiam quanti domini interfuit occisum, vel abactũ non fuisse, *l. ait lex, in fine, ff. illo titulo.* Etenim ex sola æstimatione in illo §. facta clarè elicitur, ibi de ancilla prægnante agi, non de libera muliere, quæ æstimari non potest, *l. liber homo 13. ff. illo tit. ad leg. Aquil. l. cùm hæredes, §. itẽ quæro, ff. de acquir. possess. l. non ideò, C. de lib. causa.*

Adhæc *textus* ille referri debet ad proposita in dict. *§. rupisse,* à quo dimanat eius decisio, & ad titulum sub quo situs est; in quo de damnis, seruis, pecudibus, & aliis animalibus illatis agi-

51 tur. Pecudes † námque & serui adæquantur in dict. §. *tertio autem capite*, & ideò eodem illo verbo, *eycio*, ad denotandum aborsum vtitur Iurisconsultus *Vlpianus*, quo & vsus fuit in æquè simili abortione *Pomponius* in *l. Quintus Mutius* 39. *ff. illo eodem titul.* cùm tamē nullus vnquam eo vsus fuerit in exprimendo abortu mulieris ingenuæ.

Ex prædictis omnibus clarè consequimur, nullum dari posse casum in quo abortioni causam prębens immunis sit ab omni pœna. Quin & in muliere abortum passa vix dabitur attentis *superiùs* traditis. *Vix* dixi: nam si ob vitandum periculum mortis poculum assumat, in foro fori puniri non debet: idem erit, si casu, & absque vlla culpa sua abortus subsequatur: vel ipsa vi, metúve coacta illum curauerit. Ex quo capite Phronesium meretrix excusatur ab Astaphio ancilla apud *Plautum in Truculento*, cùm ait *actu* 1. *scena* 2. *vers.* 97.

Celabat, metuebátque te illa, nec sibi persuaderes,
Vt abortioni operam daret, puerúmque vt enecaret.

TERTIO LOCO videndum est, quid statuat Ius Canonicum cōtra eos, qui abortioni causam præbent. Et sanè certissima est hoc iure attento (quod salutem animarum respicit) distinctio
52 † (qua vsus fuit *D. Augustin.* in *ca. quod verò* 8. & in d. *cap. Moyses* 9. 32. *quæst.* 2. & approbauit *Innocentius III.* in d. *cap. sicut ex litterarum* 20. *de homicid.*) inter fœtum animarum & exanimem, vt primo casu delinquēs tanquam homicida puniatur, *cap. si aliquis* 5. *de homicidio*, *cap. consuluisti in fine* 2. *quæst.* 5. Si verò fœtus nondum erat animatus, mitius agendum est cum eo qui abortum fecit, vt nec irregularitatem incurrat Clericus, dict. *capit. sicut ex litterarum*, *Gloss.* in dict. *cap. si aliquis*, *Farinac.* post relatos *sup.* à d. *num.* 119. *Pat. Molina* d. *disput.* 27. *nu.* 6. *Paul. Borgas. de irregularit. part.* 9. §. *de beneficiis*, *nu.* 10. *Villadiego in eod. tract. cap.* 6. *nu.* 36. *in additione*: & hanc distinctionem à d. *cap.* 21. *Exodi*, improbato *Fieno*, & pluribus adductis ex sanctis Patribus & Summarum Scriptoribus, *Syluestro*, *Toleto* & aliis, probat *D. Sancta Cruz de Hippocr. Philos. super text.* 66.

Sed adhuc disquiri oportet, quid sibi velint illa *Consilij Guarmaciensis* relati in d. *cap.* 5. *de homicidio*: *Vt homicida teneatur*: & illa *Stephani V.* Summi Pontificis contenta in d. *cap. consuluisti*: *Qui conceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida est.* Quibúsque pœnis Iure Canonico verè damnandi sint, qui tale quid patrauerint? Et quidem *Anton. Thesaurus* dict. *deci.* 12. *numer. quinto*, istos vt homicidas teneri ait, non tamen esse veros homicidas mortis pœna coercendos. Sed ista responsio inanis est: nam teneri vt homicidam, & non puniri vt homicidam, nullo modo inter se conueniunt. Sed & prædicta verborum aucupatio contrariatur expressè verbis illis dictæ *Synodi VI. Constantinopolitanæ, cap. nonagesimo secundo*, *Homicidæ pœnis subiicimus*, quæ in originali Græco efficacioribus illis: τῷ τοῦ φονέως ἐπιτιμίῳ καθυποβαλλόμεθα, exprimunt eandem pœnam homicidis, & fœtum enecātibus, vel dissipantibus fuisse impositam. Vnde ego rem facilè compono, & iisdem pœnis (Iure Canonico homicidis inditis) hos delinquentes securè teneri affirmo: eæ autem sunt irregularitas, *c.* 1. *c. lator*, cum ibi notatis, *de homicid. Couarru. in Clement. si furiosus*, 2. *par.* §. 3. *numero primo*, *de homicid. Farinac.* dicta *quæst.* 122. *part.* 4. *num.* 119. & 120. & aliæ insuper contentæ in *cap. si quis voluntariæ*, 50. *distinct.*

Quòd si instes, & dictis opponas textum in *cap. Moyses* 32. *quæst.* 2. Respon-

ponderetur, *eum* referendum ad interpretationem *L X X. Interpretum* super dict. *capite*.21. quod longe differt à dispositionibus Iuris Canonici proximè relatis. Et ità tenendum, quidquid dixerit *Fachinæus*, ista confundens, *consf*.95.*n*.3. *libr*.1.

53 Ideò autem † Ius Canonicum, & eius interpretum commune placitum prædictam distinctionem approbauit, quia in vtero animatus capax est felicium & æternorum bonorum. Vnde iustè Iure isto vetus homo reputatur, *ca. in quadam* 8. *de celebrat. Missar*. ibi: *Nam ad esse hominis duo principaliter requiruntur, videlicet corpus & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit. cap. cùm Christus* 7. *de hæretic*. ibi: *Sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*: & hoc ipsum probatur ex *cap. sicuti* 10.32. *quæst*.2. & notauit perquàmoptimè *Couarru*. d. *cap*. 3. *num*.1. *Pat. Molina de iustit. & iure* d. *tract*.3. *disp*.27. *num*.11. *Fachin*. d. *consf*. 95.*n*.3. *lib*.1.

54 Vnde est, vt Iure isto sacrorum Canonum attento † eadem veniat pœna quis puniendus ex homicidio, infanticidio, vel abortu animato.

55 QVARTO demum loco aduerto, plures leges super abortionib. à prioribus nostris † Regibus fuisse latas, quæ congestæ exstant in *tit*.5.*lib*.6.*leg. Vvisogothorum*, & *Fori* (nobis) *juzago*. In quarum prima præbens prægnanti poculum pro fœtu necando vltimo punitur supplicio, & prægnans ingenua dignitate priuatur; serua verò flagellis cæditur. In *lege* 2. percutiens prægnantem abortum inde facientem, & subinde morientem morte damnatur. Sin autem partus tantùm excutiatur, & formatus, animatusque fuerit, & tale quid passa ingenua fuerit, 250. (100. in *lege Fori* idiomate nostro conscripta) solidis percussor multatur; si informis 100. In *l*.3. eadem damnatur pœna ingenua, quæ ingenuæ abortionis causam præstiterit. In *l*. insuper 7. si mulier concepto vim intulerit, eumque abegerit, morte capitali punitur, sensúve visus arbitrio iudicis priuatur: eademque pœna marito cooperanti, vel tale scelus permittenti infligitur. At *ll*. 4.5. & 6. de aborsu ancillæ loquuntur, vt iam annotauimus *suprà num*.51.

Sub hæc *lege patria* Septem partiti Iuris (veteris Testamenti, & Iuris Ciuilis, Canonicique decisiones respiciente, & Canonicas itidem præponderante) † quæ est *l*.8.*tit*.8.*p*.7. ita dispositum fuit: *Muger preñada, que beuiere yeruas à sabiendas, ò otra cosa qualquiera con que echasse de si la criatura, o se feriesse con puños en el vientre, ò con otra cosa, con intention de perder la criatura, è se perdiesse porende: Dezimos, que si era ya viua en el vientre, estonce quando ella esto fiziere, que deue morir por ello: fueras ende si ge lo fiziessen fazer por fuerça, assi como fazen los Indios à sus Moras. Estonce el que lo fizo fazer deue auer la pena: è si por ventura no fuesse aũ viua, estonce no le deuen dar muerte por ello, mas deue ser desterrada en alguna insula por cinco años. Essa misma pena dezimos que deue auer el ome que fiere à su muger à sabiendas siendo ella preñada, de manera que se perdiesse lo que tenia en el vientre por la ferida. Mas si otro ome estraño lo fiziesse, deue auer pena de homicida, si era viua la criatura quando mouio por culpa del, è si non era aũ viua deue ser desterrado en alguna isla por cinco años.* 56 Verba ista singularia referre libuit, vt exteris, qui nostra legerint, innotescat ab specimine isto summa legum PRVDENTIA & PROVIDENTIA, quibus Regna ista abhinc pluribus annis reguntur. Et quia mirabilis est huius legis decisio in omnibus suis partibus, vt quæ occur-

rentes omnes in materia aborti, quæstiones prouida dexteritate resoluit, nec enim quidquam euenire in ea potest, quod à lege ista claram & dilucidam interpretationem non accipiat.

57 A qua illam ego vniuersalem † elicio regulam, vt nobis vltimo semper veniat supplicio puniendus, qui abortioni fœtus animati consultè, vel culpa causam dederit, vt sentit P. *Molina* d. *disput.* 24. *numer.* 3. Et attenta huius legis Patriæ dispositione, verissima nobis erit communis Interpretum resolutio & distinctio, quam ex *Gloss.in l. Diuus, ff.de extraord. crim.* & pluribus aliis comprobauimus *supr. numer.* 13. iunctis his quæ in proposito optimè notat *Paul.Zacchi.in Medico-legal.tit.* 2.*q.*9.*n.*10. vbi rationẽ reddit, cur procuranti abortum animatum mortis pœna fuerit indita.

58 Quando verò fœtus animatus † dici debeat, ab his percipies, quæ à sententia Theologorum, Iurisprudẽtum, Philosophorum & Medicorum diximus in *cap.*1.§.2. tempus disquirentes, in quo anima corpori infunditur: & ibid. *nume.* 7. latè improbauimus quæ *Ferd.Mena in comm.de sept.part.* circa abortionis dignosin & pœnas malè excogitauit.

59 Cùm autem dubia † res est, illa præsumptio, aut coniectura desumẽda est, vt fœtus exanimis abactus intelligatur, iuxta ea quæ de aliorum sententia notarunt *Gregor.in* d.*l.*8.*gloss.fin. Ant. Gom.d.c.*3.*nu.*32.*Azeued.in rubr.tit.*23.*libr.*8.*Recop.n.*10.*Pat.Moli.*d.*disp.*27.*n.*4.*Farin.de homicid.*d.*q.*122.*nu.*158. Qui benignam istam interpretationem limitant in causa irregularitatis: quam incurri hoc casu maximè firmat *Greg.* per *text.in c.significasti*, vbi *Abbas de offic.deleg.* cũ aliis, quos iste refert. Quibus adde P. *Emanuelẽ Sà in summa, tomo* 2.*cap.*176.*num.*4.*Barbosam de officio Episcopi, allegat.*51.*num* 141. Sed & istorum sententiam sublimita in eo, qui abortum (de quo non apparet) consuluit prægnanti, *Nouar.cons.*27. sub *tit. de homicidio*, cum aliis adductis à *Barbosa supr.num.*139.

Principalem verò resolutionem, quę ex Iuris regulis excludit præsumptionem abortus animati fœtus, limitant *Nauarrus* & alij, quos refert & sequitur *Augustinus Barbosa* dicta *allegatione* 51.*numer.* 138. in abortione quadraginta dies contingente: nam etsi fœtui fœmineo post alios plures dies animatio obueniat ex his quæ cum communi Philosophorum & Medicorum resoluimus in *cap.* 1. §. 2. cùm tamen natus aut n sciturus præsumatur in dubio masculus (cui animatio in quadragesimo die contingere solet, ex dictis in dict. §.2.) inde est, vt hoc casu contraria præsumptio ad euitandum delictum & pœnam assumenda non sit, ex sententia horum Auctorum. Sed mihi † non probatur: nam si post 60
quadragesimum diem fœtus efformatus appareat, hoc planè argumento erit masculum esse conceptum. Si verò informis sit, fœmineus erit, ex dictis per nos in dict.*cap.*1.§.1. A quibus super peruacua redduntur quæ isti excogitarunt simul cum his quæ nouissimè in proposito annotauit *Paulus Zacchias in Medico-legalib.tit.*2.*quæst.*9. *num.vigesimo quinto*.

Sub hæc (quæ non tantùm generali l.8.*tit.*8.*part.*7. decisioni enodandæ deseruiũt, sed & aliis Iuris Ciuilis & Canonici *supr.* tractatis) eiusdem *l.*8. interpretationem, exornationémq; prosequutus noto, & constanter assero, prædictam ab ea capitalem inditam pœnam infligendam, quamuis † abor- 61
tioni propriæ turpitudinis obtectio in causa fuerit, ex iam dictis *supr.* quibus adde P. *Molinam* dict. *disput.*27.*num.*5. *in fine.*

Insuper sub addo, prægnantem, vel eius ma-

eius maritum abortionem fœtus animati curantem pœna parricidij (etsi non expressa d. *l.*8.) puniendos, iuxta tradita à *P. Molina tract.3. disput.3. nu.*
62 1. & d. *disput.27. in princ.* Ita vt hoc casu locum habeant quæ Iure communi attento resoluit *D. Solorz.* relatus *supr. num.*25.

Sed & de alijs † pœnis ob aborsum sine dolo contingentem marito, aut vxori, aut vtrique infligendis tractat *Greg.* varijs *glossis* d. *l.*8. quas cùm casus contigerit, percurrere oportebit.

Absolutis his, quæ ad generalem d. *l.*8. *tit.*8. *part.*7. principalem conclusionem pertinent; operæ prætium erit
63 annotare illa † eius verba s. relata: *Essa missma pena dezimos que deue auer el ome que fiere à su muger à sabiendas seyendo ella preñada*, ea valdè indigere interpretatione, quam ibi assignauit *gl.* 5. *Grego.* & approbauit *P. Molina* dict. *disputatione* 27. *numero tertio:* ita vt referantur ad illa immediata: *Desterrada en alguna isla por cinco años*, non ad antecedentia pœnam mortis imponẽtia: ita vt maritus grauidationis conscius vxorem percutiens pœna tantũ exilij damnetur, extraneus verò quilibet pœna mortis, vt probatur ibi: *Mas si otro ome estraño lo fiziesse; deue auer pœna de homicida:* quod ideò diuersimodè statuit Sapientissimus Legislator, quia primo casu (vt ait *Gregorius*) maritus causa disciplinæ videretur percussisse: quia verò excedit limites modicæ coercitionis (sibi in vxorem permissæ ex traditis à *Sanchez*, post alios, *lib.*10. *de matrimon. disputat.*18. *nu.*16.) exilij pœnas morte existentis in vtero sequuta, subiit: extraneus verò mortis, cùm ei nullo modo mulieris coercitioni pateat aditus. Ni fortè pater, frater, aut maritus sororis tale quid bono animo & causa subsistente perpetrassent, quod diligens iudex in casu occurrenti perpendet, cum omnibus rebus rem similem contingẽtibus, argument. *text. in l. bona fides, D. depositi.*

Vnum ego illud circa d. *l.*8. annoto, *Gregorium* ibi *glos.*1. *Gomez* d. *cap.*3. *num.*32. *Couarruuiam in Clementina si furiosus, 2. parte*, d. §.3. *num.*1. *Petr. Molinam* d. *quæst.*27. *n.*6. malè existimasse, *text.* illum Iuris communis decisionibus iam *suprà* relatis conuenire; † cùm 64
eas re vera corrigat, & maiores deinceps, abortiones curantibus, pœnas inflixerit, quàm quæ statutæ fuerant in *l. si mulierem, D. ad leg. Cornel. de sicar.* & in *l. Diuus, D. de extraor. crim.* (quas *Greg.* in id *supr.* malè expendit simul cum aliis, quarum verum sensum s. demonstrauimus) Adeoq; longè auctior nobis est pœna ex d. *l.*8. *partita*, vt ea attenta procedat opinio *D. Solorzani* pœna parricidij matres visceribus suis vim inferentes plectens, vt *suprà* annotauimus. In idque expendi posse videtur *l.*7. *tit.*3. *lib.*6. *legis Visogothorum & Fori juzgo.*

Sed omnibus prædictis in causa abortus addit † *P. Molina* d. *disp.*27. *nu.*6. 65
quòd is, eáve *qui impedimentum adhibuit, ne ex congressu coniugum conceptio generatiove sequeretur, vt homicida teneatur, vti habetur in cap. si aliquis, de homicid. hoc est, tenetur instar homicidæ, quatenus vitã hominis (ne sequeretur) in suis naturalibus causis impediuit, quod graue est peccatum, sicut qui hominem interficit, impedit ne vita illius vlterius progrediatur*: quod intellige Iure Canonico attento; nam Iure Ciuili vel Regio, vt homicida similis patrator non puniretur pœna mortis, sed alia mitiori, ex circunstantiis & personæ dignitate dimetienda.

Sub ista aduerto, quæ dicta sunt de abortu & eius pœnis procedere, vt ex dictis patet in eo, qui dolo fit; & is sanè probari debet, aliàs in dubio † non 66
præsumitur, ex traditis ab *Anton. Go-*

*mez tom.3.variar.*d.*cap.3.nu.32.Gregor. Lopez, P.Molina,* & *Farinac.*§. relatis. Quibus adde quæ in propoſito reſoluunt citati etiam ab eod.*Farinac.* d.*q.* 122.*n.*160.*Ioan.Griuel.*diſertè *deciſ Dolana* 19.*n.*13.*Hotman.conſil.*96.*n.*7.quæ apertè comprobantur ex generali deciſione *l.dolum,* cum vulgatis, *Cod. de dolo.* Adhæc præſumptio iſta alia firma ratione hoc caſu innititur,cùm nō ſit par credere, grauidam viſceribus ſuis vim inferri paſſuram non ſine magno vitæ ſuæ diſcrimine, aut ſaltem maiore, vehementioreq́ue dolore,quā ſi filium maturum iuſto tempore ſecundùm naturam ederet.

67 Hinc fit, vt iudices nunquam inuenias ſolicitos † in diſquirendis abortionum cauſis, quæ ferè ſemper caſu & ſine culpa eueniūt. Quod in nuptis & bonæ famæ nemo non probabit.In mulierculis † verò deperditis, & va- 68 gantibus ego iudices id ipſum conſulerem,quod *Petr.Gregor.lib.*14. *de Republica*, d.*cap.*1. dum ad finem ita ait: *Non debet prætermittere Rector Reipublicæ curam inquirendi de prægnantium mulierum vtero,ne incuria hac tuti illegitimè concumbentes metu infamiæ partus intercipiant, ſuffocent, aut perdant. Et ſi quas ad hanc impietatem peruenisſe detexerit, exemplari pœna debet punire,vt aliæ abſtineant: & ne piacula homicidiorum infantium committatur. Ex quibus non tantùm ſubtrahitur perſona Reipublicæ,ſed & ſæpè anima ipſa cœlo, dum ſine Baptiſmo animati partus ſuffocantur, & ita vita æterna eis cum vita temporali adimitur.*

CAPVT XVII.

DE MONSTROSIS, ET prodigioſis partionibus.

SYNOPSIS.

1 *Monſtrum vnde dicatur.*
2 *Monſtri nomen & ad res inanimatas extenditur.*
3 *Et in plantis prop è datur.*
4 *Sed propriùs ad generationes animalium inſolitas refertur. Et nu.*5.*quòd propriſſimè monſtrum dicitur cùm in generatione animalium peccatur.*
6 *Vt monſtrum aliquod dicatur,neceſſarium non eſt quòd ſit præter omnem naturam.*
7 *Quidquid à ſolita generatione magis diſcedit,magis monſtroſum eſt.*
8 *A magis & minus deuiantibus à natura diuerſa monſtri genera conſtituuntur.*
9 *Oſtentum* (*generale nomen*) *diuiditur in oſtentum & monſtrum.Et num.*20. *quid ſit monſtrum oſtenti ſpecies.*
11 *Monſtrum tribus modis contingere poteſt.*
12 *Triplex monſtri genus,prodigium & portentum appellant Iuriſprudentes & Grammatici.*

13.*Mon-*

13 *Monstrosæ parturitiones apud Antiquos aliquid mali præsagiebant.*

14 *Antiqui partus monstrosos enixis precationibus vitare curabant.*

15 *Harum diuersas causas superiores Catholici agnouerunt.*

16 *Quid sit ostentum, speciei nomen, demonstrat.*

17 *Ostentum tripliciter se habere potest.*

18 *Monstri definitio traditur. Et num.19. alia similis* Labeonis *Iurisconsulti.*

20 *Inter monstrum & ostentum magna est in iure differentia. Et num.21. & 24. Et ab his num. 22. & 23. interpr.* L.xij. Tabul. & Cicer.libr.3. de legibus.

25 *Si mulier canem, simiam, catum, & similia pepererit, hæc sub nomine filiorum non veniunt. Et num.26. idem in mola. Et nu.27. de edito habente asininum, caninúmve caput, & cætera membra humanis similia.*

28 *Partus formam & figuram hominis habens, & ab eo voce differens, inter naturales reputandus. Et n. 29. idem si cum forma & capite humano habeat pedes caprinos, &c. Et num.30. idem in eo qui habet tres manus aut pedes, aut vnicam manum vel pedem. Et n.34. id ampliat.*

31 *An partus monstrosus debeat baptizari? Et n.39. qua forma & modo.*

32 *Quærit, an occidens monstrum de homicidio teneatur?*

33 *An sit vitalis? disputat.*

35 L. quæret aliquis. D. verb. sign. *interpr.* & l. non sunt liberi. D. de stat. hom. & §. mulier, tit. 9. libr.4. Sent.Pauli. *Et num.36.37.38. & 39. ex sententia* Cuiacij *improbato* Merillio.

40 *Conciliatur* Paulus *in* l. ter enixa *cum seipso* lib. 4. Sentent. tit. 9. §. quæ semel.

41 *A dictis infert, quid monstri, quid ostenti nomine comprehendatur.*

42 *Si vera fuissent quæ* Albert.Granz. *& alij fabulantur de infante gradiente & loquente simul ac editus fuit, & alia similia, partus isti monstrosi non essent. Et nu.43. idem dicendum de valgis, compernibus, & alijs. Et num.44. de furiosis, stupidis, morionibus, &c. Et nu.46. γελωτοποιὰς fuisse ait.*

45 *Antiqui Moriones & similes habuerunt in delicijs.*

46 *Romæ quosdam fuisse conquisitores Morionum, magno pretio ementes notat.*

47 *Heliogabalus Moriones & similes in delicijs habuit, eos autem Alexander Imperator ac alter Augustus reiecit.*

48 Plutarchum & Clem. Alexa. *interpretatur, vt illationi num.44. propositæ non obstent.*

49 *Gigantes & Pygmæi in numero monstrosorum non continentur. Et n.50. dubitat, an Gigantes fuerint in rerum natura? Et nu.51. hoc duplici conclusione componit* Auctor, *& 57. Et nu. 52.* Hier Vecchieti *sententiam circa ista adducit eiusdem verbis. Et num. 53. ab iisdem interpretatur* D.Augustin. *Et nu.54. homines magnæ molis, & proceræ staturæ antiquitus frequentiores notat. Et nu.55. hoc ipsum hodie euenire in quibusdam prouincijs, & in omnibus Hispaniæ plagis. Et num. 56. quod antiquitas plura de Gigantibus confixit. Et num.58. quòd Gigantes ab* Alchimo & Ouidio *depicti essent monstrosi.*

59 *Dubitat de Pygmæorum existentia, eosque fabulis adscribit. Et num.60. hoc confirmat. Et nu.61. respond. ad* c.17.Ezech. *Et num.62. Pygmæos ab* Strabone *fabulose depictos monstrosos esse.*

63 *Multiplex partus monstrosus non est.*

64 *Partus abortiuus non est monstrosus. Et numer.65. aliter sentit de his qui*

humana membra ampliarunt contra Alciatum.

66 *Hermaphroditus inter monstra adnumerandus. Et num.67 interpr. l.* quæritur. D. de statu homin. *cum aliis. Et num.68. lege antiquitùs cautum est, vt Hermaphroditus quem malit sexum eligat. Et num.69. olim Hermaphroditos magno odio habitos probat.*

70 *Centauri & Hippocentauri, & similes inter monstra connumerandi. Et num. 41. dubitat, an isti sint in rerum natura? Et num.72. & 77. nunquam fuisse gregem Hippocetaurorum securè affirmat.* Auctor. *Et num.73.* Plinium *interpretatur.*

74 *A congressu hominis & bruti monstra aliquando prouenire, sed rarissimè notat, & comprobat ex* Aristot. & *Neotericos cum eo conciliat, & alia.*

75 *Respond. dictis à* D. Hierony. *in vita Pauli Eremitæ. Et nu.76. intellig.* cap. 40. Isaiæ. *Et nu.79. quid in causa fuerit monstrorum confictioni ab alijs Auctoribus aperit.*

78 *Monstrorum latitudo maxima est.*

80 *Lemnij Monoculi, & similes inter monstra connumerantur.*

81 *Syrenes, Tritones, Mereades, & similes monstra non sunt.*

82 *Hyæna quadrups, & piscis vt quidã volunt. Et nu.83. non esse monstrum probatur. Et num.84. excipitur casus quidam, in quo monstris annumerandus est eius partus.*

85 Vlpianus *monstrorum productionem fato tribuit. Et nu.86. eam od prauam imaginationem refert. Et nu.87. & 88. vtrumque improbatur.*

89 *Monstra diuersis rebus contingunt.*

90 *Regulariter à læsa & deprauata generationis actione proueniunt.*

91 *Monstrorum causæ vel internæ sunt, vel externæ: omnesque persequitur* Auctor.

92 *Similitudinis ad parentes scriptionis notitia Iurisprudentibus necessaria est.*

93 *Auctores refert, qui plura mirãda & notanda monstra & ostenta omni æuo enarrarunt.*

94 *Monstrosæ geneeationes rarius in homine accidunt. Et vnam semper, eandemque fuisse velut errãtem naturam in monstris ex* Lactant. *contra* Lucret. *defendit.*

95 *An monstrum duplex habens caput sit vnum vel duo? dubitat & resoluit. Et num.96. qualiter Baptismi sacramentum adhibendum.*

97 *Monstrosus partus difficilior est, & periculosior naturali.*

AB ABORTV ad monstrosam generationem velut symbolice fit transitus, in ea enim natura autodidocta (quæ alias propter finem agere solet, & sui simile producere, vt ait *Philosophus lib.2. Physicorum, cap.8.)* maximè oblæditur à fine quem intendebat deficiens, vel deuians, vt accidit in abortione.

Monstri†nomen (quod à *præmonstrando*, siue *monstrando* deduxerũt *Cicero in li.1. diuinat.* & *Nonius Marcellus lib.5. de proprietate sermonum, nu.34.* & 54. & à *monendo*, velut *monestrum*, Sextus Pompeius *de verborum significatione, Diuus Isidorus lib.11. origin. cap.3.)* generale est; & ad res etiam inanimatas refertur, licèt impropriè, vt ait *Ioann. Gœddæus in l. ostentum, num.17. ff. de verbor. significat.* Nã mauis dicere latè & translatitiè, quo sensu furta 1. Verrina *monstra & prodigia* appellauit *Cicer.* Et *Petron. in Satyrico* eadem licentia: *Mirari* (ait) *equidem tam discordem libidinem cœpi, atque inter monstra numerare, quòd ancilla haberet matronæ superbiam, & matrona ancillæ humilitatem.* Qu. Curtius lib.9. *Validissimã gentis vrbem cuniculo cœpit, barbaris simile monstri visum est.*

3 In plantis † verò monstrum propriè datur, *Aristoteles lib. 2. physicorum, d. c.8. & lib.4. de generat. animalium, ca.4. Plinius lib.17. c.22. Theophrastus lib.2. de causis plant. Suetonius in Augusto, cap. 92. Bonauentura* latè *lib.3. de octomestri partu, c.64. & sequent.* egregiè *Marsilius Cagnatus lib.3. variar. resolut. cap.8. Petr. Garcia Complutensis de locis affectis, disput.73. c.1. nu.4.* Vbi ex *Auerroe* plura in plantis quàm in animalibus monstra contingere ait, quòd Natura maiorem habet curam & solicitudinem animalium quàm plantarum; quicquid in contrarium adstruat *Albertus* ille cognomento *Magnus in 2. physicorum tract.2. cap.3.* eâ innixus ratione, quòd animalium semen mollius fit. Omnes tamen concordant, in plantis monstrum dari, & quidem propriè, vt prædixi: videmus enim (vt ait *Theophrast.* §.) plantam sponte aliquam in alia diuersi generis nasci, vt quod visum est aliquando terebinthũ in olea, laurum in plantano & quercu: vel (vt notat *Plinius lib.22. c.25.*) ficum in lauro: & *Aristoteles lib.9. de animal. histor.* virentem herbam in cerui cornibus exortam asserit. Pluráque consimilia congessit *Cagnatus* d. *capite 8.*

4 Sed re vera *monstri* nomen propriùs † ad generationes animalium vel insolitas, vel imperfectas communiter refertur. A quo *Aristot. lib.7. de histor. animal. c.4.* octomestres: & *lib.4. de generat. animal. d. c.4.* geminos, & fœminas monstra appellasse annotauimus §. *sup.* c.11.

Propriissimè † verò *monstrum* dicitur quicquid in generatione animalium à natura peccatur, ex eodem *Philosopho lib.2. physicor. d. c.8. & libr.4. de generat. animal. d. c.4.* vel contra naturam producitur, vt ipse idem ait eodẽ *lib.4. de generat. animalium, c.3* & *Sextus Pompeius Festus* §. his verbis: *Monstra dicuntur naturæ modum egredientia, vt serpens cum pedibus, auis cum quatuor alis, homo duobus capitibus,* & Cornel. Fronto *de propriet. & differẽt. Lat. serm. Monstrum est contra naturam, vt est Minotaurus. In monstro rectus ordo naturæ vertitur.* Tertul. de corona milit. *Quod contra naturam est, monstri meretur notam apud omnes* (hoc est penes Iurisconsultos, Philosophos, Medicos & Grammaticos, qui de mõstro solent quærere) & conferunt tradita ab eod. *Tertul. lib. aduers. Valent.* 1. & à *Iulio Obsequente de prodig. cap.1. 18. 19 20.* & aliis, *Firmico lib.3. Mathes. ca.6.* & nouissimè post alios ab *Andr. Laur.* (cuius dicta ĵ. expendemus) & à *Mercado lib.3 de morbis mulier. cap.7. Ioanne Varandæo lib.2. affect. mul. ca.6.* & *Pet. Garcia disput.74. d. c.1. n.3.* Etsi re altiùs considerata monstrum non fit † 6
præter omnem naturam, vt optimè abstruit *Adamus Contzen lib.1. politic. c.13. §.17.* ex illo *Aristotel. lib.4. de generat. animal. d. cap.4.* ἐπὶ γὰρ τὸ τέρας παρὰ φύσιν τι, παρὰ φύσιν δ' οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἐπὶ πολύ, παρὰ γὰρ τὴν ἀεὶ, καὶ τὴν ἐξ ἀνάγκης, οὐδὲν γίνεται παρὰ φύσιν, ἀλλὰ ἐν τοῖς ὡς ἐπὶ πολὺ μὲν οὕτω γινομένοις, *&c. Monstrum est aliquid præter naturam, non tamen omnem, sed eam quæ vt plurimum est vsitata: nam præter naturam quæ æterna est, & quæ ex necessitate est, nihil vnquam fit: verùm in rebus iis quæ magna quidem ex parte ita fiunt, &c.* Et prædicta mirè confirmabis ex traditis à *D. Augustino lib.16. de Ciuitate Dei, c.8.*

His demum velut proœmialibus subnotandum addo, quòd cùm monstrosum id sit, iuxta proximè dicta, quod extra naturæ solitam operationem, eiúsve facultatem (vt aiunt Medici) positum est, hinc fiat, vt quicquid ab hac ipsa facultate longius † 7

discedit, magis monstrosum dici debeat: ita vt monstro velut adaptari commodè possimus, quod de miraculo dixit *Diuus Thomas*, Scholæ Theologicæ Princeps, *in prima parte Summæ, q.105.art.8.in corp.* vbi miraculum tripliciter excedere naturę facultatem posse aït, vel quantum ad substantiam facti, & ad id quod fit, quod est maximum; vel quantum ad id in quo fit, quod longè est minus, vel vltimo quantum ad modum & ordinem faciendi quod minùs adhuc excedit. Id tamen velut per similitudinem velim dictum, cùm alioquin monstrum à miraculo, vel prodigio in genere (de quo *Iulius Obsequens in libr.de prodigiis*, & nouissimè *Cæsar Bulengerus in alio simili libro*) longè differant, quandoquidem, ex iam dictis, monstra in generatione tantùm animalium, & plantarum concedamus. Prodigium verò latiùs pateat, & ad cælestia & terrestria quoque referatur, ex *Obsequente*, & *Bulengero* s̃. pluribus ista cōprobantibus, quæ non latuêre *Negusantium in sylua responsor.quæst.400.ex nu.39.* & latè prosequitur *Iobus Fincelius in lib.de prodigiis* Germanico idiomate conscriptus.

Ex quo verò magis à natura deuiās magis monstrosum est (vt proximè diximus) inde fiet, vt in ista inspectione
8 magis † & minus (vt aiunt Philosophi & Medici) diuersa monstri genera constituant, & quidem septem ab hoc capite dinumerat *Petr.Garcias d.ca.1.nu.3.*

Nobis autem cum *Labeone & Vlpiano* (eum referente) in *d.l.ostentum 18.de verb.signific.* & eod. *Vlpiano in l. quæret aliquis 135.ff.eod.tit.* & *Paulo li.4.Sententiar.tit.9.§.mulier* (à quo *l.non sunt liberi 14.ff.de statu homin.*) res ita componenda est, quod attinet ad ge-
9 nerationem humanam, vt ostentum † (generale nomen) se ipsum in specie (vt accidit adoptioni, cuius species sunt adoptio & arrogatio, *l.1.§.1.ff.de adoption.* & cognationi, cuius partes sunt cognatio & agnatio, *l.4.§.2.l.10.§.4.ff.de gradib.*) & monstrum seu prodigium, tanquam alteram speciem comprehendat.

Monstrum († ostenti species) erit 10
cùm natura quid prodigiosum producit alteri diuersæ speciei assimilans ex præcitatis iuribus.

Hoc verò tripliciter † potest con- 11
tingere. Primò, cùm natura humana ita sui fuit oblita, vt diuersam omnino formam, & nulli animalium similem animatam assumit, vt aliquādo visum est, vel inanimatam, qualis est mola (sæpè & sæpiùs cum morte mulieris grauidæ eius vtero eruta) Secundò, cū à natura humana alienæ speciei perfectam formam producit, veluti vrsi, vituli, canis, & similium, ex *d.l.non sunt liberi*, cum cæteris s̃.relatis. Tertiò, cū alteriúsve equino, canino, vel suino, cuiuslibet bruti capiti adiecit brachia, vel manus, aut alias humani corporis partes & membra. Et sanè de his monstrosis generationibus intelligenda est, *l.8.titul.33.par.7.* in illis verbis: *Los que nacen en figura de bestia, ò contra la vsada costumbre de la natura, que son como fantasma, no son dichos fijos.*

Tripartitum hoc monstrum nostri ab *Vlpiano* in *d.l.ostentum*, & cæteri à Grammaticis *prodigium*, † aut *portentū* 12
appellant, vt ex pluribus comprobat *Hadrian.Negusant. in sylua respons.d.q.400.n.90.*

Et sanè monstrosæ istæ parturitiones antiquis semper aliquid mali † 13
præsagiebant, & velut iræ Deorum habebantur, tanquam res prodigiosæ, vt colliges ex *Tacito lib.12.Annal.prope finem*, & notat *Cornel.Fronto supr.* & *Nonius Marcel.de propriet.sermon.cap.5.ex.*

§. ex illo *Virgil.3. Æneid.*

Sola nouum, ductúsque nefas, Harpya Celæno
Prodigium canit.

Vel vt monita eorum minatoria: idem *Virgil.* ibidem.

—Primumque parenti
Monstra Deûm refero.

Lucilius lib.25. (ab eodem *Nonio* relatus) *Nisi portentis, anguésque volucres, ac priuatos scribitis.* Vnde *Herodianus lib.1. Sub Commodo Imperatore* (ait) *animalia, omne genus, minimè suam naturã seruantia, calamitatem præsagiebant.* Quinimò Prouinciarum & Vrbium excidium antiquis minabantur, vt facilè comprobabis ex *Bullengero, de prodig.c.1.* multa congerente: quibus adde tradita ab *Antonio Claro libr. singulari ad leges xij. Tabular.c.2.* Et demum ab hisce portentosos fœtus antiquitùs extingui solere deduces ex *Seneca libr. 1. de Ira, c.15.* Et Antiqui itidem partus istos portentosos emxis imprecatio-
14 nibus † vitare curabant, vt colligitur ex *Delecampio ad Plinium libro 7. c.1.*

At Catholicæ Ecclesiæ filij harum rerum varias causas superiores semper
15 agnouerunt, † vt constat ex *Diuo Augustino*, eas disertissimè prosequente, *lib.11. de Ciuit. Dei, c.22. & lib.16. cap.8.* in verbis expensis ab *Adamo Contzen lib.1. Politicor. cap.13. §.17.* Nec illæ contemnendæ sunt, quas adducit *Ambros. Paræus lib.24. c.1.* vbi quasdam etiam enumerat causas altioris ordinis, & primam esse ait gloriam Dei, vt restitutis his, quæ contra naturam sunt, eius magna vis hominibus innotescat: vti CHRISTVS respondit Discipulis causam cœci inquirentibus. Altera, vt Deus hominum scelera vel vlciscatur, vel mox futuræ vltionis signa præmonstret: *Quia enim* (ait is Auctor) *sine modo, sine lege, vel vago, vel nefando concubitu: vel quo tempore Dei, vel Ecclesiæ mandato abstinere decet, miscent se parentes, ideò nefanda sæpè horrenda, & à natura communis regula deuia nascuntur. Sic enim apud Esdram prophetam legimus, mulieres quæ fluentibus mẽsibus viris sese immiscuerunt, monstra peperisse.* Et quidem ista latissimè prosequitur *Gaspar. Bauhinus de hermaphroditis, lib.1. c.6. & 7.* vbi cælestibus influxibus, ventísque & aliis consimilibus ea tribuit. Et à *c.18.* latissimè discutit causas inferiores & naturales, de quibus j. ex *n.82.*

His de monstro, prout ostenti species est, delibatis, alia alterius illius speciei, quæ generis nomen retinent prosequentes, annotamus † osten- 16
tum in specie (sic dictum ex Grammaticorum, & Lexicographorum sententia, quia natura in eo se ostendit efficacem, licèt peccantem in excessu, vel defectu) id esse cui naturali originis & generationis suæ forma minimè destructa, *vel augmentum* accessit, vel *delibatio* aut detractio inest.

Hoc etiam tripliciter † se nobis 17
habere potest. Primò, si in corpore & forma humana integra vox humana deficiat, & in vagitum vel hinnitum prorumpat, vt ex *Herodoto* annotabimus paulò *inferiùs*: & insinuasse videtur *Vlpiani* oratio disiunctiua in illis verbis d. *l. quæret aliquis: Qualem visu, vel vagitu nouum non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis quàm hominis partum*, & sentit ibi *Accursius*, & *Petr. Caballus*, post alios, *resolut. criminal. cent.2. casu 139. num.2.* Secundò, si formæ & capiti humano accedant pedes caprini, vel alterius cuiuslibet animalis aliqua membra. Tertiò, si *natura humanorum membrorum* (vt ait *Paulus* in dict. *l. non sunt liberi*, & in d. *§. mulier) officia ampliauit*, vt si quis nascatur tres, pluresve habens manus aut pedes, aut sex digitos in qualibet

manu: vel *minuit*, vt si quis brachiis carentes producantur, quales vidisse testatur *Bauhinus de hermaphrodit.lib.* 1.*cap.*8. Vel aliquis vno tantùm musculo (vt Salmanticæ vidimus Lusitanum Iurisprudentiæ nauantem, & pedi informi calamos scriptitios adaptantem) vel oculo vnico in fronte edatur: vti Romæ contigisse testatum reliquit *Iulius Capitolinus in Antoninô Pio.* Deesse enim aut superesse quicquam *monstrum, & præter naturam esse* dixit *Aristot.libr.*4. *de generat.animal. c.* 4.

His sic præcognitis subintrat mon-
18 strosi partus in genere definitio, quæ † (ex dictis s.*num.*5.) *Aristoteli lib.*4.*de generat.animal.*d.c.4.*& libr.*2.*physicor. c.*8. est oblæsio quædam naturæ, siue eiusdem defectus & error: vnde alibi idem *Philosophus* monstra metaphoricè appellat παρεκβάσεις, vel παρέργα, *excussiones*, scilicet, *digressiones, vt* naturæ, quasi aberret itinere aliàs peragendo, vt accidit viatoribus ab instituto deuiantibus. In quæ omnia re vera co-
19 incidit *Labeonis* definitio † tradita ab *Vlpiano* in d.*l.*38.*ff.de verb.signific.* dum ait: *Ostentum Labeo definit omne contra naturam cuiusque rei genitum, factumque.* Vt inde clarè percipias, tam ostentum (quod vnam constituit speciem) quàm monstrum, quod alteri *Vlpianus* accommodat, rem naturæ contrariam denotare. Quod optimè agnouit *Vlpianus* in *d.l.*38. in verbis illis (præcedentia subsequentibus) *Duo sunt genera ostentorum, vnum quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus fortè aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est, &c.*

Sed nihilo seciùs magna est in Iure
20 nostro differentia † inter vtramque ostenti speciem: nam illa quæ eodem nomine persistit, ad humanum referatur partum imperfectiorem, quàm communis naturæ fert consuetudo, quod impedimento non est, quominus (dicatur homo sic natus, & partus nobis legitimus successionisque capax, *l.quod dicitur* 12. (iuxta verum eius sensum per nos assignatum s.*c.*6.) *ff.de liber. & posthum.* d.*l.non sunt liberi.* vbi *Paulus in* 2.*par.* ita ait: *Partus autem qui membrorum humanorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus* (sic lego cum *Florentinis*, & rectius iuxta tradita à *Merillio lib.*1.*obseruatio. c.*33.) & ideò inter liberos connume-
rabitur. At monstrum † sub humano 21
& legitimo partu non continetur, quinimo in Iure talis reputatur ac apparet, puta sus, canis, aut similis bellua. Vt inde sub numero liberorum tales partus prodigiosi & monstrosi non veniant, d.*l.non sunt liberi, in principio.* vbi *Paulus* inquit: *Non sunt liberi, qui contra formam humani generis conuerso ordine procreantur, veluti si mulier monstrosum aliquid, aut prodigiosum enixa sit*, & in *l.quod certatum*, ibi: *Ad nullum declinans monstrum vel prodigium. C.de posthum.hæredib.instituend. Cyprian.in præfat.de Cardinalib.operib. Si originalis natura traductio à consueto limite deuiaret, & à virtute patrum degenerans indigna successio, monstri non hominis speciem exhiberet, &c.*

Et ab his interpretationem recipit
lex xij.*Tabul.* † quæ monstrosos par- 22
tus exponi permittit, vt vidimus in *cap.*4. Imò & cædere, vt patet ex *prateto in Iurisprud.vetere, l.*18. ita verba legis concipiente: *Monstrosos partus sine fraude cedunto*, quod ideò eueniebat, quia liberorum nomine non habebantur, neque successionum capaces erant. Quod mihi manifestè probatur ex † *Cicerone lib.*3.*de legib. Deinde cum esset citò legatus tanquam ex xij. Tabulis insignis ad deformitatem puer*

brevi

breui tempore nescio quo pacto creatus, multóque tetrior & fœdior natus est: his enim verbis (vltra captum *Ranardi*, vt ipse ingenuè fatetur *ad leg.xij.Tabul.cap.28.) Cicero* legem, sancientem Tribunitiam potestatem (cuius paulò antè meminerat) velut similem suppo-nit *legi xij.Tabul.* monstrosos excludenti, quando post primos Tribuni insequentes fuerunt ablegati: at, cùm restituta hac populi potestate, nouè admissi maiore licentia vsi, peiores euaserint, ideò delendos & exterminandos velut tacitè suadet *Cicero*, quemadmodum & monstrosus partus longè magis explodendus, quò tetrior & fœdior appareret. Et hunc (ni fallor) prædictorum verborum *Ciceronis* sensum clarius comprobabis, si in præcitatis verbis pro *citò legatus* legas, *citò ablegatus*, vt est in aliquibus Codicibus. Et demum confirmabis ex subsequentibus, vbi monstrosi retenta metaphora Tribunum (suppresso nomine notatum) impuram belluam appellat. Id quod post ista sic scripta vidi aliqua ex parte annotasse *Andream Schotium in notis ad declamat. Senecæ.*

At prædictam differentiam inter monstrum & ostentum agnouerunt & probarunt omnes † Iuris Interpretes, quos ego viderim. Et præter antiquos Commentatores dict.*l. non sunt liberi*, & dict.*l. ostentum*, & d.*l. quæret aliquis*, & *l. quod dicitur. ff. de liberis & posthumis*, & in dict.*l. quod certatum, C. de posthumis hæredib. instituend.* (maximè *Glossam* in dict.*l. quæret aliquis*, *Angel.* & *Alexand.* in dict.*l. quod dicitur*, eundem *Angel.* & *Paul.* num 4. in *l. vxoris abortu, C. de posthum. hæredib. instituen.*) ex nouioribus ita tenent *Peregrinus*, post alios, *de fideicommiss. artic.* 43. ex num. 24. *Petr. Caballus cent.* 2. d. *casu* 139. *per totum*, *Hadrian. Negusan. in sylua respons.* d. q. 400. nu. 83. & seqq. *Prateius ad leges Romuli fol.* 194. *Petr. Ærodius lib. 2. rerum iudicatar. tit. 4. cap. 6. Ioan. Linglois ad* 50. *decisiones Iustinian. decis.* 28. dict. *quæst.* 2. *Raguel.* optimè in d.*l. quod certatum*, *Edmundus Meril. libr. 1. obseruationum*, d. *capite* 35. *in fine.* Eámque insigniter comprobabimus, si omnes casus s. relatos percurrerimus.

Et sanè certissimum est quàm quod certius, quòd si monstra † ita à natura 25
& forma hominis degenerent, vt nihil cum ea commune habeant, velut si mulier canem, catum, simiam, aut alia similia monstra ediderit (quas rerum miras formas, & varias figuras quotidie in natura videmus, *Petr. Garcia.* causas assignans, dict. *disput.* 73. *cap.* 2. & 3.) hæc sub nomine filiorum, aut liberorum, imò nec hominis veniant, dict.*l. ostentum*, dict.*l. non sunt liberi*, cum ibi notatis. Quod enim formam hominis non habet, sed bellux, animam rationalem habere non præsumitur, nec homo dici potest, *Bald. in d.l. non sunt liberi, in lectura & additionib.*

Hoc longè verius & euidentius est in mola, † quæ nec animalis nomen 26
meretur, *Aristotel. libr. 4. de generatione animalium, capite* 7. & ouis gallinarum subuentaneis (quæ nullam habent generandi pullos vim, & sine galli congressu producuntur) æquiparauit *Galenus libr. 14. de vsu partium:* vt inde *Auicenna, Paul. & Aetius* (relati à *Varandæo libr. 2. de affectib. mul. c.* 5.) existimauerint, molam & carneam istam substantiam ex sola effusione sanguinis in vtero generari posse, vel à solo vteri calore assumente & coagulante massam istam & tumorem, vt accidit in aliis humani corporis partibus. Quæ sanè disertè improbauit *Varandæus suprà*, latè & optimè *Paul. Zacchias in Medico-legal. titul.* 3. *quæstione* 5. & 6. strenuè *Ioann. Henr-*

nius de morb.mulier.cap.6.tom.2. egre-
giè *Petr.Garcia de locis affect.* d.*disput.*
73.cap.4. & 5. qui plura ad hanc rem
pertinentia doctè proſequuntur, &
tandem reſoluunt, molæ generatio-
nem ab imbecillitate vtriuſque ſemi-
nis, præcipuè maris pendere. Quæ o-
biter dicta velim, vt quæ maximi mo-
menti ad pudicitiam fœminarum in-
cuſandam, vel propugnandam: & vt
nouiſſimum *Ioan.Schenkium*, exiſti-
mantem *libr.4.tit. de molis, obſeruat.6.*
virgines molam geſtare poſſe, omnes
reiiciant.

Quòd ſi aſininum, ſuinum, cani-
27 númve, aut ſimile caput† habeat par-
tus, quamuis ei pectus, manus, bra-
chia, aut alia membra humanis ſint ſi-
milia (vti ſæpiùs accidiſſe ſimul cum
cauſis enarrant *Valleſ.li.2.Epidem. par.*
2.comment.20.Peramat.in libr.de homi-
*nis procreat.cap.17.Pet.Garc.*d.*diſputa.*
73.cap.4.) id ipſum dicendum eſt dict.
*l.non ſunt liberi,*d.*l.quod certatum*, ibi:
Ad nullum declinans monſtrum, vel pro-
digium, C.de poſthum.hæredib.inſtituen.
Gloſ.& reliqui in dict.*l. quæret aliquis,*
Pet.Caballus d.*caſu* 139.*num.*8.*&* 9. Et
inde hoc caſu, & præcedentibus par-
tus monſtroſus non faciet deficere
conditionem: *Si ſine liberis*, vt optimè
notat *Gregor.* in *l.*10.*tit.*4.*part.6.gloſſ.*
8.*q.*4.

Adhæc oſtenti (prout nomen ſpe-
ciei eſt) partes *ſupr.*relatas proſequen-
tes dicimus, quòd ſi partus formam &
28 figuram † hominis habens ab eo in
voce tantùm differat, & canis, equi, a-
ſini, vel aliorum animalium imitetur,
(quod accidere poſſe probabimus *in-*
frà ex *Herodoto* & *Vlpiano* in d. *l. quæ-*
ret aliquis) adhuc attenta forma inter
liberos reputabitur, iuxta notata à
Gœddæo in *l. oſtentum, à num.*11. *D.de*
verborum ſignificationib. Petr. Garcia d.
*cap.*4. cum aliis paulò *inferiùs* addu-
cendis.

Et hoc dicendum etiam eſt, ſi par-
tui habenti formam humanam, hoc
eſt, caput † inſint pedes caprini, aut 29
membra cæteris animalibus ſimilia,
vt in Minotauro finxit Antiquitas, &
exempla certa connumerant *M.Anto-*
nius Delrius, Leuin. Lemnius, Pet.Æro-
dius, & alij *infr.* referendi: nam forma
prædicta ſupponit animam rationa-
lem ex Theologorum ſententia, iux-
ta tradita à *Bulengero de Theatro lib.8.*
cap.45. quia in cerebro ἡγεμονικὸν, id
eſt *animi mens*, ſita eſt: conferunt ad-
ducta à *Gœddæo ſuprà*, *Gilkenio* in *l.3.*
Cod.de poſthumis hæredib.inſtituend.nu-
mer.4. Qui inde in ſequentibus opti-
mè poſt *Ioan.de Imola,* & *Alexand.* no-
tat *Angelum* in dict.*l.quod dicitur.ff.de*
liberis & poſthum. exiſtimantem, cum
qui habet caput cum facie obuerſa
verſus ſpatulas hominem non eſſe:
nec *Angeli* opinionem iuuari *Gloſ.* in
dict.*l.quæret aliquis* optimè ibidem e-
ruit.

Hi demum qui humanorum mem-
brorum officia ampliata † habuerint, 30
& nati ſint tribus manibus, aut pedi-
bus, & ſimiles (de quibus in dict. *l. non*
ſunt liberi, ff.de ſtatu homin.) in nume-
ro liberorum citra omne dubium ha-
bentur ex illa *lege*, & d.*l.oſtentum*, d.*l.*
quod certatum, cum aliis *ſup.* expenſis.
Idemque ex eiſdem iuribus dicendum
eſt de his qui membris diminutis
ſunt editi, vt vno tantùm pede, vel o-
culo, & ſimiles, qualeſque gigni in
quibuſdam maximè regionibus fir-
mat *Plinius lib.6.de natural.hiſtor.c.30.*
& *lib.7.c.2.* Et multò magis de varis,
valgis, compernibus, brocchis, & ſi-
milibus, de quibus apud *Plaut.in Mi-*
li.act.3.ſce.2.verſ.127.Terent.in Adelp.
act.5.ſce.4.

Ab his lucem accipiunt, & firmam
reſolutionem cætera dubia circa
cauſam monſtrorum à noſtris diſpu-
tata.

Et pri-

Et primò in illa seria quæstione, an monstrosus partus possit, debeat-
31 que baptizari? † Facilis est resolutio, si à monstrosis partionibus ostentosas distinguas,& dicas, istas formam humanam habentes, sacro Baptismate ablui posse & debere : monstrosas verò (vt quæ anima rationali carent) non sic,& ita optimè resoluit *Bald.* in *d.l. non sunt liberi, in prima additione, ad finem, Ioan. de Imola* d.*l. quod dicitur. D. de liberis & posthum. ad finem Petrus Cabal.* dict.*casu* 139. *num.*10. *Petrus Gregor. libro* 1.*partition. Iur. Canon. capit.*6. *num.* 2. & 3. vbi in dubio hominem monstrosum baptizandum asserit.

Secundò, in ea quæstione, an occi-
32 dens † monstrosum partum teneatur de homicidio? Respondemus securè, in ostentoso homicidium dari, in monstroso non ita, ex iam dictis,& ita resolnut *Bald.* in d.*l. quod dicitur,* & ibi *Alexand. Carrer. in tract. de homicidiis*, §.1. *num.* 23. *Gilken.* in dict. *l. quod certatum nu.*5. *C. de posthumis haredib. instit. Caballus* d. *casu* 139. *num.* 4. Et ex nostris *Gregor. glos.*1. in *lege* 1. *titul.* 8. *part.*7. *Azeued.* (post *Anton. Gomez.* & *Plaçam*) *in rubr. tit.* 23. *libr.* 8. *Recopil. numero* 4. Et ab his, & simul à traditis per *D. Augustin. in Enchirid. ad Laurent. cap.* 87. & 61. facilè dignosces quę monstra nouissima die resurrectura sient.

Tertiò, à prædictis resolutionem accipit illa Philosophorum quæstio,
33 an partus monstrosus sit vitalis: † In qua *Aristot. lib.* 4. *de generat. animal.* d. *cap.* 4.& in *lib. problem. sect.* 10. *problem.* 48. nullo modo esse vitales sensit: cui concinit *Lucretius libr.*5. *de rerum natura:*

Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque proijciunt ætate senecta.

Adeò, vt ne quidem in principio consistere possint, vt ait *Alexand. Aphrodisæus in opusc. de fato.* Sed hæc ab *Aristotele*, cæteraque generaliter decisa explicanda sunt & distinguenda, ita vt procedant in monstro formæ humanæ penitùs experte, non ita in eo quod nos ostentum appellamus, in eiusque partibus aut speciebus subalternis iam *supr.* relatis. Similes enim partus (forma humana constantes) videmus quotidie vitales. Et hoc est quod ex *Aristotele* & aliorum sententia asserit *Hyeronym Magius lib.*2. *Miscellan.* d. *cap.* 20. monstra à sua natura parum secedentia viuere posse, alioquin interire, videlicet cùm quid præter naturam partibus viuendi principibus accidit. Id quod Hippocentauris contingere ex *Plinio*, & Iuriscons. *Celso*, & Imperat. *Iustiniano* annotabimus *infr. nu.*71. Et hisce aptandum est quod *Alex. Aphrodisæus problem.* 44. *li.* 2. scriptum reliquit : *Monstra viuere non posse ob inopiam, vel exsuperantem naturæ modum.*

Adde, eosdem ostentosos partus successionum † & reliquorum capa- 34
ces, quamuis in sui ortus initio deficerent, *l.d. quod dicitur D. de lib. & posthum.* d.*l. quod certatum. C. de posthum. hæred. instituen.* & nobis insuper si viuant vigintiquatuor horas, & baptizentur ex d.*l.*13. *Tauri.*

Sed ab his omnibus quæ *suprà* dicta sunt,& exactè (ni fallor) enodata permanent, excipiendus est casus † d. 35
l. quæret aliquis 135. *D. de verbor. significat.* vbi *Vlpianus* (*legis Papiæ* rigorem temperans, vt patet ex inscriptione, quæ sic se habet: *Vlpianus lib.*4. *ad legem Iuliam & Papiam*) ita ait: *Quæret aliquis, si portentosum, vel monstrosum, vel debile mulier ediderit, vel qualem visu, vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quam hominis partum, an quia enixa est, pro-*

desse ei debeat? Et magis est vt hæc quoque parentibus prosint: neque enim est quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt statutis obtemperauerunt, neque id quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debet. Lex ergo Papia (quæ orbos semisse multabat eorum quæ in testamentis relinquebantur, vt ex *Nicephoro* & aliis probat *Cuiac. lib.4. Sentent. Pauli, tit.9.* d. *§. mulier*) locum non habet in muliere, de qua in hoc *textu*: nam orba dici non potest, quæ partum enixa est, etsi portentosum, cùm statutis legis Papiæ obtemperauerit, quæ iussit nuptias contrahi procreandorum liberorum causa, & cœlibibus pœnas irrogauit, ita vt non essent capaces solidi: nec enim parentibus imputari debet, quod fataliter accidit, vt iisdem verbis disertè annotauit *Francisc. Raguel. in commenta. ad decisiones Iustiniani, in notis super l.3. C. de posthum. hæredib. instituen.* vbi in casu d. *l. quæret aliquis* hoc ita receptum esse ait odio *legis Papiæ* ex sententia æquiore & humaniore, & ita ante istum annotarunt *Gilkenius* in dict. *l.3. num.3. & sequentib. Petr. Ærod. libro 2. rerum iudicatarum, tit.4. cap.8. Anton. Fab. 1. tom. Rational. ad* dict. *l. non sunt liberi.*

36 Quæ simul cum d. *§. mulier* † ab hac consideratione venit concilianda cum d. *l. quæret aliquis*, in qua (addit *Cuiacius supr.*) agitur de damno vitando, & in d. *§. mulier*, & dict. *l. non sunt liberi*, de lucro captando, quorum sanè dispar ratio est & iuris diuersa decisio *l. fin. §. sin verò creditores, C. de iure deliberandi.*

Sed hanc interpretationem & con-
37 ciliationem improbat † *Edmund. Merillius libr.1. cap.33.* quia in vtroque loco *Pauli* & *Vlpiani* quæritur, an prosit partus huiusmodi ad ius liberorum? & inde si matri ad ius liberorum prosit, profuturum etiam ait ad legitimam hæreditatem ex Senatusconsulto Tertulliano capiendam, *§. postea autem, institut. de Senatusc. Tertull.* His subaddit, in Senatusconsulto Tertulliano magis agi de damno vitando quàm in lege Papia: *quia maius damnum est, si non capiat mater solidam hæreditatem filiorũ ex Senatusconsulto Tertulliano, quàm si ex lege Papia non possit aut dimidiam partem hæreditatis habere, aut decimam.* Et demum concludit dicẽs: *Putarem magis Paulum aut Vlpianum (vt sæpè alias) in eo dissensisse; vterque suam habuit rationem Paulus monstra non debere prodesse ad ius liberorum, quia contra formam generis humani edita liberorum appellatione censeri non debeant: Vlpianus debere prodesse, quia quod fataliter accidit, damnũ matri iniungere non debeat.*

Sed etsi ego de eorum non sim nu-
mero, † qui in verba, *Iustiniani*, vel 38
potiùs *Triboniani*, iurarunt, asserentes, in *l.2.* ibi: *Nullo seditioso relicto,* & in *l.3. vers. contrariam autem. C. de veter. iure enuclean.* nullam in iure reliquisse antinomiam. A *Merillio* tamen hoc casu adinuentam non admitto, quin potiùs solutionem *Cuiacij* & ceterorum amplis vlnis amplector cum ratione differentiæ ab eo tradita. Cui non obest consideratio *Merillij* in ver-
bis *suprà* relatis: fallitur † enim dum 39
putat agi de damno vitando in dict. *l. non sunt liberi*, & dict. *§. mulier*: non aduertens, ex Senatusconsulti Tertulliani indulgentia matribus (aliàs filiorum successionibus exclusis *lege xij. Tabul.* vel eius interpretationibus vtentium vsu comprobatis) intestati filij hæreditatem deferri, si ingenua tres liberos, libertina quattuor habuisset, *l.2. Senatusconsult. Tertullian.* vbi *Cuiac. Paul. libro 4. Sentent.* d. *tit. 9.* & *Balduin. ad leges xij. Tabul. capite 28. num.53. Petrus Gregor. libr.45. Syntagmat. iur. capite 9. num.5. Hotman. Minsynger.*

Synger. Vulteius, D. Pichard. & reliqui ad *tit. institution. de Senatusconſ. Tertul.* Matres ergo (quibus regulariter ad filiorum legitimam hæreditatem aditus non patebat tempore *Iulij Pauli* Auctoris d. *l. non ſunt liberi*) tunc admittebãtur, cùm ius trium liberorum habebant; quo ſolo caſu nouum ius Senatuſconſul. Tertul. (plenius indulgens Claudiano temporibus Claudij ſuper hac eadem re lato, vt ſcribit *Suetonius*) eis prouidit: vt inde propriè & verè dixerit doctiſſimus *Cuiacius*, matrem duorum legitimorum filiorum, qui trium numerum monſtroſo complere curat, agere de lucro captando, hoc eſt acquirenda hæreditate aliàs ſibi non competente: eam verò quæ monſtroſi editione pœnas legis Papię euitare conatur, agere de damno vitando, hoc eſt de conſeruatione ſuarum facultatum, propriæque ſubſtantiæ Fiſco abſque vlla ipſius culpa non deferendæ.

40 Et ab his facilè conciliatur † *Paulus* Iuriſconſultus in *l. ter enixa* 137. *ff. de verb. ſignific.* cum ſeipſo *in libr. Sententiar. tit. 9. §. quæ ſemel*, vt latiùs annotabimus ĩ. *in cap.* 19. Quod autem *Merillius* obiicit de diuerſis rationibus ab *Vlpiano* & *Paulo* in præcitatis legibus expenſis, nil nos remorari debet videntes, Iuriſconſultos iſtos, non cõtrarias, ſed diuerſas tantùm rationes, & ſuis deciſionibus aptas perquam dextrè accommodaſſe.

41 Ex PRÆDICTIS † ad oſtentorum & monſtrorum dignoſin facilè colliges, quid monſtri, aut oſtenti nomine contineatur, quidque ſub his nominibus non veniat.

42 Et ſanè ab his primo loco † infertur, ſi vera fuiſſent quæ refert *Solinus in Polyſtore, c.* 4. de infante cum dentibus nato, & *Albert. Granz.* & *Auent. lib. 5. Annal. Baior.* de Vendale vxore Ducis Baruch, biennio prægnante, & infantem gradientem & loquentem edente, & *Speron Speronij* de quadam quæ cùm virgo eſſet, grauida facta eſt (quod à veritate deuium exiſtimo in humanis operibus, ex dicendis in *cap. vltim.*) certè ſimiles partus *monſtroſos* propriè dici non potuiſſe, quicquid in contrarium ſupponat *Dalnerus de iure homin. par. 7. num.* 24. Quamuis inficias ire non poſſimus, has actiones inſolitas eſſe, velut illa reuerſi in vtero infantis eo anno quo Saguntus ab Annibale fuit deleta, de qua *Plinius lib. 7. cap. 3. Pat. Martinus Delrius diſquiſition. Magicar. tom. 1. lib. 2. quæſt.* 23. vel mares ex fœminis facti, de quibus *Plinius* d. *lib. 7. cap.* 4. *A. Gell. lib. 9. cap.* 4. *Tiraquell.* latè in *l. 1. connubial.* à *numer.* 99. *Bulenger.* latiùs *de prodigiis, c.* 17. (etſi diſſentiat nouiſſimè *Petr. Garcia in Auicen. diſputat. 37. cap. 7. numer.* 23. *verſ. etiam.*) Aſt omnia iſta, & ſimilia monſtroſa nobis non ſunt, imò nec vlli, ex *Herodoto in Melpomene lib. 4. cap.* 23. vbi: *Concedamus* (ait de Scythis) *ab ipſo natali homines caluos, ſimis naribus, ingenti mento, & propriam quandam (id eſt, ab aliis extraneam) vocem emittentes, adhuc iſti non ſunt excludendi.*

Secundò, à dictis infertur, † varos, 43 ſeu valgos, compernes, brocchos, diſtortos, & ſimiles, de quibus ſ. *numero* 30. monſtroſos dici non poſſe, quandoquidem omnibus ſuis conſtant membris, quamuis non aptè diſpoſitis: aliàs & Strabones, vel odoris expertes (de quibus *Plinius libr. 7. capite* 2.) Chelenofagos, id eſt, qui hirſuto ſunt corpore, facie tamen leni (de quibus *Plinius lib. 6. cap.* 24.) Nomades, Aſachæos & alios (de quibus in *Solino capite* 43.) Troglodytas (quibus ſtridor non vox, *Plin. libr. 5. cap. 8. Mela lib. 1. Solin.* latiùs *capite* 44. *Ælian. de*

animal.lib.9.cap.44.) Himantopodes (quibus serpendo ingredi natura est, *Plinius d.*) balbutientes, mutos, surdos, cœcos, & similes monstrosos diceremus, quod nullus vnquam admisit.

44 Tertiò ab iisdem fit, vt furiosi, † stupidi, fatui, stulti, itidémque Saniones (de quibus latè *Bulengerus de Theatro lib.1.c.45.*) Bardi, Bleni, Buccones, Moriones, siue Miriones (quos *Varro lib. 5. de ling. Latina* à *miris* rectè, à *monstris* malè, appellatos esse vult) & alij consimiles vitio animi elaborantes (& ob id ædilitiis actionibus contenti, *l. 4. §. idem Pomponius, ff. de ædilitio edicto*) non sint ostentosi, vel monstrosi.

Quinimò Moriones & cæteri eis assimilantes adeò ab horrenda monstrositate longè distant, vt eos Antiqui
45 potiùs habuerint in deliciis, † vt clarè constat ex *Seneca & Martiale* variis locis, *Plinio Iuniore lib.9. epist.17. Suetonio* & *Lampridio*, illicò referendis, *Firmico lib.8. Mathes.* Et inde γελωτοποιοὶ dicti, id est, *ridiculi*, vel *risus concitatores*, Lucian. *in Conuiuio*, è quorum numero ibi delineat quendam deformẽ deraso capite, ὀλίγας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τρίχας ὀρθὰς ἔχων, *pauculos capillos in vertice gestantem, eósque in cristam conformatos*: quos ideò *Martialis, acuti capitis*, nuncupauit *lib.6. epigr.39.* dicens:

Hunc verò acuto capite, & auribus longis
Quæ sic mouentur, vt solent asellorum
Quis Morionis filium neget Cyrthæ?

& *Clemens Alexandr. in Pædagogo, li.3. c.4.* mulierem fastidium conquestus ita ait: καὶ συνανακλίνονται τοῖς φοξοῖς παίζουσαι, σιλίνοις τέρασι γαννύμεναι, καὶ τὸν μὲν Θερσίτην ἀκούσαι γελῶσιν. αὗται δὲ, πολυτιμήτους ὠνούμεναι Θερσίτας, οὐκ ἐπ' ἀνδράσιν ὁμοζύγοις, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνοις αὐχοῦσιν: *His qui acuto sunt capite accumbunt ludentes, iniucundis illis monstris delectantur: & quidem Thersitem audientes gaudent & rident. Quin & Thersitas magno pretio comparantes, iam non de viris suis, sed de hisce qui terræ sunt pondus sese iactant.* Quæ insignis 46
Theologi verba lucem præstant † *Plutarcho in lib. de curiositate*, aiente: *Romæ quosdam fuisse monstrorum conquisitores, qui venalium formositatum odio habentes, forum Morionum frequentarent.* Et *Martiali lib.8. Epigram.13.*

Morio dictus erat: viginti millibus emi,
Redde mihi nummos, Gargaliane: sapit.

Hinc est, vt ab illis *Lampridij in Alex. Seuero (Nanos & Nanas, & Moriones, & Vocales exsoletos, & omnia acroamata & pantomimos populo donauit)* disertissimè inferat † *Laurentius Pignorius in lib. de seruis*, hæc fuisse Helio- 47
gabali ministeria, quæ Imperator Alexander auersabatur, ad Augusti fotassis æmulationem: *Qui (vt ait Suetonius in eius vita, c.83.) pumilios atque distortos, & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ, malíque ominis abhorrebat.*

Ad illationem verò *numer.44.* propositam rediens, noto, eam non † con- 48
turbari à præpositis *Plutarchi & Clementis* auctoritatibus, in quibus Morionibus, & similibus *monstri* nomen fuit inditum: id enim latè sumpto vocabulo dictum fuit; non strictè & propria significatione (quam *suprà* tradidimus) accepto. Et in eodem sensu accipiendus est *Buleng. d. cap. 43. in princip.* alioquin eius dicta non subsistunt: sicuti nec parum apta expensio *l. non sunt liberi, ff. de statu homin.*

Quartò ab eadem fit causa, vt Gigantes † & Pumiliones. Nam siue 49
Pygmæi (si qui forsan fuêre) in numero ostentorum & monstrorum non contineantur: nulla enim in hisce oblæsio naturæ

naturæ peccatum, errórve datur, quãdo suis (aliàs à Natura designatis) constant membris sibi inuicem respondentibus, iuxta tradita in proposito ab *Halicarnass. in* Τέχνη, *num.85. tit.* περὶ τ῀ ἐμμελέταις ἀτεχνίας. Nec enim corporis proceritatem, aut exiguitatem vitio monstri subiacere rectè quis dixerit, nisi in consequentiam concedat plures inter homines monstri species posse assignari pro corporis maiori, minoríve habitudine. Idque fortiùs vrgebit quemque considerantem, *Pumilionum genus in omnibus animalibus esse, atque etiam inter volucres*, vt ait *Plinius lib.11.c.49.* Quin & inter arbores, vel natura, vel arte: vnde chamæplatanos *coactæ breuitatis* appellat idẽ *Plin. lib.12. cap.2.* Vt ab his insigni sanè nota dignus appareat *Alciatus* contrarium affirmans in *l. quaeret aliquis, ff. de verb. signif.*

Nec obstabit, si opponas de verbis illis *Numer. cap.13. Vidimus monstra quedam filiorum Enac de genere Giganteo*: nam ibi *monstri* nomen latè sumitur, id est, pro re insolita, quo sensu *Aristoteles* geminos monstra appellauit, vt iam diximus s̃. & ita accipiendus est *Nicephor. libro 10. capite 3.* qui procerem quendam, breuem alium statura *monstra* & *prodigia* nominauit.

Sed obiter, nec ineptè hîc disquirendum est, an hodie, olímve fuerint
50 in rerum natura † Gigantes? & simul Pygmæi? Et sanè Gigantum existentiã (vt ita dicam) clarè comprobare videtur Textus sacer *Geneseos c.6. Gigantes autem erant super faciem terræ*, & *Numer. d. cap.13. Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quedam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* & *Deuteron. c.2.3. & 9. Iosue cap.14.* & in historia *Iudith* Gigantum fit mentio: & *Regum 1. c.17. Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi:* & *Deuteron. cap.3. Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe Gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis.* Sed & plura de Gigantibus siue hominibus proceræ & singularis magnitudinis adduxerũt *Plinius lib.7. c.17. Solinus c.5. Plutarch. in Sertorio, Nicephor. lib.12. d. c.37. Herodot. lib.1. Philostr. lib.1. A. Gel. li.3. c.10.* Quin & sancti Patres *Augustinus libr. 3. de Ciuit. Dei, c.4.* & *lib.15. c.23. Isidorus lib.11. Origin.* siue *Etymolog. c.3.* Et plura cumulat *Baptista Fulgosius factorum & dictorum memorabil. lib.1. c.6. tit. de Gigantib. Angelus Politian. miscellan. c.18. Ioan. Lucidus Samoth. de emendat. tempor. lib.4. c.4* nouissimè *Torreblanca de Magia lib.2. cap.31.* Vbi hinc inde vagatus demum putat, vel saltem supponit, Gigantes certo, fixóque modo ante & post diluuium procreatos. Quæ fuit sententia *Flauij Iosephi antiquitat. Iudaicar. lib.1. c.10.* & *libr.5. c.2. Iacobi Grynæi ad Eusebium de præparat. Euangel. lib.9. c.4. scholio 4.* & *Constantini Manasses in Annalib. p.13.*

Hæc autem ego † duplici con- 51
clusione à sanctissimo & doctissimo, & omni eruditione referto *Augustino* elicita *dict. lib.15. cap.23.* ita compono. Vt prima sit, antiquioribus temporibus homines proceræ magnitudinis fuisse Gigantum nomine denotatos, *Geneseos* dict. *capite 6.* in verbis s̃. relatis. Quorum dictionem illam, *Gigantes*, disertissimè *D. Augustinus* ad magnam & insitatam corporum molem, & motum simul, animorúmque ferociam & improbitatem refert. Quo sensu idem verbum interpretantur *Gregor. lib.7. Moral. c.11. Theo-*

doretus q.48. & *Cassianus collatione* 8 *c.* 21. Et si *Iosephus lib.1.antiquitat.Iudaic. Gigantes*, interpretatur, *superbos*, homines *crudeles* & *impios*: & in hoc proposito *Philo in lib.de Gigantibus*, quosdam TERRÆ esse dixit, *voluptatum scilicet corporis conquisitores, & venatores, qui ipsis valde deliciantur, & vndequaque earum vsum studiose curant: & simul dispensationem inter dimicantes pro eo* (ait enim originale, quod parum aptè Latinum fecit *Sigismundus Galenius*, γῆς μὲν οἱ θηρευτικοὶ τῶν σωμάτων ἡδονῶν, ἀπόλαυσιν τε καὶ χρῆσιν ἐπιτηδεύοντες αὐτῶν, καὶ ποριστικοὶ τῶν συντεινόντων εἰς ἑκάστην.) quosdā DEI, id est, Sacerdotes, & Prophetas, quorū maior est dignitas, quàm vt cæterorū hominum cœtui sese immisceant. Et inde *Symmachum, D.Hieronymum,* & *Cyrillum Alexandrinum* pro Gigantibus, *violentos*, assumpsisse notat *Leonardus Coquæus ad* d.c.23. *D. Augustini, scholio vltimo:* vbi priori interpretationi *Doctoris Augustini* adhæret circa præfata verba.

Quorum præcedentia illa (*Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant:* & mox: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis, postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à seculo, viri famosi*) multū sanè torserunt Antiquorum & Neotericorum Theologorum ingenia varias immiscentium interpretationes, quibus, & illis præcipuè quæ latè tractat *Gaspar.Bauhinus de Hermaphrodit.lib.1.c.26.* immorari superuacuum duco: maximè attenta verissima interpretatione *Ruperti Abbatis lib.4.commentar.in Genesin, c.12. Cyrilli, Theodoreti, Chrysostomi, Cassiani* & *D.Thomæ* (quos refert & sequitur *Coquæus in notis ad* d.c.23.*lib.15.de Ciuit. Dei*) & demum *Genebrardi libr.1.Chronolog. sub*

anno mundi 1056. vbi aliam *Iosephi,*
Tertulliani, Iustini, Cypriani, Lactantij,
Seueri Sulpicij & *Suidæ* optimè notat.
Dum tamen simul nobis concedatur
Hieronymi Vecchietti † *in opere suo ma-* 52
gno de anno primitiuo mundi, interpre-
tationem (quæ nostri propositi est) e-
iusdem verbis adducere, & hisce inse-
rere, cùm liber ille præ manibus non
sit. Is ergo *lib.3.c.2.ad fin.* ita ait: *Hinc*
videntes filij Dei, *homines scilicet quā-*
tum ad animum, rationis participes, &
qui secundùm rationem in cunctis operi-
bus suis se dirigere & moderari debe-
bant filias hominum, *mulieres scilicet*
quantum ad corpus, quod essent pul-
chræ, *gratiosæ, & placidæ, & delectabi-*
les, sensui & carni minimè repugnantes,
sed ab eorum illecebris se voluntariè su-
perari permittentes. Acceperunt sibi v-
xores, *quæcunque fuerint ipsæ, quæ sibi*
magis placuissent. Ex omnibus quas e-
legerant, *absque scilicet aliqua graduū*
distinctione. Hoc enim talia verè nobis
innuunt: sed propter libidinis horrorem,
manifestiori modo non exprimitur. A-
deò vt patres in filiabus sibi complacētes,
effrænatè cum illis ad se coniungendum
irruerent: & filij cupidine matrum incē-
si, abominabili luxuria in earum gremiū
iterum transfunderentur. Gigantes au-
tem erant super terram in diebus illis:
postquam enim ingressi sunt filij Dei
ad filias hominum, illæque genuerūt.
Nunc videre oportet, quomodo est, quòd
ex monstroso illo concubitu Gigantes pro-
geniti fuerint. Sub hæc generationis Gi-
gantum causam prosequutus is Au-
ctor ita ait in capite sequenti: *Ordo v-*
niuersalis est, vt quodlibet indiuiduum,
iuxta virtutis proportionem crescat se-
minis illius, à quo iam ipsum peruenire
contigerit. Eiusdem speciei seminum, ali-
qua magna sunt plus in se virtutis ha-
bētia, aliqua parua & minus: ex illis fœ-
tus nascuntur maiores, minores ex istis.
Experientia ipsa hoc perpetuò nobis de-
monstrat

monstrat in Persicis, in Granatis, in Pyris, in Cucumeribus, & in Peponibus, &c. Plantarum semina, talia in seipsis existunt, qualia secundùm tempus casu existere reperiuntur: nec in maiorem veniunt amplitudinem, nisi cum successiua cultura de vice in vicem in alternis rerum generationibus. Animalium semina hoc non habent: sed maioris copiæ, vel minoris effluere ipsa sentiuntur, secundùm quod maior, vel minor est delectatio illa, à qua educta protruduntur. In hoc genere delectatio maior est illa, quæ percipitur ex concubitu mulierum illarum, quæ magis amantur. At illæ magis amantur, quarum vltra pulchritudinem maior habetur cognitio; & cognitio maior est illa, quæ habetur de mulieribus magis coniunctis. Vnde cùm à Deo prohibiti sint in contractu matrimonij, & ab Ecclesia gradus cognationis, ratio quæ huiusce rei communiter assignatur, tum à Theologis, tum à Canonistis alia non est præter quàm: Ne amor tam inter homines multiplicetur, *ex quo scilicet consequenter accidat, vt penitùs extinguetur postea amor diuinus. Delectatio igitur tam vehemens & vltra limites concessæ honestatis, in viro & in muliere, in agendo & patiendo, ex illo vberiorem effluentiam seminalis principij, & caloris generatiui producens, & similem ex ista concursum menstrualis humiditatis nutrimentæ subministrans, in causa est, vt qui inde generatur, fœtus grandis sit, & magnorum membrorum, & compage vndique corporis excedens, spiritu plenus & robustus, & minus vltra mensuram ordinariæ conditionis humanæ. Idque totum nobis Scriptura significat in Goliath, qui ab ipsa vocatur.* Vir spurius: *non quòd dicere velit eum non fuisse natum ex marito & vxore, cùm tempore illo ancillæ etiam in concubinas tenerentur; vel à publicis editum fœminis, cùm pariter istud parum ad rem faceret, sed quòd signatè ex simili incestu verè progenitus fuerit, & tali compositus forma. Vnde cùm primùm perfectam attigerit ætatem, indomitus postea euaserit, efferus, insolens, superbus, immanis, violētus & immitis, & talis omnino qualis ipse describitur. Et eiusdē naturæ, cuius huiusmodi Monstra, perspicientes se tam longè alios excedere, illosque in nihilum ducentes, in confidentiam propriæ virtutis elati, omnia quæ in mentem eorum venerint, apertè præsumūt & moliūtur. Et communiter cæteræ multitudini terribiles effecti, etsi non semper quātum ad corpus, quantū ad animā tamen, Dominos & Tyrannos se constituunt vniuersis contribulibus suis. Et vt tandē concludamus, hæc eadem omnia manifestè nobis innuunt postrema verba illa:* Isti sunt potentes à seculo, viri famosi.

A dictis lucem accipiunt illa notāda † *D. August.* d. *lib.* 15. *de Ciuit. Dei, c.* 23. *Igitur secundum scripturas Canonicas* 55
Hebræas atque Christianas, multos Gigātes ante diluuium fuisse, dubium non est, & hos fuisse ciues terrigenæ societatis hominū. Dei autem filios, qui secūdùm carnem de Seth propagati sunt, in hāc societatem deserta iustitia declinasse. Nec mirandum est, quòd etiam de ipsis Gigātes nasci potuerunt. Neque enim omnes Gigantes fuerunt, sed magis multi vtique tunc fuerunt, quàm post diluuiū temporibus cæteris. Quos propterea creare placuit Creatori: vt etiam hinc ostenderetur non solùm pulchritudines, verùm etiā magnitudines, & fortitudines corporum nō magnipendendas esse sapienti, qui spiritualibus, atque immortalib. longè melioribus, atque firmioribus, & bonorum proprijs, nō bonorum, malorumque communibus beatificatur bonis. Quam rē alius Propheta commendans ait: Ibi fuerunt Gigātes illi nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, scientes prælium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis: sed interierunt, quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter inconsiderātiam.

Et ad ista sanè reducenda sunt quæ de

Gigantibus annotauit *D. Isidor. lib. 11. Origin.* d. *cap.* 3. ita vt tantùm concedamus, aliquos homines olim & hodie, & semper magnæ molis & staturę proceres fuisse, ab aliis consimilis, dissimilisve magnitudinis hominibus procreatos, *Socin. c. 5. Augustin.* d. & ibi *Leonard. Coquæus* (quin & ab eadem matre, vt ab *Esdræ lib. 4. c. 5.* notat *Hieronym. Magius lib. 2. Miscell. c. 4.*) non à terra, vt fabulæ ferunt, nec à Dæmonibus incubis & subcubis, vt malè confingit *Valles. de sac. philosoph. c. 8. ad fin.* quem meritò refellit *Torreblanca lib. 2. de Magia, c. 31. num. 20.* Nec *Valles.* sententiæ fauet *Ioseph. li. 1. antiquit. Iudaic. cap. 5.* vt malè putauit *Magius suprà.*

54 Et sanè si antiqua tempora † respicias hoc extra irrefragabilem fidem sacri Textus d. *c. 6. Geneseos* & *Numer.* d. *c. 13.* clarè comprobabis ex *Plinio* ita in proposito disertè loquente *lib. 7. d. cap. 16. In plenum autem cuncto mortalium generi minorem indies fieri* mensuram *propemodum obseruatur, raròsque patribus proceriores consumente vbertate seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum:* & subinde: *Vates ille Homerus non cessauit minora corpora mortalium, quàm prisca conqueri:* à quo *Solin.* illa *capitis* 5. plura alia desumpsit: *Quis enim æuo isto non minor parentibus suis nascitur, &c. A. Gell. libr. 3.* dict. *c. 10.* Quo respexit *Iuuenalis satyra* 15.

Nam genus hoc viuo iam describebat Homero,
Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Lucretius *lib. 2.*

Iámque adeò effœta est ætas, effœtáque tellus
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, dedítque ferarum ingentia corpora partis.

Virgil. 1. *Georg.*

Grandiáque effossis mirabitur ossa sepulchris.

Et is ipse alibi:

Vix illum lecti, vix sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Et ab his Noahum Gigantem appellat *Genebrard.* ex *Beroso libr. 1. Chronol. paulò post princ.*

55 Sed & feraciores † prouinciæ olim & hodie proceriores producunt homines, vt clarè probatur d. *c. 13. Nume.* & supponit *Tertul. in libr. de resurrect. carn. c. 42.* Idémque accidit in regionibus frigidis, velut Germania, *Tacit. lib. 4. hist. in princ.* & *lib. de morib. Germ. post princ. Veget. li. 1. de re milit. c. 1. Quid aduersus Germanorum proceritatem breuitas* Romanorum *potuisset audere?* vbi plura *Stuuechius: Manil. li. 4. Astronom.*

Flaua per ingentes surgit Germania partus.

Idem *eod. lib.*

Et stupefacta suos inter Germania partus.

D. Isidor. lib. 9. Etymolog. c. 2. Germanicæ gentes dictæ, quòd sint immania corpora. Bonauentur. (de aliis regionibus Polo proximioribus post *Hippocratem* & *Aristotelem* loquutus) *li. 4. de octomestri partu, c. 27. & 28.* Vbi rationem reddés ita ait: *In frigidissimo tractu à frigoris vi hominis calor non superatur, dum pellitur ad interiora, sed potiùs coaceruatus & collectus redditur potentior, proindéque humori, qui & plurimus, & proprio calore, quem admixtũ habet, nõ destitutus, eo loco in corporib. redundat adiunctus, proceritati illorum mire conducit.*

Et fortè an hoc in causa est, vt in pluribus Europę plagis homines procerіores sint, in aliis breuiores, vt testatur *Hippocrates in libel. de aere, aquis & locis:* vt istos ad terras calidiores & Austrinas, illos ad frigidiores & Septen-

tentrionales referamus. Id quod in Hispania omnium Europæ regionum prima aliter se habet, quandoquidem eius locis etiam calidioribus homines insolita magnitudine insignes passim visantur; & certè vidimus hoc æuo iuuenem natione Valentinum in familia excellentis Ducis de Alba altiorem vniuerso populo ab humero & sursum, ac alter Rex Saul, de quo 1. *Regum cap.10. vers.3.* Et conferunt adducta à *Torreblanca* d. *cap.31. nu.13.* simul cum traditis per nos in *cap. seq. numer.* 24. A quibus huius rei rationem quilibet facilè deducet.

SED ad insolitos magnitudine partus (à quibus nostra non immeritò commendantes, paululum recessimus) redeuntes, demum subnotamus, procerioris staturæ homines fieri insuper posse arte Dæmonũ seligentium plurimum seminis crassissimi, calidissimi, spiritibus affluentis, & seri expertis, vt post *Vallesium* notauit *Martinus Delrius lib.2. disquisitionum Magic. ca.* 19. *ad finem.*

Sit secunda conclusio (à *Diuo Augustino*, *suprà* citato) de Gigantibus plura Antiquitatem †confinxisse: quorum præcipuum fuit, ab hominibus non fuisse procreatos: indeque nomen accepisse tanquam terræ filij. Gigas enim interpretatur γηγενής, id est, terrigena, *Diuus Isidorus*, d. *cap.3. Genebr. in Psalm.87. Ang. Politian. miscellan.* d. *cap.18.* Quæ denominatio melior est ea, quam tradit *Philastrius* Episcopus Brixiensis antiquissimus Doctor in *lib. de hæresibus, tit. de Gigantibus* tempore Noë. Eos enim è terra, cœlique sanguine natos fabulabantur Antiqui, *Hesiodus in Theogenia. Sed & Homerus libr.2. Odys.* Gigantes Neptuni & Iphimedææ filios existimauit, qui Ossam & Olympum montes Pelio imponere sunt conati, vt in cœlum ascenderent expugnaturi Iouem, cæterosque Deos. Quibus audacia ista metum adeò instantem & imminentem iniecit, vt omnes in Ægyptum formis mutatis aufugerint, *Ouid. lib.5. Metam.* Sed & alij melioris fidei bellum initium inter Deos & Gigantes simularunt, *Isocrates in Helenæ laudatione, Cicero libr.1. de natura Deorum: Dij cum Titanis, & cum Gigantibus bellum gesserunt:* & *de Haruspicum responsis: Gigantes illi, quos Poetæ ferunt bellum Diis immortalibus intulisse. Plinius libr. 36. cap.5. Manilius lib.1. Astronomicorum.* Sed & alia plura consimilia annotauit *Natalis Comes Mythologiæ lib. 6. cap.21.*

Quæ omnia mirè complectitur *Philastrius* d. *titul. de Gigantibus*, vbi ex *Apollonio* ita ait: *Ego Gigantes fuisse dico, multisque locis diruptis tumulis, eiusmodi opera ostendi, non tamen (vt fertur) cum Diis pugnasse credo, sed forsan Deorum ædes, ac templa violasse:* & idem ferè inuenies in *Solino*. Sed omnium disertissimè Gigantum fabulas refellunt *D. Augustinus lib.15. de Ciuit. Dei*, d. *ca.* 23. *Philastrius de hæresibus, tit. de nomin. linguæ, Eusebius lib.5. de præparat. Euangelica, cap.4.* & ante istos *Philo in libr. de Gigantibus;* & iterum, *in libr. de confusione linguarum:* qui omnes enarrationis istius fabulosæ causas simul afferunt, & partim agnouit *Cicero de senectute*, dum ait: *Nam quid est aliud Gigantum more bellare cum Diis, nisi naturæ repugnare? Pontanus* disertè *libr.5. de obedientia, cap.3. Quòd si qui vnquã* (ait) *Gigantes fuerunt, ij mihi fuisse vidẽtur, qui legibus rebellantes Respublicas occupare conati sunt, hi Cyclopes, ac Læstrigones, &c.* Id quod bellè decantauit *Alchimus Auitus de diluuio mundi, lib.4. cap.4.* dicens;

Tempore quin etiam peccatrix terra sub ipso
Nutribat sæuos immania monstra Gigantes.

Nec tamen effari solitum, quo semine cretos,
Communi cunctis ortum de matre ferebant:
Qui genus, vnde patres, prohibent arcana fateri.
Si speciē quæras humani corporis illis,
Plus vultus quam forma fuit: sic linea membris
Conueniens, hominem monstrabat, dissona molem.
Quapropter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum maßis informibus auxit:
Et portentosis descripsit corpora membris:
Pube tenus quum forma viri, quum corporis ima
Supplerent vasti mixto pro crure dracones,
Artus semihominum patulis qui faucibus, imò
Integros, viuósque homines crudo ore vorarent.
Tunc etiam aiebant diro terrore tonanti
Blasphemis cœlo conuicia mittere plantis.
His similes mendax Phlegræi fabula belli.
Excussas finxit, iecisse per aëra rupes:
Pro telis, spatiosa manus, quas turbine mentis
Sparserit, & missis cœlum quassauerit aruis.
Hæc sunt priscorum, quæ de terrore Gigantum
Carmine mentito Graij cecinere Poetæ:
Qui cœlum aduersus prauis contendere factis
Institerint, nec iam missis confligere telis,
Quum possent, diris agitarint prælia votis.
Montibus impositos, nec enim fas credere montes,
Hoc tamen & deinceps illos tentasse putabo,
Qui coctos lateres, lentóque bitumine iunctos
In sublime rati manibus sic posse superbis
Sustolli, & celsas in sydera surgere moles:
Quum fureret mortale genus, cassóque labore
Irrita conscensis commenta inferret in altum
Nubibus, & refugum sequeretur machina cœlum,
Non prius absistens, subitas discordia linguas
Quàm daret: & varius confunderet omnia sermo,
Hinc sparsum fœdus diuisa lege loquēdi,
Quod scelerum assensu turbata superbia rupit.
Sic interruptæ perierunt culmina massæ:
Effectúque carens cessauit in æthere turris.
Hæc post diluuium: nam quantas tempore prisco
Pressa giganteas tellus produxerit arces,
Atque lacessitis contemptum immiserit astris,
Abstergente Deo dira eluuione docemur.

Homines ergo quantumuis proceræ staturæ omni æuo procreati monstrosi, aut ostentosi nobis dici † non possunt, vt sentit *Ioan. Lucidus de emēdat. temp. lib.* 1. d. *c.* 4. non malè astruens. Adamum protoplastum proceræ staturæ fuisse: & expresse firmat *Torreblanca* d. *lib.* 2. *c.* 31. *n.* 18. Vbi pessimè pro ista sententia expendit illa verba dict. *l. nō sunt liberi, ff. de stat. hom. Partus autem, qui membrorum humanorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus, & ideò inter liberos connumerabitur.* Longè enim differt membrorum humanorum ampliationis mentio, de qua ibi, ab ea quam is Auctor supponit, vt vidimus *suprà num.* 17.

Quòd si Gigantes ea constarent forma:

58 forma, quam confingebat *Alchimus supr.* & † *Ouid.lib.5.Fast.* proculdubio inter monstra essent connumerandi; ait enim:

Terra feros partus, immania monstra, Gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum.
Mille manus ei dedit, & pro cruribus angues, &c.

Manilius *lib.5. Astronomic.*

Anguipedem allatis humeris Typhona furentem,

Et anteà lib.1.

——Et nupta matre creatos
Discordes vultu, permixtáque corpora partus.

Et ego idem dicerem, & quo casu mēbris essent disparibus, vt puta cùm capiti giganteo inessent, brachia, & pedes cæteris hominibus consimiles, iuxta dicenda cum *Andrea Laurentio infr.num. 89.*

Demum ista concludo cum *Seneca epist. 58.* ita dicente: *Et hæc autem quæ non sunt, rerum natura complectitur: quæ animo succurrunt tanquam Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falsa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem cœpit, quamuis non habeat substantiam.*

Ad Pygmæos subinde deuenientes sanè pro eorum itidem existentia sta-
59 re videtur † *cap.27. Ezechielis, versu 11. Sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum:* & sanè *Aristoteles* eos admisit *li. 8. de historia animalium, c.2. Plinius lib.10.c.23. Pomponius Mela de Orbis situ, libr.3.* Nec dissentit *Athenæus in Dipnosoph.lib.9.* Quinimò nec nouissimè *Bisciola libr. 4. horarum subsciuarum, c.1.tom.2.*

Ast hisce nihilo seciùs tenendum est, quæ de Pygmæis cubitalibus ab *Homero* & *Aristotele* comminiscitur *Plinius lib.2.c.30.* & *libr.7.c.2.* & *lib.10.c.23. Strabo libr.15. Geographiæ, A. Gellius lib.9. Noctium Atticarum, cap.4.* cum aliis, mera figmenta esse: ídque præcitatos Auctores agnouisse, dum nihil certi asserunt, sed aliorum referunt dicta, ac *Diuus Augustinus libr. 16. de Ciuitate Dei, cap.8. Diuus Isidorus libr.11. Originum d.c.3.* Et ita securè affirmat *Leonard. Coquæus in notis ad d.cap. 8. August. scholio 1.*

Adeò autem horum fabula increuit, † vt eos *Plinius* (ab aliis dict. *libr. 7. c.* 60
2.) Spithamæos appellauerit, quia ternas spithamas longitudine non excederent, hoc est, 29. polluces (nimirum duos pedes & quinque polluces, vt interpretatur *Delecampius* ibidem, & aliter atque aliter *Bisciola* dict. *capit.1. Pierius Valerianus Hieroglyphic. libro 36.*) Et *Iuuenalis* eos sola vnius pedis altitudine constituerit, vt à Gruibus (quibus cum fabulosa erat concertatio in *Homero* & aliis, maximè in *Statio lib.1. syluarum ad finem*) per aëra (vt *Poeta* ille confixit) ferri facilè possent, cùm ait *satyra 13.*

Ad subitas Thracum volucres, nubémque sonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis,
Mox impar hosti, raptúsque per aera curuis
Vnguibus à sæua fertur Grue: si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic
Quanquam eadem assiduè spectentur prelia, ridet,
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Et sanè huc alludit *Ouidius libr.6. Metamorphos.* dicens:

—Hanc Iuno iussit certamine victam
Esse Gruem, populísque suis indicere bellum.

Vt inde valdè irridēdus sit *Plinius*, qui inter alia fabulosa ab aliis tradita, & scriptis suis interserta refert *in libr.*

10.*natur.histor.*d.*c.*23. Pygmæam gentem abſceſſu Gruum cum his dimicantium inducias habere conſueuiſſe.

61 Et ne dictis obſtet dictum † *caput 27.Ezechielis*. Reſponde cum *Biſciola* (à *D.Hieronymo*) *lib.*4.*horarum ſubſeciuarum*,d.*cap.*1. Pygmæos ibi pro debellatoribus aſſumi, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id eſt, *ab ipſa pugna*.

Cùm autem iſta adſtruimus, ſimul cōcedimus cum *Gaſparo Bauhino* pluribus mirandis exemplis iſta illuſtrante, *lib.*1.*de Hermaphr.cap.*8. Pumiliones & Nanos (quos paſſim videmus) omni exſtitiſſe tempore, eóſque inſuper notamus mente ſimul ac corpore deficere (vt ait *Ariſtoteles ſuprà*) *propterea quòd pōdus partis ſuperioris* (*quæ in pumilionibus magna eſt*) *tardiorem reddit mentem, ſenſúmque communem*: & inde *Nicephorus lib.*12.*Eccleſiaſt. hiſtor.*dict.*capit.*37.*ad finem*, de quodam pumilione περδίκι πλησίῳ πέρδικι coæquali perdici, tanquam mirandum ait: *porro quod mirabile dictum eſt, prudentia ei, inerat qualis homini formoſo competit, quippe cui corporis exilitas ea de re nihil ademiſſet. Vox à Muſis non aborrebat. Sermo mentis generoſitatem exſpectandam exhibebat.*

Ad hæc arte Dæmonum, & maleficio pumiliones & nanos produci rectè & diſertè probat *Martinus Delrius lib.*2. *diſquiſitionum Magic. qu.* 15. At nemo dicet, iſtos & conſimiles mōſtri nomine contineri, ex iam dictis & plenè comprobatis.

Quòd ſit Pygmæorum declineationem ab *Strabone* enarratam (& ſimul repulſam) admittere fas eſſet, eos cer-
62 tè † monſtris annumerare debebamus, ait enim (ex *Oroſecrito*) dict.*lib.*15. eos naſo carere, & duo tantùm ſpiramenta ſupra os habere: quod planè monſtrificum eſt. Sed his & ſimilibus fabulis prætermiſſis, alia huius propoſiti iam perſequi oportebit.

Vnde quinto loco à vera monſtri, & oſtenti conſtitutione deduco πολυτογίαν, id eſt, multiplicem partum, ſub
monſtri nomine † ab hac ſola cauſa 63
non venire. Nec enim in definitione, aut diuiſionibus oſtenti & monſtri contineri quis rectè dixerit. Vnde eſt, vt multiplex partus, etiam vltra quinos, dum tamen ſinguli ſuis ſolitis conſtent partibus & membris quantumuis minuſculis naturalis ſit, vel abortiuus, non verò monſtruoſus. Et faciunt quæ in propoſito trademus *infra in ca. decimooctauo*, ex *numero decimoquinto*. Non tamē negamus largo modo multiplicem partum (vt qui inſolitus) mōſtrum appellari: quin & geminos hoc nomine (latè ſumpto) cohoneſtaſſe *Ariſtotelem* iam annotauimus in *capite primo, numero quinquageſimo tertio*. Et ab hoc capite eunuchum iterum atque iterum monſtrum appellauit *Terentius in Eunucho actu* 4. *ſce.*3. & 4. vbi *Donatus* notat. Sed & hoc ſenſu *Solinus* hāc fœcunditatem *monſtroſam* appellauit *in capite tertio*. Quo fit, vt ſuſtineri non poſſit *Peramatus* qui *in libro de hominis procreatione, capite decimo octauo*, trium, aut plurium partum impoſſibilem eſſe, aut monſtroſum aſſeuerauit.

Et ab iiſdem etiam fit, vt partus 64
† abortiuus re vera non ſit monſtroſus (etſi Philoſophi & Medici his nominibus promiſcuè vtantur) vt optimè notauit *Bonauentura in libro nono, de octomeſtri partu, capite nono, &* 11. & faciunt tradita à *Patre Martino Delrio diſquiſitionum Magicarum tomo* 1. *libro primo, capit.*15.*quæſtione* 1.*ſectione* 2.*verſiculo Verùm hic*, & à nobis in propoſito latè notata in *præcedenti capite*. Ex quibus omnibus meritò notandus venit ipſe idem *Bonauentura*, qui partum aptè *libr.* 7.*cap.*27. ſemeſtres monſtroſos appellat: & ineptiùs quidem ſi aduertas iuxta tradita *ſuprà in capit.* 9. natu-

naturales & vitales esse posse. Et idem dicendum est de partu superfœtato, quicquid in contrariũ asseruerit *Ioannes Schenkius lib. quarto obseruationum, titulo de superfœtatione, obseruatione vltima.*

Ex contrario à suprà dictis causis
65 sexto loco fit, vt monstri seu ostẽti no-
mine comprehendantur † sex digitos
vna manu habentes, & quilibet alij
membrorum humanorum officia am-
pliantes, vel diminuentes, velut dupli-
catos habentes dentes, vel vnum ocu-
lum, aut brachium à Natura habentes,
iuxta tradita *suprà numero decimo se-
ptimo, &* 30. iunctis his quæ latè anno-
tauit in proposito *Bauhinus de Her-
maphroditis libro primo capite octauo,*
(simul cum fabulis cẽtimani Triphæi,
& alterius Gygis, & Geryone tricor-
pori, & aliis.) A quibus clarè venit im-
pugnandus *Alciatus*, qui in *l. quæret a-
liquis, ad fin. ff. de verbor. significat.* cõ-
trarium asseruit. Et ab iisdem fit, vt
monstrosis annumeremus eos, qui cõ
tinui ossis (vice dentium) firmantur
soliditate (de quibus apud *Solinum* d.
cap. 4.) & qui concretis ossibus nati
sunt, quorum mentio est in eodem *So-
lino suprà.*

Septimò, ex prædictis consequimur,
66 Hermaphroditum † siue Ἀνδρόγυνον,
qui vtroque sexu à natura donatus est,
*Auicena lib. 3. Fen. 20. tract. 2. ca. 43. Ar-
temidor. lib. 2. Oneirocriticor.* (vbi eum
Hiænæ similem ait) propriè monstrum
esse, ex proximè dictis: quicquid dixe-
rit *Petr. Aerodius libr. 2. rerum iudicata-
rum, tit. 4. cap. 7. Ricardus Vitus ad leges
Decemvirales, numer. 90. fol. 211. & 212.
Petrus Franciscus Linglois in quinqua-
ginta decisiones Imperatoris Iustiniani,
decis. 28. quæst. 2. in fin.* Est enim pecca-
tum in sexu, vt ex Medicis, maximè ab
Andrea Laurentio, annotauimus *su-
prà.* Et in specie ita firmat *D. Augusti-
nus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 8. in prin-
cipio*, iuncto vers. *Androgyni.* Et pòst
Episcopũ Maiolum *Bauhinus de Her-
maphroditis, libro primo, capite trigesi-
mo quarto.* Nec enim ferenda est hæ-
resis orta sub *Innocentio III.* quæ, vt at-
testatur *Martinus Polonus in eius vita*,
asseuerabat, sexus ante peccatum pri-
mi Parentis non fuisse diuisos, retor-
quentes illa *Geneseos cap. primo, Mas-
culum & fœminam creauit eos*: nam vt à
Diuo Augustino notant *Maiolus* &
Bauhinus suprà post Cardinalem *Hu-
gonem* insignem Dominicanum, & a-
lios super dicto *capite primo, Geneseos*,
eius præcitata verba distributiuè sunt
accipienda, & ideo pluralis nume-
rus continuò subiicitur: quasi dice-
ret *Moses*, Deus plasmauit non solùm
vnum, verùm duos homines, & in du-
plici, diuersóve sexu, quare masculum
& fœminam creauit eos. Exterminen-
tur ergo ista deliria, & consimilia exi-
stimantium, Adamum Androgynum
fuisse; vt qui non multum deuient à fa-
buloso antiquo errore *Protagoræ* apud
Platonem fabulantis & asserentis, ho-
minem à natura fuisse factum Andro-
gynum & antica parte virum, postica
fœminam: & diuisum posteà à Pro-
metheo, quia opifici commodius vi-
sum est, vt deiunctæ partes vmbone
vnirentur.

Dictis addimus (ad interpretatio-
nem *l. quæritur, ff. de statu hominum*, &
*l. sed etsi quæsitum 6. §. Hermaphrodi-
tus, ff. de liberis & posthumis, l. repetun-
darum 15. ff. de testibus*, in quibus de
Hermaphroditis agitur) Hermaphro-
ditorum † quadruplicem esse differen- 67
tiam, vt præ cæteris disertissimè anno-
tauit *Ambrosius Paræus libr. 24. capite
quarto.* Prima est Hermaphroditi mas-
culi, qui virilem sexum perfectum &
potentem habet, in perineo autem
excissam tantùm in vuluæ formam ri-
mam, minimè tamen peruiam, vt à
qua nihil nec vrinarij, nec seminalis

humoris procedat, & hic dubio procul inter viuos connumerandus est, dicta *l.quæritur*, cum similibus, *Baldus consilio* 237.*in fine*,*libr*.3. Secunda species est Hermaphroditi fœminæ, quæ præter vuluam naturaliter constitutam, & seminali, menstruóque fluxu manantem, suprà ad os pectinis membri virilis carneam, & cutaceam quandam similitudinem habet arrectionis, & profusionis seminis imponentem, scroto & testibus carentem: & hæc absque vllo dubio inter fœminas annumerabitur, dicta *l.quæritur*, cum aliis, *Baldus* dicto *consilio* 237. Tertia eorum est, qui etsi vtriusque sexus expressam habeant imaginem, vna tamen aduerso situ posita, inefficax ad generationem, & seminis profusionem, minctionémve inuenitur: quo casu maximè locum habet decisio *textus* in dicta *l.quæritur*, *ff. de statu homin*. cum similibus. Quarta demum eorum est, qui vtroq; sexu valent, marísque, & fœminæ munera potenter obeunt, quòd vtraque genitalia omnibus numeris (ad generationem necessariis) cōpleta & perfecta habent: imò & mammam dextram mari, sinistram fœminæ similem.

In hos seuera admodum lege anti-
68 quitus cautum † erat (vt notat *Pier. Valerianus*, post alios *Hieroglyph. libr.* 18.) vt quem malint sexum eligant, altero si abutantur capitali pœna puniēdos. In lege verò Catholica tale quid patrantes reatus æterni pœnam incurrent, *Pater Sanchez de matrimon. libr.*7 *disputat*.106. *Gutierrez in eod. tract. quæst*.119. Qui optimè tractant Hermaphroditi causam, quod attinet ad matrimonia contrahenda, & alia officia, munerávе obeunda: & insuper *Bauhinus libr*.1. *de Hermaphrodit. cap*. 40. & nouissimè *Basil. Legionens. lib*. 7. *de matrimon. cap*.65. *num*. 8. Vbi aptè dubitat & resoluit, quid tenendum in Hermaphrodito viduo, qui nubere vult alteri vt fœmina? Id quod antea deciderat additio *Glossæ* è margine in d.*l.repetundarum*, *ff.de testib*.

Demum vt vno velut verbo rem absoluam à prædicta distinctione *Ambros. Paræi* iuncta doctrina Iurisconsultorum in d.*l.quæritur*, d.*l.sed est quæsitum*, §.1. & d.*l. repetundarum*, veram, firmámque recipiunt resolutionem omnes de Hermaphroditis quæstiones discussæ à Doctoribus, maximè à *Baldo* in d.*l.quæritur*. Is enim in quo virilia præualent admitti certè debebit (iuxta *supr*. tradita) ad res & officia viris tantùm concessa, vt optimè notat *Glossa* in dict. *l. quæritur*, ab omnibus recepta. Adde idem dicendum de eo Androgyno, qui cùm dubij esset sexus, & in vtroque potentis virilem elegit, ex notatis à *Glossa* verbo *ad testimonium* in *cap. si testes omnes* 4.*q*.2. & iam dictis simul *suprà*.

Et ab hisdem sanè clarè elicitur, an Hermaphroditus possit esse testis in testamento? Quod Hermaphrodito in quo virilis sexus incalescit, apertè concedit *Consultus* in d.*l.repetundarum*, & & *Gratianus in* d.*cap.si testes omnes*, §. *Hermaphrodit. Gloss. in* §. *testes autem*, verbo, *nec mulier*, *institut. de testam*. & *Bauhinus* his non expensis, & siccè admodum (vt cui Iura Ciuilia & Canonica ignota) *lib*.1.*cap*.40.

Et an possit esse Rector Vniuersitatis, Iudex, Arbiter, Aduocatus? In quo tenendum est contra *Bauhinum*, & ab eo relatos *supr*. Et maximè in his quæ contra istos Hermaphroditos qualitate virili incalescentes resoluit ex mente aliorum in causa beneficiaria. In quæ omnia nouè & verè stat P. *Vincentius Filliutius de statu Clericorum*, *tract*.41. *de benefic. Ecclesiastic. ca*. 5. *num*. 3. Qui *num*.11. vt hæc obiter di-

cam

cam, agit de corpore vitiatis beneficiorum incapacibus, quod ab scriptione nostra non parum enodatur. Etenim ratio, qua mouetur *Bauhinus*, supponens Hermaphroditos esse infames deuia omnino est à Iure: nec *tex. in c. infames 3. qu. 7.* quem in id expendit, tale quid probat. Quid quòd *Bauhinus* in hisce sui ipsius est oblitus, & eorum quæ de Androgyno teste in testamentum legitimè suo casu adhibẽdo paulò anteà resoluerat. Omitto alia in Iure ab eius r. gulis deuia ab isto tractata, & alia à fide aliena, vel conficta: vti lex Constantini in Androginos, cuius testem vocat *Eusebium*, sinistrè quidem.

Et an succedat in feudo? Id quod iuxta s̃. dicta præ cæteris magistraliter (vt aiunt) resoluit *Bald. in cons. 237. per tot. lib. 3.* & in *l. quoties, ff. de suis & legitim. hæredib.* cum aliis latè adductis à *Bauhino* s̃. dum tamen eius vitiosas allegationes emendes. Vt ita omnia ista tu Hispanus ad successiones primogeniorum ex eorum institutione, seu fundatione deferendas tantùm agnatis masculis, seu masculis quibusque aptè accommodes.

Ab his tamen non discedã, ni priùs annotauerim, antiquitatem Hermaphroditos magno velut odio † prosequutam, vt colligitur ex *Liuio decade 1. lib. 3.* ita dicente: *Ante omnia abominati semimares, iussique in mare extemplo reportari, sicut proximè, C. Claudio M. Liuio Coss. deportatus est, &c.* & *3. decade lib. 7. Plinio lib. 7. cap. 3. A. Gellio lib. 9. c. 4. Iulio Obsequente* (quem solùm recognouit *Iacobus Durantius lib. 1. variar. cap. 3*) *in lib. de prodigiis, c. 20.* vbi ita ait: *Lunæ Androgynus natus præcepto Aruspicum in mare deportatus*: quod repetit *cap. 32. & 34.* At postea desiit id prodigio adscribi, quinimò in deliciis haberi cœpit, vt agnouit *Plinius d. cap. 3.* à quo *Rhenanus lib. 7. c. 3. de prodig. partubus*: *Gignuntur* (inquit) *& vtriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc in deliciis*: & colligitur ex *Luciano tom. 1. in dialogo Apollinis & Bacchi*, & in alio *Mercurij & Apollinis*, & *tom. 2. in dialogo Muscæ Encomium*, & *dialogo Clonarium & Leæna*, quę (& pleraque alia insignia à *Pier. Valeriano de Hermaphroditis lib. 18. Hieroglyphic.* annotata) valdè miror *Bulengerum*) virum in omnigena lectione insignem) præteriisse *in lib. de prodig. cap. 17. titul. de Androgynis, & monstris*, & multò magis *Bauhinum lib. 1. de Hermaphrod. c. 37.* vbi ista tract. t.

Sed præ cæteris mirandus est *Clemẽs Alexandrinus*, qui *in Pædagog. lib. 2. ca. 10. paulò post princ.* securè asserit, Hermaphroditos nunquam in rerum inuentos natura, & mirè figmenta esse, quæ de his edisseruntur: in quo longè à vero, & frequentibus rerum euentibus deuiauit. Etenim *Bauhinus lib. 1. c. 37. in fi.* (supponens, *Clementi Alexand.* Hermaphroditos inconfesso fuisse *lib. 3. de Pædagogo c. 3.*) deceptus fuit: ibi enim *Clemens* (inuectus in eos, qui formas maximè colũt) ita ait: *Quid de his dixerit quispiam, qui tanquam Metecospus ex figura diuinat, cùm eos viderit adulteros Androgynos atque effœminatos vtriq; Veneri deditos, pilis infestos, glabros florem virilẽ abhorrentes, comas autem non secus ac mulieres ornatas*: & mox: *Pilos tingere, & canos vngere, ac coloribus oblenire, quibus perditi Androgyni, effeminatíque homines vtuntur*: vocitat enim *Androgynos* his locis comptos, cultos forma, effeminatos, & vtriq; ab his, Veneri deditos, quos ibidẽ ἀγενεῖς *degeneres* indigetauit: ac fecerat in *d. cap. 20. lib. 2.* Vbi Hermaphroditorum memoriam, seu naturam (cõfictam ac putabat) exterminare curauit, & Hiænam (quam cum aliis ani-

malibus Hermaphroditis annumerat *Bauhinus*, post alios, *lib.2.cap.1.& seqq. vsque ad* 17.) ab eorum classe ablegare tentat.

Insuper *Galenus*, naturæ humanæ, eiusque partium diligens disquisitor, de Hermaphroditorum natura dubitauit *lib.2.de semine, cap.3.* imò ibidem apertè negat adeò maris & fœminæ diuulsa membra esse posse, vt alia in maris, alia in fœminæ semine possint contineri.

Qui verò Hermaphroditorum causas Naturales & Mathematicas agnoscere cupit, perlegat *Bauhinum* (plura felicius, quàm nostra, congerentem & prosequentem) *libr. primo de Hermaphrodit. cap. 30. & 31.* licèt nullam ex relatis causis eligat, & in adductam ab *Auicenna supr.* relato tantùm inclinet, id quod ex professo ista tractantibus latum diuagandi campum subministrat. Nos autem ea latiùs persequi nec adstringimur, nec in voto habemus.

Octauò principaliter infertur Cẽtauros, Hippocentauros, Onocentau-
70 ros, Satyros, Faunos, & similes † inter monstra esse commemorandos, vt qui multis suorum corporum membris ab humanis longè distent.

Sed eadem de hisce, quæ de Gigan-
71 tibus est dubia concertatio, † quibusdam adstruentibus, quibusdam negantibus Hippocentauros, Satyros, & alia consimilia. Et sanè aientes expendunt illud *Isaiæ cap.34.* *Et occurrent Dæmonia Onocentauris, & Pilosus clamauit alter ad alterum.* Id quod clariùs comprobari videtur ex *Plinio lib.7.d. cap.3.* ita aiente: *Claudius Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse.* Et vt certum supposuisse videtur *Isocrat. in laudatione Helenæ.*

At certè præ aliis ista commendare videtur *D. Hieronymi* notissima auctoritas, & assertio *in vita Pauli Eremitæ* (cuius meminit *D. Isidorus lib.11 Orig. cap.3.* & *Couarruu.* post alios, *lib. 4. variar. cap. 2. Bisciola lib.12. horarum subseciuarum, cap. 4. tom. 2.*) qui Hippocentaurum D. Antonio Paulum quæritanti occurrisse ait his verbis: *Conspicit hominem, equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem: &, Heus tu, inquit, quanam in parte hic seruus Dei habitat? At ille: Barbarum nescio quid infrendẽs, & frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit eloquium, & dexteræ protensione manus cupitum indicat iter, & sic patentes campos volucri transmittens fuga ex oculis mirantis euanuit:* & paulò inferiùs Satyrum Diuo colloquentem ita describit: *Nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculũ videt, aduncis naribus, frõte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractúsque & hoc Antonius spectaculo scutum fidei, & loricam spei, vt bonus prœliator arripuit: nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnã esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit. Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore Gẽtilitas, Faunos, Satyrósque, & Incubos vocans, colit: legatione fungor gregis mei, precamur, vt pro nobis communem Deũ preceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus, & in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lachrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippè de* CHRISTI *gloria, & de interitu Sathanæ, simulque admirans, quod eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat:*

Væ tibi

Væ tibi Alexandriæ, quæ pro Deo portẽta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in qua tanta totius Orbis Dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum *loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat, sub Rege Constantino, vniuerso mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & posteà cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum est.*

Demum *Ælianus lib.17.de animal. histor.cap.9.* licèt dubitet de Centauris, Onocentaurum tamen admittit. Et de Satyris commentum fabulosum non esse, Auctores sunt *Plinius lib.5.cap.8.& lib.7.cap.2.& lib.8.cap.54. Pompon. Mela lib.3.cap.19. Solinus cap. 40. Diodor. Siculus lib.1.cap.2. Plutarch. in vita Syllæ, Ælianus libr.16. histor. animal.c.2.*

Ex contrario Hippocentauros, Satyros, & reliqua similia fabulis adscripsit *Aristot.lib.2. Physicorum,* & iterum *ex Harmonio in lib.* περὶ ἑρμηνείας, *Lucretius de natura rerum lib.5.* dicens:

Sed neque Centauri fuerunt: nec tempore in vllo
Esse queat duplici natura, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Et iterum *eod. libro:*

Ne fortè ex homine, & vterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, nec esse.

Et alibi *eod. libro:*

Nã certè ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniã talis natura animati.

Martialis, siue quis alius (vt vult *Scrinerius*) *in lib. spectacul. Epigr.1.*

Iunctam Pasiphaen Dictæo credite tauro
Vidimus, accepit fabula prisca fidem.

(fabulæ verò Minotauri in causa fuit, teste *Philocoro,* virum fuisse, apud Minoëm potentia & viribus insignem, quem Thessalus certamine vicit, quo tempore rumor erat eum cum Pasiphaë concubare) Idemque securè affirmat *Strabo lib.15. Geographiæ, & Cicero lib. 2. de natura Deorum: Videmus* (inquit) *cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse: quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat?* idem *Cicer. 1. Tusc. quæst. Seneca epist.58. Athenæ. in Dipnosoph. li.1. Tertull. de pallio c.4. Lucian. in dialogo Prometheus:* & optimis argumentis euincit *Galen. lib.3. de vsu partium corporis humani, ca.1.* & somno demum tribuit *Artemidorus libr.1. Oneirocriticor. 39. & lib.2.* (de Satyris loquutus) *cap.42. & libr.4.cap.26.* Quibus adde insignes Orthodoxos *Clement. Alexand. libr.4. Stromat. post principium, D. Augustinum lib.18. de Ciuit. Dei, ca.13. Chrisostomum homil.7. ad cap.13. Epist. ad Colossenses.* Et ex nouioribus *Hieronymum Magium lib.1. miscellan. cap.20. Bisciolam,* plura adducentem, d.c.4.

Similẽ sub Nerone euentũ enarrat Suet. c.12.

Quæ omnia mirè comprobat *Celsus* Iurisconsultus in *l. si ita stipulatus fuero 97. ff. de verb. oblig.* & *Iustinianus in §.1. institution. de inutilib. stipulation.* vbi Hippocentauri promissio inutilis est quia impossibilis (vt quæ rei non existentis) *l.3. ff. de conditionib. & demonstration. l. impossibilium ff. de diuers. regul. iuris.*

Vides vt res ista dubia, & implicita remanet? Ego† autem eam facillimo negotio ita compono, vt securè 72
putem, affirmandum, necesse, nec vnquam fuisse gregem Hippocentaurorum, Satyrorum, Faunorum, & similium: quæque de his enarrantur (maximè à Poetis) de fabulis esse adscribenda. Non secùs ac illud, quod de Chimæra animali passim circũfertur.

Cuius causam & originem eleganter
describit *Solinus in Polystore, capite* 52.
dicens: *Quod in Campania Vesuuius, in
Sicilia Aetna, hoc in Lycia mons Chimæra.
Hic mons nocturnis æstibus fumidum
exhalat. Vnde fabula triformis mõstri
in vulgum data est, quòd Chimæram
animal putauerunt.* At negandum non
est posse nasci monstrum aliquod
Hippocentauro (quod confixit Antiquitas)
Satyróve simile ex solo humano
semine: sicuti ex congressu mulieris
cum viro nascitur sus, simia, canis,
vrsus, & alia genera monstrorum, nulli
animalium (quæ Natura ordine assueto
produxit) respondentia in totum,
vel pro parte, ex iam dictis *suprà
num.*18. & iterum ex *num.*25. Et hoc sa-
73 nè casu ego vltra † omnes intelligo
*Plinium lib.*7. d.*c.*3. id est, de muliere
à viro concipiente, & edente monstrũ
Hippocentauri figuræ consimile: velùt
& ancilla ibidẽ à *Plinio* relata serpentem
peperit. Et huic nostræ Plinianæ
interpretationi euidens prestat
argumentũ. Hippocentaurum, de quo
in dict. *c.*3. die quo editus est interiisse,
teste eodem *Plinio*, quod similibus
monstrosis partionibus semper accidit:
illicò enim ac eduntur, perire solent,
vti ex *Aristotele*, & aliis notauimus
*supr. num.*33. Et in hoc sensu accipienda
sunt quæ *D. Hieronymus in vita
Pauli, suprà* relatus, commemorat
& enixè affirmat de consimili Satyro
(ei qui cum Diuó Antonio fuerat colloquutus)
ad Imperatorem Constantinum,
sale infuso, perlato.

Ni mauis dicere, has monstrosita-
74 tes à congressu † hominum cum brutis
processisse, iuxta dicenda *infr. n.*91. *ver.
Quinta.*

Quod verò doctissimus *D. Hiero-*
75 *nymus* † de Centauro, deque Satyro e-
narrat in verbis *supr.* relatis, illusionibus
Dæmonum tribuendum est, iuxta
tradita à *Couarru. lib.* 4. *variar.* d. *ca.*2.
in fine, & à *Biciola supr.* Qui Satyrum
illum asserentem gregis sui legatione
fungi, & pro ipsis communem Deum
velle deprecari, figuram apparentis
Cacodæmonis (ad id confitendum adacti)
fuisse ait.

Illud demum quod ab † *Isaia dict.* 76
*cap.*40. adducebamus *supra*, Onocentaurorum
existentiam non confirmat:
vtitur enim ibi *Propheta* illa voce ad
Cacodæmones tantùm denotandos.
Quæ verò *Plinius, Pompon. Mela, Ælianus*,
& alij *supra* relati asserunt
de Satyris, referenda sunt ad quoddam
genus simiarum hoc nomine cohonestatum,
vt ex eorum scriptis patet,
& ex *Galeno*, & aliis, quos nouissimè
refert & sequitur *Gaspard. Bauhinus
de Hermaphrodit. lib.*1. *c.*13. Qui in
*cap.*16. ex *Plinio, Pomponio Mela*, & *Solino*
idem ait de Ægyphanis, seu Semicapris.

Sit ergo omnium prædictorum
firma conclusio, † horum monstro- 77
rum species, vel genera (ita Iurisconsultorum
more liceat loqui) nunquam
fuisse distincta, certa, & constantia
(ac finxit *Homerus Iliad.*11. &
sæpè *in Odyssea*) quo sensu intelligendi
sunt *textus* Iuris Ciuilis *supra* relati:
& simul negantes Hippocentauros,
Satyros, Faunos, Syluanos, & similia
figmenta. Quorum sententiam
optimè adstruit pius *P. Contzen libr.*1.
*Politic. cap.*13. § 17. *Gaspard. Bauhinus*,
Faunorum, Syluanorum, & aliorum
consimilium latè fabulas prosequutus,
*de Hermaphrod. libr.*1. *cap.*17. 18. &
seqq.

Aliquandò tamen ex congressu mulieris
cum viro monstrum Centauro,
aut Satyro consimile produci nemo
negabit, ex iam dictis *supr. nu.*11. & 25.
Quin & ex commixtione hominum
cum feris & brutis animantibus. Mõ-
strorum namque latitudo maxima † 78
est, vt pluribus mirãdis exemplis confirmatur.

firmant relati ĩ.n.86. & hoc frequentius accidit in Ægypti prouincia ex dicendis ĩ.nu.85. Quò tendere videntur illa *Diui Hieronymi*, *ſuprà* citata: *Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in qua tanta totius orbis Dæmonia confluxere.*

79 Quid autem in cauſa †fuerit Hippocentauri confictioni & fabulæ, aliiſque Satyrorum, notarunt optimè, poſt alios, *Natalis Comes in Mythologia lib.6.c.16. Biſciola* d.c.4.

80 Nonò, à præfatis diuiſionibus, & definitione mõſtrorum elicitur, Lemnios †(ij ſunt qui capitis omnes partes in pectore habent, *Iſidorus libr.*11. *Originum*, d.c.3. *A.Gellius lib.*9.d.c.4. quos vidiſſe atteſtatur *D. Auguſtinus Serm.*37.*ad Fratres in eremo)* monſtra eſſe. Idémque dicendum de Monoculis, Cynocephalis, Cynamolgis, Gippopodibus, aliiſque diuerſis monſtrorum generibus enarratis à *Plinio libr.* 5.d.*cap.*8.& *lib.*6.d.*cap.*30. & *libr.*7.d. *capite* 2. *Strabone* d.*libr.*15. *Mela, Solino, A.Gellio, Iſidoro*, & aliis *ſuprà* relatis.

81 Decimò, à dictis infero, † Syrenes, Tritones, Næreades, & alia hiſce ſimilia ſpeciem humanam præ ſe ferentia, nobis monſtra non eſſe, cùm non generentur ab hominum congreſſu, ſed ſpecies propriè ſint piſcium, *Athenæus in Dipnoſoph.lib.*7. *Ælianus de animal.lib.lib.*13.*c.*21.& *lib.*16.*cap.*18. *Alexand. ab Alexandro lib.* 3. *dierum Genial.cap.*8. cum aliis adductis à *Torreblanca lib.*2.*de Magia,c.*34. Vbi malè in principio capitis iſta monſtris annumerat.

82 Vndecimo & vltimo loco à dictis elicio, HYÆNAM (ſiue quadrups † ſit, vt voluit *Ariſtotel.lib.*6.*de hiſtor.anim. c.*32. ſiue piſcis, vt ſenſit *Athenæus lib.*5. *Dipnoſoph.c.*24. & 38. ſiue ſerpens, vti adiicitur *Geſnerus lib.de ſerpentib. c. de Hyæna, Brodæus in notis ad Oppiani li.* 3.*de venat.* ſiue vtramque naturam referat, vt eſt in dicterio: vel annalis ſexus ſit, marem & fœminam alternans, vt voluit *Tertullianus de pallio, cap.*3. poſt *Plinium lib.*8.*c.*30.& *lib.*28.*c* 8. & alios plures relatos à *Bauhino libr.*2.*de Hermaphrodit.c.*3. ſiue Hyæna mas ſit diſtinctus à fœmina, vt docuit *Ariſtot.* ſ. quem ſequitur *Clemens Alexandrin.* diſertiſſimè iſta proſequutus *libr.*2.*de pædagogo* d.*c.*10.) monſtrum †non eſ- 83
ſe, cùm propriam conſtituat ſpeciem, & vniformem ab aliis ſeiunctam animalium ſpeciebus. Idémque dicẽdum eſt de AMPHISBÆNA (genus eſt ſerpentis) duo habente capita, apud *Ælianum lib.*9.*de animal.c.*23. alterum in anteriore parte, alterum in poſteriore: *Cùm enim* (ait iſte) *aliquo neceſſe habet progredi, caudæ loco alterum ponit, altero pro capite vtitur: tum rurſus ſi ei retro ſit opus cedere, capitibus contra quàm prius vtitur.* Et demum de Trocho & Rota piſcibus, Lycanthropois. Ciuetta & Crocuta, (*de quibus multa in Bauhino* d.*lib.*2.*c.*7.*&* 8.) habent enim iſthæc animalia propriam, certam & conſiſtentem ſpeciem, quamuis exquiſitam. Ob id tamen monſtris non ſunt annumeranda: ſicuti Rhynoceros (omni ſeculo, quicquid dicat *Plinius lib.*8.*c.*20. velut miraculo habitus, vt colligo ex *Dione lib.*51. & clarè teſtatur *Qu.Curtius lib.*9.*in princip.* & inde noſtris temporibus PHILIPPO SECVNDO PRVDENTI ab Americis delatus & dono datus) inter monſtra non connumerabitur.

Sed vt ad Hyænam reuertamur (æquè ac quodlibet aliud animal è ſua ſpecie concipientem) noto, quòd ſi cum cane coierit, vt accidit, teſte *Iulio Scaligero exercit.*292.*numer.*2. *in Card.* vel cum lupo, vti euenire contendit

Bauhinus, pluribus adductis, *libr.2.de*
84 *Hermaphrodit.c.3.* tunc † sanè conce-
ptus & partus ab animalibus diuersæ
speciei prouenienѕ monstro annume-
rabitur.

Svb hæc agendum est de infe-
rioribus monstrorum causis (vltra su-
periores, quas iam attigimus s͂.*nu.15.*)
Et vt à nostris tractationem istam
85 meam, *Domitius Vlpianus* † in *l.quæret*
aliquis 135.ff.de verbor.signif. monstro-
86 rum productionem Fato tribuit. † *Ac-*
cursius verò ibi, & in *l.non sunt liberi,*
glos.1.ff.de statu hominum, eam ad pra-
uam imaginationem refert. Et sanè e-
ius sententiam comprobant nostri, vi-
res imaginationis in conceptu valdè
adstruentes, maximè *Cremensis in sin-*
gularibus. Alciatus lib.3.præsumpt.c.37.
nu.7. Marius Salomon.in l.Gallus, su-
per illis verbis: *In decem mensibus,ff.de*
liber.& posthum. Corasi.lib.2. miscell.c.
22.Tiraquell.7.lege connub.num.52.Me-
noch.lib.2.de arbitrar.casu 89. ex num.
97. At ista admitti non possunt. Et
87 primò sententia † *Vlpiani* (etiam at-
tento Ethnicorum assensu, à ratione
& veritate deuio, qui Fato plura incas-
sùm tribuerunt) sustineri non potest,
quandoquidem videmus dolo vel cul-
pa monstra sæpè & sæpiùs produci,
velut à seminum diuersæ speciei con-
fusione, vel à coniunctione enormi,
vel à nimia libidine, vel à mala victus
ratione, ab ictu, & indecenti sessione,
& aliis j.expendendis, cum adductis à
Hieronymo Magio lib.2.miscell.c.20.Vl-
pianum itidem improbante. Quæ om-
88 nia & eodem modo excludunt † *glossæ*
sententiam.

Aliò igitur peragenda res ista erit:
& verè petenda à Philosophis & Me-
dicis, quorum primi, *Aristoteles* scili-
cet & *Galenus*, & post eos reliqui mul-
ta de monstrorum causis commini-
scuntur.

¶ Vt autem ista nostri faciliùs per-
cipiant, ea, qua potuerimus, breuitate
& facilitate prosequuti. Primo loco
prænotamus cum *Andrea Laurentio*
(ab aliis) *lib.8.de histor.anatomica,c.4.* 89
q.14. monstra † vel contingere in se-
xv incerto, velut Hermaphrodi-
tus, seu Androgynus, de quo actum est
s͂. vel in conformatione vi-
tiata, *figura, magnitudine, situ,&*
numero: figvra, vt si humana gene-
ratio caninum os habeat; magnitv-
dine, si deficiat proportio, velut cùm
capiti amplissimo Natura adhibet
corpus pusillum; sitv, vt si oculos
medio fronti, aures occipiti aptauerit;
nvmero, vt si monoculum, bicipi-
tem, aut quatuor habentem brachia
producat.

Secundò præsupponimus, monstra 90
† regulariter prouenire à læsa & de-
prauata generationis actione, ex di-
ctis cum *Aristotele in principio huius*
capitis, & ab eodem *Philosopho lib.4.de*
generat.animal.c.4. Ænea Gazæo in suo
Theophrasto, vers. *Egregiè tu quidem.*
Et contra *Capiuaceum* optimè fundat
noster *Petr.Garcia de locis affectis di-*
sput.73.cap.1. Et insuper sufficere mor-
bum esse intra viuentem, quamuis nó
sit in eo, hoc est, in virtute generatiua
seminis, aut in materiali (his enim
duabus nobilis actio ista generatio-
nis indiget) ita vt causa, vel sit in *mate-*
ria, vel in *loco*, vt colligitur ex *Philoso-*
pho lib.2.Physicor.d.c.8.& lib.4.de gene-
rat.animal.c.3. A quo præstantissimus
D.Diuus Thomas q.16.de malo art.3.in
corpore, ait: *Defectiua operatio semper*
procedit ex defectu alicuius principij, si-
cut ex aliquo defectu seminis procedit
monstrositas partus, vt dicitur in 2.Phy-
sicor.&c. conferúntque tradita à *Plu-*
tarcho libr.5.de placit.Philosophor.capi-
te 8.

Huius autem oblæsionis naturæ
in generatione monstrosa interuenié-
tis (vt ad propositæ quæstionis resolu-
tionem

tioné iam accedamus) causæ vel sunt internæ † vel externæ.

Internæ triplices esse possunt: consistereque vel in MATERIA, hoc est, in semine, vel sanguine menstruo (quod maximè in causa esse solet monstrorū & ostentorum productioni) vel in VTERI MALA CONFORMATIONE: vel FACVLTATIS FORMATRICIS VITIO, aut *defectu*.

At prima interna causa ad materiā relata tripliciter subdiuiditur: nā aut procedit à REDVNDANTIA SEMINIS monstra inplurimùm producente, ratione illa firma & naturali, quæ præ se fert, à superfluis superflua fieri, vnde à maiore seminis vtriusque, vel alterius copia pluries partes corporis duplicantur: quod ad monstrum referri quidem debet, vt iam diximus §. *nu.* 17. ex *Aristotele*, *Paulo* Iurisconsulto & aliis. Et hoc numero monstrosorum annumerantur fabulosi Briareus centimanus *Homero*, Typhœus & Gyges insuper centimani, & Geryon tricorpor, & qui

Centum luminibus cinctum caput ARGVS *habebat.*

Et plura monstrorum exempla hominum, & cæterorum animantium, in quibus natura humana membra ampliauit, retulit præ cæteris *Bauhin. lib.* 1. *de Hermaphrodit. c.* 8.

Secundò, interna monstrorum causa à materia proueniens, in eiusdem defectu consistit. Hic autem dupliciter considerari debet, aut respectu alicuius partis ad totum, vel respectu totius. Et primo casu monstro annumerabitur similis defectus, ex dictis §. *nu.* 17. cum *Aristotele lib.* 4. *de generat. animal. c.* 4. secundo verò non ita, vt putasi à defectu materiæ Pumiliones, Nanive omnibus corporis partibus conformes concepti fuerint, & editi, iuxta iam dicta & resoluta §. à *numer.* 59. Quicquid *Bauhinus* existimauerit dicto *cap.* 8.

Tertiò, semen morbidum monstrū producit, vt quod vitiosum, & bona qualitate carens, & multò magis mēstrui inepta retentione superueniēte. Hæc enim omnia vitiosum sæpè partum producunt, adeóque mōstrosum, vt mulieres plures viderimus enixas, bufones, lacertas, aliáque consimilia annotata *supr.* ex *n.* 11. à *l. non sunt liberi. ff. de statu homin.*

Secunda interna causa monstrorum *ab vteri mala conformatione* prouenit, vt prædiximus: idque dupliciter quidem fit, à *natura* scilicet & origine, vt si vterus angustus, aut incuruus sit, inæqualísve, hac & illac se contorquēs: vel alterius deprauatæ figuræ. Vt enim ait *Bauhinus* d. *lib.* 1. *capite* 9. (ex *Lauino Lemnio libr.* 1. *de occult. nat. miracul. capite* 8.) in opere fusili si vasculum, aut receptaculum obliquum sit, anfractuosum, triulcum, angulosum, distortum, rimosum, dissolutum, maléque cohærens, ridiculas imagines, absurdáque simulacra produci videmus, ita vt si in protoplasticen inæqualem plumbum, aliámve materiam fusilem proiiciamus, numisma deforme sit: sic vtero malè constituto, & in alterutrum latus inclinante decentem, exactum & communi perfectioni respōdentem partum Natura non producit. Est enim locus forma locati ex Physicorum sententia, vt inde ea quæ strictioribus, vel detortis locis conclusa tenentur, motionum suarum libertate prohibita, diminuta sint, manca & mutila. Et hanc quidem velut monstrosarum & mutilarum partionum precipuam causam agnouit *Hippocrat. in lib. de genit. ad finem.* Secundò, mala vteri conformatio *à morbis vtero superuenientibus* prouenit, de quibus post GALENUM, AVICENNAM, & alios latissimè agit *Mercadus in libris de mulierum affect.* nouissimè

Ioannes Varandæus lib. 2. de affectib. mulierum per diuersa capita: & sanè ista in causa eadem dicenda sunt, quæ de semine morbido proximè annotauimus species prosequuti prioris internæ causæ.

Tertiam denique internã monstrorum causam omnes Philosophi & Medici, quos viderim, *in facultatis formatricis vitio* reponunt, ídque euenire aiunt cum ἐκ ἴσως *non inæqualiter* ab omnibus corporis partibus excitatur ad simile opus perficiendum, ex quo facultas ista in corpore efformando singulis simulacris nõ sufficienter applicatur. Et inde dissimilitudinem nati ad parentes, eiúsque monstrosum conceptum eliciunt. Idque frequentiùs accidere aiunt, si vel parcior, vel copiosior, vel inæqualis sit substantiæ materia facultatem formatricem impediens. At causa ista mihi non probatur, qui in assignanda causa formatricis longè diuersus sum ab his quæ Philosophi & Medici communiter comminiscuntur, eámque ad DEVM ipsum OPT. MAXIMVMque retuli, ineuitabilibus (ni fallor) mediis, post *Galenum, Scotum,* & alios *in c.* 1. §. 1. *nu.* 15. Sed & ista adstruentes, maximè *Bauhinus*, post reliquos, *lib. 1. de Hermaphrodit.* d. *cap.* 9. terminos confundunt, & ad formatricem referunt vitiũ in materia ipsa parentum, quod ipsos tantùm respicit, ex iam dictis & dicendis §.

Subinde externarum causarũ monstrorum rationem prosequutus prænotandum censeo, eas, vel *ab vtroque parente* simul deriuari, vel *à solo patre*, vel *à matre* tantùm.

Prouenientium ab vtroque parente triplex est ratio.

Prima & præcipua est congressus menstruis fluentibus, eo enim tempore conceptum deforme est gibbosum, curuum, mutilum, & multis, variísque modis imperfectum, neque id tantùm euenit in corpore, sed & in potentiis: nam stulti sunt, stupidi, hebetes à coniunctione ista procreati, & inde eam videmus prohibitam *Leuit. c.* 12. quo re vera prohibetur concubitus cum muliere, donec omnino à menstruo fuerit purgata & libera, quasi nihil promptius monstroso conceptui sanguine menstruo (quem Natura tanquam inutilem & superfluum expellit) si cũ semine simul (quæ aptior est materia genituræ) concurrat: faciunt tradita §. *n.* 15. ex sententia *Ambros. Paræi.*

Secunda ratio primæ causæ externæ prouenit ab enormi, seu inordinata & detestanda coniunctione, eorum qui voluptatibus sese manciparunt brutorum instar ex *Paræo* relato §. d. *n.* 15. *Bauhino*, post alios quos refert, *de Hermaphrod. lib.* 1. *c.* 10.

Tertia à nimia & insatiabili libidine enascitur, ex citatis Auctoribus, maximè *Bauhino supr.* qui optimè notat, à profusa libidine (quæ sterilitatem implurimùm inducit: videmus enim omnia ferè scorta infœcunda) conceptum aliquando subsequutum, debilem, imperfectum, monstrosúmque euadere. Idémque accidit viris, mulieribúsque rei venereæ appetentioribus à causis designatis per *Læuinium Lemnium libr. 1. de occult. naturæ mirac. c.* 8.

Quarta ratio à morbo vtriusque parentis est petenda, siue hæreditarius sit, siue accidentarius, à quo videmus gibbosos, claudos & mutilos à patribus hisce affectis produci, teste *Hippocrate in lib. de genitura.*

Quinta (istarum omnium maxima) seminum diuersæ speciei confusioni dabitur, id quod & in homine cũ brutis coëunte, & tale abominandum scelus committẽte accidit, vt firmat *Accursius* in *d. l. quæret aliquis, ff. de verb. sig.* Petr. *Caballus*, post alios d. *casu* 139. *num.*

num.3 *Petr. Ærodius, lib.2. rerum iudicat. tit.4. c.8. Bisciola lib.12. horar. successiuar. d. cap.4. tom.2. Pater Martin. Delrius lib.2. disquisition. Magicar. qu. 14. vers. possunt, Petr. Garcia* Protomedicus Regius (qui vnus mihi pro multis est) *de locis affect. d. qu.73. c.3. Bauhinus*, post *Maiolum* & alios, *libr.1. de Hermaphrodit. d. c.10.* Et sanè istorum sententia primorum rerum naturaliũ Scriptorum auctoritate nititur id ipsum affirmantium, maximè *Plin. li.7. c.2. Ælian. lib.1. c.6.* & *li.6. c.42.* & *lib.7. c.19.* Non me latet contraria sententia deducta à traditis ab *Aristotele lib.5. de histor. animal. cap.18.* & clariùs *lib.4 de generat. animal. c.3.* vbi obiectioni velut ab experientia ductæ, quòd monstra quasi ex homine & bruto conflata passim visantur, respondet dicens: *Iam puerum capite arietis vel bouis referunt, quæ omnia accidunt quidem causis supra dictis, sed nihil ex his, quæ nominant est, quamuis similitudo quædam generetur, &c.* prosequitur (alia plura adducens, & rerum euentibus nostri æui respondere conatus) *Martinus Delrius lib.2. disquisition. Magic. qu.14.* Idque antea expressè firmauerat *Lucret.* variis locis expensis *suprà numer.71.* & *Manilius lib.4. Astronomic.* dicens:

—Permiscet sæpè ferarum
Corpora cum membris hominum, non seminis ille
Partus erit, quid enim nobis commune ferisque?

Vt inde fabulis (consimilibus Minotauri & Polyphontis) annumeranda videantur exempla quæ passim circunferuntur, quorum bonam partem congerit *Bauhinus* s. & noster subtilis Doctor *Ioann. Huarte in exam. ingen. c.21.* omnino perlegendo, vt nostrorum sententiæ, & aliorum s. relatorum stãdum sit omnino. Idque tantùm *Aristoteli, Lucretio, Manilio*, & *Martino Delrio* concedendum, vt naturæ frequentioribus euentibus adscribantur, quæ isti existimauerunt à ratione, per eundem *Philosophum* assignata *libr.8. de histor. animal. d. c.18.* & hanc fuisse istius mentem ego planè deprehendo à *d. c.3. lib.4. de generat. anim.*

SECVNDA principalis causa externa monstrorum à solo patre, vt prediximus, procedit, ídque contingere poterit eo tantùm peccante in aliquot ex rationibus prioris causæ s. adductis. Sed omnium maximè ad solũ patrem monstrorum productio referri poterit ex capite imaginationis tẽpore immissionis seminis; ita vt eius phantasia, seu imaginatio signet (vt aiunt Medici & Philosophici Scholastici) sicut & imaginatio matris: ídque probari videtur *Genesеos c.30.* vbi virgæ decurtatæ ob oculos arietum ac ouium apponebantur, & ab *Aristot. sect. 10. problem.12.* vbi proposito dubio, cur proles reliquorum animalium magis similes sint suis parentibus, quàm homines? rationem illam reddit, quia homines vario sunt animo in conceptu, irrationalia verò animantia non ita; quibus apertè supponit tam patris quàm matris imaginationem signare. Et hoc ipsum auctoritate *Plinij li.7. c.12.* & *Auicennæ Fen.21. tract.1. cap.2.* firmat: & pluribus insuper comprobat rationibus *Thomas Fienus de viribus imaginationis, qu.19. concl.52. per tot.* & illicò aptiùs suo loco enodabitur, & illustrabitur: & simul demonstrabitur matris imaginationem aptiùs, efficaciúsque signare.

TERTIA causa principalis externa monstrorum à sola matre originẽ ducit, & quidem variis modis, vt puta ab *imaginatione* (qui omnium potissimus): à *terrore*, seu *desiderio*: *casu*, vel *ictu*: *indecenti sessione*: *mala victus*, seu *appetitus ratione*, *aere* prægnantem *ambiente*: *aqua mala qualitate*, & similibus.

Primus imaginationis modus latissimum vagandi præstabat campũ, quo Iurisconsulto spaciari non detur, omnia verò huius tractationis (disputationi nostræ valdè accinentis) prætermittere & aliorum fidei relinquere ignaui certè esset ingenij, & ideò vt inde rem istam (in Natura summè mirabilem) breuiter discutiam, primum noto, matris imaginationem non tantùm in conceptu, vt quidam voluerunt post *Aristot. Plin.* & *Auicenn.* proximè relatos, vel ante eius articulationem & perfectionem, vt alij existimarunt, ex traditis à *Bauhino* illicò referendo, sed & toto tempore gestationis signare: vt egregiè annotauit *Angelic. Doctor c.2.qu.4.ar.8.ad 13. Bauhin.* post alios *de Hermaphr. li.c.11. in princ.* & *ad fi.* verſ. *nam non solùm. Tho. Fien.* latè *de virib. imagin. qu.21. concl.54.* vbi istud probat ab *Hippocr. in lib. de superfœtat.* dicente, quòd si mulier prægnans carbones, aut quid simile comedere desiderauerit, nigræ notæ in pueri capite apparebunt. Et hoc modo (ait *Bauhin.* s̃.) Laodice Antiochi vxor per quietem annulum ab Apolline anchora insignitum accepisse sibi visa, Seleucum multis postea clarè gestis celebrem cum iisdem in fœmore insigniis enixa est, & annulum in lecto repertum, diligentérque asseruatum, filio de sua origine edocto, in Asiam cum Alexandro eunti dedit, ac deinceps filij, nepotésque eius (licèt fabulam *Sabellicus* censeat *lib.7. Ennead. cap.4. & Alexand. ab Alexandro lib.2.c.19.*) anchoram in fœmore velut notam generis habuêre. Sicut Thebis habere lanceam genitiuis notis Spartanorum nomini & familiæ datum erat; intérque eos fertur in brachio Dacorum notam originis quarto quoque partu regenerari, vti refert *Lycosthenes in lib. de prodigiis.* Et sanè huius miræ à Natura actionis passim exempla suppeditantur, partionum scilicet post nactam perfectionem in vtero ob vehementem matris imaginationem, seu affectum signatarum. Et nota sunt loca *Aristotelis, Plinij, Galeni, Auicennæ, Quintiliani,* & *sanctorum Hieronymi, Augustini, Isidori,* & aliorum congesta à nostro *Petro Garcia ad Fen. 1. Auicennæ disputat.37. capite 8.* Quin ab hac potissimùm causa maiores naturæ oblæsiones, monstráque à Natura longiùs errantia (de quibus s̃. *numer.11.*) proueniunt, vt notat *Bauhinus* dicto *capite 11. ad finem,* qui antea varia exempla nostri æui isthæc confirmantia adduxerat. Simúlque optimè notat ex *Læuino Lemnio lib 4. de occultis naturæ miraculis,* hoc tunc malè euenire, virésque imaginationem mulieris sortiri, cùm humorum adest redundantia, & seminalis excrementi copia, ex pluribus per eum adductis.

Sed præcitati Auctores, & omnes quibus ista placuerunt, vno excepto *Ioanne Argenterio*, vehementem exigunt imaginationem in muliere prægnante, vt partum signet, iuxta notata à *Petro Garcia* d. *disput.37.c.8.*

Sed non defuêre qui ista intervertere curarint principio adstruentes, vt colliges ex *Pet. Garcia* s̃. vim imaginationis ad mutationem tantùm coloris in fœtu extendi.

Posthæc *Hier. Cardan. lib.2. contrad. tract.6. cap.6.* causam monstrorum ad imaginationem relatam imaginariam putauit, & ab adulteris confictam: id quod in effectu sentit *Petrus Garcia* d. *cap.8. num.31.* & nouè defendit, euincéque conatur *Thomas Fienus in integro lib. de viribus imaginationis*, & absolutiore propositione firmauit *Doct. Ioannis Huarte* (*Aristotelis* sententiam *sect.10. problemate 12.* irridens) ex quo & in arbore eadem fructibus diuite videmus quosdam dissimiles, non tantùm

tùm in colore, ſed & in forma, qualitate & quantitate: & addit, generationem, conceptúmque non illicò perfici, ac ſemen in vas femineum iniicitur vt inde imaginatio nil operari poſſit in generatione, maximè cùm à diuerſa cauſa proueniat, referenda quidem ad animam vegetatiuam, non ad rationalem, vel ſenſitiuam, cùm equus generet ſine rationali, & planta ſine ſenſitiua. Et demum cōcludit, qui imaginationi diuerſas humanas figuras concedunt, fateri ſimul debere, ſegetes maiores, minoréſve produci, quia agricola ſationis tempore in varias diſtrahebatur phātaſias, ſeu imaginationes. Quæ verò communiter circumferuntur de partionibus ab imaginatione nigris, & ſimilia, Auctor iſte vel conficta putat, vel quæ nigrum peperit ab homine nigro concepiſſe. Et ſanè in id aptè expendere potuiſſet *Artemidorum lib. 5. Oneirocriticorum. cap. 44.* qui nigrarum fœminarum album partum ſomnio tribuit. Eſt denique imaginatio imperfectum quiddam, vt ait *Seuerinus Boetius in libr. Ariſtot. Perihermе.* ſiue *de interpretatione editionis ſecundæ*, vt inde productioni alterius ineptum eſſe videatur.

Sub hęc ad *caput 30. Geneſeos* reſpondet is Auctor (& appoſitè quidem) illud gregis Iacob myſteriis plenum eſſe, & extra ordinem naturæ eueniſſe: id quod ſenſerant anteà *Chryſoſtomus homilia 57.* & *Theodoretus ſuper Geneſi, quæſtione 78.* & placuit Petro Garciæ *diſputatione 38. cap. 8. num. 33.*

Verū iſta *Doctoris Huarte* indiſtinctè vera non ſunt, & omnino reducenda ad ea quæ maturo ſtudio, & inſigni iudicio reſoluit *Fienus in* dicto *lib. de virib. imaginationis*, per varias quæſtiones & concluſiones, & poſteà notauit Petrus Garcia *in Auicen.* dicta *diſputatione 37. cap. 8.* ex *num. 31.* Et dictorum ab iſtis velut ſumma eſt, phantaſiam, ſiue imaginationem non eſſe primarium & principale agens monſtrorum, ſimilitudiniſve (quam Medici, Philoſophíque nouiores vocant *ſignationem*) nec directè & formali alteratione vllum corpus poſſe alterare fœtúmve ſuo ſimplici actu, ita vt ſpecies phantaſtica per ſe ſit effectiua & productiua alicuius qualitatis realis in fœtu, vt iiſdemmet verbis aſſerit *Fienus* (pluribus hoc adſtruens) *de virib. imaginat. q. 14. concl. 41. & 42.* qui in *concl. ſeq.* ita ait: *Phantaſia mediantibus animi paſſionibus, & humorum & ſpirituum motu poteſt aliquas circa fœtum facere mutationes*: id quod Pet. Garcia *ſuprà, num. 32.* per accidens fieri ait. Dum tamen *Fienus* inter fœtus notas (quas ipſe vocat *ſignaturas communes*) vt abortus, morbus, & mors fœtus, & peculiares, ſeu determinatas eius deformitates ad monſtrum referendas, diſtinguit ibidem, & concluſionibus ſequētibus perſiſtens, vel præſupponens, facultatem formatricem animę tribuendam (id quod poſteà per totum integrum tractatum *de format. hom.* ſuadere conatus fuit) ſuſtineri non poteſt, & nulla admiſſa diſtinctione aſſerendum eſt cum Petr. Garc. *ſupr.* ab imaginatione omnes mutationes & ſignaturas, ſiue communes ſiue monſtroſas prouenire, prout magis aut minus ipſa vehemēs fuerit, & paſſiones humorum magis proportionales & aptiores moueri actu imaginationis ad locum vbi fit generatio, vt ait Garc. Tu adde, vel vbi iam fœtus ad primam perfectionem vel abſolutionem tendit. Qui iſta exactiùs perſequi voluerit, perlegat prædictos *Fienum* & P. Garciam, & ſimul irrideat *Doctoris Huarte* audaciam, & ſine delectu dicta in dicto *capit. 11.* maximè comparationem phantaſiæ agricolæ ſerentis cum viro generationi operam dante, aut muliere cōcipiente.

Hîc sese offerebat similitudinis par-
tus ad parentes scriptio, quæ res nobis
92 cognitu perquàm necessaria † in truti-
nandis viribus probationis aut præ-
sumptionis filiationis à similitudine
resultantis, sed de istis agemus *in cap.*
22. velùt in propria sede, & ne insuper
istam monstrosarum causarum tracta-
tionem, & tertię præcipuę causę prin-
cipalis externæ primum modum plus
debito grauemus.

Secundus modus in TIRRORE e-
rit, seu *desiderio*, vt præposuimus & ex
pluribus probat *Fienus de virib. imagi-
nat. quæst.* 18. *concl.* 51. latè *Bauhin. libr.* 1.
de Hermaphrod. cap 12.

Tertius à CASV, vel *ictu* procedet,
*Hippocrat. in libr. de genit. Ambr. Pa-
ræus lib.* 24. *cap.* 10. *Bauhinus* (multa ad-
ducens) d. *cap.* 12.

Quartus ab INDECENTI SESSIO-
NE, *accubitu*, vel *decubitu* parum apto,
quo fœtus vtero inclusus simul cum
corpore prægnantis distorquetur, *Pa-
ræus* d. *lib.* 24. *cap.* 9.

Quintus ab AERE AMBIENTE,
victuum, aquarúmque qualitatibus, & a-
liis consimilibus adductis à *Leuino
Lemnio lib* 1. *de occult. naturæ mirac. ca.*
9. *Bauhin.* d. *cap.* 12.

93 Qui verò plura † monstra & ostenta
miranda & notanda omni æuo cōtin-
gentia agnoscere voluerit, perlegat *Li-
uium* plura enarrantem ferè in singu-
lis libris, *Ciceronem lib.* 1. *de diuinat.* &
*in oratione de Haruspicum responsis, Pli-
nium libr.* 6. *natural. historiæ*, d. *cap.* 30. &
libr. 7. d. *cap.* 3. & aliis locis, *Valerium
Maximum lib.* 1. *cap.* 6. *Dionys. Halicar-
nas. lib.* 2. *Antiquitat. Romanar. Iulium
Obsequentem* d. *lib. de prodigijs*, *Diuum
Augustinum lib.* 16. *de Ciuit. Dei*, d. *cap.*
8. *Paulum Orosium lib.* 5. *cap.* 6. *Nicepho-
rum libr* 18. *Ecclesiastic. historiæ, cap.* 35.
Thadæ. Flor. in Ioannitij Isagog. cap. 18.
Hieronymum Magium libr. 1. *miscellan.
dict. cap.* 20. (ex *Volaterrano in commen-
tarijs vrbanis*, plura itidem adducen-
tem) *Leuinum Lemnium de occultis na-
turæ miraculis, libr.* 1. *cap.* 8. & 15. *Am-
brosium Paræum* (exactè ista prosequē-
tem, & variis exemplis illustrantem)
lib. 24. *cap.* 1. *Ioannem Schenkium libro
9. obseruationum, tit. de partibus exter-
nis*, & *tit. de cubito, obseruation.* 1. & *tit.
manus*, & *titul. digiti manum*, & *titulo
de pede integro*, & *tit. de pede ipso, &*
libr. 9. §. *molæ vitales, P. Martinum Del-
rium* cum aliis *suprà* relatis, & nouissi-
mum *Lel. Bisciolam lib.* 12. *horar. subse-
ciu.* d. *c.* 4.

Ab his autem, & aliis ista tractan-
tibus facilè quiuis dignoscet, mōstro- 94
sas generationes rariùs † in homine
accidere, vt qui in plurimùm vnipa-
rum, frequentiùs verò in cæteris ani-
malibus, vt quæ plura pariunt, indé-
que sæpiùs monstra generant, vt ab
hac causa notat *Aristot. lib.* 4. *de gener.
animal.* d. *c.* 4. & clarè comprobatur ex
traditis à *Bulengero in libr. de prodig.
cap.* 8. 9. 22. & alibi. Vnde *Manil. libr.* 2.
Astronom.

Et sæpè in pecudes errat Natura. Et
in auibus *Bauhin. de Herm. libro* 1. *ca-
pite* 6.

Eamque ob rem in regionibus in
quibus mulieres perfœcundæ sunt (vt
in Ægypto) plura monstra edi notat
ex aliorum sententia *Hieronym. Ma-
gius lib* 2. *miscellanear.* d. *cap.* 20.

Sed & aliam huiusce rei deduces
causam ab eodem *philosopho in proble.
sect.* 10. *probl.* 60 ita aiente: *Cur monstra
parua quadrupedes pariunt, homo autem
grandésque animantes minus, vt equi, &
asini? An quòd paruæ, vt canes, sues, ca-
præ, oues longè sunt fœcundiores, quàm
grandes? Illarum enim aliæ omnino sin-
gulos pariunt, aliæ magna ex parte. Mon-
stra autem tunc confici solent, cùm plu-
ra semina inter se cohærescunt, confun-
duntúrque vel cùm prodeunt ex mare vel
cùm se in fœmina permiscent: vnde aues*

monstra

monstra edere possunt, oua enim vitello pariunt geminato; monstrum autem ex geminatis illis consistit, quorum vitelli nulla intericcta membrana distinguuntur.

Demum à dictis quàm euidenter elicimus, vnam & eandem omni æuo fuisse velut errantem naturam in mõstrorum productione, & errore lapsum *Lucretium* (è grege Epicuri) cùm *l.b.* 4. *de rerum natura* ait:

Multáque tunc tellus etiam portenta creare
Conata est mira facie, membrísque coorta.

Quam sanè stultam sententiam elegãter redarguit *Lactantius in lib. de officio Dei, c.* 6.

Sub hæc nobis etiam cognitu necessaria est resolutio illius quæstionis, an monstrum duplex caput, aut duplicata habens membra, sit vnum † animal, vel
95 duo: In qua *Aristot. lib.* 4. *de generatione animal. d. cap.* 4. ait, si principium vitæ (quod est cor) sit vnum, animal vnum esse; si in duo, duo esse animalia. Sed improbat *Petr. Garcia* s. Nam licèt cor sit vitæ principium (vt quod finis & origo caloris vitalis) non est cur non possit esse duplex in vno animali, sicut duplex iecur, aut caput; nec repugnantiam dari posse ait, propter quam influens calor non possit à duplici parte produci. Vnde iudicium assumendum esse ait, ex actionibus appetẽdi, & sentiendi discrepantibus, aut consentientib. At nobis certior erit regula & præfinitio à forma desumenda. Vt monstrum (nobis ostentum) vnum tantùm caput habens, quantumuis in eo Natura cæterorum membrorum officia ampliauerit, vnus homo reputetur: si verò biceps sit, etsi alia membra non sint duplicata, duos esse homines diiudicemus.

Et ideò separatim † baptizandi, vt 96
notauit *Additionator Baldi* in *d. l. non sunt liberi*, & *Summistæ*, quos refert & sequitur *Petr. Caball.* d. *casu* 139. *nu.* 12. *Petr. Gregor. lib.* 1. *partition. Iuris Canonici, tit.* 7. *c.* 6. *num.* 3. Vbi hanc formam seruandam ait, vt prior Sacramenti Baptismi aqua regeneretur notissimis & necessariis illis verbis: *Ego te baptizo in nomine* PATRIS, *&* FILII, *&* SPIRITVS SANCTI: & postea alius his: *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Sed & eadem forma & præcautione vtendum ait *Petr. Caballus suprà*, quando ostentum vnum tantùm habet caput, cum quatuor manibus & totidem pedibus, & duabus spinis in dorso. Tu adde, idem obseruandum quandocunque dubium aliquod esse potest, an partus vnam, vel duas habeat animas, aut animos, vt aiunt cultiores.

Vltimo demum loco, & aptissimè ad thesin nostram nota, monstrosum partum difficiliorem † & periculosio- 97
rem esse naturali, vt post alios optimè asserit & probat *Aretheus Cappadox de curatione diuturna c.* 76. & nouiores *Mercur. in lib.* cui titulus *la Comare, lib.* 1. *&* 2. *Perlinus in libello de morte caussa partus, VVinrich. de ortu monstr. c.* 40.

Hæc de monstris (qua potuimus diligenti & exacta tractatione) sumus prosequuti, vt ab eis (plures quæ nobis de monstris monstrosæ resultant quæstiones, *Glossa* verbo *ad testimonium* in *c. si omnes testes* 3. *qu.* 4.) lucem & resolutionem deinceps accipiant.

CAPVT XVIII.

DE MVLTIPLICI Partu, quem Græci Πολυτοκίαν appellant.

SYNOPSIS.

1 *Decisiones Iurisconsultorum & Imperatorum de multiplici partu mentionem facientes adducit* Auctor.

2 *Geminorum partus naturalis est. Et nu.4. improbat opinionem existimantium alienum esse à Natura.*

3 *Si diuersis temporibus generentur, superfœtatio est.*

5 *Trigeminorum parturitio naturalis est. Et n.13. Et nu.6. attendendam in dubiis rerum futuris euentibus, puta in acquirendis hæreditatibus, tenuit* Paulus Iurisc. *Et nu.7. contraria sententia* Gai *&* Vlpiani *refertur. Et n. 8. concordia inter istos assignari solita impugnatur. Et nu.9. Iurisconsultos istos dissidere affirmat, & probat cum* Ant. Fabro. *Et nu.11.* Tribonianum *in sententiam* Pauli *inclinasse demõstrat. Et n.12.* Gaium *&* Vlpianum *contra* Paulum *sequitur.*

10 *Inscriptionem* l. si pater 36. ff. de solution. *suspectam notat.*

14 *Quatrinos & quinos vno partu editos naturali partioni tribuendos ostendit.*

15 *Numerosiores quinis parturitiones* Bonauent. *&* Pet. Garcia *à numero naturalium excludunt. Et numer.16.* A. Gellius *in quinorum editione finem puerperij constituit: quod in vniuersum non est verum. Et probatur n. 19.*

17 Bonauentura *in assignanda ratione, cur alij partus vltra quinos non sint naturales, exploditur.*

18 *In vtero muliebri septem esse cellulas quidam putarunt. Et nu.20. hoc merum figmentum esse probat auctoritate insignium Medicorum, & Dissectorum.*

21 *Improbatur Iurisconsultus* Iulianus, *quisve quis Auctor fuit* l. si pater 36. ff. de solution.

22 *Multiplex fœtus abortiuus non est.*

23 *Multiplicis fœtus causas aperit.*

24 *Multiplex fœtus ab vno & eodẽ concubitu procedit. Et n.25. id comprobat* Apostoli *insigni loco. Et n.26 auctoritate* Augustini.

27 *Gemelli non solùm vno concubitu concipiuntur, sed etiam eduntur.*

28 Paul. lib. 4. Sentent. tit. 9. §. 2. *interpret. Et n.38. 39. & seq.*

29 Tryphonini in l. Arethusa, ff. de statu homin. *error detegitur.*

30 *Ex duobus gemellis quis natu maior præsumatur. Et n.31. quid tenendum in successionibus Regni & majoratus tractatur remissiuè.*

32 *Multiplicum partionum varij sunt casus & naturæ successus.*

33 *Numerosiores & notabiliores aliquas refert. Et nu.34. Auctores alias plures commemorantes.*

35 *Multiplici partui in dubio fauendum est. Et num.36. & 37. Et declarat nu. 45.*

40 L. ter enixa 137. ff. de verb. signific. *declaratur.*
41 *Improbat* Pauli *sententiam* libro 4. Sent. t. tit. 9. §. 2. *Et numer. 42. eundem refellit in decisione dict.* l. ter enixa.
44 *Sub simplicibus casum mixtum non comprehendi* Auctor *demonstrat.*
45 *Multiplex fœtus rarior est, & eius rei causam designat.*
46 *Cur gemini adeò similes sint, ostendit.*
47 *A multiplicibus partionibus antiqui damna præsagire consueuerunt.*

A MONSTROSÆ partitudinis tractatione aptè descendimus hoc capite ad multiplicem, vt quam *Aristot. lib. 4. de generat. animal. c. 4.* relatus c. 11. *num. 53.* & *in c. præcedenti nu. 63.* sub generaliori *monstri* nomine comprehendit. Et ab his in *sequenti capite* superfœtationis (quæ velut species est multiplicis partus) sermonem minimus.

Multiplicis partus (à nostris incipientes) meminêre † Iurisconsulti *Paulus* in notissima *l. antiqui 3. ff. si pars hæred. pet.* & in *l. sed etsi 28. §. fin. ff. de iudic.* & in *l. ter enixa 137. ff. de verb. signi.* & *lib. 4. Sent. tit. 9. §. 2. quæ semel, Vlpian.* in *l. 1. §. quare, ff. de ventr. in possess. mitt.* & in *l. 1. §. final. l. 4. ff. si pars hæred. pet.* & in *l. intestato 3. §. est autem. ff. de suis & legit. hæred.* & in *l. si fuerit 10. §. fin. ff. de reb. dub.* & in *l. idem erit 16. ff. de statu homin.* & in *l. qui filiabus 17. §. 1. ff. de legat. 1. Gaius* in *l. vtrum 7. ff. de rebus dub. Tryphonin.* in *l. Arethusa 15. ff. de statu homin. Iulian.* in *l. si pater 38. ff. de solution.* (cuius decisio, vt notabimus ǰ. refertur ad ea quæ docuit *Aristot. libr. 7. de histor. animal. c. 4.*) *Iustinianus* in *l. cùm inter 14. ad fin. C. de fideicommiss. libert.*

A gemellorum verò partu (qui primus sub multiplicis nomine venit, quemque Deorum beneuolentiæ, pietati, pudicitiæque puerperæ antiqui tribuebant, *Plaut. in Amphit. act. 5. sce. 1. vers. 36.*) tractationem ineuntes, notandum est, non solùm † nobis iuxta tradita à *Menoch. lib. 6. præsumpt. 51.* ex *num. 1.* sed & Philosophis & Medicis geminos editos & superstites, seu Vopiscum (is erat *Plinio lib. 7. cap. 10.* & *Solino cap. 4.* qui, altero abortione fluxu excidente, remanebat) naturales vitalésque partus esse, ex his quæ post alios resoluit *Pet. Garc. de loc. affect. disput. 72. capit. 1. & 2.* vbi propriè geminos, vel gemellos (quos Græci διδύμους appellant) eos esse ait, qui vno tantùm actu concipiuntur, & producuntur. Vnde *Manil. libr. 2. Astronom.* 2

Magnus erit geminis amor, & concordia duplex.

Aliàs enim si diuersis temporibus † generentur, superfœtatio erit (de qua in *cap. seq.*) iuxta ea quæ disertè resoluit idem *Pet. Garc. d. cap. 1. sub initium.* Quæ sanè mirè comprobabis ab his quæ sanctissimus, & doctissimorum doctior *Augustinus* de geminis, qui vno concubitu generantur, annotauit *lib. 5. de Ciuit. Dei, c. 6.* (in *c. sequ.* exactè explicanda) & prosequitur nouissimè *D. Sancta Cruz* (causas generationis assignans) *de Hippocr. discipl. super tex. 77.* 3

Non tamen defuerunt, qui geminorum partum à Natura † alienum putarint ex *Aristot.* malè ab his percepto, *libr. 7. de hist. animal. c. 4.* & *sect. 10. probl. 30.* sed eorum inscitiam apertissimè retegunt Esau & Iacob Isaacis gemelli, *Geneseos cap. 25.* (de quibus ǰ. iterum agemus cum *D. Paulo*) & gemini à Thamar concepti ex Iuda socero, *Genes. c. 38.* & illi Aginæ Spartanorum Reginæ, quorum meminit *Herodot. lib. 6. cap. 6.* & omnium maximè (si res 4

profanas attendas) Romulus & Re-
mus fratres ex Rhea Syluia à Marte cō-
pressa (vt ferunt *Liuius lib.1.dec.1.*& a-
lij) vno partu editi. Quæ mirè exorna-
bis ex traditis à *Iac.Guillem.* huius par-
tus signa annotante, *tit. de semine, c.3.* &
à *Peramat.* ĵ. referendo, eius causas cō-
siderante, quas & alias prosequutum
antea video *Auicen.lib.3.Fen.21. tract.*
1.c.17. & *Ptolem.lib.3.c.* περὶ διδυμογό-
νων, vbi signis διδύμοις, id est *duplicibus*,
causam tribuit.

5 Tergeminorum † itidem parturi-
tionem naturalem diiudicat *Gaius* in
d.*l.vtrū, ff.de reb.dub.* & *Paul.* in d.*l.an-*
tiqui Tergeminos (ait) *Senatores cinctos*
vidimus Horatios, de quibus *Liuius* d.
decade 1. & cū totidem Curiatiis, *Plin.*
libr.7.naturalis historiæ d.*cap.3.* Et ita
tenendum, quicquid nouè in contra-
rium adstruat *Paulus Zacchias* iam re-
latus & notatus *in cap. præcedenti*, &
Peramatus de homin.procreatione, capi-
te 18.

Et hanc trigeminorum partitudi-
6 nem in dubiis † rerum futuris euenti-
bus hæreditatum maximè acquiren-
darum solam attendendā insigni ver-
borum apparatu asserit *Paulus* in d.
l.antiqui, & in *l.sed etsi restituatur* 28.§.
final. (quæ ab eodem *Pauli libro* 17. *ad*
Plautium desumptæ fuerunt, ac indi-
cant inscriptiones) *ff.de iudiciis*, vbi
Bart. & alij. Et hoc ipsum decidisse vi-
detur *Iulian.* in *l.si pater 36.ff.de solutio-*
7 *nib.* Sed contrarium † innuit *Gaius* in
d.*l.vtrùm, ff.de rebus dubiis*, *Vlpian.* in
l.1.§.fin.ff.si pars hæredit.petatur, & in *l.*
intestato 3. §. *est autem tractatum*, *ff. de*
suis & legitimis hæredibus, & clariùs i-
dem *Vlpianus* (cum *Tertulliano* &
Pomponio, quos refert) in *l.cùm quidam*
30.§ *suum hæredem*, *ff.de acquir.hæred.*
in quibus iuribus vnicus superstes fi-
lius (si venter vacuus pòstea apparue-
rit) ex asse se inuenit hęredem, posthu-
mo verò nato ex semisse tantùm: quæ-
si sentiant isti Iuris Auctores, & cum
eis insuper *Papinianus* in *l.ventre præ-*
terito 84. *ff. de acquirenda hæreditate*,
dodrantem interim non esse reseruan-
dum, ac putarunt *Paulus* & *Iulianus* in
legibus s̃.relatis, sed tantùm semis-
sem.

Nec propositam difficultatem † re- 8
ctè dissoluunt distinguētes ius ab eius
affectibus, & asseuerantes, *Vlpianum*,
Gaium, & cæteros de iure tantùm, non
de eius effectibus respondisse: nam vt
optimè notat *Anton.Faber in rationa-*
li super d.*l.sed et si restituatur, §.fin.* om-
nes s̃. relati Iurisconsulti id tantùm
disputarunt & quæsierunt, pro qua sci-
licet parte superstes interim (id est,
dum mulier parit, vel venter vacuus
apparet, vel abortit) hęres existimetur?
Quæ sanè quæstio nec ad ius absolu-
tum hæredis, nec ad iuris effectum re-
ferri potest. Adhæc conciliatio ista a-
pertè refellitur ex d.§.*suum hæredem* in
verbis illicò expendendis. Vnde ve-
rius diiudico † cum *Fabro*, s̃.relato, in 9
hisce dissidentes fuisse Iurisconsulto-
rum s̃.relatorum sententias, quod ini-
hi quàm euidentissimè probat dict. §.
suum hæredem, in illis verbis: *Sicut cùm*
vacuo vtero suus ex asse hæres est, ita &
cùm vnum gerit, *nec per naturam*
humanæ conditionis alium partum
formare potest (quod quidem post cer-
tum tempus conceptionis eueniet) ex
parte dimidia, *& ignorantem fore hæ-*
redem, non ex quarta, *vt Iulianus pu-*
tat.

Quæ vltima verba suspectam † red- 10
dunt inscriptionem d.*l.si pater 36.ff.de*
solutionibus. quin & illa: *Iulianus notat*,
&c. quæ si referas ad præcedentia, a-
pertè præsupponunt, ea alium habuis-
se Auctorem. Vtcunque verò sese
res habeat, *Vlpianus* cum *Pomponio*
& *Tertulliano* ibi laudatis clarè con-
trariantur *Paulo* & *Iuliano*, quicquid
Iuris Interpretes in eorum concilia-
tione

tione allucinati fuerint.

Sed vtra eorum resolutio & decisio sit admittenda, videamus: & sanè Tri-
11 bonianus † (vt disertè notat *Anto.Fab.* §. ex *l.* 4. *ff. si pars hæredit.petat.* & aliis) in *Pauli* sententiam (quæ fuit *Sabini* & *Caßij*) inclinat, & contrariam *Pomponij*, & cæterorum supprimere, & euer-
12 tere conatus fuit.

At mihi ista † magis arridet, & contraria *Pauli* maximopere displicet: video enim inanibus eum vsum mediis ad suam sententiam adstruendam, vel (vt proprius loquar) eam euertentibus. Primò, dum ait, Iuris Auctores (prudentissimè medietatem sequutos) quartam partem superstiti assignasse, cùm enim medietas ista referri non debeat, nec possit ad rationem *Gothofredi* (dicentis, tres medium tenere inter quinque & vnum, ex subsequentibus illicò verbis illis textus: *Vt quod fieri non rarò admodum potest*, & ex ratione assignata à *Paulo* in illis: τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, &c.) clarè consequimur, *Paulum* mediati (quam laudat & probat, hoc est frequentiori rerum euentui) non adhæsisse. Quis enim ignorat, frequentiùs vniparas esse mulieres, vt docuit *Consultus* in d. §. *suum hæredem*, & rarissimè trigeminos eodem partu editos? Adde *Paulum* in verbis proximè expensis à *Theophrasto* edoctum annotasse: *Quod semel aut bis existit præterire Legislatores.* At quis non videt omni æuo vix semel euenisse trigeminos eodem edi partu, idque παρὰ φύσιν, & quasi portentosum videri, ex dicendis *inferiùs*: vt inde rarissimus hic casus sit, quàm qui rarior. Malè ergo ad eum, vt contingentiorem *Paul.* propositæ quæstionis resolutionem refert contra *l.* 3. & sequentes, *ff. de legib. l. ea quæ rarò* 65. *ff. de diuers. regul. iuris*, & *Iustinian. in Nouell.* 94. *vt sine prohibit mat. cap.* 2. ita dicentem: *Nam quod rarò fit (sicut etiam vetus Iurisprudentia docet) non obseruant Legislatores, sed quod fit plerumque, & respiciunt & medentur.* Demum iniustam & à ratione deuiam *Caßij* & *Sabini*, *Pauli*que (eos approbantis sententiam facilè elicient, qui annotauerint, superstitem qui semisse integro, eiúsque fructibus ad alimenta indigeret (vt passim accidit) à matre, vel auo interim (retento dodrante pro muliere prægnante) alendum, quod sanè perquàm iniquum esset. Quòd si dicas, vno tantùm nato, matrem, aut auum, quod alimentorum nomine præstiterunt repetituros, tribus verò natis id superstiti filio aut nepoti dedisse, quod quotannis deinceps præstare debent. Respondeo, negari non posse priore casu rem propriam sine facto suo eis aliqua temporis intercapedine (quæ in Iure æstimatur & consideratur ex vulgatis) abesse & per consequens ab eis indebitum verè exactum. Ob idque *Pauli* sententia sustineri non potest. Quam post ista scripta displicuisse video *Paul. Zacch. in Medico-legal. tit.* 2. *q.* 8. *n.* 10.

Cùm autem ista in *Paulum* pro *Vlpiano* & aliis contrariæ sententiæ assertoribus adstruimus, tergeminos nō
† excludimus, nec à numero natura- 13
lium explodimus, ex iuribus citatis: & aliis j. per nos enodatis.

Adhæc, quatrinos, † vel quinos vno 14
partu editos naturales supponunt *Aristoteles lib. 7. de historia animal.* d. c. 4. *Paulus*, *Gaius*, & *Iulianus* in d. *l. antiqui*, d. *l. vtrùm*, d. *l. si pater meus*. Et quãuis *Gaius* in d. *l. vtrùm*, quòd vltra tres nascitur ferè videri portentosum dixerit, non tamen quinos à numero naturalium excludit, vt disertè notauit *Glossa* ibi: dictio enim, *ferè*, aliorum exclusiuà non est: & ideò idem *Gaius*, ne videretur maiorem numerum repudiasse, & ad tollendam istam dubitationem historiam de quinis ab vno

vtero editis subdit (quam refert *Arist. supr.* & *Iulius Capitolinus in Antonino Pio*) vt ingeniose annotauit *Bonauent. libr. 9. de octomest. partu, cap. 21.* & conferunt in proposito tradita à *Pet. Garc. d. disputat. 72. cap. 3. numer. 11. in fine*, vbi optimè improbat *Plinium libr. 7. cap. 3.* existimantem tergeminorum partum Naturæ tribuendum vltra vero ostento. Et ab eodem capite securè refello *Budæum*, *Plinio* concinentem, *in notis* ad dict. *l. antiqui.*

Sed & prædictus *Bonauentura* ex *Aristotele* iam relato à partionum na-
15 turalium ratione cæteras † numerosiores excludit, & portentosas, siue ostentosas esse ait Iurisconsultis, idque ab omnibus probari constat, ex traditis à *Petro Garcia suprà*, vbi naturaliter solùm quinque generari posse ait, & iterum eadem *disput. 72. cap. 4. num. 14.* Ex dictis ab eo adde *A. Gellium lib. 10. Noct. Atticar. cap. 2.* qui in quinorum editione finem puerperij ex *Aristotele*
16 constituit. Tu autem ad numerum † istum opera mira & varia Naturæ ne restringas, & insuper caue, ne cæteras parturitiones numerosiores fabulosas generali propositione affirmes cum *Cælio Rhodigino lib. 4. antiq. lection. cap. 23.* & *Menoch. d. præsumpt. 51. ex num. 6.* Imo tene contrarium ex iam dictis in *cap. præcedenti*, vbi multiplicitatem istam monstro adscribi non debere probauimus. Licèt enim multiplices partus quinarium numerum excedentes inter naturales non assignemus, connumerabuntur tamen inter ostentosos, qui & ipsi successionum capaces erant in terminis *l. vxoris abortu 2. l. quod certatum 3. C. de posthum. hæredi. instituend.* & nobis attenta nouissima dispositione *l. 13. Tauri*, si vixerint viginti quattuor horas, & baptizati fuerint.

17 Cur † autem Iurisconsultis quini tantùm naturales sint, numerosiores verò non ita? latè disputat & prosequitur *Bonauentura d. lib. 9. cap. 25.* vbi multa futilia ex suo capite conficta Medicus homo Iurisprudentibus edixit, supponēs, & quidem erroneè numerosiores partus monstrosos, & successionum incapaces, cùm ostentosi tantùm sint, vt prædiximus, & latiùs probauimus in *cap. antecedenti.*

At prædictis duo † maximè obstare 18 videntur. Primum ex *d. l. antiqui*, vbi de septenis vno vtero editis agit *Paulus*, velut supponens septem vno partu edi posse. Secundum, ex *Glossa*, verbo *nasci* in *d. l. sed et si, §. fin. ff. de iudicat.* & communi quorundam Medicorum Anatomicorum & Philosophorum *in fra referēdorum* opinione (quibus nouissimè assentitur *Dalner. de iur. hom. part. 7. num. 2.*) existimantium in vtero muliebri septem esse concauitates, seu receptacula, ex quibus tria in parte dextra, tria in sinistra, septimū in medio exquisitè situm est: vt inde deducamus, naturam (quæ nihil vani operatur) partionibus naturalibus cellulas hasce præparasse.

Sed ad primum † respondetur, quod 19 de septenis dixit *Paulus* in *d. l. antiqui* admirandæ naturæ actioni tribuendū: neque enim id vbique gentium contingere inquit, sed in Ægypto, de quo *Solinus* ita ait: *Trogus Auctor affirmat, in Ægypto septenos vno vtero simul gigni, quòd ibi minus mirum, cum fœtifero potu Nilus non tantùm terrarum, sed & hominum fœcundet arua*: conferunt tradita de ista regione (omnium ferace) ab *Aristotele libro 7. de histor. animal. d. cap. 4. Strabone libro 15. Geographicor. A. Gel. lib. 10. Noct. Attic. dict. capite 2. Henrico Salmuth* latè *ad Pancirol. tom. 2. rer. memorabil. capit. 10. fol. 512.* & aptiùs à *Pet. Garcia d. disput. 72. cap. 3. nu. 11. in fine.*

Ad secundum † facilior est resolu- 20 tio attenta veriore sententia Medicorum &

rum & disertiorum dissectorum securè & à rei euidentia (vt nostri dicunt) affirmantium, merum figmentum esse quod de cellulis & receptaculis quidam asseuerarunt, quos optimè refellunt *Gorræus* insignis Medicus Parisiensis *in commentar. ad libellum Hippocratis de natura pueri*, *Bonauentura de partu octomestri, lib.9. cap.29. & 33.* *Petr.Garcia* optimè d.*disput.72.c.3.n.8. & 9.* *Paul Zacchias in Medico-legal.lib. tit.2.qu.8.nu.15.* *Bauhin. de Hermaphr. libr.1. cap.30.* & irriserunt excellentes Anatomistæ *Andreas Vessalius libr.5. de corporis humani fabrica, cap.15. prope fin.* *Ambrosius Paræus lib.23. de hominis gener.cap.16.* *Laurent.Operarius operũ anatom.lib.2.cap.32.* è quibus *Vessalius* primus ita ait: *Ignoro vndenam natum sit egregium illud commentum, quo in Iurisconsultorum, & dein Scholasticorũ Theologorum libris, & Alberti illius Magni indoctissimi de virorum, mulierumque secretis libro, & apud ineptissimum quendam Michaelem Schotum, & Gentilem nostrum, & Nicolaũ & Mundinum, atque adeò apud innumeros etiã Anatomicos legitur, muliebrem vterum septem cellulas seu loculos obtinere, tres quidem in dextera vteri sede masculis suscipiendis aptos, tres autem in sinistra fœminis dicatos, septimum verò in horum medio existere, Hermaphroditisque consecratum esse: cum tamen muliebris vteri cauitas perinde ac ego illam descripsi, sese habeat, nihilque minus quam huiusmodi loculos, seu sinus ostendat.* Adde *Galenum*, figmẽtum istud loculorum, seu cellularum omnium optimum improbantem *in libello de anatomia virorum.*

Inque eius euersionem subinde nota, quæ de gemellis vna & eadem pellicula, siue secundina contentis, docuit *Hippocrat. in lib.de superfœtat.* illis verbis: *Habeat autem vtrosque pueros in vna secunda.* Quod sæpè accidere (licèt contrarium sæpiùs) ex eodem *Hippocrate* notauit *Petrus Garcia* dict. *disput.72.cap.3.num.12.* *Andreas Laurent.* qui *lib.8. de histor.anatom. quæst.21.* hoc maximè in maribus gemellis euenire ait, alioquin marem in dextra, fœminam in sinistra ferri, ex *Hippocrate suprà* nouissimè *Doctor Sancta-Cruz de Hippocrat.Philosoph.super textu 77.* ab *Auicenna*, vt ipse ait, edoctus. Sed & ipse *Petrus Garcia* ab eodem *Hippocrate, Aristotele, Galeno*, & aliis dict. *cap.3.num.8.* & *Varandæus* dicto *cap.6.in princip.* disertissimè aiunt, vterum in mulieribus ita fuisse à Natura constructum, vt cauitatem habeat, media quadam linea distinctam, & suturæ (quæ in scroto virorum apparet) persimilem, cuius beneficio vterus in duas partes scinditur, dextram & sinistram, hacque fœminas, illa verò mares implurimùm contineri, & vtrique lateri vtramque mammam è directo positam respondere, quod ex pluribus comprobat *Andreas Laurentus lib. 8. de histor.anatomica, quæstione vigesima prima*, vbi (*Auicenna* improbato, quẽ *D. Sancta-Cruz* huius sententiæ aliàs assertorem s̃.fecit) nullas in vtero partes esse discretas euincit, sed linea tantùm quadam media (vt in ouis) quam *Aristotel.* appellat διφρῦν, id est, medianam, designatas. Et demum comprobat *Ioan.Scechenk.lib.4.obseruat.tit.de vtero, obseruat.2.*

Et ab his omnibus veniunt impugnanda † quæ de huiusmodi receptaculis tradidit *Iulianus*, quisve quis (attentis *superiùs* traditis *nu.10.*) Auctor 22
fuit dict.*l.si pater 36. ff.de solution.* quæ certè *Aristoteli libr. 7. de historia animalium, cap.4.* (à quo ista desumpsit, vti prædiximus) re vera imposuit. Is enim contrarium potiùs sensit & docuit *lib.4.de generatione animal.cap.4.* in *Hippocratem*, qui *libr.de dieta.* & *li. de natura pueri* cellulas, sinusque in

ventre muliebri supponebat, vt optimè notat *Pet. Garcia* dict. *disput.* 72. *c.* 3. *num.* 9. Quinimò cellulas istas & loculos *Aristot. in problem. sectio.* 10. *problem.* 16. in aliis tantùm animalibus extra hominem inueniri ait: quod nunc non disquiro.

A dictis velut euidens fit, multiplicem fœtum (qui aliàs abortui in causa sæpè esse assolet, ex notatis in *cap.* 16. & frequentiore aliàs humano partu periculosior, ex traditis à *Mercer.* post alios, in suo *libro*, cui titulus, *la Comare lib.* 1. *cap.* 23. & *libr.* 2. *cap.* 14.) in se nul-
22 lo modo abortiuum † esse: nam quinarium vsque numerum nobis naturalis est, vltra verò ostentosus: sed omnes hi partus successionum capaces sunt, & liberorum numero continentur ex iam dictis simul cum notatis in *cap. præcedenti*.

Sub hæc non abs re facturum pu-
23 to, si causam † multiplicis fœtus *Senecæ* (vt ipse fatetur *libr.* 7. *de benefic. cap.* 1.) incognitam, ab aliis Auctoribus rerum naturalium designauero. Et sanè *Empedocles* ad quantitatem, *Asclepiades* ad excellentiam seminis, *Erasistratus* ad superfœtationem retulerunt in *Plutarcho de placitis Philosophor. libr.* 5. *capit.* 10. At *Petrus Garcia Empedoclis* causam re vera approbauit dict. *disput.* 72. *capit.* 3. *numer.* 8. *& nono*, quam multiloquio non inepto depinxit *Varandæus* d. *cap.* 6. *in princ.* dicens: *Quotiens virile semen muliebri coniunctum semel, aut pluribus viribus in eodem congressu eiaculatum, ita in partes diuiditur, vt illæ sufficiant ad perfectam generationem variorum fœtuum, delineationē scilicet partium principum & spermaticarum tunicarum, quibus inuoluuntur, conformationem, atque alimenti materni attractionem, vel assimilationem, tunc oriuntur gemelli duo, vel plures eiusdem, vel diuersi sexus eisdem inuolucris contenti, sed propriis singulis vasis vmbilicalibus donati, quibus nutriri valeant: unde si vterus sit satis capax, & validus, ligamenta, quibus annectuntur, robusta, & alimentum sufficiens, vt ibi ad naturalem vsque partus terminum manere possint, fit sæpissimè de duobus, vt vitales & perfecti existant: de pluribus aliquando ad prodigium vsque auctis, si historiæ fides sit habenda.* Sed ista quid aliud denotant, quàm multiplicis partus causam à seminis maiore copia & diuisione prouenire? quod *Hippocrates in lib. de dieta* paucis illis docuit: οὕτω γὰρ ἀνάγκη σκίνασθαι ἐπ' ἀμφοτέρας τὰς μήτρας ὁμοίως, *sic necesse est dispergi semen in vtramque vteri partem similiter.* Et sanè ad ista referenda sunt, quæ de multiplicis fœtus causa latissimè prosequitur *Bauhinus de Hermaphrodit. li.* 1. *ca.* 8.

Sed hîs omnibus adde cum disertissimo *Bonauentura lib.* 3. *de octomest. partu, capit.* 86. solam seminis redundantiam in causa esse non posse multiplici partioni, nisi cum quantitate qualitas itidem seminis & agentis concurrat, & vt ego puto aptum simul matris acceptabulum, vigórque. Vnde in Ægypto & Græcia frequẽtiores sunt multiparæ (iuxta notata in *cap.* 1.) à fertili solo, & maiore mulierum virtute. Id quod in Hispania longè præpollet, tum quia mulieres præ cæteris aliarum gentium fortiores & perniciores, *Strab. lib.* 3. *Geograp.* tum, quia Hispaniæ solum (omnium natura insignium rerum feracissimum; *Plin. libr.* 3. *cap.* 3 & *lib.* 33. *cap.* 4. *Strab. lib.* 4. & excellentium insuper ingeniorum, *Ludouic. Noni.* post alios, in sua satis erudita *Hispania descriptione, capite sexto*,) ab ingenti & numerosiore incolarum copia (quæ partim à πολυτοκία procedit) sæpe commendatum fuit, *Cicer. orat.* 30. *de Haruspicum responsis: Nec* NVMERO *Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec arti-*

bus

bus Græcos superauimus: melius *Fl. Vegetius lib.1. de re militari, cap.1.* (iam per nos alibi expensus) *Hispanos quidem (ait) non tantùm* NVMERO, *sed etiam viribus corporum nostris præstitisse manifestum est.* Et conferunt quæ de ingenti Hispaniæ ciuitatum & oppidorum numero enarrant *Plinius* & *Strabo*, iste dict. *libr.3. post princip.* Ille *libro tertio* d. *capit.3.* Nec aliter à sola Hispania tot frequentes exercitus semper educi; tot nunc colonias apud Indos diduci; tot familias toto ferè Orbe (Hispanorum ditioni & deuotioni submisso) incoli potuisse.

His intermiscendum duco, quod de vectigali hominũ Romę ab Hispaniis tependi assueto disertè decantauit *Claudianus*, cùm ait:

Sola nouum Latiis vectigal IBERIA *rebus*
Contulit, Augustos; fruges æraria miles
Vndique conueniunt, totóque ex Orbe leguntur:
HÆC *generat, qui cuncta regant.*

Idem præfata omnia amplectens ita cecinit *in lib. de laudibus Serenæ*:

Quid dignum memorare tuis, HISPANIA, *terris*
Vox humana valet? primò lauat æquore Solem
India: tu fessos exacta luce iugales
Proluis: inque tuo respirant sydera fluctu
Diues equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus FOECVNDA *Piis.*

Hás demum mirè accinit *Latinus Pacatus Drepanus in Panegyrico ad Theodosium August.* dicens: *Sint, vt scribitur, Gargara prouentu læta triticeo, Meuania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum* HISPANIÆ *vni, quidquid vbique laudatur, assurgat.* HÆC *durissimos Milites*: HÆC *expertissimos Duces*: HÆC *facundissimos Oratores*: HÆC *clarissimos Vates parit*: HÆC *Iudicum, mater* HÆC *Principum est.* Vt ab his meritò elicias, Hispaniã frequentibus partionibus humanis, & quidem insignibus omni æuo clarè præuigentem.

Sub hæc multiplicis fœtus humani tractationem prosequentes à dictis vsque dum planè inferimus, eum ab v- 24
no tantùm † maris & fœminæ congressu procedere, velut canis; suis, cæterorúmque animalium, aliàs enim superfœtatio erit, vt diximus *suprà*, & latè comprobat *Petrus Garcia* dict. *dispu. 72. cap.1. Fernel. libr.7. de partu naturali, capit.12.* Idque mirè comprobatur ex *Apostolo* † *ad Romanos cap.9.* vbi (in- 25
terpretatus illud *Geneseos capit.25. Deprecatúsque est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, &c. iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt*) ita ait vers.10. *Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri*, quæ mirè concinunt Græco exemplari, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτης ἔχουσα Ἰσαὰκ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν: & eò tendũt illa † *Au-* 26
gustini lib.5. de Ciuitate Dei d. *cap.6.* (latiùs expendenda in *cap. sequẽti.*) *Numquid & in conceptu vbi vnum concubitum esse manifestum est, & tanta naturæ vis est, vt cùm conceperit fœmina, deinde alterum concipere omnino non possit: Vnde necesse est, eadem esse in geminis momenta conceptus.*

Et non solùm vno concubitu & conceptu gemelli generantur, sed etiam eduntur, † vt ait *Hippocrates in libello* 27
de superfœtatione, iuxta lectionem cõmunem affirmatiuam, ita aiẽtem: *Quæ gemellos eadem die parit, velut concipit*: nõ ignoro negatiuam, ἢ τὰ δίδυμα κυοῦσα οὐ τίκτει τῇ αὐτῇ ὥσπερ συνελάβει: sed subsequentia illa *Hippocratis* verba (*Habeat autẽ vtrosque pueros in vna secundina*) vtcunq; legas, apertè

demonstrant sententiæ Hippocraticæ
verum sensum, id est, non omnes ge-
mellos eodem tempore concipi & e-
di, sed eos tantùm, quos habet mulier
in eadem secunda, iuxta ea quæ ex *Pet.*
Garcia dict. *cap.* 3. *num.* 13. annotauimus
suprà. Sed præ cæteris isthæc mirè
comprobantur insigni *Gregorij Ma-*
gni loco *homi.* 10. *in Euang.* vbi de Ia-
cob & Esau (quos *Paulus* vno concu-
bitu conceptos docuerat) ita ait: *Cùm*
vno tempore, eodémque momẽto vtrúm-
que mater fuderit, non vna vtriúsque vi-
tæ qualitas fuit: id quod disertis verbis
comprobauit *Augustinus lib.* 5. *de Ciui-*
tate Dei, cap. 5. in verbis expendendis
in cap. sequenti, nume. 8. Et sanè præ-
dicta omnia disertè agnouit *D. Alchi-*
mus Auitus Viennensis Archiepiscopus
in suo eleganti Poëmate *de initio mun-*
di, & priorum Parentum procreatione,
libr. 2. *capit.* 13. duobus tantùm illis ver-
sibus:

Necnon & geminos vno sub tempore
fusos
Quos indiscretus luci subduxerit orbis.

Déque his dubio procul intelligen-
28 dus est † *Iulius Paulus libr.* 4. *Senten-*
tiar. titul. 9. §. 2. in illis verbis: *Non enim*
ter peperisse, sed semel partum fudisse vi-
detur, nisi fortè per interualla pariat:
quasi clarè cũ *Hippocrate* (cuius scri-
pta reuoluerat, vt memini me iam ali-
bi annotasse) senserit duos, trésve vno
impetu ab vtero mulieris in lucem
prodire posse.

Ex quibus clarè consequimur, er-
29 rasse † *Tryphoninum* Iurisconsultum,
qui in dict. *l. Arethusa*, vel *Arescusa*, *ff.*
de statu homin. se iure asserit naturam
non permittere *simul vno impetu duos*
infantes de vtero matris excedere. Et
per consequens corruunt cætera ab
isto Iurisconsulto ibidem tradita, ita
vt in casus per eum propositi decisione
necessum sit recurrere ad tradita per
Iustinianum in *l. cùm inter* 14. vers.
sin autem, Cod. de fideicommiss. liber-
tat. de quibus sub finem huius capitis
agemus.

Sed cùm in gemellorum, vel nume-
rosioris fœtus editione regulariter Na-
tura ordinem seruet, & vnus post a-
lium videat lucem, meritò nostri hæsi-
tarunt, † cùm dubium est, vter prius 30
natus fuerit? quis ex gemellis natus
maior præsumatur? Quam quæstio-
nem latè disputãt ordinarij in *l. si fue-*
rit 10. §. *fin. ff. de rebus dubiis*, per *textum*
ibi. Tu rem compone, tres casus cum
Menochio distinguens, *libro sexto*, dict.
præsumpt. 51. à *num.* 13. vsque ad 27. Di-
ctis enim ab isto diligenti *Auctore* nil
mihi addendum, vel detrahendum oc-
currit.

Nisi quod in successione Regni 31
† & maioratus in causa ista gemello-
rum iam annotauimus, & exactè su-
mus prosequuti *suprà in capit.* 6. *sub fi-*
nem, quod obseruandum etiam cen-
seo in duobus gemellis vno impetu e-
ditis, iuxta *suprà* tradita, & *inferiùs*
dicenda.

Hîc velut ex ordine agendum erat
de parturitionibus multiplicibus vbi-
que gentium omnibus temporibus 32
contingentibus, quarum adcò † varij,
multiplicésque sunt casus & Naturæ
successus, vt earum enarratione facilè
fuisset plures implere paginas: sat verò
sit velut compendio annotasse, in re-
gionibus fœcundis, velut Ægypto (ex
traditis ab *Aristotele*, *Strabone* & aliis)
πολυτοκίαν maximè præualuisse, & se-
ptem vsque vno partu edi consuetos,
vt ex *Trogo*, *Solino*, & aliis post *Aristo-*
telem annotauimus *suprà.*

Numerósiores verò partus porten-
tu † vel ostento sunt sanè tribuendi, 33
velut ille *Plinij*, qui *lib.* 7. *c.* 11. exstare in
monumentis Medicorum asserit v-
no abortu duodecim puerperia edita
fuisse.

fuisse. Huic miro successui sequentes addit *Gothofred. in scholiis ad* d.*l. si pater, ff. de solutionib. Tatianus aduersus Græcos, Quid* (inquit) *ad me Periclymene opus mulieris, quæ vno partu triginta infantes peperit? Et Albertus refert, mulierem quandam in Germania consignatis, conseruatísque iam in vtero duorum & viginti infantium corpusculis abortum fecisse: aliam verò etiam septuaginta. Imò, vt magis mireris, aliam etiam eiecisse in peluim embryunculorum articularis digiti magnitudine corpuscula centum & quinquaginta: cuius rei facta fidis est tuniculis quibus obuoluebantur concissis. Addit quoque pluribus eorum affuisse dilatationis & constructionis motum, & signa alia vitæ complura, oculis tamen imperfectioribus, manuum verò & pedum digitos fuisse veluti capillares.* Demum ista *Gothofredus* leuia esse ait, si eis comparemus partum Margaritæ Hertmani Comitis Hennebergiæ vxoris, quæ sub Henrico Imperatore vna parturitione 365. liberos viuos edidit. Huiúsque memorandi ostenti totam historiam in tabula marmorea exstantem) adscripserunt *Henricus Salmuth ad Pancirol. tomo 2. rer. memorabil. cap.* 10. *Dalnerus de iure homin. p.* 7. *numero vigesimo secundo*, quæ talis est:

EN TIBI MONSTROSVM NIMIS, ET MEMORABILE FACTVM, QVALE NEC A MVNDI CONDITIONE DATVM.

Margarita Hertmani *Comitis* Hennebergiæ *vxor, Quarti Florentij Comitis Holandiæ & Scelandiæ, filia Gulielmi Regis Romanorum, ac postea Cæsaris, seu Gubernatoris Imperij, atque Alitheiæ Comitis* Hanouiæ *soror, cuius patruus Episcopus Traiectensis, auunculi autem filius Dux Brauantiæ & Comes Turingiæ, &c.* Hæc *autem illustrissima Comitissa annos quadraginta circiter nata, ipso die* Parasceves*, nonam circiter horam, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, trecentos & sexaginta quinque enixa est liberos, qui prius à* Guidone *suffraganeo Traiectensi omnes in duas ex ære peluibus baptizati sunt, quorum masculi quotquot erant,* IOANNES, *puellæ autem omnes* ELISABETHÆ *vocatæ sunt, qui simul omnes cum matre vno eodémque die fatis concesserunt, atque in hoc* LAVDVNENSI *Templo sepulti iacent. Quod quidem accidit ob paupercułam quandam fœminam, quæ ex vno partu gemellos in vlnis gestabat pueros, quam rem ipsa admirata Comitissa dicebat, id per vnum virum fieri non posse, ipsámque contumeliosè reiecit. Vnde hæc paupercula animo conturbata ac perculsa, mox tantum prolium numerũ ac multitudinem ex vno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ cursum stupenda quadam ratione ita est factum sicut in hac tabula in perpetuã huius memoriam, ex vetustis tam manuscriptis, quàm typis excussis Chronicis breuiter positum & enarratum est.* DEVS *ille ter maximus hac de re suspiiẽdus, honorãdus, ac laudibus extollendus in sempiterna secula. Amen.*

Qui plura alia huius propositi † videre desiderat, post Plinium & alios antiquiores iam relatos, adeat *A. Gellium lib.* 10. *Noct.* Atticar. d.c.2. *Capitolinum in* Antonino*, Tatianum in orat. contra* Græcos *ad fin. Cælium Rhodigin. lib.* 4. *lection. c.* 23. *Speron. Speronij in suo Dialógo de partu,* Anton. Guibert. *in* Polystore, *c.* 10. *&* 11. *Martinus Cromer. libr.* 9. *suæ historiæ, Ganguinum in vita Bostelai V. Matthæ. Descr. Isagog.* Histor. *Millen.* 6. Auentin. *libr.* 5. *&* 7. Annalium *Boior. Ernestum Brutusum historiæ* Anhaltinensis Princip. *libr.* 4. *cap.* 4. Georgium *Loys in* Peruig. *Mercur. obserua.* 187. *Theatrũ humanæ vitæ vol.* 2. 34

lib.5.Philippum Camerar. meditat.hist. cent.cap.26.Andream Laurent. lib.8.de historia anatom.cap.26.Bulengerum lib. 11.historiæ sui temporis, Læuinum Lemnium de occult.naturæ mirac.libr.4.c.23. Ioubertum de errorib.popularib.lib.3.cap. 1. vbi nouem vno partu robustos edi posse contendit, *Sechenk.* latè *lib.4.obseruationum,tit.de partu,obseruat.13. & 14.Gothofredum,Salmuth*, & *Dalnerum suprà* relatos. Et ex nostris post ordinarios Iuris Interpretes in præcitatis legibus, *Alciatum libr. 1. prætermissorũ, Tiraquel.de legib.connubial. gloss.9. numer.95.Cagnolum in l.ea quæ rarò, num. 6.ff.de diuers. regul. iur. Benedictum in capit.Raynutius,verbo & soboles,in principio,de testament.Boërium qu.158.libr.4. Ioannem Coras.*in dict.*l.Arethusa,ff.de statu hominum, Menochium libro sexto, præsumpt.51.D.Gregorium Lopez Maderam.in lib. animaduers.Iur.Ciuil. cap. 11.nu.4.*

Denique in proposito nota, multi-
35 plici partu in dubio fauendum, † vt probat insignis decisio dict. *l.1.§.quare,ff.de ventre in possess.mittẽdo*, vbi exhæredatione ita concepta: *Si mihi filius vnus nasceretur, exhæres esto. Quia filia* (ait *Vlpianus*) *nasci potest, vel plures filij, vel filius & filia, venter in possessionem mittetur: satius est enim sub incerto eius cui detur, ali etiam eum qui exhæredatus sit, quàm eum qui non sit exhæredatus fame necari, ratúmque esse debet, quod deminutum est, quamuis is nascatur qui repellitur*: prosequuntur ordinarij Interpretes, & post reliquos *ff. Richardus* in *l.Gallus,cap 4.n.147.ff.de liberis & posthum.*

36 Sed præ omnibus ab hoc *textu* † notandum est, duobus pluribúsve filiis simul natis nullum à formula prædicta, exhæredationis notæ subiacere. At contrà tenendum est, vt prædiximus in fauorabilibus, dict. *l.qui filiabus* 17.§. 1.*ff.de legat.1.*maximè in libertate, quæ si relicta fuerit ei qui in vtero portabatur, & plures vno partu editi fuerint, omnes simul liberi fient, ex noua *Iustiniani* constitutione in dict. *l. cùm inter* 14. *vers. sin autem, C. de fideicommiss.libert.* Deleta enim veterum controuersia aientium ex ratione dict. *l. qui filiabus* 17.§.1.& *l.Labeo* 21.*§.1.ff.de statu liber.*& *l.in vsu* 158.*ff. de verbor.signific.* & negantium ex vulgari *l. duo sunt, ff.de testamen.tutela.* Primam affirmatiuam (fauorem libertatem respicientem) sequutus fuit † *Iustinianus*, 37
& meritò, ex his quæ in proposito disertè annotauit *Edmundus Merillius ad 50.decisiones Iustiniani supr. d. l.cùm inter,ad finem.*

Sed his obstare videtur *Pauli* † re- 38
sponsum in *libr.4.Sententiar. tit.9.*in d. §.2.ita aientis: *Quæ semel vno partu tres filios edidit, ius liberorum non consequitur: non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse videtur, nisi fortè per interualla pariat.* Quin & *Paulus* sibi ipsi constare non videtur, dum in *l.* 137.*ff.de verborum signific.* ex contrario inquit: *Ter enixa videtur etiam quæ trigeminos peperit*: sed priori oppositioni elicitæ ex dicto §. secundo, respondeo ex iam dictis *suprà Paulum* scilicet intelligendum suo casu in dubio: is est cùm mulier vno impetu trigeminos ediderit, quæ cùm vna sit parturitio, matri ad Tertulliani commodum non proderat, sin autem per interualla eos fuderit, Tertulliano locus erat, ex dicto §.2.

Ex quibus clarè apparet, quàm ridicula sit *Cuiacij* † interpretatio in d. 39
§.2. (quem sequitur *Gothofred.* in dict. *l. ter enixa*) is enim cùm existimaret vno impetu duos, tresve edi non posse, decisionem illius §. reducit ad trigeminos solius exceptionis, & regulam generalem *Paulo* omnino contrariam statuit, dicens, trigeminos matri ad commodum Tertulliani semper prodesse

desse, cùm vno partu edi non possent: quo nil deuius à Pauli sensu dici potuit, nec à sententia *Hippocratis*, supponentis, ex traditis à Petro Garcia s̃.d. *c.3.nu.*12. geminos & trigeminos vna secunda contentos (vt sæpè accidit, licèt sæpiùs contrarium) vno impetu in lucem prodire.

Quod verò attinet ad d. *l.ter enixa*,
40 † respondeo, in ea Paulum quæstioné prædictam tractasse iuxta terminos, & interpretationem *legis Iuliæ* & Papiæ, ad cuius pœnas vitandas matri nó tantùm & tergeminos temporis interuallo fusos, sed & eodem impetu editos prodesse ait, cùm verùm sit eam peperisse, quæ tergeminos pepererit.

Quòd si meam in his Pauli responsis sententiam requiras, ego sanè con-
41 trarium indistinctè † resoluerem contra d. §. 2. ita vt & trigemini vno impetu edi matri ad successionem ex Tertulliano prodessent, cùm verum sit eam tres filios edidisse & peperisse, eorumque matrem veram esse, quod ex Tertulliano tantùm requirebatur, *l.2. cum suis §§. ff. ad Senatusconſ. Tertul. §.1. instit. eod.* Decisionem verò d. *l. ter*
42 *enixa* 137. † superuacuam & dubitandi (vt nostri aiunt) ratione carentem inuenio, cùm non tantùm ad vitandas pœnas & odia *legis Iuliæ* & Papiæ, sed omni alio casu odioso, vel fauorabili, siue de damno vitando, siue de lucro (vt aiunt) captando agatur, verè, propriè & strictè peperisse, & filios habuisse dicatur, quæ trigeminos, vel vno impetu, vel diuersis temporum intervallis edidit. Quin & nostra ista fortiùs procedere inuenies, attento verbo *peperit* (quo vsus fuit Paulus in dicta *l. ter enixa*) ad partus naturales referendo, & abortiones excludente.

Sed quæ superius resoluimus de fauore multiplici partui in dubio impartiendo, intelligere † oportet in his quæ facilè multiplicari possunt, velut 43
libertas, d. *l. cùm inter*, vel præstatio, seu assignatio certæ quantitatis, d. *l. qui filiabus*, §.1. *ff. de legat.*1. In his verò quæ singulis in solidum præstari non possunt, fœtus fœcunda multiplicatas velut, partes per concursum faciet, ex benigna Iuris interpretatione, à verosimili testantis & disponentis voluntate desumpta, ex singulari decisione *textus* in *l. si ita scriptum* 13. *ff. de liber. & posth.* vbi *Iulianus* ita ait: *Si ita scriptum sit: Si filius mihi natus fuerit, ex besse hæres esto, ex reliqua parte vxor mea hæres esto: si verò filia mihi nata fuerit, ex triente hæres esto, ex reliqua parte vxor hæres esto: & si filius & filia nati essent, dicendũ est, assem distribuendum esse in septem partes, vt ex his filius quatuor, vxor duas filia vnam partẽ habeat: ita enim secũdùm voluntatem testantis filius alteri tãto amplius habebit quàm vxor: itẽ vxor altero tãto amplius quã filia. Licèt enim subtili iuris regulæ conueniebat ruptum fieri testamentum, attamẽ cùm ex vtroq; nato testator voluerit vxorem aliquid habere, ideò ad huiusmodi sententiã, humanitate suggerente decursum est: quod etiam Iuuencio Celso apertissimè placuit.* Et in *l. Clemens Patronus* 81. *ff. de hæred. instit.* vbi *Paulus* ita ait: *Clemens Patronus testamento cauerat, vt si sibi filius natus fuisset, hæres esset: si duo filij ex æquis partibus hæredes essent: si duæ filiæ, similiter: si filius & filia, filio duas partes, filiæ tertia dederat: duobus filiis & filia natis. Quærebatur, quemadmodũ in proposita specie partes faciemus, cùm filij debeant pares esse, vel etiam singuli duplo plus quã soror accipere? Quinque igitur partes fieri oportet, vt ex his binas masculi, vnam fœmina accipiat.* Proportione quadam Geometrica (de qua *Hotmanus* in d. *l. si ita scriptum, ad finem*) computatione & distributione inita.

Dixi iura procedere ex benigna iuris interpretatione. Id namque clarè præ se ferunt verba illa d. *l. si ita scriptum*: *Licèt enim subtili iuris regulæ conueniebat ruptum fieri testamentum, attamen cùm ex vtroque nato testator voluerit vxorē aliquid habere, ideò ad huiusmodi sententiam, humanitate suggerente, decursum est*: quæ velut repetenda sunt in decisione dictæ *l. Clemens*, ita vt vnam legem ab alia suppleamus & declaremus, iuxta regulam *textus* in *l. qui filiabus*, vbi *Iason. ff. de legat.* 1. & *l. vxori*, *§. fin.* vbi *Bart. ff. de legat.* 3. & *l. alimenta, ff. de alimentis & cibariis legatis, Mantica* & *Peregri.* post alios, ille *lib. 6. coniectur. cap.* 13. *num.* 3. iste *in tractatu de fideicommiss. articul.* 16. *num.* 108. Et ita dictam *l. si ita scriptum* intelligit acutissimus *Raphael Cumanus* ibi: & in *l. 2. ff. de verborum obligat.* quem sequuntur *Socin.* in dicta *l. si ita scriptum, num.* 12. *Alciatus* 23. *Fortun.* in *l. Gallus, §. & quid si tantùm, num* 132. *ff. de liberis & posthumis, Hotmanus* in d. *l. si ita scriptum*, super verbo: *Humanitate suggerente, in princip.* Et sanè istorum verissimam interpretationem facilè vindicabis à nota *Croti* ibi *nu.* 77. (expendentis verba illa: *Ruptum fieri testamentum*, & dicentis, mero iuris rigore non quidem rumpi, sed nullum iudicari debuisse ob filij præteritionem, *l. inter cætera, D. de liberis & posthum.*) Nam verius est, testamentum in quo filius nondum natus fuit præteritus mero iure tenere, *lege* 3. *§. ex his, ff. de iniusto, rupto*, & ideò nato posthumo rumpi, quòd secus est filio superstite præterito, d. *l. inter cætera*, vt latiùs iam suo loco annotauimus *supr. in cap.* 2.

Ex quibus (vt hæc obiter dicam) quàm euidenter colligitur, deuiam esse Interpretum Iuris communem sententiam à d. *l. si ita scriptum* elicentium
44 casum mixtum † sub simplicibus contineri, & regulam à casu singulari, & benignæ interpretationis pessimè cōstituentium, post *Glossam* in *l. 1. 2. D. de verbor. obligation.* Vbi multò disertiùs regulam negatiuam constituit *Bartolus* asserens, casum mixtum sub simplicibus non comprehendi. Nec sustineri potest concordia existimantium, *Glossæ* sententiam in fauorabilibus intelligendam, *Bartoli* verò opinionem ad odiosa, quæve fauorabilia nō sunt, referendam, vt quæ apertè refellitur ex *l. si ita facta* 14. *D. de iniusto rupto, irritóque facto testamen.* & *l. quid ergo* 13. *in fin. princip.* iuncta *l. 1. D. de his qui notantur infam. l. is qui* 11. *§. hoc interdicto, D. quod vi aut clàm*, cum aliis pluribus expensis à *Pancirolo in thesauro variar. lib. 3. cap.* 1. vers. *oppositum*: & ita omnium primum agnouisse video subtilem *Aretinum*, in d. *l. si ita scriptum*, & post eum *Socinum* & alios, quorum allegationibus non immoror, eas enim & alias huius propositi diligenter, vti solet, congessit *D. Castillo libr. 4. quotidianarum controuersiar. cap.* 15 ex *num.* 35.

At regula *Bartoli* negatiua securè limitanda est, cùm vtrumque simplex exprimitur, à quo mixtum prouenit, quo casu tam in fauorabili, quàm odiosa dispositione casus simplex ad mixtum extendetur, vt optimè notauit *Pancirolus* d. *ca.* 1. vers. *credo itaque*, & apertè probatur in d. *l. si ita facta*, à cuius decisione clarè deduco institutionem ita conceptam: *Si filius natus, natáve sit, hæres esto*; natis filio & filia ambos, non ex benigna interpretatione (ac in d. *l. si ita scriptum*) sed mero iure heredes esse. Et inde etiam infères, ad alios varios casus, quos nouè conderauit *Nicol. Vander Hooch singul. 3. per totum.*

Abeant ergo longissimè interpretum Iuris tardiosæ disceptationes, ampliationes, & limitationes prædictæ pro-

Propositionis, quæ vel falsæ sunt, vel otiosæ, quod attento Lectori eorum (quæ præ cæteris diffusè tractarunt *Camillus Gallin. lib. 9. de verborum significatione, à cap. 19. D. Ioan. Castillo d. ca. 15. à dicto cap. 35.*) perquàm euidens fiet.

Demum ad nostra, quibus paululùm digressi sumus, redeuntes, & dictis hoc capite finem facientes, tria in calce annotanda censemus. Primum,
45 † rarioris multiplicis fœtus humani causam, quam eleganter descripsisse & demonstrasse *Andream Laurent. lib. 5. de historia anatomica, c. 5. quæst. 21.* dicens, cętera animantia implurimum multipara esse, quia breuioris sunt vitæ, & non homini modò ad victum, vestitúmque inseruiunt, sed etiam sibi ipsis sunt præda: ideoque ne eorum species extinguerentur, vim multiplicis fœtus edendi concessisse Naturam: homini verò omnium ferè temperatissimo & viuacissimo vnicum tātùm, aut duos ad summum gestare à Natura concessum: quòd si numerosior interdum ederetur soboles eam Philosophis παρὰ φύσιν, & quasi portentosam visam ait iste.

Secundum suppeditat † is ipse Au- 46
ctor *supr.* causam inquirens cur gemini adeò similes sint κατὰ πλεῖστον: & disertè simul ex *Hippocrate in libro de diæta* triplicem similitudinis causam agnoscit, *æqualitatem* scilicet *loci, conceptionem contemporaneam, vsum eorundem alimentorum*: eundem enim sanguinem exsugunt, quinimò eodem materno spiritu per arterias vmbilicales hausto fruuntur, vt iste notat strenuè.

Tertium denique erit à multiplicibus partitudinibus mala † & damna 47
Antiquos præsagire consueuisse, vt colligitur ex *Capitolino in Antonino & Solino cap. 3. ad finem*, ita dicente: *Flauia quædam ex plebe partu vno edidit quatuor geminos, mares duos, & fœminas totidem, monstrosa fœcunditate portendens indicium futuræ calamitatis.*



CAPVT XIX.

DE SVPERFOETATIONE.

SYNOPSIS.

1 *Quid sit superfœtatio, exprimit* Auctor.

2 *Librum de ea edidit* Hippocrates, *quidquid alij dixerint.*

3 *Iurisconsulti* Paulus *&* Vlpianus *superfœtationis meminere.*

4 Doctores Valuerde *&* Sorapan *negant superfœtationem. Et numero 5.* Doctor Valuerde, *ab impugnatione communis rationis superfœtationi assignari solitæ, suam sententiam adstruit. Et n. 6. & 7. dicta prædictorum Doctorum refellit.*

8 Bonauentura Diuum Augustinum

optimè ab impostoribus vindicat, in his quæ de superfœtatione sensit.

9 *Notatur* Budæus *malè notans* D. Augustinum.

10 *Discutit, an statis certisque temporibus superfœtatio accidat? & Bonauent. improbat ibi, & numero sequent.*

12 Ioannes Varandæus *à primo primi conceptus die vsque ad quadragesimum superfœtationem tantùm admittit: id quod anteà placuerat* Accursio *omnium Iuris Interpretum primo.*

13 *Doctissimus* Petrus Garcia *in initio prioris conceptus, & reliquo tempore contingere posse affirmat. Et num.* 14. *id declarat. Et* Auctor *insuper num.* 16. & 17.

15 Vlpiani *decisionem in* l. cùm quidam, §. suum hæredem *erroneam demonstrat. Et multò magis errasse* Alexandrum *eius Interpretem.*

18 *Varias superfœtationis causas adducit. Et num.* 19. *designatam ab* Hippocrate & Aristotele *probat & illustrat.*

20 *Fœminæ omnium animantium superfœtatiores sunt, exceptis leporibus, & suibus.*

21 *Rationem Physicam cur grauidæ viri congressum appetant, assignauit* And. Laurentius.

22 *Auctores plures superfœtationis singulares casus enarrantes dinumerat.*

23 *Herculis & Iphicli exemplum fabulis dedit* Aristot. & Plinium *interpretatur.*

1 SVPERFOETATIO, Græcè ἐπικύησις (quæ † nihil aliud est, quàm secunda quædam conceptio, quæ fit grauida existente muliere, vt ex *Aristotele* definit *Petrus Garcia de locis affectis disput.* 72. *capite* 4. *in principio* Paul. Zacchi. *in Medico-legal. titulo* 3. *quæst.* 4.) in eo tantùm differt à gemellorum, & cuiusuis alterius multiplicis partus generatione, quòd illa vnico concubitu & semine perficitur (vt vidimus in *capite præcedenti*) ista verò à variis congressibus diuersis temporibus in eodem vtero contingit.

2 De ea librum edidit † *Hippocrates*, vt Medicorum fert assensus (etsi ab *Erotiano* prætermissus sit) & sanè inter eius opera θεραπεύτικα, & libros περὶ γυναικείων ab antiquis temporibus annumeratur & inuenitur. Est insuper superfœtationis nobile est exemplum in eodem *Hippocrate libr.* 5. *Epidemior. de muliere Larissæa*, quæ quadragesimo post partum die præposterè conceptum fœtum eiecit: deque illa egit *Philosophus lib.* 7. *de generat. animal. cap.* 5. *Plinius* eius μιμητής, & sectator *libro* 7. *cap.* 11. *Solinus capite* 4. *Paulus in Amphitr. actu* 1. *scena* 2. *versic.* 18. vbi superfœtationem in Alcmena supponens ita Mercurius ait:

Hodie illa pariet filios geminos duos,
Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatus, alter mense septumo,
Eorum Amphitruonis alter est, alter
Iouis.

3 Et apud nos † *Paulus* Iurisconsultus in *l. antiqui* 3. *ff. si pars hæreditatis petatur*, à Lælio refert, in palatio Imperatoris Hadriani visam Ægyptiam ab Alexandria perductam *cum quinque liberis, ex quibus quattuor codem tempore enixa dicebatur, quintum, post quadragesimum diem*: quod absque superfœtatione regulariter contingere non potuit, quidquid in contrarium adstruat *Bonauentura, inferiùs referendus* & refellendus.

Quin ad superfœtationem referenda sunt illa *Vlpiani* in *l. cùm quidam* 30. §.

30.§.*suum hæredem,ff.de acquirend.hæ-
reditate: Et cùm vnum gerit,nec per na-
turam humanæ conditionis alium par-
tum formare potest, quod quidem post
certum tempus conceptionis eueniet, &c.*
vbi *Glossa* verbo *post certum*, *Budæus* la-
tè *in notis ad* d.*l.antiqui*, *Petrus Gilke-
nius* in *l.Gallus,nu.64.ff.de liberis & po-
sthumis* : eámque probarunt omnes
Philosophi & Medici (præter vnum
aut alterum ĩ.referendos) maximè *Fe-
dericus Bonauentura* (qui ista latissimè
prosequitur) *lib.9. de octomestri partu,
ex cap.23.ad 33. Petr.Garcia*, post plu-
res, quos refert, d.*disputatione 72.c.4.
& 5. Varandæus de affectib.mulierum,
tom.2.c.6.* Quibus adde *Pierium Vale-
rian.lib.3. Hieroglyphyc.titul.de lepore.
Henricum Salmuth ad Pancirolum to-
mo 2.rerum memorabilium,tit.10.VVol-
fang.tomo 2.lectionum memorabil.& re-
cond.cent.16.Fernelium lib.7.physiolog.
c.12.Schenkium* (varia referentem) *libr.
4.obseruationum, tit. de superfœtatione,
Ioannem Baptistam Syluaticum* latè *in
controuers.Medicin.c.81. Paulum Zac-
chiam*, post alios, *in Medico-legalibus,
tit.3.q.3.n.11.* Qui *n.13.* eius (vt nostri di-
cunt) existentiam pluribus rationibus
comprobat. Et *nu.19.* quî fiat aperit. Et
ex nostris, post *Accursium* in d.*l.anti-
qui*, idem adstruunt cæteri ferè ordi-
narij in eadem *lege*, & in d.*l. cùm qui-
dam,§.suum hæredem*, cum aliis ĩ.refe-
rendis.

His nihilo seciùs sunt, qui superfœ-
tationem negant, † & figmentum asse-
runt, maximè Anatomicus *Valuerde
lib.2.anatomiæ,c.14.* nouissimè *Doctor
Sorapan. 2.parte suorum Adagiorum
Medicinalium,adagio 1.ad finem*, ex
Hippocratis Aphorismi 51. sectione 5.
verbis illis: *Quæ vtero gerunt,his vte-
rus comprimitur:* & *Galeno in commen-
tariis*, id comprobante obstetricum
experimento, quæ digitis immissis
os vteri clausum percipiunt. Et ad-
dit ex *Herophilo*, nec mucronem spe-
cilli orificium, siue os matricis introi-
re posse postquàm mulier concepe-
rit.

Et verò prædicto *Valverde* (qui
suam sententiam nullo affirmauit me-
dio) sat visum fuit † ad eam fundan- 5
dam elidere potissimam rationem,
qua superfœtationis assseueratores in-
nituntur à partionibus humanis di-
uersis temporibus, mensibúsve desum-
ptam: ait ergo ab hoc nihil ostendi,
quia sicut ex vno grano plures nascũ-
tur, & tamen non omnes simul, & eo-
dem tempore ad maturitatem, & per-
fectionem perueniunt, sic ex semine
hominis possunt fœtus multiplices
concipi, & diuersis temporibus in lu-
cem prodire, vnus antea, vt præcox, a-
lius postea, vt tardior, in maturitate &
perfectione consequenda. Et huius
sententiæ *Diuum Augustinum* fuisse
lib.5.de Ciuitate Dei c.6. quidam rati
sunt: & ex nostris securè testatur *Bu-
dæus in notis ad* d.*l.antiqui*, asserens a-
nimose, ista *Augustinum* ignorasse; &
Sylburgius (relatus cum *Ioanne Baptista
Pio à Bonauentura* dict.*lib.9.capite 25.*)
veritus non est asserere tantum homi-
nem hac in re aperta fuisse allucina-
tum.

Sed hæc omnia à vero tramite de-
uia † sunt, & *Doctoris Sorapan* argu- 6
mento fit satis ex illis *Aristotelis li. 4.
de generatione animalium,c.5. Sed si iam
aucto conceptu coitus adhibetur, super-
fœtari quidem potest, sed rarò, quoniam
vterus magna ex parte ad partum vsque
se comprimat:* expensis dictionib. illis,
rarò & magna ex parte. Quod ipsum
dixit *Hippocrates*, quisve quis librum
de superfœtatione conscripsit, ibi: *Su-
perfœtant autem mulieres, quarum vte-
ri os post primum conceptum non exqui-
sitè clauditur.*

7 At ratio *Valuerde* † id tantùm concludit, posse ex eodem semine diuersos fœtus diuersis temporibus in lucem edi, non tamen euincit, superfœtationem impossibilem esse, vt rectè notat *Petrus Garcia* dicto *capite* 4. *n.*15.

Vbi post *Bonauenturam* dicto *cap.* 25.*& sequentibus*, sanctissimum & doctissimum *Augustinum* à præcitatis impostoribus optimè defendit, & illa
8 † eius verba d. *cap* 6. (*Hoc quàm nihil sit, iam satis disserui: sed qualecunque sit in ortu valere dicunt. Numquid & in conceptu, vbi & vnum concubitum esse manifestum est? Et tanta Naturæ vis est, vt cùm conceperit fœmina, deinde alterū concipere minimè possit, vnde necesse est eadem esse in geminis momenta cōceptus*) interpretanda esse ait contra Chaldæos & Ariolos, qui ab Astrorum influxu fortunam cuiusque dimetiebantur. Quibus disertissimus *Augustinus* obiicit geminos, qui licèt simul fuerint procreati, vita tamen & moribus sint diuersi. Et istorum insuper habita euasione ducta à natiuitate (de qua illicò erit sermo) non eodem momento temporis contingente, redit ad geminorum conceptum eodem tempore obueniens. Et quia poterant instare dicentes, non vno conceptu, sed superfœtatione genitos: vt hanc tergiuersationem labefactaret, vsus est propositis verbis, quibus non negat superfœtationem, sed non semper contingere: nam vt fiat necessum est post primum conceptum os vteri apertum manere, aut denuò aperiri ad nouum semen suscipiendum; id autem fieri non potest prioribus conceptus diebus (vt dicemus ĩ.) propter vim claudentis naturæ, quæ apertionem tunc temporis non permittit, indéque fieri, vt in gemellorum conceptu non possit dari superfœtatio ex sententia *Diui Augustini*. Quam fortissimè comprobabis ex *Aristotele in lib.7. de historia animalium, c.*14. ita clarè supponente in verbis ĩ. expendendis *n.*10. & *Hippocrate in libello de superfœtatione* verbis illis (iam per nos expensis *superiore capite*) *Habeat autem vtrosque pueros in vna secundina*, quæ ad geminos (vt diximus) eodem tempore conceptos & editos referenda sunt, qui si diuersis actionibus, & moribus sunt præditi, nullum Chaldæis ab *Augustino* impugnatis remanet subterfugium. Maximè si his adiungas, quæ ex *Sexto Empirico* annotauimus s. *in c.*1. *in princip. n.* 16. (quæ velim hîc repetas in euidentē comprobationem dictorum ab *Augustino*) & omnimodam exclusionem eorum quæ Chaldæi & Mathematici à diuerso conceptu statuunt. Quæ sanè (vt hæc obiter dicam) istorum aliquos coëgerunt, vt in diuerso natalitio tantùm nascentium diuersitatem constituerint, asserentes fata non esse dimetienda ab *ἀπὸ σπορᾶς conceptione*, sed *ἀπὸ τῆς ἀποκυήσεως natiuitate*, vt colligitur ex *Suetonio in Augusto, c.*94. & *A. Gellius lib.*14.*c.*1. cum aliis, quæ disertè annotauit *Ludouicus Carrio lib.* 2. *emendat. cap.*2.

Sed & istorum subterfugium, stellarum influxum ad natalitium referentium, disertissimè explodunt illustres Ecclesiæ Doctores *Augustin.* & *Gregor.* ille enim *lib.*5. *de Ciuitate Dei, cap.* 5. ita ait: *Deinde quæro, si tanta distantia est temporis in natiuitate geminorum, vt per hanc oporteat eis constellationes fieri diuersas propter diuersum horoscopum, & ob hoc diuersos omnes cardines, vbi tanta vis ponitur, vt hinc etiā diuersa sint fata: vnde hoc accidere potuit, cùm eorum conceptus diuersum tempus habere non possit? Aut si duorum vno momento temporis conceptorum potuerunt esse ad nascēdum fata disparia, cur*

non

non & duorum vno momento temporis natorum possint esse ad viuendum atque moriendum fata disparia? Nam si vnum momentum, quo ambo concepti sunt, non impediuit, vt alter prior, alter poster. or nasceretur, cur vno momento si duo nascuntur, impediat aliquid, vt alter prior, alter posterior moriatur? Si conceptio momenti vnius diuersos casus in vtero geminos habere permittit, cur natiuitas momenti vnius non etiam quoslibet duos in terra diuersos casus habere permittat? Gregorius verò *homilia* 10. *in Matthæū* sequentia strenuè subiungit: *A Fidelium cordibus absit, vt aliquid esse fatū dicant. Vitam quippe hominum solus hanc Conditor, qui creauit, administrat. Nec enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt. Et si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur. Certè cùm Iacob de vtero egrediens prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi subsequens inchoasset: & tamen cùm vno tempore, eodémque momento vtrumque mater fuderit, non vna vtriusque vitæ qualitas fuit. Sed ad hoc solent Mathematici respondere, quia virtus cōstellationis in ictu puncti est. Quibus è diuerso nos dicimus, quia magna est mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti cōstellatio permutatur, necesse iam erit, vt tot dicant fata, quot sunt membra nascentium.* Nec ineptè his addes illa *Persij satyra* 6.

—Geminos horoscope varo
Producis genio; solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta
Ipse sacrum irrorans patinæ piper, hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer.

Et ab hoc eodem capite Phauorinus Chaldæos irrisit apud *A.Gellium supra* & Plinius *lib.*7.*c.*49. *in fin.* dicens: *Hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo quotidie euenit, pariterque domini ac serui gignuntur Reges & inopes.* Gregorius *suprà: Regum filij vno eodémque sydere cum seruis nati ad Regnum proficiunt, cùm serui, qui secum fuerant geniti, in seruitute moriantur.*

Vnum demum illud huius propositi prætereundum non est, *Budaeum* † 9
scilicet valdè deceptum fuisse in allegando, & interpretando *Aristotele* contra *Diuum Augustinum*, vt disertè annotauit, & quàm euidentissimè probauit *Bonauent.lib.*9. *de partu octomestri, c.*31.

Sub hæc intrat illa singularis disquisitio, an superfœtatio statis, † cer- 10
tísque temporibus accidat post primum conceptum? In qua *Vlpianus* (vt ab hoc incipiamus) in d.*l. cùm quidam*, §. *suum hæredem*, *ff. de acquirend hæreditate*, quæstionem affirmatiuè (vt communiter dici solet) resoluisse videtur in verbis illis iam *supr.* adductis: *Quod quidem post certum tempus conceptionis eueniet.* Sed variant Medici, & Philosophi in designando isto certo tempore.

Et quidem *Bonauentura* † d.*lib.*9. *de* 11
*octomest. partu, c.*32. & 33. (post *Andreā Laurent.* quem non vidit, *lib. de histor. anatomic. c.*5. *q.*22.) existimauit superfœtationem, nisi post plures dies à priore conceptu contingere non posse, puta post quatuor aut tres menses, duósve ad minus, & probare contendit ex *Aristotele lib.*7. *de histor. animal.* d.c.4. ita dicente: τὰ μὲν οὖν ὕστερον πολλῷ χρόνῳ συλληφθέντα οὐδὲν λαμβάνει τέλος: id est, *Qui longo pòst tempore* (vt vult *Theodorus*) vel *multò post tempore* (vt vertit *Iulius Scaliger*) *concepti sunt, non perficiuntur.*

Idque *Bonauentura* illo exemplo comprobat, quo, eodem capite, *Aristoteles* vtitur mulieris illius, quæ cùm gemellos vtero gestaret, tertium insuper concepit, & priores suo tempore edidit, hunc autem quinquemestrem.

Et ab his infert, *Paulum* in d. *l. antiqui*
11 † intelligendum non esse de superfœtatione (in illis verbis: *Ex quibus quatuor eodem tempore enixa diceebatur, quintum post quadragesimum diem)* vt quæ tam breui tempore contingere non potuerit, sed ad conceptum tardiùs perfectionem, & maturitatem accipientem, iuxta ea quæ de sententia *Doctoris Valuerde* dissectoris s. adducebamus. Et demum ista confirmat dicens, quinque illos filios Alexandrinæ à *Paulo* memoratæ in d. *l. antiqui*, velut vno concubitu conceptos supposuisse *Gaium* & *Iulianum* eiusdem historiæ descriptores, illum in dict. *l. vtrùm, ff. de rebus dubiis*, ibi: *Et nostra quidem ætate Serapias Alexandrina mulier ad D. Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos vno fœtu enixa est*, istum in d. *l. si pater meus, ff. de solutionib.* ibi: *Et esse mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque simul peperit, & tum habebat incolumes.* Ex quibus *Glossam*, cæterósque ex d. *l. antiqui*, superfœtationem adstruentes securè impugnat.

Ex contrario *Varandæus lib. 2. de affectibus mulierum*, dicto *cap. 6.* (cùm à superfœtatione, ac à numerosiore fœtu aborsus sæpe procedere asseruisset) addit hæc: *Si tamen salutaris debeat esse ista superfœtatio, seu vitalis fœtus, qui per illam concipitur, oportet illam contingere*
12 *à primo* † *primi conceptus die ad quadragesimum, aut circiter, antè quàm scilicet prior fœtus magnum in vtero spatium obtineat, vel omnes venarum, & arteriarum vteri propagines occuparit: quandiu enim prior fœtus exigua erit molis, & motus expers, facilè erit superuenientis seminis spatium reperire idoneum, quemadmodum in gemellis contingit, & sua sibi vasa adipisci, quibus similiter nutriatur. Post tertium verò, vel quartum mensem fieri nequit, quoniam excitabitur aborsus, vel vtriusque, vel certè illius, qui nouissimè vterum ingressus fuerit.*

Sed & *Accursius* nostrorum primus in d. *l. cùm quidam*, §. *suum heredem*, verbo *post certum tempus*, superfœtationem vsque ad quadragesimum diem à priore conceptu contingere asserit, & sanè eius opinionem communis Medicorum assensus probat apud *Marnellium de medic. mulier. libr. 3. capite 4.* vbi extra dictos quadraginta dies euenientem superfœtationem portentosam existimat. Et demum *Paulus Zacchias in Medico-legal. lib. tit. 3. quæst. 4.* ex *numer. 15.* sententiam istam propugnat, & his quæ adstruit *Alexander* (referendus ʒ.) ex *num. 20.* vsque in finem quæstionis respondet.

Demum doctissimus *Petrus Garcia* dicta *disputatione 72. c. 5.* (post alios relatos à *Zacchia* d. *tit. 4. nu. 18.*) aptiùs, † 13 vtriusque, sensit superfœtationem in initio prioris conceptus, & reliquo tempore posse contingere, quod si proximè à primo conceptu secundus obueniat, superfœtatum absolui, & feliciter edi, longo verò post tempore conceptum non perfici notat, vtriusque autem eam reddit causam, quia in priore materia suppetit ad alterutrius formationem, & augmentum, in posteriore non ita, cùm ferè consumatur in nutritionem & augmentum prioris conceptus, qui quò maior eò pluris indiget, quæ omnia clarè comprobat ex *Aristotele lib. 7. de histor. animal.* d. *cap. 4.* ita aiente in *Iulij Scaligeri* tersiore versione: *Qui multò post tempore concepti fuerint, non perficiuntur, sed dolorem faciunt, & corrumpunt priorem fœtum*, & paulò inferiùs: *Quòd si statim conceperint extulêre in lucem eum, quo superfœtarant, sicque eos edunt, quasi qui gemellorum eduntur lege.*

lege. Idque *Aristotelis* illustrat exemplis *suprà* adductis, & expensis à *Bonauentura*.

14 Sed nec † ista perpetua sunt: nam idem *Philosophus* in loco citato subdit: *Nonnulla esse superfœtantia, quæ longo etiam interposito tempore coeundi possunt enutrire fœtum, quem superfœtarent, velut ea quarum genus semine genitali abundant, & corporis magnitudine carent, & multa generant, &c.* A quibus infert *Garcia suprà*, fieri posse, vt licèt conceptus sit magnus, superfœtatus perficiatur, ex pluribus ab eo adductis, optiméque consideratis. Ex quibus perquàm euidens fit, *Aristotelem* longè abesse à sententia quam ab eo adstruit *Bonauentura suprà*, eiusque assertionem, cum alia simul *Varandæi* iam relati, sustineri non posse.

15 Et insuper consequimur; errasse † *Vlpianum* existimantem in d. §. *suum hæredem* post certum tempus conceptionis alium prægnantis vtero fœtum non posse formari, puta post duos, tresve menses, ex *Aristotele* (malè percepto) *in lib. 7. de histor. animal.* d. *cap. 4.* in verbis *supr.* relatis.

Sed præ omnibus irridendus est *Alexander*, qui in d §. *suum hæredem*, varios & quidem insignes sibi persuasit errores. Primò, dum supponit, superfœtationi ibi impedimento fuisse præcedentem mariti mortem; in quo dupliciter errat: primò in præsupposita mariti morte ante superfœtationem, contra *textum* contrarium innuentem & supponentem: secundò, quia & post mortem viri potuit contingere secunda conceptio, iuxta ea quæ annotauimus in *cap. 1. in princip. num. 22.* Secundò principaliter aberrauit *Alexander*, dum securè putat, ex vna & eadem seminis permixtione posse diuersos fœtus variis temporibus formari, quandoquidem id per rerum naturam euenire nō possit ex iam dictis. Quibus adde, quæ in impugnando isto *Alexandro* adducit *Zacchias in Medico-legali lib. tit. 3. qu. 4. nu. 9. & 10.* Qui *num. 14.* optimè contra eundem *Alexandrum* adstruit, Iurisconsultum *Vlpianum* in d. §. *suum hæredem* loquutum non fuisse de muliere aliqua particulari, sed quęstionem in genere (vt aiunt) proposuisse.

Sed prædictis, & notatis *supr.* à *Petro Garcia* dict. *disputat. 72. cap. 5.* ego addo superfœtationem non adeò statim † post primum conceptum contingere posse, vt prioribus illius diebus eam admittat Natura, maximè septem primoribus regulariter necessariis ad conceptionem, vt notauimus in *cap. 1.* ex *Hippocrate* & aliis. Si enim illis septem diebus vteri os non comprimeretur exquisitè, certè daretur ἔκρυσις, & effluxio prioris seminis, quod dictis diebus ex quauis minima causa accidit, ex iam notatis in dicto *cap. 1.* Et sanè isto in casu intelligenda sunt illa verba *Diui Augustini* iam *suprà* adducta: *Et tanta Naturæ vis est, vt cùm conceperit fœmina, deinde alterū concipere minimè possit, &c.* Et ab his quàm euidentissimè insuper refellitur *Alexander* in d. *l. cūm quidam, §. suum hæredem, nu. 4. D. de adquirenda hæreditate*, dùm securè existimat, superfœtationem tertio, aut quarto die à priore conceptu posse contingere. 16

Sit ergo omnium prædictorum summa, superfœtationem prioribus † diebus (quibus ad nouum conceptū perficiendum, vel firmandum, velùt necessitate quadam vterus exquisitè clauditur ex lege Naturæ) contingere non posse, iuxta sententiam *Diui Augustini*: at post istos priores dies quocunque grauidationis tempore euenire posse, ex *Pet. Garcia sup. num. 13.* & nobis multò ante eum *Alexāder* in d. *l. cūm quidam, §. suum hæredem, num. 4.* 17

nisi quòd secundo concubitu nó multum à priore distante superfœtatus enutritur & perficitur, aucto verò fœtu superfœtatio implurimùm eliditur. Et hoc vltimum apertè probat *Aristoteles* in locis quæ pro sua sententia malè adducebat *Bonauentura* s̃. qui à dictis euidenter refellitur in violenta interpretatione, quam adstruere conatus fuit ad d.*l.antiqui*, quæ cum *Glossa*, & cæteris Iuris Interpretibus de superfœtatione intelligenda est in verbis s̃.relatis, quicquid iste nouè excogitauerit.

18 Varias superfœtationis causas † adducit *Plutarchus* ab antiquis Philosophis *libr.5.de placitis Philosophorum,c.10.* vbi Stoicorum videtur adhærere rationi, hanc tribuentium locis, quæ sunt in vtero, ita vt cùm in primum & secundum inciderit semen, tunc fiat superfœtatio, & tergemini nascantur. Sed hæc à falsa cellularum in matrice suppositione deducta, planè falsa sunt, ex dictis in *capite præcedenti*. Vnde alij aliam adducunt rationem dicentes, certis, statísque temporibus vterum aperiri. Aliam alij contendentes vterum exquisitè non claudi, sed dehiscere, quas disertè impugnat *Andreas Laurentius lib.8.de historia anatomica, cap.5.quæst.22.* Alias insuper naturales causas superfœtationis dexterrimè depinxit *Ambros.Paræus lib.23.cap.32.* Alias denique plures excogitarunt Philosophi & Medici nouiores ab *Hippocrate* & *Aristotele suprà* relatis, maximè *Petrus Garcia* dict. *disputat.72. cap.4.num.16.ante finem.* Et ante omnes istos *Auicenna libr.3.Fen.21.tract.1.capite 17.*

19 Sed mihi omnium proprior † est, quam designauit *Aristoteles* ipse *lib.7. de historia animalium* dict.c.4. & ante eum *Hippocrates in libr.de superfœtat.* in verbis illis iam expensis: *Superfœtant mulieres, quorum vteri os post primum conceptum non exquisitè clauditur.* Sed vnde hoc fiat, aperit *Ioannes Bodinus in Methodo historica,c.5.* & *li.5.de Republica,c.2.* vbi superfœtationé atræ bili, ac potissimum attradenti copiæ adscribit, quæ cùm spumosa sit, libidinem pruritare soleat, híncque Venerem fingi spuma maris natam; atque id ipsum *Aristotelem* sensisse putat in *Problematibus*, vbi causas inquirit, cur qui atra bile laborant, cæteris sint salaciores? Quod videre est in lepore, qui ex omnium animalium genere melancholico succu maximè abundat: est enim libidinosissimum animal, & rei venereæ deditissimum, & inde omnium animalium superfœtantius. Et idem ait de suibus *Andr.Laurentius* d.*quæst.22.*

Post istos verò † fœminæ omnium 20 animantium superfœtatiores sunt, vt quæ solæ post conceptum maris congressum curent, aut patiantur, vt colligitur ex *Aristotele lib.4. de generatione animalium* dicto *capite 4.* *Plinio libr.7. cap.11.* ita dicente: *Præter mulierem pauca animalia coitum nouere grauida, vnum quidem omnino, vt alterum superfœtat.*

Quid antem in causa sit, vt mulieres appetant † viri congressum, cùm 21 grauidæ sint? (abiecto lepido aliquibus Popiliæ Marci Agrippæ filiæ responso, quæ bruta vbi conceperint, ideò non coire, respondet, quia bestiæ sunt) aliam sanè physicam adducit *Laurentius* d.q.22. A cuius dictis facilè eludes superfœtationis causam *Zacchiæ* placentem, dicto *tit.3.q.3.ex nu.31.* & re vera tantùm innitentem dicto Popiliæ, quæ clarè etiam improbatur à canum & aliorum animalium superfœtationibus. Nam quod *Zacchias* ait, canes aliquando non integrè suo fine potitos, nec vnica conceptione compleri, aliis atque aliis animantibus conuenit,

Demum

11 Demum, qui plures† & singulares
superfœtationis casus videre volue-
rit, perlegat Auctores *supra* relatos
num.3. maximè *Hippocratem*, qui *lib.5.*
Epidemior. nobile illud refert exem-
plum mulieris Larissæ *supra* memora-
tæ, quę quadragesimo post partum die
præposterè conceptum fœtum eiecit:
& *Aristotelem lib.4. de generatione ani-
malium*, dicto *capite 5.* qui ante *Plau-
tum* relatum *supra num.2.*) Alcmenæ
partum Herculis & Iphicli fratrũ di-
uerso tempore conceptorum, vno &
eodem editorum refert, *& lib.7. de hi-
storia animalium*, dicto *cap.4.* asseren-
tem (& post eum *Solinum cap.4.*) adul-
teram marito vnum similem, alterum
adultero edidisse. Quæ & alia congessit
*Plinius Secundus lib.7. naturalis hi-
storiæ*, dicto *cap.11.* dicens: *Vbi paulu-
lum temporis inter duos conceptus inter-
cessit, vterque perfertur: vt in Hercule
& Iphiclo fratre eius apparuit, & in ea
quæ gemino partu alterũ marito similem,
alterũ adultero genuit. Item in Proconne-
sia ancilla, quæ eiusdem diei coitu alterũ
domino similem, alterum procuratori eius.*
Et *in alia, quæ vnum iusto partu, quinque
mensium alterum edidit. Rursus in alia,
quæ septem mensium edito puerperio, inse-
quutis mensibus geminos enixa est.* At
Herculis & Iphicli exemplum fabulis
†dedit *Aristoteles* dicto *cap.4.* Et inde 25
fabulosa puto similia, quæ tanquam
vera subiunxit *Plinius* post *Aristo-
telem*, ni mauis dicere παρὰ φύσιν *ex-
tra naturam* contigisse, ne impedimẽ-
to sint his quæ ex *Diuo Augustino
lib.5. de Ciuitate Dei, cap.6.*
resoluimus *suprà ex
numer.8.*

*

CAPVT XX.

IN QVO MISCELLANEA quædam humanarum partionum concisè pertractantur.

SYNOPSIS.

1 *De inscriptione huius capitis causam improbat* Auctor.

2 *Vastum est humani partus disputationis mare.*

3 *Quærit, an in generatione humana fœmina cum masculo concurrat? Et n.4.* Aristotelem *sententiæ negantis Auctorem varijs locis refert. Et numer.5. contrariam sententiam* Hippocratis *& aliorum. Et num.6. apud Iurisprudentes hoc endubitatum probat. Et n.7.* Aristotelem *non omnino dissentire ostendit.*

8 *Mulieri in operibus generationem prænenientibus, comitantibus & subsequentibus magis quàm viro tribuendum demonstrat. Et nu.9. partum non solum à pueri potentia, sed & à facultate vteri expultrice fieri notat.*

10 *Auctores agentes de vteri muliebris*

virtute.

11 *Varia symptomata & morbi mulieribus à prægnationibus accidunt.*

12 *Quærit, an grauidatio mulieris morbus sit?*

13 *Morbi definitio ab* Vlpiano *ex sententia* Sabini *traditur.*

14 *Morbi nomine & temporarium vitium denotatur.*

15 *Medici varia congerunt remedia circa curationem prægnantium. Et n.16. id antiquos maximopere curasse demonstrat, ex* Plauto *& alijs.*

17 *Prægnantibus mors præ foribus est.*

18 *Plura difficilem partum præcauentia, & in eo occurrentia notant. Medici.*

19 *Solius periculi in peruerso ordine nascendi deprecandi gratia aræ sunt Romæ statutæ duobus Carmentibus.*

20 *Pericula partus omnium Legislatorum maximè considerauit* Iustinianus.

21 *Mulier prægnans non est habenda pro sana ex sententia* Vitruuij *& aliorum. Et num.22. contrariam sententiam in iure veriorem probat. Et n.23. 24. & 29.*

25 *Dolores qui in partu interueniunt, in commodum & vtilitatem naturæ communis cedunt, & ideò præter naturam non sunt.*

26 *Ex quo partus præpostero ordine accidens ægritudini annumeratur, clarè colligitur, partum alias morbum dici non posse.*

27 *Nullibi* Hippocrates, *aut cæteri Medici melioris notæ partum, aut grauidationem inter morbos annumerarunt.*

28 Vitruuius *existimans prægnationem morbum esse, contrarius est* Vlpiano, *quidquid* Philander *commentus fuerit.*

30 *Partus non solùm morbus non est, verùm & sanitati tribuendus.*

31 *Sterilitas inter morbos annumeratur: & alia.*

32 *Quærit, an mors à prægnatione, vel partu proueniens, sit naturalis, vel violenta?*

33 *Partui certus pater per rerum naturam designari non potest. Et num.39. ex pluribus comprobat. Et nume.34. pro ista sententia expenditur.* l. Lucius, D. de conditionib. & demonstrat. *& alij.*

35 *Sententiam* Menchacæ *refert, deinde aliorum remissiuè.*

36 L. Lucius, D. de condit. & demonst. *interpretatur ex sententia* Decij *& aliorum. Et nume.37. respondet adductis à* Menochio *in contrarium. Et nume.38. alijs eiusdem Auctoris, & aliorum.*

40 *Improbat* Beroum *existimantem filiationis probationem difficilem tantùm esse, non impossibilem.*

41 *Exemplum* Bartoli *ad probandam plenè filiationem reijcit cum* Palæoto.

42 *Certinitas filiationis in iure à solis nuptijs prouenit.*

43 *Partus humani suis progenitoribus non ita similis ac cæterorum animalium causa disquiritur. Et num.65. & 66. vltra* Aristotelem *congruens responsio datur.*

44 *A vera similitudinis partus, & parentum dignosi nobis eruitur vis præsumptionis filiationis àb ea resultans.*

45 *In probatione filiationis ex similitudine resultante multum præualet arbitrium iudicis.*

46 *Triplicem similitudinis speciem designauit* Galenus.

47 *Omnis Iuris professorum de similitudine sermo ad tertiam speciē refertur.*

48 *Prima similitudinis species consistit in procreatione eiusdem speciei.*

49 *Secunda valdè præualet in materiali causa, quæ maximè in muliere datur. Et nu.50. ad seminis virtutem, temperiem, & victoriam in permixtione refertur.*

51 Ter-

51 Tertia similitudinis species, quæ consistit in forma, diuiditur in internam & externam. Et n.52. exempla similitudinis internæ adducuntur.

53 Fœtus aliquando patris, aliquando matris, aliquando vtriusque, aliquando neutrius, sed extranei imaginem refert.

54 In designanda similitudinis externæ causa plura commenti sunt antiqui & nouiores Philosophi & Medici, qui communiter ad imaginationem eam referunt. Et n.55. ista & alia improbatur. Et nu.61. causa ad excogitata à Thoma Fieno.

56 Similitudinem externam non semper ad imaginationem referendam probat ab experientia.

57 Similitudinis externæ triplicem causam Auctor assignat. Et nu.58. quòd prima regularis est frequentior & cõmunis hominibus cum brutis. Et n.59. ab ista similitudine prouenire, vt parentibus liberi similes gignantur notat. Et nu.60. inde nobis & aliis à similitudine magnum filiationis argumentum desumi.

62 Secunda similitudinis externæ causa à victu procedit & temperamento.

63 Tertia externæ similitudinis causa ad phantasiam, seu imaginationem refertur. Et nu.64. quòd imaginatio dissimilibus in natura humana formis causam præstat, sed non vnicam, ac voluit Aristoteles.

67 Humana natura secundùm communes regulas operante fœtus parentibus similis producitur.

68 Trium causarum similitudinis externæ diuersam rationem, seu scopum ostendit.

69 Aristoteles lib.4. de generat. anim. c.3. intellig.

70 Cur fœtus similitudinem auorum & maiorum sæpius referat, tractatur remissiuè.

71 Muliere ad secundas nuptias conuolante illicò post mortem primi viri, & filium in secundo matrimonio edente, ad quem virorum partus referendus sit? quærit. Et nu.72. plures sententias refert. Et num.73. Bartolum veritati propius accedere asserit. Et num.74. quòd coniecturæ multum proderunt ad propositæ quæstionis resolutionem, maximè quæ ex similitudine oriuntur. Et nu.75. deficientibus signis nouam init Auctor huius quæstionis resolutionem, & quidem naturali ratione fundatam. Et n.76. resoluit, quid tenendum sit muliere secundas ineunte nuptias die sequenti post mortem prioris viri.

77 An per rerum naturam fieri possit, vt virgini prægnatio obueniat absque viri congressu? quærit. Et n.78. & 82. negatiuè resoluit, & Cacodæmonum inuento contrarium tribuit. Et nu.79. miracula Vespasiani. Et nu.80. in eorum enarratione contrarios demonstrat profanos Auctores. Et n.81. Imperatores ad fundandum Imperium plura diuina ipsis contingentia insimulasse. Et n.87. animantium in igne & niue generatio contrariam sententiam non adstruit.

83 Meræ sunt nugæ & figmenta quod de equabus Hispanicis Zephyro flante concipientibus circunfertur. Et n.84. & 85.

86 Equi Hispani non solùm à multitudine, sed & à laborum patientissima fortitudine, nobilique sanguine commendantur.

88 Rei venereæ vsus ad salubritatem non confert.

89 Quæstionem illam, An prioribus parentibus in statu innocentiæ perseuerantibus generis humani propagatio futura foret à mulieribus sine corruptione suæ integritatis? ex D. Augustino resoluit. Et num.90. quòd in illo statu generationis propagatio absque vllo libidinis morsu euentura erat.

Et n.91.quòd dolores in parturitionibus à peccato prouenêre.

92 *Quærit* Auctor,*An ex congressu cum dæmonibus,incubis & subcubis partus produci possit?*

93 *Dæmones incubos & subcubos esse ostendit.*

93 *A Dæmone subcuba partus produci non potest.*

95 *Dæmones vi sua & ex propria substãtia more animantium generare non possunt.*

96 *Fabulis tribuendum est quod de Hercule,Sarpedone, Ænea & aliis passim circunfertur.*

97 *Ex concubitu mulieris cum incubo semen aliunde exportante prolem cõcipi,edique posse plures Theologi,Philosophi & Medici existimarunt. Et n.98.contrariam sententiam defendit* Auctor. *Et n.101.& 102.ab experiẽtia & rerum successibus comprobat.*

99 *Auerrois & aliorum sententiam existimantium mulierem in balneo grauidam factam refellit.Et n.100.aliam similem fabulam respuit.*

103 *Omnia hac disputatione contenta* Auctor ECCLESIÆ CATHOLICÆ ROMANÆ *censuræ ex animo submittit.*

1 SVPERBAM inscriptionem effugimus : nam si † variorum omnium in parturitionibus humanis contingentium tractationem absolutam inire-mus,vix esset, vt alio integriore volumine rem tantam à Philosophis & Medicis diffusè discussam absoluere-
2 mus. Vastum † est enim de humani partus natura,temporibus & causis generationem præuenientibus,constitutionem confirmantibus, editionem disponentibus,& eandem præcauentibus & conseruantibus) disputationis mare. In quo Philosophorum & Medicorum dissentientium opinionum immensi fluctus, variæ Syrtes & scopuli,quos ipsi suis libris,& excursibus præcauere & pretergredi curarunt. Nobis vsquedum sat fuerit,quæ Iurisconsultum decent plenè inuestigasse superioribus capitibus huius disputationis,& nunc sub proposita isti capiti vltimo epigraphe miscella(quorum maximè cognitio Iurisprudentibus vtilis est)quibusdam quæstionibus percurrere.Hac enim re præstita receptui canere, extremámque huicce negotio, magnæque moli manum dare consilium est.

QVÆSTIO prima.

ET SANE primo loco illa prior occurrit disquisitio,†An in gene-
3 ratione hominis fœmina simul cum masculo concurrat : In qua *Censorinus libr.5.de die natali ad Q.Carellium c.5. in fin.* diuersas antiquorum Philosophorum refert sententias his verbis: *Illud quoque ambiguam facit inter Auctores opinionem:Vtrúmne ex patris tãtummodo semine partus nascatur ? vt Diogenes,& Hippon, Stoicique scripserunt. An etiam ex matris? quod Anaxagoræ & Alcmeoni, necnon Barmenidi, Empedocli, & Epicuro visum est. Quæ differens, non definiens, non definitè se scire Alcmæon confessus est, ratus neminem posse perspicere.*

Et sanè *Aristoteles* † *in lib.1.de gene-* 4
rat.animal.c.19.20.& 21. & lib.4.cap.1. maris semen tantùm genitale esse asseruit, & simul fœmineum ad generationem non conducere : addit *Lucianus in amorib.* fœminam *genituræ receptaculum* tantùm esse. Et ista ex traditionibus Medicorum probat *Calius Rhodigin.lib.4.antiquar.lection.cap.10.* Et ex nostris *Panormitanus in cap.fraternit.*

ternitatis, *ad fin. de frigid. & maleficiat.* *Nauarrus, Ledesma, Enriquez, Vera-Cruz,* & alij, quos refert *Pat. Thomas Sanchez. de matrimon. lib. 2. disput. 21. n.* 10. vbi ita tenere ait *Diuum Thomam,* & cōmunem Theologorum, post plures Medicos (quos ibi refert) & *libr. 7. disputat. 92. num. 9. Gutierrez in eodem tractatu, cap. 54. num. 23.* & *cap. 112. num. 8.* & anteà *libr. 1. Canonic. quæstion. cap. 16. num. 17. Matienço* in *l. 1. tit. 1. libro. 5. Recopilat. in rubrica, glos. 1. numer. 198. Barbosa* in *l. 1. par. 1. num. 97. D. soluto matrimon.* Et nouissimè istam sententiam ex pluribus adstruit *Petr. Garcia in Auicen. disputat. 36. cap. 5.* vbi semen fœmineum, vt quid distinctum à sanguine menstruo, non esse simpliciter necessarium ad generationem naturalem affirmat; & insuper *in cap. 6.* non esse itidem necessarium, vt materiam quarundam partium.

5 Sed contraria sententia † affirmantium ex commixtione vtriusque seminis (quod etiam mulier emittit, *Hippocrates in lib. de genitura*) conceptum fieri, generationemque hominis produci verior, receptior & securior est, tamque Princeps rei Medicæ *Hippocrates* sæpè firmauit & docuit, maximè *in libr. de genitura, in princ.* (in verbis iam per nos expensis *in cap. 1. §. 2. nu. 2.*) & *in lib. de natura pueri* varijs locis, & *lib. de diæta, textu 37. Galenus contra Erophilum, Aristotelem & Athenæum* (fœminas semen non emittere contendentes) *lib. 2. de semine, cap. 1. & 4. Lucretius lib. 4. de natura rerum:*

Semper enim partus duplici de semine constat.

& alibi sæpè *eod. lib. Plutarchus lib. 5. de placitis Philosophor. cap. 5. Lactant. Firmian. de opificio Dei, cap. 12.* eleganter Episcopus *Nemesius* ex *Galeno in lib. de natura hominis, cap. 25. Auicenna lib. 3. Fen. 20. tra. 2. c. 44. Liuinius Lemnius lib. 4. de occultis naturæ miraculis, capit. 23. vers. constat autem homo:* & approbarunt insigniores Dissectores, seu Anatomistæ *Ambrosius Paræus lib. 23. cap. 1. Iacobus Guillemaus de generatione, fol. 205. in princip. Andreas Laurentius,* ex pluribus, *lib. 8. de historia anatomica, ca. 2. quæst. 5.* & latiùs *cap. 4. quæst. 11. Peramatus* (qui vim agendi semini mulieris inesse mirè probat contra præfatos *Aristotelem & Athenæum*) *in lib. de semine:* vbi vtrunque semen principium esse ait tam actiuum, quàm passiuum corporis humani. Sed & mentulam muliebrem (virili peni respondentem, & duplici neruo constantem, *Hippocrati* κίων, id est *Collumella,* alijs *Cletoris,* alijs *Nympha* dicta) nouè obseruauit *Sechēkius* (à præceptore *Fallopio*) *lib. 4. obseruation. tit. de mulier. genitalium partib. obseruat. 5. & 10.* & ante istos *Auicen. libr. 3. Fen. 21. tract. 1. capite 1.* his verbis rem istam prosequutus: *Dico, quòd instrumentū* generationis: *mulieris est matrix: & est in radice creationis similis instrumento generationis, quod est in viris, & est virga, & quæ cum ea sunt, sed vnum eorum est egrediens procedens ad exteriora, & alterum est imminutum & retentum in interioribus, & est quasi conuersum instrumentum virorum: est enim quasi osseum siphac matricis, & quasi virga collum matricis, & duo oua mulieribus sicut viris.* Et subinde similitudinem istam circa alia prosequitur per totum caput, in quo Arabs iste mira annotauit. Et propositam subinde sententiam latè fundat & defendit *Ioan. Baptista Syluaticus in controuers. Medicin. cap. 70.* & nouissimè post alios *D. Sancta-Cruz,* ab impugnationibus *Iulij Scaligeri,* & *Fabij Pacij* eam nouissimè eruit *de Hippocratica Philosophia, super d. textu 37. Hippocratis de diæta.* Et demum *P. Poza* rationibus, quamuis parum aptis, rem adstruens *in Elucidario Deiparæ, lib. 2. tract. 5. cap. 5. & 6.*

6 Et sanè nobis † ita apertè affirmauit *Iustinianus* (quod mirandum est latuisse Iuris Interpretes s̃.relatos) *in Authentico de triente & semisse*(quę est *Nouella* 18.) cùm ait: *Neque enim masculus ipse in se, nec fœmina solùm ad natiuitatis propagationem sufficiens est, sed vtrumque eorum cooptauit Deus ad generationis opus*: idem *Iustinianus in §. sed hæc, instiution. de exhæredat. liberor. Ita vtraque persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur*: quod ipsum antea supposuerat in *l. lege xij. Tabularum* 14. *C. de legitimis hæredib.* Et ab his intelligendus est *Baldus*, qui filium quoddam *compositum* appellat in *l. fin. in fin. C. de seruis fugitiuis*, sequitur *Boer.* post alios, *decis.* 241. *num.* 7. & post *Georgium Robalg.* notat *Andr. Dalnerus de iure hominis, part.* 6. *n.* 5. nouissimè *Thomas Actius*, post *Syluam nuptialem, in tract. de infirmitate legali, c.* 20. *nu.* 7. *Pat. Thomas Sanchez* optimè *lib* 2. *disput.* 21 *nu.* 11. qui ab hac vera resolutione consequenter infert contra plures alios (nec minus rectè quàm disertè). fœmina semen non emittente matrimonium non consummari. Et ita tenendum duco, quicquid in contrarium nouissimè supponat *Gutierrez* s̃. quem puto dicta à P. *Sanchez* d. *n.* 11. non peruidisse, ideóque ei non adhæsisse.

7 His addo *Aristotelem* † (contrariæ sententiæ præcipuum assertorem) ab ea videri decessisse in illis verbis *lib.* 1. *de generat. animal. cap* 2. *Rationis discrimen ita exultat, vt mas sit, quòd in altero generare potest, vt est: fœmina, quòd in se ipso, & ex quo fit, quod generatur contentum in eo, quod generat.* & *lib.* 2. *cap.* 5. & *lib.* 4. *cap.* 1. & *lib.* 10. *de histor. animal. cap.* 8. nisi ista subterfugias cum *Petro Garcia* s̃. *disput.* 35. *capite* 6. Sed & præ omnibus notandum est Sacrum Textum nostram veriorem resolutionem quasi clarè confirmasse in illis verbis *cap.* 10. *Iob. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* quibus in conceptu seminum maris & fœminæ concursus, & commixtio diuersorum ac in caseo (ad generationem humanam necessarius) velut exprimitur.

Quinimò mulieri in operibus generationem præuenientibus, comitantibus & subsequentibus longè magis 8 † tribuendum est quam viro, si consideres ipsi soli conceptionem adscribendam, quę ab vteri actione sopitam seminis facultatem suscitante prouenit. Adeò, vt muliebris vterus magnã habeat vim agendi in conformatione fœtus, & generatio sine eo consistere non possit, sicuti nec xylum sine stomacho. *Andreas Laurent.* optimè, post alios, *lib.* 7. *de histor. anatom. c.* 12. *qu.* 12. Adhæc vterus causa vnica efficiens est conceptionis, vt ex acutissimo *Fernelio* notat *Petrus Garcia de locis affectis, disputat.* 69. *cap.* 2. *nu.* 3. *ad fin.* Qui num. *seq.* ex eodem *Fernelio*, & contra *veratum* optimè adstruit principiũ generationis ab vtero muliebri procedere, illúsque præcedere debere aliquã actionem, vel qualitatem seminis sopiti actiones excitantem. Et sanè ista potuit mirè confirmare ab *Aristotele lib.* 1. *de generat. animal. c.* 19. ortum (dicente) eius quod generatur in fœmina agi, & *lib.* 4. *cap.* 1. in vtero tanquam in fornace apponi semina asserente. Mulier etiam fœtui dum in vtero est alimentum, actionésque animales & vitales impartitur, *Petr. Garcia* (plura adducens) *de locis affect. disputat.* 71. *c.* 1. 2. & 3. quibus adde *Plutarchum, libr.* 5. *de placitis Philosoph. cap.* 16. vbi disputans, quomodo fœtus in ventre alatur? ait: *Democritus Epicurus fœtum in vtero per os ali, itaque statim ac natus est ore ad mammam ferri: nam & in vtero esse vbera quędam, & oscula, quibus alatur.: Stoici per secundinas & vmbilicum,*

licum, itaque hanc statim ab obstetricib. à partu ligari, & os infanti aperiri, vt de alio cogitet alimento: Alcmæo ali per totum corpus, quod spongiæ in morem recipiat, quæ alendo sunt idonea.

9 Præterea partum fieri non solùm † à pueri potentia motiua, sed & à facultate vteri expultrice, ex pluribus à *Galeno* adductis probat idem *Garcia* s. *disputat.*75.*c.*1. & ante eum insigniter *Ioannes Lalamantius*, qui in *commentario ad lib.*2.*dier.decretor.Galeni*, *c.*2. ita ait: *Ad partionem præter statum & legitimum pariendi tempus, vterum etiam concurrere, & in eandem actionem conspirare oportet: est enim partio cùm vteri, tum fœtus actio, quam præter vim magnam & externam tres illæ causæ accelerant alimenti penuria, retentricis vteri imbecillitas, expultricis eiusdem, aut vtero fœtus robur, aut moles. Tria ergo ad partionem legitimam concurrere oportet, tempus scilicet statum, & determinatum, vterum, vel fœtum. Et vterum quidem vtpote mole, pondereque grauatum vi sua expultrice ad propellendum fœtum insurgere; fœtum exitum affectantem, valdè sese agitare, & membranas, quibus inuoluitur, obrumpere oportet; alioquin si tempore legitimo instante, nec fœtus exitum affectauerit, sese agitarit, aut verò membranas abruperit, &c. Sed cùm vterus mole, pondereque grauatus facultate expultrice protrudere sat non egerit, tum partus ad aliquot dies, &c. protrahitur.* Et ab his (vt hæc obiter dicam) intelliges cum *Pet.Garcia* d.*disput.*75.*c.*1. cur os vteri, in quo ante nec specilegio acus aditus patebat, adeò tempore partus adaperiatur: primum namque actioni & facultati, vteri retentrici tribuendum est; secundum expultrici: cuius magna virtus ex istis valde dignoscitur, & simul vera ratio huius tam diuersi vterus status, quem summè miratur *Galenus libr.*15. *de vsu partium c.*7.

¶Et sanè tanta vteri virtus est in generatione, & conseruatione concepti, eiúsque editione, vt non defuerint qui vterum animal esse asseuerarint: hos tamen insigniter refellit *Galenus lib.*6. *de loc.affect.c.*5.

10 Demum, qui plura † alia miranda de vteri muliebris virtute & efficacia in generatione videre voluerit (ab *Hippocrate, Platone*, & aliis melioris notæ desumpta) perlegat *Andr.Laurentium in historia anatomica lib.*7.*c.*11. & 12. & ibidem *qu.*9.10.& 11. & simul à nobis tradita s.*c.*6.

11 Sed & prægnans varia symptomata, † morbos acutos à grauidatione prouenientes frequenter patitur, & ingentia subinde pericula in editione partus subit, vti ex pluribus probat *Schenkius libr.*4.*tit.de grauidis, obseru.* 7.*& seqq.* & maximè in actione pariēdi, idem *Schenkius d.libr.*4.*tit.de partu §.partus difficilis.* Et simul à partu, idem *eodem lib.tit.de molis.§.de puerperis.* Id quod latiùs illicò prosequemur. Vt inde quàm euidentissimum fiat, quàm iusta causa ductus *Iustinianus legem xij.Tabul.* (bene humano generi prospicientem, & vnam consonantiā tam in maribus, quàm in fœminis legitimis & in eorum successionib. necnon in liberis sine vllo discrimine constituentem) renouarit in d.*l.lege xij.Tabul.* & ampliauerit in *l. maximum vitium, C.de liberis præterit.* & in *Nouella* 156.*c.*1. & 162.*c.*3. vbi aptam nostris rationem subinfert in finalib. illis verbis: *Oportet enim ipsam dignari maiore studio, vt quæ & parturierit, & peperit, & nutrierit, supra eum, qui voluptatis superfluum, pueri fecerit originem.*

¶Vt inde nobis nec vllo modo à cōmuniore Philosophorū & Medicorū sententia contra *Aristotelem* recedere liceat. Etsi hinc inde perpensis Naturæ causis & rationibus res valdè sit dubia, ex traditis à *Petro Garcia* dict.

disp.36.cap.5.& 6. In eum tamen dum adstruit, semen fœmineum ad generationem nec vt materiam necessarium (vt iam proposuimus) stare apertè videtur *Aristoteles lib.4.de generat.anim.* d.*c.*1.vbi semen viri à fœmineo distinguens illud ait principium in se continere, quo moueat, & alimentum in animali vltimum concoquat, hoc verò materiam præbere.

SECVNDA quæstio.

SVB HÆC disputanda sese offert
12 illa singularis † quæstio, An mulieris grauidatio morbus sit? Cuius resolutio nobis vtilis erit ad dignoscendum, an pregnanti mulieri competant priuilegia, quæ infimis, valetudinariisve iura concesserunt, quæ nouissimè compilauit *Thomas Actius in* suo *tractatu de infirmitate legali.* Sed & ad causæ redhibitionis ancillæ prægnantis definitionem multum proderit ex iuribus paulò ĩ. adducẽdis. Et sanè morbi definitio (omitto alias *Hippocratis & Galeni lib.2.Method.c.1.& in libr.de different.morb.c.2. Auicennæ lib.1.Fen.2.doct.1.c.2.Ciceronis Tuscul.4.Plinij li.*
13 *25.c.3.* & cæterorum) tradita ab † *Vlpiano* ex sententia *Sabini* grauidæ cõuenire videtur: at enim ita in *l.1.§.7.ff. de ædilitio edicto: Sed sciendum est, morbum apud Sabinum sic definitum : esse habitum cuiusque corporis contra naturam, qui vsum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit.* Etenim contra naturam esse videntur plura mulieri obuenientia à conceptione vsque ad partus editionem: nam vt ait *Aristoteles*(in *Iulij Scaligeri* versione)*lib.7.de histor.animal.c.4. Postquàm concipiunt mulieres, earum totum corpus aggrauatur, visus obtenebratur, capitis dolores oriuntur: atque hæc quidem nonnulli citiùs, ac ferè die decimo eueniunt, aliis seriùs, vt quæ fortè superfluo humore plus, minusve occupatæ fuerint. Præterea nauseæ, & vomitu plurimæ corripiuntur, maximè verò ex quibus cessant purgationes, neque in mammas diuertunt. Igitur per initia quædam plus laborant mulieres: quædam procedente tempore auctiore iã fœtu; multis sæpè tandem vrinam distillari contingit :* & paulò ĩ. *eod. capite: Paucis euenit grauidis corpore melius habere : maximè infestantur cùm fœtui incipiunt oriri pili: congeniti pili prægnãtibus rarescunt & defluunt.* Adhæc parturitudines dolores vehementissimi comitantur, & alia, quæ rationem symptomatis habere videntur: at dolores, & alia huiuscemodi contra naturam esse nemo non agnoscit, iuxta tradita in proposito à *Petro Garcia de locis affectis, disp.75.c.1.* His adde, spiritus in parturitionibus frequenter dissipari, sanguinem in venis inflammationem, & præternaturalem calorem concipere, & ab ea commotione facilè febrem acutam accendi, aliúdve excitari symptoma, mortémque sæpè obuenire. Et ista omnia aliquando procedere ex parte fœtus, aliquando ex parte matris, vteri, & panniculorum fœtum inuoluentium : quin & ex parte excrementorum cum fœtu exire consuescẽtium, quæ latè prosequitur, & post alios declarat *Zacchi. in Med.leg.tit.4. q.4.*ex *n.6.& q.5.6.& 7.*

Nec satisfaciet, qui apud † nos dixerit, morbum & vitium perpetuam affectionem denotare, *l.ob quæ ʒ. cum suis §§.ff.de ædilitio edicto.* Nam vt ait 14
Vlpianus ex *Pomponio* in *l.6.illius titul. Non tantùm ad perpetuos morbos, verùm ad temporarios quoque Edictum Ædilium Curulium pertinet,* ita vt apud Iurisconsultos eadem ratio morbi esse videatur, quæ & apud Medicos. Qui ab hisce plura circa curationem prægnantium

15 gnantium, vt infirmarum † valetudinariarúmve comminisci solent, & varia congerere remedia, vel ad meliorẽ corporis habitudinem, vel fœtus conseruationem, aut eius feliciorem editionem tendentia, quæ lato & eleganti sermone prosequitur nouissimè post alios *Ioannes Varandæus lib. 2. de affectibus mulierum, cap. 2. 3. & 7. ante finem & cap. sequenti per totum*, & insuper *Iacobus Guillemaus lib. 1. cap. 4. & seqq.* & *lib. 2. & 3.* Quin hæc magno conatu
16 Antiquos † etiam curasse colliges ex *Plauto in Amphitruo actu 2. scena 2. versu 91. Petro Gregorio libr. 14. de Republica, cap. 2. num. 2. 4. & 5.* Vt qui præ-
17 dicabant prægnantibus mortem † παρὰ πόδας εἶ, aut præ foribus consistere, vt dixit Imperator *Leo Nouella* 17. Vnde à periculo partus liberam *Terentius in Hecyra actu 4. scena 4. saluam* dixit tanquam à naufragio sospitem, aut à crudelissimo belli conflictu, iuxta illud *Euripidis in Medea*: ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ, & illud *Plutarchi* ab *Homero in lib. de amore prolis*:

ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα

Δριμὺ, τό τε προϊᾶσι μογοστόκοι εἰλείθυιαι

Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.

Ταῦτα οὐχ Ὅμηρον αἱ γυναῖκες ἀλλ' Ὁμηρίδα γράψαι λέγουσιν τεκοῦσαν ἢ τικτοῦσαν, καὶ τὸ μίγμα τῆς ἀλγηδόνος ὁμοῦ πικρὸν, καὶ ὀξὺ γινόμενον ἐν τοῖς σπλάγχνοις ἐχουσαν.

Vt cum parturiens mulier penetrante sagitta

Quæ præsunt natæ iaciunt Iunonis acerbam,

Et sæuos partu cumulat vrgente dolores.

Hæc mulieres aiunt non ab Homero scripta fuisse, sed ab aliqua Homeride quæ peperisset, aut etiam num pareret, mixtionémque doloris simul acerbi & acuti in visceribus sentiret. Tertullianus *de habitu muliebri, cap. 1. In doloribus & anxietatibus pariet mulier*, Plautus *in Truculento actu primo, scena secunda, vers. 98.*

Horresco misera mentio quoties fit partionis.

Ouidius *lib. 2. Amorum, Elegia 13.*

Dum labefactat onus grauidi temeraria ventris,

In dubio vitæ lassa Corina iacet.

Et sanè à Natura prouida velut prouisum est mulieres ipsas nescire, vel saltem attentè non præuidere quale, quantumque in ipsa (ita Medici vocant) *actione pariendi* periculum subeant. Nam quæ mulier adeò fortis, cõstansque vnquam esset, quàm à viri cõgressu ad conceptum apto non deterreret magnorum illorum ossium matricem sepiẽtium tempore partus prę-uisa luxatio? De qua *Petrus Pauu in li. de humani corporis ossibus, part. 4. cap. 3.* quasi omnibus tremorem incutiens, ita ait: *Hæc ossa quo magis partus tempore dehiscunt (quod tamen naturale, aut vsitatum ipsis non est) eo difficilius peragitur parturitio. In more obstetricibus nõnullis puellis primum natis, pollice hunc locũ premere, sicq; harmoniam hanc dissoluere. Tales mobile semper gerunt hoc os. Quòd autem non coalescant, ita soluta ossa, causam puto, motum cõtinuúmq; ossium ad se inuicem attritũ. Insignia porro ostendunt hæc ossa foramina, de amplitudine cum occipitis osse certantia, &c.*

Et ob id plura difficilem partum, vel præcauentia, † vel in eo occurren- 18
tia notarunt & scripserunt Medici s̃. relati, & præ cæteris in proposito sunt perlegendi *Auicenna libro 3. Fen. 21. tractatu 2. cap. 21.* & antiqui *Arethæus Cappadox de curatione diuturna, lib. 2. cap. 76. Euchar. Rhodio de partu hominis, cap. 3. Ioan. Heurnius de morb. mulier. c. 8. tom. 2.*

Quinimò *solius † periculi in per-* 19
uerso nascendi ordine deprecandi gra-

tia Aræ statutæ sunt Romæ (vt ait *A. Gellius libr.*16.*Noctium Atticarum, ca.* 16.& iam notauimus *supra ca.6.) duabus Carmentibus, quarum altera* POSTVERTA *nominata est,* PROSA *altera, à recti peruersique partus, & potestate & nomine.* Indéque Romani *Agrippas* (teste *Plinio lib.7.naturalis historiæ, ca.* 8.)appellauêre, vt ægrè partos. *Nam quorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant partus difficillimus, ægerrimúsque habetur,* vt ait *A.Gellius suprà.* Est enim *contra naturam in pedes procedere nascentem,* vt dicit *Solin. cap.* 4.iunctis his quæ iam annotauimus d. *cap.6.*

20 Et sanè *Iustinianus* † (muliebris sexus insignis propugnator) hæc attendit in singulari & notissima illa *l. assiduis, C. qui potiores in pignore habeantur,* & in dict. *Nouella* 162.*cap.*3.vt mulierum causam adeò his locis & alibi prospiceret, eidémque faueret.

A quibus omnibus facilè consequi videmur, mulierem grauidam pro sa-
21 na † non habendam, ídque supposuisse videtur *Hippocrates in lib. de natura pueri,* & cum eo cæteri Medici, vt ait *Pater Lælius Bisciola lib.18.horar. subsecinarum, capit.8. Ludouicus Mercadus,* qui partum morbum longissimum appellat *lib.4.de mulier.affection.cap.1.* Et ex nostris ita firmat *Florianus* in *l. inuiti, ff.de testibus,* relatus à *Menochio libro secundo, de arbitrar.casu* 60. *numer.* 6.Et hinc *Vitruuius lib.2. de Architect. c.9.* vt certum & indubitatum inter alia supposuit, mãgones in grauidarum ancillarum venditione nunquam cõsueuisse eas pro sanis dare: ait enim: *Vt etiam corpora muliebria cùm conceperint, à fœtu ad partum non iudicantur integra, nec in venalibus, ea cùm sunt prægnantia, iudicantur sana, ideò quòd in corpore præseminatio crescens, ex omnibus cibi potestatibus detrahit alimentum in se, & quo firmior efficitur ad maturitatem partus, eo minus patitur esse solidum id ipsum ex quo procreatur: itaque edito fœtu quod prius in aliud genus incrementi detrahebatur, cùm ad disparationem procreationis est liberatum, inanibus & patentibus venis in se recipit, & lambẽdo succum etiam solidescit, & redit in pristinam naturæ firmitatem. Eadem ratione Autumnali tempore maturitate fructuum flacescente fronde ex terra recipientes radices arborum in se succum recuperantur, & restituuntur in antiquam soliditatem.* Indè *Terentius in Andr.* cùm *actu* 1. *scena* 5. de Glycorio prægnante dixisset:

Laborat è dolore, atque ex hoc misera solicita est.

Mox *ead. scena* grauidationem *morbum* appellat:

—Verbum vnum caue de nuptiis,
Ne ad morbum hoc etiam.

Idem *in Hecyra actu* 3.*scena* 3.

Postquam introij, extemplò eius morbum agnoui miser.

Sed hisce omnibus contraria † sen- 22
tentia placuit nostro *Felino* Iuris Canonici scientissimo in *cap.quoniam frequenter, num.6.vt lite non contest.* (quem refert & sequitur *Menoch. supr. d. nu.* 6.) & *Tho. Actio in tract.de infirm. lega. c.20.in princ.* Et sanè nobis probatur apertè in *l.quæritur, §.1. ff.de ædil.edict.* vbi *Vlpian.*ait: *Si mulier prægnans venierit, inter omnes conuenit sanam eam esse.* Idem *Vlpian.*in *l.2.§.4.ff.si quis caution. iud. sist. causa fact.non obtemp. Si non propter valetudinem* (inquit) *mulier non steterit iudicio, sed quòd grauida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait: si tamen post partum decubuerit, probandum erit quasi valetudine impeditã.* Quasi clarè supponat & dicat, grauidam exceptione impedimenti à valetudine prouenientis (de qua egerat in *§.præced.*) iuuandam, quamuis morbo nõ laboret, quia impedita est: ea enim post partum decubans quasi valetudinaria

ſtinaria cenſenda eſt. Quæ omnia manifeſtè demõſtrant morbo re vera mulierem prægnantem non laborare.

23 Nec obſtant quæ in contrarium deducebamus à definitione morbi † cõtenta in d. *l. 1. §. ſciendum, ff. de ædilitio edicto.* Etenim grauidatio non rectè dicetur habitus cõtra naturam, quinimò omnium maximè naturalis & neceſſarius: *Cùm mulieres* (vt ait) *Iuſtinianus in lege ſecunda, Cod. de indicta viduitate tollenda) ad hoc Natura progenuerit, vt partus ederent, & maxima eis cupiditas in hoc conſtituta ſit.* Licèt enim grauidæ pluribus vt plurimum afficiantur ſymptomatibus, hæc tamen omnia accidentia ſunt, quæ adeſſe & abeſſe contingunt. Plures enim ſunt mulieres robuſtiores, & validiores, cùm prægnantes ſunt: imò & multæ, quæ à morbis (frequenter eas aliàs inſequentibus) media grauidatione liberantur, vt colligitur ex *Ariſtotele lib. 7. de hiſt. anim. c. 4.* vbi paucis grauidis euenire ait, βέλτιον, id eſt, *melius* ſe habeant, quaſi aliquibus id contingat: quod anteà in libris περὶ τῶν γυναικείων *Hippocrates* ſæpè annotauerat.

24 Plures itidem videbis, quibus grauidatio nulli vnquam rei agendæ † impedimẽto fuit ad partũ vſque, & paulò pòſt inualeſcunt more Illiricarum, de quibus *Varro libro ſecundo de re ruſtica c. 13. In Illirico hoc amplius* (inquit) *pregnantem ſæpè cùm venit pariendi tẽpus, non longè ab operis diſcedere, ibique enixam puerum referre, quem non peperiſſe, ſed inueniſſe putes.* Et plura ſimilia de Peruuianis & Mexicanis mulieribus referunt noſtri: & notanda exempla mulierum à partu ad opera cõſueta illicò redeuntium enarrat *Ioan. Schenkius libr. 4 obſeruat. titu. de partu, §. partus facilis.* Et his omnibus adde à facili parúmque incommodi afferente parturitione Hiſpanas Antiquis in admiratione fuiſſe, *Strabo libr. 3. Geographicorum,* quò loci de quadam ita præcipuè ait: *Vt pariendi dolores eam vexare cœperunt non procul ab opere diſceſſiſſe, enixámque confeſtim opus repetiſſe, ne mercedem amitteret.*

Et ſanè iſta paſſim obuia ſunt, & ſæpè ſæpiúſque accidunt pauperculis: & omnium maximè ex furtiuis, ac illicitis amplexibus concipientibus, aliíſque deperditis mulierculis, quæ facillimo negotio parere ſolent, & (vt ait: *Plautus in Caſtellaria, actu 1. ſcena 1. verſu 20.*

Sine obſtetricis opera, & ſine doloribus. Quod fortè an dixit, quia præ anguſtia & timore patrati ſceleris (amaſiis, aut aliis retegendi) dolores non ſentiunt ac aliæ.

Ex quo autem dolores in partu dantur (qui prẹter naturam eſſe videntur) non ideo minus naturalis dicetur partus, cùm hoc eueniat in commodum † & vtilitatem naturæ communis, & 25 indiuiduæ, ſeu particularis ſecundùm conditiones præfixas & ſtatutas ab eadem Natura, vt optimè ex *Galeni* diuerſis locis notat *Petrus Garcia de locis affectis, diſputatione 75.* dicto *cap. 2.* Et dictis ab eo ẹgo addo, partum ex triplici capite naturalem, vel contra naturam eſſe, vt prædixi *in cap. 6. in initio.* Primò, ex parte parientis. Secundò, ex parte naſcentis. Tertiò, ex parte modi. Quòd ſi partum ex parte matris parturientis conſideremus, & regulas Phyſicas, Medicáſque attendamus, nullus partus in rigore naturalis eſt. Nam cùm mulier in dolore pariat, *Geneſeos capite tertio,* cum latè traditis *ſuprà,* & dolor naturæ corruptionẽ ſupponat (vt aiunt Medici) & partus itidem cum corruptione naturæ matris eueniat, inde velut neceſſariò fit, vt non ſit naturalis: maximè cùm à dicto *ca. tertio Geneſeos* clarè conſtet ex peccato parturitionibus dolorem annexum. At ſat eſt partum ex parte editi

& modi naturalem esse, vt naturalis propriè dicatur.

Id autem quod de Agrippis ex *Plinio* & *A. Gellio suprà* adduximus nostræ
26 veriori assertioni nõ inconuenit,† imò eam adstruit: nã si partus præpostero, aut peruerso naturæ communi ordine editus ægritudine annumeratur, (quod ex pluribus ab *Hippocrate, Galeno, Auicenna*, & *Aëtio* deductis probat *Petrus Garcia* videndus *disputatione* 75.c.1.*nu*.3.& *Pater Lælius Bisciola lib*. 13.*horar.subseciuar.c*.21.*tom*. 1.) planè consequimur, partum consueto modo lucem videntem naturalem & morbi expertem esse. Vt inde meritò *Paul.Zacchias in Medico-legal.tit*.4.*q*.8.*num*.32. nouissimum irriserit *Perlinum* asserentem, prægnationem oblæsionem operationum esse; ex pluribus simul probans non esse morbum.

Cætera verò per nos *suprà* expensa parum obstant, nec enim vllibi *Hip-*
27 *pocrates*, † reliquíve Medici prioris notæ grauidationem aut partum morbum esse dixerunt. Et sanè *Terentius* velut à simili loquutus fuit.

28 Solus *Vitruuius* † ex diametro (vt aiunt) obstat *Vlpiano* in d. *l. quæritur*.§.1.*ff.de ædilitio edicto*. Neque enim admittit conciliationem, quam in notis excogitauit *Philander* dicens: *Hoc volebat Vitruuius imbecillem esse prægnãtem, & ad munia obeunda minus aptam, quòd embryo detrahat in se alimentum, Vlpianus intellexit non morbosam, id est, non redhibendam.* Nam his apertè aduersantur illa *Vitruuij* (iam expensa) *nec in venalibus ea quæ sunt prægnãtia indicantur sana*: quibus *Vitruuius* velut allusisse videtur ad inscriptionẽ, vel titulum qui seruis venundandis ex Edicto Ædilium Curulium apponebatur, vt notat apprimè *A.Gellius libro quarto, Noctium Atticarum, capite secundo*, vel ad formulam Ædilitiæ stipulationis similibus mancipiorũ venditionibus adhiberi solitam, quæ ita concipiebatur: *Seruum rectè sanum esse*, vt disertissimè (à *Iaboleno in l. qui tertiana* 31. *ff. de ædilitio edicto* obseruat. *Cuiac.libr*.9.*obseruationum, cap*.3.& ab isto nouissimè *D.Amaia lib*.2.*obseruationum,c*.13.*nu*.3. Et sanè ad stipulationem istam Ædilitiam respiciunt illa verba d.*l.sciendum*, §. 1. *Si mulier prægnans venierit, inter omnes conueniunt sanam eam esse.* Vnde par est credere, *Vitruuium* ab aliquo Iurisconsulto (*Vlpiano* antiquiore contrarium asseuerante) ista desumpsisse.

Vtcunque verò sese res ista habeat apud Medicos & Philosophos, ex *Hippocrat.Vitruuio* & aliis *suprà* relatis, apud nos † tamen indubium est, grauidationem sub morbi nomine nõ venire, attenta præfata definitione *Vlpiani*, cum exemplis ab eodem adductis in d.*l*.1.§. *sed sciendum,ff.de ædilitio edicto*. Quæ sanè non calluit *Bisciola* d.*lib*.18.*cap*.8.vbi Iurisconsultos notat, & eodem gradu habendum putat cæcum, claudúmque, quo balbum contra illa *Vlpiani*: *Totius corporis morbus est, puta* φθίσις, id est, *tabes, febris: partis veluti cæcitas, licèt homo itaque natus sit. Vitiúmque à morbo multum differre, vt puta si quis balbus sit, nam hunc vitiosum magis esse, quàm morbosum.* Nec attẽdit is Auctor vitium corporis (positum in eo quòd res non sit disposita pro naturæ suæ conditione, id est, aptè & conuenienter ad eam, vt egregiè præfiniuit *D.Thomas* 1. 2.*quæst.septuagesima prima, articul*. 1. *ad c.* à *Cicerone* ista desumens, eiúsque verbis productis) in balbo adinueniri, in cæco verò non ita, vt qui partes omnes corporis apto & conuenienti loco dispositas habet, sine actione, aut operatione assuetis contraria: cæcitas namque actio non est, sed priuatio. 29

Demum dictis addo tantum abesse vt grauidatio & partus morbi nomine

30 mine contineantur, vt potiùs † sanitati & bonæ valetudini, & mulieris meliori fortunæ fœcunditas ista tribuatur: *Maximum enim* (vt ait *Vlpianus* in dict. *l. quæritur*, §. 1. *ff. de ædilitio edicto*) *ac præcipuum munus fœminarum est concipere, ac tueri conceptum.*

Ab his tamen excipe casum singularem (notandum ab *Sechenk. in titu. de conceptione, obseru.* 2.) honestissimæ matronæ, quæ tanto coitus desiderio flagrabat, vt sæuissimis tremoribus, aliisque teneretur symptomatibus, quãdo vterum non gestabat, aut lactabat. Aliàs autem regulariter fœcunditas sanitati, & bonæ corporis habitudini tribuenda est.

31 QVIN ex contrario sterilitas † inter morbos annumeranda est, ex his quæ post alios Medicos & Dissectores, & insignem mihi, Philosophum *Lucretium lib.* 4. *de natura rerum*, de sterilitate, eiúsque causis latè differentem, & vltra *Heucher. in* suo *tract. de sterilitate*, notarunt *Ambrosius Paræus libr.* 23. c. 38. *Petr. Garcia*, ex pluribus, *de locis affectis disput.* 74. c. 1. latius & eleganter *Ioan. Varandæus libro secundo de affectibus mulierum*, ca. 1. Nobis autem res ista decidenda est adhibita distinctione *Vlpiani* in *l. quæritur* 14. §. *de sterili, ff. de ædilitio edicto*, vbi ita ait: *De sterili Cælius distinguere Trebatium dixit, vt si natura sterilis sit, sana sit; si vitio corporis, cõtra.* Neque his aduersatur *Hippocr.* qui *libr. 1. de mulier. morbis*, steriles natura libidinosiores, & morbis valdè obnoxias asserit: nam ab his istis supponit sanis interim adcẽsendas; quod clarius sensit *eodem libro*, cùm eas *crassas, benè coloratas, viriles, & partus immemores* ait. Vt inde meritò *A. Gellius* præfatam distinctionem contra *Labeonem* obtinuisse testetur *libr.* 4. *Noct. Atticarum*, c. 2. his verbis: *De sterili autem muliere, si natiua sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. Nam cùm redhiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, non oportere* (aiunt) *Trebatium ex Edicto apposuisse, si ea mulier à principio genitali in sterilitate esset. At si valetudo eius offendisset, exque ea vitium factum esset, vt concipere fœtus non posset, tum sanam non videri, & esse in causa redhibitionis.* Et fuisse itidem in causa primo diuortio in Vrbe patrato notauit *A. Gellius* [*libr.* 17. *Noctium Atticarum*, c. 21. *ad finem*, iuncta emendatione *Cuiacij* (à *Tertulliano*) *lib. 1. obseruationum*, c. 39. cum traditis ab *Hotmano libr.* 3. *Antiquitatum Romanarum, cap.* vel *l.* 8. Et ab hoc exemplo steriles imposterum passim repudiabantur, iuxta tradita per *Muretum* (*Nonium* emendantem, *cap.* 2. verb. *betere*) in *lib. 15. variarum lectionum, capite decimoquinto*, quem refert & sequitur *Ludouicus Carrio lib. 2. de emendat. ca.* 9. Et istorum dictis adde *Quintil. declamat.* 251.

Sed redeuntes ad dictum §. *de sterili*, ego ex verbis *suprà* relatis clarè probari video sterilitatem duplicem esse; perpetuam, inquam, & temporariam: id quod Medicis *suprà* relatis placuit, & aliis: quibus adde *Solinum* hanc distinctionem comprobantem in *c.* 4. disertis illis verbis: *Mulierum aliæ in æternum steriles sunt, aliæ mutatis coniugiis exuunt sterilitatem.* Et insuper subiunge, vtramque sterilitatem internam esse, vel externam *Hippocrati in lib. de sterilib. Galeno lib. de semine*, & doctissimo *Petro Garciæ*, post alios, *de loc. affect. disput.* 74. *capit.* 2. & ex variis nasci causis relatis à præcitatis Auctoribus, & *Plinio lib. 20. natural. historiæ, cap.* 11. & *lib.* 24. *c.* 10. & *libr.* 26. *cap.* 6. & *lib.* 27. *cap.* 9. & demum *libr.* 28. *cap.* 19. *Plutarcho de placitis philosophor. libr.* 5. *cap.* 13. *Sechenkio libro quarto, obseruation. ti. de figura, obseruat.* 11. Cùm autem naturaliter & perpetuò sterilis sana sit *Vlpiano* Iurisconsulto in dicto §. *de sterili*

planè cõsequimur, præcautiones, præseruationes, & remedia sterilibus adhiberi solita (quorum meminere *Hippocrates* & alij *supr.* relati, maximè *Plinius libr.* 16.*c.fin.& lib.*28.*c.*4. & 8.) his tantùm mulieribus vtiliter applicari, qui accidentaria sterilitate laborant, non his quæ vel natura, vel ætate steriles sunt, quæ superuacuo vexari labore passim videbis, & Antiquitas notauit, vt colliges ex *Iuuenali satyra* 2.

Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quòd nequeunt parere, & partu retinere maritos.
Sed melius, quòd nil animis in corpore iuris
Natura indulget, steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condita pixide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.

Demum in proposito noto, quod apud nos dicitur natiua sterilitate laborantem sanam esse in d. §. *de sterili*, intelligendum de ea quæ omnino sterilis, & inepta est conceptioni; quòd si quæ concipiat, conceptum verò retinere nequeat ob vitium fortè perpetuum vuluæ, aut simile, sana certè non erit, non solùm Medicis (vt patet ex traditis ab *Hippocrate in lib. de sterilib. Horat. Augen. lib.*1.*de homin. partu c.*1.) verùm nec Iurisprudentibus ex *Vlpiano* in d. *l. quæritur, ff. de ædilit. edict.* vbi ita in proposito ait: *Quæritur de ea muliere, quæ semper mortuos parit, an morbosa sit? Et ait Sabinus, si vuluæ vitio hoc contingit, morbosam esse*: notat & prosequitur optimè *Balduinus, in rubr. ff. de ædilitio edicto.* Sed & modum dignoscendæ, vel diiudicandæ perpetuæ sterilitatis, insinuasse videtur *Quint.* d. *declamat.* 251. vbi agit de iustè repudiata post quinquennium à die nuptiarũ. Qui verò plura alia de sterilitate & eius causis & signis scire cupit, adeat *Auicennam lib.*3.*Fen.*21.*tractat.*2.*c.*8.& 9.

QVÆSTIO Tertia.

TERTIO loco hîc aptè quæritur, † An mors ex partu proueniens sit naturalis, vel violenta? Et vt clariùs procedatur, & termini quæstionis rectiùs percipiantur, noto non esse intelligendam de morte naturali ad differentiam ciuilis, velut cùm dicimus: *Morte naturali confirmari testamentum, ciuili non item*: quo sensu sub nomine mortis naturalis venit etiã procedens ex combustione, præcipitatione, strangulatione, submersione, fame, bello, partu, & similibus, vt post alios annotauit *Cardinalis Seraphinus in voto super societate officiorum* edito, *Sylnester Zacchias de societ. officior. numer.* 408. Ad hæc violenta mors in proposita quæstione non sumitur largè, quo sensu omnis mors dicitur violenta vltra contingentem in senio, natiuo calore extincto, *Plato in Timæo, prope finem, Aristotel. in lib. de iuuent. & senect. cap.*14. *Cicero de senectute, Galen. libr.*1. *de febrib. c.* 8. *classe* 3. Verbum ergo, *mors naturalis*, contingentem ab infirmitate aliqua, & causa interna denotat, sicut verbum, *mors violenta*, euenientem ab aliquo extrinseco nocumento, *Bald. consf.*8.*num.*3.*lib.*4. Et sanè mortem prægnantis causæ violentæ post alios ascribit *Perlinus in libello de morte causa partus.* Idque à ratione non videtur deuium; nam etsi mulier in hoc nata sit, vt pariat, dict. *l. quæritur, ff. de ædilitio edicto*, *l.* 2. vers. *cùm enim, C. de indicta viduit. tollenda, Galen. libr.*3. *de caus. popul. cap.*2.*clas.*4. *Cardin. Mãtica*, post alios, *libro* 11.*coniect. vltim. volunt. titul.*19.*numer.* 15. cùm tamen prægnatio præcisè non respiciat indiuiduum,

duum, nec sit necessaria naturaliter ad sui conseruationem, quin potius respiciat conseruationem speciei, idcò videtur quid foris adueniens: & inde licèt mors à grauidatione procedens naturalis videatur, nihilominus dicẽdum videtur ab extrinsecis prouenire causis, & per consequens inter violentas connumerandam. Sed verius est, mortem grauidæ naturalem esse, non violentam, vt ex nostris notarunt *Castratius de societate, cap. 8. nu. 8. Syluester Zacchias de societate officiorum, nu. 423.* latissimè *Paulus Zacchias* eius frater *in Medico-legalibus, titulo* 4. per omnes quæstiones. Cuius rei veram rationem (ab istis prætermissam) ego eam esse puto, quòd mors isto in casu nec à nocumento externo, nec à factò hominis violento (velut bellum, incendium, strangulatio, & similia) prouenit, sed ab infirmitate prægnanti obuenienti. Quòd si obiicas grauidationem actionem esse externam & voluntariam, & inde mortem ab ea obuenientem naturalem dici non posse. Respondeo causam tãtùm mortis immediatam (quæ est infirmitas à prægnatione differẽs, ex dictis in quæstione præcedenti) attendi debere, velut in quibusuis actionibus: alioquin vix daremus mortem naturalem (vltra designatam s. cum *Aristotele, Cicerone, & Galeno*) cùm infirmitates sæpe & sæpiùs procedant à factis hominis externis & voluntariis, velut ex nimio esu, vel potu, vel à calore & frigore, quod quis vitare potuit. Et si instes, sæpissimè mulieres in ipso actu pariẽdi deficere, vel paulò post, vt accidit Racheli *Genes. c.* 35. & vxori Phinees, *Regum lib.* 1. *c.* 4. ita vt prægnatio causã sit immediata mortis, adhuc respondetur idem quod *suprà*: grauidationẽ scilicet causam fuisse mediatam, non immediatam, maximè attenta opinione Medicorum, qui mortem absque febri euenire non posse rati sunt. Aliud verò est in morte à bello, fame, strangulatione, velut à causa immediata proueniente, quæ citra dubium violenta est.

Ab his fit, vt in contractibus societatis officiorum (vel potiùs spõsionis) approbatis Bulla *Pij IV.* (de quibus latissimè agunt Auctores *suprà* relati, maximè vterque *Zacchias*, primus Iuris professor *in tract. de societate offic. n.* 1. *& seqq.* & secundus Medicus *in Medico-legalibus, d. titul.* 4. per omnes eius quæstiones) initis cum muliere, vt morte naturali amittat sortem in societate collatam, apponatur illa clausula: *Excepta morte ex partu, vel causa partus, & prægnantiæ*, vt mors ab his causis obueniens (quæ alias erat naturalis) liberet mulieris capitale à societate, vel sponsione facta cum domino officij, illúdve exercente, ac si causa esset violenta. Et sanè huic exceptioni in causa fuit, ita notante vtroque *Zacchia*, post alios, vt æqualitas esset in simili societate, vel sponsione: quæ aliàs non daretur, quandoquidem mulieribus prægnatio frequens est, & mors itidẽ ab ea. Quando verò mors propriè à prægnatione, vel partu prouenire dicatur, notarunt latissimè & exactè *Syluest. Zacchi. de societ. offic.* à *numer.* 425. & eius fratre *in Medico-legalibus, dict. tit.* 5. ad quos recurrendum cùm casus occurrerit. Nobis sat sit euicisse, mortem à grauidatione, vel partu cõtingentem violentam dici non debere, sed naturalem ad varios casus & iuris effectus.

QVÆSTIO quarta.

QVARTO loco examinãda nobis est illa nostri θήματος propriissi-

ma quæstio, An per rerum naturam
33 fieri posset, vt partui certus † designetur genitor, paterve? Quia nostri latissimè tractarunt in *l. Lucius* 84. *ff. de cõditionib. & demonstrat.* & in *l. filium* 6. *ff. de his qui sunt sui vel alieni iur.* & aliis locis ĩ. designandis.

Et sanè communior, imò omnium, vno aut altero excepto, assensus est, rebus in facto (vt nostri aiunt) impossibilibus hanc filiationis (sic doctrinæ causa loqui ac alibi liceat) probationẽ annumerandam. Nam vt ait *Baldus* (quem cæteri sequuntur) in *l. 1. Cod. qui accusare non possunt, num.* 52. triplex est filiationis probatio: vna necessaria & concludens, quæ in matre tantum datur: altera probabilis, quoad patrem, cùm quis ei ex vxore, vel concubina domi retenta, vicinis scientibus, natus est: alia coniecturalis, quæ ex aliis atque aliis elicitur præsumptionibus. Vt inde velut necessariò inferri videatur, nullo modo patrem alicuius probari posse probatione necessaria & præcisa.

34 Idque nostri communiter † probare contendunt ex d. *l. Lucius*, in qua conditionem illam: *Si filium meum se esse iudici probauerit*, ideò respuendam censet, quia impossibilis est eius probatio: & ita eum *textum* pro ista sententia induxit ibi *Bartolus*, & communis nostrorum Schola, teste *Decio in rubrica, extrà, de probationibus, num.* 14. & ab aliorum illicò referendorum cõtraria sentẽtia videtur vindicasse *Menochius de arbitrariis, casu* 89. *num.* 8. *& sequentibus.*

35 *Ferdinandus* verò *Menchaca* † *controuers. illustr. lib.* 1. *cap.* 48. *num* 22. à communi Interpretum assensu discedens aliter intellexit d. *l. Lucius*, dum ait, filium de quo ibi in domo testatoris editum, sub ea conditione à patre institutum, quia suspicaretur ex adulterio natum, quam suspicionem lex nec vllo modo admittit, iuxta *textum* in *l. miles, §. defuncto*, cum ibi notatis, *ff. ad leg. Iuliam, de adulter.* Ast interpretatio ista suppositionem continet. Sed nec concludens est, adhuc enim disquirimus, an pater certus designetur ex cohabitatione cum vxore, vel concubina tempore conceptus, & editi partus?

Vnde (his omnibus omissis cum aliis adductis à *Palæoto de nothis spuriisque filiis, ca.* 21. *Mascardo de probationib. conclus.* 787. *num.* 3. *Fuluio Paciano in eodem tractatu, cap.* 12. *Alexand. Rauden. de analog. c.* 30. *Forster. de succession. ab intestato, lib.* 4. *cap.* 7. *& seqq.* cum pluribus aliis relatis à *Bernardo Grauæo ad Gail. lib.* 2. *cap.* 97. *nu.* 2. *Menochio* d. *casu* 89. & *de præsumption. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 50. *& quæst. seq. num.* 24. *Simone de Pratis de interpretat. vltimar. volunt. libr.* 5. *dubitat.* 4. ex *numer.* 185. *Petra de fideicommis. quæst.* 11. ex *nu.* 241. *Fornerio libr.* 2. *selectarum, cap.* 6.) 36
ego assentior † *Decio in rubrica, extrà, de probationib.* d. *nu.* 14. & in *l. fin. Cod. eod tit.* qui (post *Glossam* in *l.* 1. verbo *filium, Cod. quorum bonorum,* & *Baldum* in *l. si pater, C. de institution. & substitutionib. num.* 10.) disertè annotauit in *l. Lucius* conditionem vt impossibilem à dispositione non reiici, ac pro non scripta haberi (vt in *l. Mæuia* 45. *ff. de hæred instit.* & in *l.* 1. *l. si quis ita institutus, l. mulier* 20. *ff. de condit. institution. l. si mihi & tibi* 12 *§.* 1. *l. ab omnibus* 104. *§. in testamento, ff. de legat.* 1. *l. qui dotem* 12. *D. de dote prælegat. l. obtinuit* 5. *D. de condit. & demonstration. §. impossibilis, institut. de hæredib instituend.*) sed dispositionem ipsam vitiari apertis illis *text.* verbis. *Et ideò testamentum nullius esse momenti*, quod ideò fieri ibi ait, quia filius sub ea fuerat conditione institutus, quæ in ipsius non erat potestate, & à probationibus, quæ difficilem solent habere

exitum

exitum, pendebat. Et demum, quia vt ait *Cuiacius in commentar. ad lib.* 12. *responsorum Pauli, ad fin.* in euentu probationis posita erat hæc conditio, non in arbitrio filij: idque magis fortunæ & euentui subiici disertè ex aliis firmat, dum arbitrio iudicis cõmittitur: vt inde necessum sit conditionalem istam institutionem filij non tenere, iuxta vulgarem regulam *text.* in *l. suus quoque* 4. *in princ. D. de heredib. instit.* §. *pare, institut. eod. tit.* d. *l. si pater* 4. *C. de institutionib. & substitution.* Et sanè hæc verissima interpretatio clarè comprobatur ab illis *textus* verbis: *Respondi, filium de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum videri, quæ in potestate eius est, & ideò testamentum nullius esse momenti.* Quod alioquin teneret, quidquid dicat *Menoch.* d. *casu* 89. *n.* 8. distinguens inter conditiones impossibiles de iure, & de facto: illa enim omnia facilè diluces ex his quæ post alios optimè notauit & docuit *D. Pichardus* in d. §. *impossibilis, num* 14.

37 Nec alicuius sunt momenti quæ in † hanc interpretationem adstruit *Menoch.* d. *casu* 89. *num.* 7. dicens, filium de quo in d. *l. Lucius*, in quasi possessione filiationis non esse, idque innuisse Iurisconsultum *Paulum* illa velut verborum formula: *Aurelius Claudius natus ex illa muliere*: aliter enim (ait *Menochius*) testator dixisset: *Aurelium Claudium filium meum hæredem instituo.* His addit *Fornel.* d. *ca.* 6. ex diuersitate nominum testatoris, & instituti quasi necessariò induci filiũ illum, in suspicione testantis, ex legitima vxore susceptum non fuisse. Sed ista me nõ remorantur, quominus existimen, *Paulum* Iurisconsultum in d. *l. Lucius* pro constãti habuisse, hæredem ibi institutum testatoris filium ex legitima vxore susceptum, hæredemq; necessarium fuisse, vt insinuant illa verba: *filium de quo quæritur*: & conuincitur aperta ratione, quia ea sola causa ibi testamentum nulli esse momenti edicitur, quòd institutio non fuit facta sub conditione, quæ in filij esset potestate, quod proprium est suorum hæredum, d. *lege suus quoque*: ius autem sui hæredis sine patria potestate consistere non potest, *l. lege Cornelia* 12. *D. de testament.* Quia & patria potestas in his tantùm exercetur, qui ex iustis nuptiis fuerunt procreati, *l.* 3. *& 4. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris.* Nec quidquam obstat testatorem illa fastidiosa loquendi forma vsum: *Natus ex illa muliere, &c.* ea enim ideò forsan testator vsus est, quia de moribus vxoris sinistrè suspicabatur, non tamen ideò minùs filius legitimus censebitur, *lege* 3. *in princip. ff. de liber. & posthum.*

Quòd si testator formula † à *Menochio* præscripta vsus esset, verba sanè omnino suæ intentioni contraria proferret. Quandoquidem nominatio ad probandam filiationem multum prosit, ex Doctoribus *suprà* allegatis, & ipso eodem *Menochio* d. *casu* 89. *num.* 77. *Ioanne Baptista Asinio in praxi iudicio.* §. *cap.* 16. *cum seqq.* & aliis, quibus non immoror. 38

Denique minus vrget diuersitas nominum: nam præterquam quòd par non est credere, testatorem nomine Lucij Titij (quod *Paulus* exempli causa posuit) vocitari: ex diuersitate nominum non arguitur institutum æstimatum extraneum à testatore, vt manifestè demonstrat (retento *Fornelij* adsensu) *l. Titia* 34. §. *Lucius*, *D. de legatis* 2.

Dicendum ergo est, testatorum in d. *l. Lucius* probabilem & vndique aptam iudicique arridentem probationem filiationis desiderasse & præcauisse, vt conceptam de vxoris adulterio suspicionem (cùm ipse iam esset apud Orcum) filius concludentissimè eluceret. At conditione ista (quæ non erat

in filij potestate) vltimum sanè suum elogium Zelotypus iste testator euertit, deficiente necessaria, & à iure requisita hæredis institutione, *l.3.ff.de his quæ in testamento delentur.* Quòd si de necessaria & concludendi filiationis probatione textum illum intelligas, vix erit vt dubitandi ratio in eo supersit.

Sed etsi dict. *l. Lucius* principaliter intendat, quæ *suprà* diximus, negari
39 non † potest ex eius decisione elici patris certi nullam posse dari probationem necessariam, quod apertiùs docuit *Vlpianus* in d.*l.filium 6.ff.de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, & Imperator *Probus in l.si vicinis 9.C.de nuptijs*, & notatur communiter in dict.*l. miles*, §. *defuncto, ff.ad legem Iuliam, de adulter.* & probant *supr.* relati, cum aliis, quos refert & sequitur *Menochius* d.*casu* 89. *num.11.Gregor.gloss.4.in summa, titul.2. part.4.* Et hoc ipsum demonstrat illud *Homeri in* Ὀδυσ.

Μήτηρ μέν τ' ἐμὲ φησὶ τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ
ἔγωγε
οὐκ οἶδ', οὐ γὰρ ᾗ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω
Mater me patris huius ait natum esse, sed ipse
Ignoro, nam nemo suum pote nosse parentem.

Et *Menander* disertiùs in *Stobæi Florilegio, tit.76.*

Ἐστὶν ἡ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός,
ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ' οἴεται.
Mater tenerius liberos adamat patre,
Quia mater esse scit suos, pater autumat.

Et apud eundem d.*titul.76.* idem *Menander* ita ait:

Οἷον τὸ μὲν εἶναι πατέρα παίδων, ὢν φόβος
Λύπη καὶ φροντὶς, οὐδὲν δ' ἐστὶν πέρας.
Patrem vocari liberûm, quantum est metus,
Dolórque & ægritudo, sine fine ac modo.

Ab his quàm euidens fit, errasse *Au-*
40 *gustinum Beroum*, † qui in *c.in præsentia, num.142.de probat.* filiationis necessariam probationem difficilem tantùm esse dixit, non impossibilem.

Nec enim eam inducit exemplum 41
† *Bartoli* in *l.1.C.quorum bonorum, nu.2.* puellæ scilicet in carcerem, arcem, similémve munitissimum locum cum viro detrusæ, circumpositis custodiis & vigiliis, vt omnibus aditus præcluderetur, quę sic conclusa post anni spatium partum ed.disset. Nam vt facetè ait Cardinalis *Palæotus* d.*cap.22 ad finem: Hîc fortasse aerei quidam dæmones suspecti esse possent, prout de Danaë & imbre aureo veteres Poetæ fabulati sunt: forte & magica quadam præstigia, quorum vi clausulas etiam, obseruatásque valuas nonnulli furtim ingressi, cùm à nemine conspici possent, nuncque pueros fascinasse, nunc cum alienis vxoribus congressi esse traduntur, si tamē his fides adhibenda est. Planè* (subdit idem) *& hoc casu non video, quomodo hæc adeò certa sumatur probatio, siquidem testes de eo tantùm fidem facient, neminem intra id tempus eò ingressum esse, ex qua re sequitur, id quidem necessariò eum esse filij parentem, qui cum puella moratus est. Sed tamen hæc ipsa probatio non principaliter natalium causam respicit: nihil enim illi de coitu, nihil de conceptione attestantur, sed potiùs quibusdam rebus extrinsecùs, & per obliquum id docent. Ita vt & hinc animaduertas, rem istam, & quod principaliter agitur, nunquam verè probari posse:* quod approbauit *Menochius supr.n.8.*

Certinitas igitur (sic liceat loqui 42
doctrinæ gratia) patris à nuptiis † cum edente filium contractis desumenda est, d.*l.filium, ff.de his qui sunt sui, vel alieni iuris*, d.*l.si vicinis, C.de nuptijs*, non quidem à probatione irrefragabili, nullíque subiecta tergiuersationi, sed à præsumptione quadam iuris & de iure nullam admittente probationem in contrarium, vt nostri aiunt, & probauit *Ant. Faber in rationib. super* d.*l.si fi-*

d.d.*filium:* & exactè antea annotauerat *Menchaca* d.c.48. & latiùs prosequutus fuit *Menochius lib.3.præsumpt.1.nu.* 46.& *lib.6.præsumpt.54.*ferè per tot.

QVÆSTIO quinta.

43 QVINTO quæritur, Quid in † causa esse possit, vt partus humanus non ita similis suis genitorib. ac cæterorum animantium prodeat? Id quod video *Aristotelem* in dubium reuocasse *sect.10.problem.12.* Et sanè certa & exacta huius quæstionis resolutio à vera similitudinis partus & parentum dignosci dependet, nobis co-
44 gnitu perquàm necessariæ † ad eruendam vim præsumptionis filiationis ab ea resultantis, vt inde rei istius (summè difficilis quàm quæ difficilior inter Philosophica & Medica, vt agnoscit *Petr.Garcia super Auicen.disput.37 c.2.* & nostræ disputationis propriæ) tractationem effugere non possimus. Quàm plures insuper ex nostris video latè prosequutos, maximè *Tiraq.* in *l. 7.connubial.glos.1.par.7.n.52.* & nouissimè post alios *Stephan.Gratian.disceptation.forens.tom.3.c.567.*ex *nu.31.Paulum Zacchiam in Medico legalib.tit.5. q.4.*ex *nu.5.Henricum Salmuth ad memorabilia Panciroli,tom.2.c.10.*

Vt autem deinceps similitudinis
45 coniectura apud nos,& maximè apud iudices (quorum arbitrium in hisce † plurimum valet, *Menoch.*post alios, *de arbitrar.casu* 89.*n.97.* & *de præsumption.lib.6.præsumpt.53.n.45.*)eo quo licet reponatur loco & gradu, non abs re me facturum puto, si hoc loci rem velut arte tractarem : & quæ cæteri maximè Auctores iam relati gregatim, & quasi tumultuario sermone prosequuntur, in ordinem redigerem, quantum similitudini tribuendum sit à veris Philosophiæ principiis eliciẽs, præcognitis eius speciebus & causis, & subinde dissimilitudinis.

Et quidem *Galenus libr.2.de semine, cap.2.& 5* (quem cæteri suæ scholæ sequuntur, maximè *Andr.Laurent.li.8. de histor.anatom.c.5.q.20.Fernelius lib. 7.Physiolog.c.12.*) triplicem † notauit 46
similitudinem: vnam SPECIEI: alterã SEXVS: & tertiã EFFIGIEI, siue FORMÆ (vt Medici & Philosophi nouiores loquuntur) *indiuidualis.*

Et licèt Iuris Professorum omnis de similitudine sermo ad tertiam istam vltimámque speciem referatur, † om- 47
nes tamen sigillatim, & summa, qua potuerimus, breuitate percurrentes notamus, primam † consistere in pro- 48
creatione eiusdem speciei, vt cùm ex determinato animalis semine aliud eiusdem speciei, non obsistente aliquo impedimento, procreatur, velut ex homine homo, ex leone leo, non vrsus, aut lupus : quò reducenda sunt quæ docuit *Aristot.lib.1.de partib.animal.c. 1.*dicens: *Non enim quodlibet vtcunque sors tulit, neque ex corpore quolibet semen prodiit,&c.* Et quidem in hac prima similitudinis specie valde præualere materialem causam, eámque in fœminis † magis quàm in maribus 49
consistere communiter Medici existimarunt à *Galeno* s. relato, maximè *Fernel.*d.*li.7.Physiol.c.11.Andreas Laurentius* s. qui ab his ex capra & ariete capram, ex oue & hirco arietem gigni annotauit. Et sanè eorum sententiam, rerum experientia comprobatam, cõturbare non debet contraria *Petri Garciæ in Auicenna* d.*disputat.37. c.1.* qui cum *Aristotele* (iam improbato *suprà q.1.* semen mulieris ad generationem nec aptum, nec necessarium putauerit, multa à communi & veriore cæterorum assensu deuia concedere fuit coactus.

Ad secundam similitudinis speciẽ in *sexu* consistentem deueniens, noto ex eodem *Galeno* & reliquis iam cita-
50 tis, in ea præualere † seminis virtutem, temperiem, & victoriã in permixtione: si enim vtriusque parentis calidissimum est, mares fiũt, sin autem frigidum, fœminæ producuntur: idémque euenit ex *Andr.Laurentio* & aliis s̃. maximè *Petro Garcia* ab *Aristotele* d. *disputat*.37.*c*.7.*n*.25. si masculinum semen vincit fœmineum, vel è contra ab eo vincatur: nam viri semen victrix fœtum virilem producet secundùm hosce, à vincente verò fœmineus procreabitur. Sed valdè miror istos *Galenum* contrarium asserentem, & exactè probantem præteriisse: ait enim *lib*.2. *de semine*, *c*.5. prædictæ sententiæ *illud aduersari, quod sæpenumerò euenit, vt fœminæ patri, mares matri quàm simillimi nascantur: vnde melius fortasse erit, si dicamus, non absolutè ex seminis prædominio, sed ex diuersarum partium præeminentia marem & fœminam procreari*. Vt inde admittendi non sint alias nouè similitudinis in sexu adstruentes causas; eos enim optimè refellit *Sancta Cruz de Hippocr. Philosoph. super* d. *textu* 78.

Subinde in tertia similitudinis specie *Paulus Zacchias in Medico-legalib. tit*.5.*q*.2.*nu*.7. ex aliorum Medicorũ
51 sententia hac vtitur † distinctione, vt alia sit similitudo interna, alia exter-
52 na. Et ad priorem † referatur, quicquid nascitur progenitoribus, aut cuique alij simile in interno temperamento, siue in toto, siue in parte; veluti si ex patre temperatura calidiore filius eadem, similíve nascatur, & ex matre tẽperatura frigidiore filius, vel filia frigidiore itidem temperatura producatur: vel ex patre morbo affecto, vel sano filius morbosus, aut sanus prodeat. Et certè hæc similitudo interna & ad mores sese extendit, vt cùm à bono, iusto, & misericorde parente filius similis procedit. Et inde animi splendorem, ac corporis fortitudinem à parẽtibus per semina calidiora communicari docet *Hippocrates de diæta, tex*. 75. & ibi *Doctor Sancta-Cruz*. Déque ista similitudine intelligendus est Nestor in *Homeri Odyss.lib*.3. laudans Telemachum; & Menelaus de Pisistrato apud eundem *Homerum* sermonem iniens *Odyss.lib*. 4. & *Horatius* egregiè *lib*.4.*Carminum*, *Ode* 4. dicens:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et de ea insuper loquutus fuit *Plato in Symposio*, cùm naturam in plurib. eandem esse dixit, id est, eiusdem qualitatis (vt colliges ex *Aristotele lib*.5. *Metaphysicæ*, *c*.9. & sensit *Albericus in dictionario*; verbo *simile*) non verò substantiæ: quo sensu *Glossa* & *Doctores* in *l.in duobus*, §.*vbi duo ff.de reb.dubiis* & *Bart*.in *l.quod Nerua*, §.1.*ff.depositi*. simile non esse idem dixerunt.

In externa verò similitudine (de qua præcipuus noster est sermo) *And. Laur. vbi* s̃. distinguit † & notat, fœtum 53
aliquando patri, aliquando matri, aliquando neutri, aliquando vtrique, sæpè auis & maioribus similem euadere: interdum amici, aliquando ignoti alicuius, puta Æthiopis, aut alterius similis imaginem referre. Id quod aptis exemplis comprobabis ab Auctoribus s̃. adductis, & à *Tiraqu. Henrico Salmuth, & Stephano Gratiano* iam relatis, qui plura in proposito congesserunt, quæ (ni fallor) aptè enodantur à traditis iam per nos *c*.17.*n*.91.

Et quidem in designanda hac mira, miréque varia hominũ similitudine, eiúsque causis plura cõmenti sunt antiqui & nouiores Philosophi & Medici. Et primò *Empedocles* Pythagoreus totam vim similitudinis filiorum ad

paren-

parentes, auos, vel proauos, aliósve nulla cósanguinitate iunctos in imaginatione † ponebat. Nec dissentit, imò idem supponit *Aristoteles* relatus in principio huius quæstionis. Et *Cicero* 1. *Tuscul.* causam assignans ob quã bestiæ simillimæ nascantur, rationem Aristotelicæ consimilẽ reddit, dicens: *Quia rationis expertes hærentem habẽt imaginationem.* Et ante istos *Plato*, eandem attendens causam *libr.* 7. *de legib.* suadebat sponsum & sponsam in actu venereo inuicem se attendere, vt in filiis eorum similitudo elucesceret. Ipsamque *Plinius* adstruit *lib.* 7. *c.* 12. & *Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem* mirè confirmat, cum aliis pluribus relatis à *Petro Garcia* d. *disput.* 37. *c.* 8. iam per nos expensis s. *c.* 17. d. *n.* 91. Et sensit *Accursius* in *l. quæret aliquis, ff. de verb. sign.* & in *l. non sunt liberi, ff. de statu hominum.* cum aliis relatis à *Gratiano* d. *cap.* 567. ex *nu.* 32. & iterum *nu.* 57. & à *Zacchia in Medico-legalib. tit.* 5. *quæst.* 1. ex *nu.* 22.

55 Isti ab imaginatione assignatæ causę alias superaddidit † *Petr. Garcia* d. *disputat.* 38. *c.* 3. *& seqq.* vsque ad 8. à *Veiga*, & quibusdam recentioribus *Auicennam* approbantibus, & à *Vallesio*, *Ludouico Mercado* & aliis, quæ in eã incidunt: & demum ipse ibi imaginationi plura detrahit, quæ ad eam ferè omnes vnanimes antea referebant. Id quod & nos quidem laudauimus & approbauimus, causas monstrorũ prosequuti d. *c.* 17. *n.* 91. Et nunc quod attinet ad similitudinem comprobamus † 56 euidentibus rerum successibus, qui planè demonstrant, recèns editos sæpè & sæpiùs quid incognitum referre: cũ tamen imaginatio velut quælibet facultas, quæ in cognitione consistit, nõ operetur, nisi obiectum habeat à quo moueatur, vt ex pluribus latè comprobat *Zacchias* s.

Quare his omnibus prætermissis, & simul Astrologorum inanibus nugis, qui putant, externæ similitudinis causam ab astris pendere, & demum eorũ qui eam referunt ad seminis motum & vim formatiuam) ego triplicem † 57 huius similitudinis causam constituo, primam ordinariam, quæ regulariter agit & simile producit, nisi impediatur, in semine ipso parentum consistens. Aliam itidem secundariam à tẽperamento procedentem, quam vnicam similitudinis causam multi malè putarunt, & securè affirmauit *D. Huarte in exam. ingenior. c.* 21. Alteram denique extraordinariam & insolitam ab imaginatione prouenientem, & tenello fœtui effigiem iuxta rem imaginatam imprimentem mediis accidentibus & causis iam per nos cum *Fieno* & *Petro Garcia* expressis s. *c.* 17. dict. *n.* 91.

Priorem similitudinis causam *ordinariam* † appellamus, quia regularis & 58 frequentior in generatione hominis, ac in plantis & animalibus brutis. Etenim Natura liberè agens semen emittentium similitudinem perpetuò imprimit, vel patris, si virile semen præualet, vel matris, si fœmineum in commixtione vincit: vel in patre, si portio seminis ab alia vincatur, *Hippocrat. in lib. de genitura, ante fin. Lucret. lib.* 4.

Et commiscendo cùm semen forte virile
Fœmina cõuulxit subita vi, corripitque
Tum similes matrũ materno semine fiũt,
Vt patribus patruo.

Idem *eod. lib.*

Atque vni simile est magis id quodcunque creatur,
Eius habet plus parte æqua, quod cernere possis,
Siue virûm soboles, siue est muliebris origo.

Et his concinit *Stobæus Eclog. Physic. lib.* 1. *tit. de causa similitud.* vbi eã à potentiore coeuntium semine deducit. Habet enim semen (licèt vnum totum

sit homogeneũ) partes alias aliis crassiores & tenuiores, quæ in commixtione vel vincunt, vel vincuntur.

Ab hac ergo similitudinis causa regulari & ordinaria
59 † fit, vt implurimũ filius parentibus assimiletur. Et nobis hoc ipsum in causa est, vt à similitudine magnum indicium, argumentúm-
60 que filiationis † desumamus, vti ex pluribus optimè concludit *Gratianus* d.*c.*567.ex *n.*60. Et hoc certè argumenti genere vsi sunt *Theocritus*, *Hesiodus*, *Euripides*, *Homerus*, *Virgilius*, *Horatius*, *Catullus*, & *Ouidius* in locis relatis à *Tiraquello* d.*l.connub.7.num.*52. Quibus adde Mineruam ex vultu Telemachum Vlysis filium ita coniicientem in *Homeri Odyss.lib.*1.

Αἰνῶς γὰρ κεφαλήν τε καὶ ὄμματα καλὰ
ἔοικας
κείνῳ.

Vehementer enim & capite, & oculis
pulchris similis es
Illi.

Et *Aristotelem lib.2.Politic.ad fin.* asserentem Populis quibusdam superioris Lybiæ (hi Garamantes erant ex *Pompon.Mela.lib.*1.) communes inter se vxores fuisse, liberos autem ab iisdem editos ex similitudine parentum diuidi consueuisse: τὰ μὲν (inquit) γενόμενα τέκνα διαιρεῖσθαι κατὰ τὰς ὁμοιότητας, i.*Natorum filiorum diuisionem fieri à similitudine cum genitoribus.* Quin ex quo filiationis præsumptio vehemens à similitudine sola exoriebatur, factũ fuit antiquitùs, vt mulieres curiosæ, suæ pudicitiæ prospicientes liberorum suorum similitudinem cum parentibus valdè prædicarent, *Athenæus in Dipnosophist.lib.*5.

Huius autem rei rationem ab eodẽ *Philosopho* depromo *lib.*1.*de generatione anim.c.*19. ita aiente: *Vtque filij similes parentibus sint, ratio exigit. Simile est enim quod ad partes accesserit, ei quod remanet, itaque semen manus, aut faciei, aut totius animalis est manus indefinita, vt animal totum indefinitum. Et qualecumque illorum est actu, tale semen potẽtia est, aut corpulentia sua, aut facultate, siue virtute, quam in se ipso continet.* Id quod planiùs & simpliciùs antea docuerat *Hippocrates in lib.de diæta* asserens instrumentum seminale constare spiritu & calore mirè proportionato, & hæc operari ad generantis similitudinem actione quadam merè naturali, scilicet calefaciendo exsiccando illas partes magis ac minus, prout respectu finis conueniebat, & prout materiæ exposcebat dispositio. Formæ namque naturales sibi similes possunt producere, & ideò habent virtutes, quas Philosophi & Medici *seminales* communiter appellant.

Et sanè ab his *Hippocratis* & *Aristotelis*, quæ omnes ferè Philosophi, Medicíque approbarunt, improbandus (vt hæc obiter dicam) venit † *Tho-* 61
mas Fienus, qui *in lib.de formatrice, q.*8. *fol.*187. animæ rationali formationis efficientem causam attribuens (quod iam nos impugnauimus in *c.*1.§.1.*nu. vlt.*) ita ait: *Similitudo fit per hoc quod in semine sunt species intentionales, naturales, & aliqua simulacra impressa à parentibus secundùm quæ anima introducta organizat, non aliter quàm pictor pingit secundùm figuram prototypi sibi obiecti. Anima enim introducta instinctu quodam naturali verè diuino & admirando potest illa simulacra apprehendere & cognoscere, & secundùm illa conformare. Imprimuntur autem illa semini mediatib. spirib. tum vitalib. tum animalib. à corde & cerebro testib. communicatis*: quibus verbis iste nouè animæ rationali causam efficientem similitudinis (ad semen cum *Aristotele* referendam) concedit: & pessimè quidem ex *Aristotele* s. iunctis his quæ in horũ impugnatione post *Iauinum lib.de natura cæli, cap.*24. nouissimè annotauit *D. San-*

D.Sancta Cruz *de Hippocr.Philosoph. in comment.super tex.43.digr.4.* Et nostram communem sententiam contra dictum *Fienum* comprobat egregiè *Petr.Garcia in Auicen.* d.*disput.37.c.1. vers.quibusdam:*& faciunt latè ab isto tradita in *Argenterium* d.*disput. ca.* 4. & latiùs in *capite sequ.* vbi horum veram causam ab *Aristotele* emit: nisi quòd plura subinde, & *cap.sequ.* comminiscitur à communi assensu deuia, dum nouè cum eodem *Philosopho* defendit,semen fœmineum generationi ineptum, quæ mihi non probantur s̃. *hoc cap.* & quod plus est, nec *Galeno*, nec *Diuo Thomæ* ab isto relatis *cap.5. & 6.*

62 Svb hæc ad secundam similitudinis externæ causam deueniens noto, eam procedere à victu † & temperamento,& tales,similésve filios ei ferè semper generari. Quinimò à diuersa victus ratione diuersæ hominũ à suis parentibus formæ passim occurrunt, vt vtrumque strenuè adstruit *D.Ioann. Huarte in* suo *lib.exam.ingen.c.21.* vbi ab his respondet nostræ propositæ quæstioni, insuperhabita omnino *Aristotelis* solutione(partim admittenda ex dicendis illicò.) Et ego præ cæteris ab isto *Auctore* traditis obseruo,similitudinem gemellorum ab eodem præcipuè temperamento procedere, ex doctrina *Hippocratis in lib. de diæta, textu* 78. in cuius commentariis hęc latè comprobat, & contrariis ex integro facit satis *Doctor Sancta-Cruz*, ita vt superuacuum sit hisce amplius immorari.

63 Tertia demum externæ similitudinis causa ad phantasiam † seu imaginationem per accidens operantem (vt ex *Fieno* & *Petro Garcia* annotauimus *in cap.*17. d. *num.* 91.) referenda est. Et isto sensu sunt percipienda & admittenda quæ de similitudine ab imaginatione proueniente docuerunt *Plato in Sophista, Aristot.sect.*10.d.*problem.*12. & alibi,*Cicero* d.*lib.1.Tusculan.Plinius lib.7.c.12.Galenus* d.*libell.de Theriaca ad Pisonem,* & plures citati à *Tiraquello,Salmuth,*& *Gratiano,*s̃.relatis.

Hanc,dissimilibus in natura humana formis in causa † esse probauimus 64
cum *Aristotele:*vnicam tamen,ac ipse putabat,non cõcedimus, quando quidem & à diuerso victu & temperamẽto implurimum procedat, ex iam dictis. Quibus cùm aptum † propositæ 65
ab *Aristotele* quæstioni responsum damus.Et insuper addimus,† in brutis, 66
in quibus diuersa victus, temperamentíque ratio cessat, & imaginationis vis ferè nulla, marem, fœminámq; valdè similes simile producere. At in natura humana masculus & fœmina semper forma & corporis habitudine dissimiles mixtum generant, vt totum quid vtrique parenti dissimile: nam qua parte patri simile est,matri est dissimile & è contra.

Sit ergo omnium prædictorum circa causas similitudinis conclusio. †Humana natura ordinariè, & iuxta 67
communes regulas operante fœtus parentibus similes produci, ab eis tamen (quod attinet ad similitudinem) vel à temperamento, diuersóque victu, vel ab imaginatione degenerare, ita vt ex tribus propositis causis prima † propriè sit ad similitudinem referenda, 68
secunda verò & tertia ad dissimilitudinem extra communem naturæ ordinem contingentem.

Et ab istis sanè insignem recipit interpretationem illud † *Aristotelis lib.* 69
*4.de generat.anim.c.3. Qui suis parentibus similis non est, monstrum quodammodo est,*quod latè prosequitur & exornat *Petr.Garcia in Auicen.* d.*disput. 37.c.7.*

Vnum illud hîc discutiendũ superat,quî fieri in Natura possit, vt par-

tus editus sępè & sępiùs similitudinem
70 †auorum referat,, omissa parentum?
Sed hæc, quæ meram sapiunt Philoso-
phiam, nobis nec vlli rei scitu neces-
saria, exactè persequimur idem *Garcia*
*d.disput.*37. *cap.*6. & aliqua nouissimè
annotauit *D.Sancta Cruz.de Hippocr.*
Philosoph.super textu 40.*in fine*, & an-
te istos *Andr.Laurent.* optimè *de histo-*
*ria anatom. lib.*8.*cap.*5.*d. quæst.*20. Vbi
ex *Aristotele* annotat, hanc similitudi-
nem ad quatuor vsque generationes
extendi, comparatione quadam mag-
netis, & aliorum ibi ab isto adducto-
rũ. Quò reducenda sunt illa *Theophra-*
*sti lib.*1.*de causis plantarum*: *Possumus ex*
longis generibus similitudines petere. Sed
certè nullo modo velim admittas quæ
Pet.Garcia (opinione *Aristotelis*, fœmi-
neum semen in generatione non con-
currere existimantis, persistens) ait *d.*
*cap.*6. de menstruo sanguine maiores,
auos scilicet & proauos fœminarum
in potentia continente: quod sanè ri-
diculum videtur, & à sanctissimi, do-
ctissimíque *Thomæ* sententia, quem i-
bi refert, alienum.

QVÆSTIO
Sexta.

HIs succedanea est sexta inuesti-
gatio, si mulier priore marito
mortuo ad secundas illicò conualue-
rit nuptias, & nono forsan, alióve le-
gitimo tempore pepererit, cuius ille
71 filius†præsumatur & hæres? Et sanè
Iure Ciuili (quo attento nuptiæ intra
annum luctus vetitæ erant propter san
guinis turbationem, vt latè probaui-
mus *in c.*13.) capienda erat filio fauo-
rabilior præsumptio, vt iure (id est ex
nuptiis & matrimonio iam morte
prioris viri dissoluto) censeatur natus
Bald. in *l.si matre, C.de suis & legitimis*
hæredibus. Idemque vtroque Iure di-
cemus in ea quæ post prioris viri mor-
tem amasium habuit: nam ab ea edi-
tus ex benigniore interpretatione ad
maritum defunctum referemus, dum
tamen computatione à morte viri fa-
cta partus in septimo & vlterioribus
mensibus cõtingat vsque ad decimum
completum, iuxta ea quę plenè & pla-
nè suis locis iam resoluimus.

At cùm inspecto Iure Canonico
(nobis omnino amplectendo, *cap.pe-*
nultimo & vltimo de secund.nuptijs) re-
cens vidua possit statim alij secundo
viro nubere, iamque cesset illegitimi-
tatis inconueniens Iure Ciuili immi-
nens secundas facto patrantibus nup-
tias, & eorum soboli (quidquid in cõ-
trarium sentiat *Alciat. lib.*9.*parerg.c.*
12. cuius sententiam amplis vlnis am-
plectitur sectarius *Salmuth.ad Pancir.*
*tom.*2.*rer.nou.inuent.cap.*10.) ingens est
difficultas, ad quem ex viris partus sit
referendus? Et sanè in eius resolutio-
ne†varij varia dixerunt. Quidam enim 72
(inter quos præcipui *Alexander Imo-*
lensis in *l.Gallus in princip.ff. de liberis*
& posthum. variè extendens; & rursum
constringens, *Asinius in praxi*, 2.*part.§.*
1.*ca.*66.*& seqq. Marius Giurba in con-*
*suetudin. Messanens.*1.*par.cap.*8.*gloss.*2.
*num.*5.) censent, partum huiusmodi se-
cundi viri pręsumi, ita vt imputandum
ei sit, qui nimis properè vxorem du-
xerit, argumento *textus* in *l.* 2.*§.si quis*
tamen, ff. si quis caution.iudic.sist. vbi
Vlpianus omnem sinistri casus culpam
ei adscribit, qui cùm posset non inci-
dere in tempestatem, vel vim fluminis,
si opportuno tempore nauigasset, nul-
la necessitate cogente voluntati, & vo-
luptati propriè obtemperans, imbri-
bus & procellis sese commisit. His ad-
de suspicione non carere intempesti-
uam illam nuptiarum festinationem,
iuxta notata per Canonistas in *capite*
cùm haberet, de eo qui duxit in matrimo-
nium, quam polluit per adulteriũ. Vt non
imme-

immeritò Galiaula in d. *l. Gallus,num.* 41.hanc sententiam omnibus æquiorem asseruisse videatur.

Angelus verò in *l. duo socij* 8. *D. de heredib. instituend.* partum hunc ad vtriusque mariti hereditatem admittendum ratus est: quod sanè perquàm ridiculum visum fuit (& meritò) *Alexandro* in d.*l.Gallus.*

His contrarius *Iacob.de Bellouiso* in *l.1.C.quorum bonor.* (quem sequuntur *Bald.* & *Angel.*in *l.liberorum,§.1.D.de his qui notan.infam. Alberic.*in *l.si vicinis, C.de nuptiis*, & *Aretinus* in d. *l. Gallus,num.*4.)hoc casu neutri partum succedere putat, ex *l.si fuerit*, *D. de rebus dub.l.3.§.si duobus,D.de adimend. legat.*

Ceterùm *Ruynus* & *Salomonius* in d. *l.Gallus* alterutrius hereditatem partui deferunt, electione ipsi data, vt eius sit, cuius esse velit: atque ita in re dubia interpretationem fieri in parte fauorabiliorem.

Nec defuêre, qui matris dicto, & professioni standum asseruerint, quorum sententiam (quæ posteà placuit *Fortun.Garciæ* in d.*l.Gallus*) improbat ibi *Bart.num.*13.& *Bolognet.n.*187.

Alio autem diuerso medio vsi sunt qui rem istam sorti committendam censuerunt, sed eorum denia opinione non est cur immoremur.

Ast omnium proprius veritati mihi 73 accessisse videtur *Bart.* † qui in dicta *l. Gallus* d.*num.* 13. signorum conceptus tempora inspicienda docet, vt his attentis partus ad priorem, vel secundum maritum referatur: & *Bartolum* sequuntur *Bolognetus* ibi *nume.*190. & alij relati à *Rustico de fideicommiss.lib.*4. *cap.*8.*num.*30.cum *Giurba supr. num.*4. Qui *numeris sequentibus* signa ista dinumerat, & nos exactè ea prosequuti fuimus *cap.*1.vbi Lectorẽ admonuimus: nam in *Giurba*, & relatis ab eo aliqua sunt perfunctoria,& insuper habenda, velùt illud consuetudinis mulieris in partionibus emittendis (quod quàm debile, nulliusq; sit pôderis facilè colliges ex his quæ in *Prolegomenis* annotauimus,& alibi) Et eodem certè leuitatis laborant viri p alia signa nouissimè congesta à *Paulo Zacchia in Medico-legalib.tit.*5.*quæst.vltima*,vbi *num.* 2.inter signa (*Bartoli* opinionem adstruentia) cõnumerat (ex *Fernelio lib.* 6.*Pathol.cap.*17.) proueniens signum ab ægrotatione viri prioris per quadraginta dies ante mortem subsequutam.Et *num.*6.(ex *Surdo decis.Mantua.* 84.*n.*18.) à maiore innascens prioris mariti(puta sexagenarij) ætate.Et n.8. ab eius ineptitudine ad generandum. Et n.9.à mulieris odio in priorem virum,cum aliis ab isto adductis d.*q.vlt. num* 21.& 23.quæ maiore ex parte superuacua duco.

Ex contrario coniecturæ in filiatione probanda(quas latè prosequuntur Iuris Interpretes,maximè *Mascardus* & *Menochius*, iste *lib. præsumpt.* 53. *per totam*,ille *in tract. de probationibus, tomo* 2. *conclusione* 787. *vsque ad* 796.)
multum † proderunt ad proposi- 74
tæ quæstionis resolutionem: præsertim fortiores coniecturæ *inferius* referendæ.

Quin & illa quæ ex similitudine resultat: quæ licèt per se sufficiens non sit ad probationem filiationis,ex *Mascardo* & *Menochio supr.* cum pluribus adductis à *Zacchia in Medico-legalibus tit.*5.*quæst.*4.à *num.*2.(sicuti nec dissimilitudo quidquam prodest ad probandum partus suppositionem, iuxta ea quæ resoluimus *supr.cap.*5.*num.*78) hoc tamen casu adeò ancipiti valdè erit præponderanda & attendenda, ex iam dictis *supr.quæst.*5. à *num.*43.

Vt inde in proposita quæstione de filio nato ab ea, quæ mortuo priore marito illicò secundas iniit nuptias, cùm signa conceptus deficiunt (iuxta

tradita à *Bartolo supr.*) vel coniecturæ rem quasi apertè demonstrantes desunt (velut ea quæ resultat ex longa & continua ægritudine prioris mariti, iuxta terminos *l.filium.6.D. de his qui sunt sui vel alieni iuris*, cùm alijs similibus, quas latissimo sermone prosequitur *Henricus Salmuth ad Panciroli memorabilia,to.2.d.c.10.*) recurrendum sit ad similitudinem, vt partus patrem diiudicemus eum, cui similis apparuerit. Sed & pleraque alia hisce concinentia ex *Euripide* & aliis annotauit nunc nouè *Ant. Mornatius* in *l.3.C.si minor maiorem se esse dixerit.*

Vbi autem signa conceptus, & superiores coniecturæ deficiunt, & simul illa quę ex similitudine orîtur. Ego vl-
75 tra omnes † rem istam componendam & decidendam existimo à præsumptione perfectioris, & frequentioris partus, quā prosequuti sumus in *c.* 11. vbi ex *Aristot.lib.7.de histor.animal.cap.4.* & alijs probauimus, frequentiorem & perfectiorem partum sub initium decimi mensis contingere: post hunc nono: ab hoc in septimo editū pręsumi: & demum in octauo. Vnde fiet, vt qui primo viro decimestris est, & secundo nonomestris, aut septimestris, ad priorem virum referatur: & si primo nonomestris sit, secundò verò septimestris, aut octomestris idem sit dicendum.

Quòd si editus in secundo matrimonio primo viro septimestris sit 210. dierum plus, minúsve, secundo vero 180. dierū tantùm primi iam defuncti præsumetur filius, iuxta ea quæ de nato septimo mense pleno, ex *Paulo.* Iurisconsulto *libr.4.Sentent.tit.9.§.7.* annotauimus in *cap.11.* Secùs erit, si primo viro sit decimestris 300. dierū plus minúsve, & secūdo 280. dierum, aut duorum triúmve plus aut minus. hoc enim perfectius & frequentius est pariendi tēpus, vti ex *Censorino* & plurib. aliis, & quod magis est ex natalitio CHRISTI Domini nostri latè comprobauimus in d.*ca.*11. Quin & quo casu primo viro octomestris est, secundo septimestris: idem erit iudicandum. Quòd si primo viro iam defuncto editus sit vndecimestris, secundo verò decimestris, huius etiam indubiè filius reputabitur, ex latè dictis & notatis in *c.14.* quidquid toto (vt aiunt) cœlo errantes in cōtrarium adstruere conari fuerint *Mynsinger.* (qui ita in Camera Imperiali decisum testatur) *in obseru.cent. 6.obser.40.* & *Gama* (qui de simili Prętorij Lusitani decreto mentionem facit) *decis.326.* cum aliis, quos refert & sequitur *Giurba* d.*gloss.2. numer.vltim. in fine.*

Denique noto, quòd si mulier confestim † secundo nubat viro, puta die 76
insequenti mortem prioris breui tempore decedentis (quo casu prædictæ considerationes, & supputationes cessant) tunc deficientibus etiā signis conceptus & coniecturis filiationis, natus secundo viro imputabitur iuxta priorem opinionem *Imolæ*, *Galiani* & aliorum *supra* relatorum, & rationes ab eis repensas. Quibus adde, filium eius patris præsumendum, qui diuturniore tempore in matrimonio perseuerauerit, ex traditis à *Salmuth* (obscœno licèt stylo, ac isti solent alloqui) *in notis ad Pancirolum* d.*cap.*10.

Sed quæ dicta sunt de bigama, velim repetas in ea quæ ab amasio relicta, & matrimonio illicò collocata (vt sæpè & sæpiùs accidit) filium procreauerit. Et insuper in ea quę vidua à legitimo viro cum amico iniusto concubuit, & prolem intra tempora partus, vtrique congressui accommoda, suscepit. Nisi quod fauore tam matrimonij, quàm editi filij eius conceptio ad tempora matrimonij quoad pote fuerit, sit omnino referenda.

QVÆS

QVÆSTIO septima.

77 SEPTIMAM nobis quæstionem † subministrant illa *Pomponij Melæ* verba *lib 3. de Orbis situ. Super eos populos grandis littoris flexus grandem insulam includit, in qua tantùm fœminas esse narrant toto corpore hirsutas, & sine coitu marium sponte fœcundas.* Quorum prætextu dubitatur, An euenire possit, vt mulier absque viri congressu concipere valeat, ita vt detur virgo prægnans? Et sanè clausas mulieres, & virgines grauidas fieri roris modo tracto humano semine ab vteri auiditate existimauit *Speron Speronij de partu mulieris*, & *Peramatus in lib. de semine.* Sed re vera decepti sunt isti & quicunque alij tale quid existimantes, aut
78 somniantes, à Cacodæmone † impulsi similia confingente, & medio isto quoad fieri posset supplantante, vel supprimente veri virginei conceptus & partus DEIPARÆ magnum, & extra hominum captum sacramentum miraculis plenum: quorum bonam partem congessit *Pater Baptista Poza* in suo *Elucidario*, mutuatus à *Peramato* (cuius nomen subticuit) *in appendic. ad librum de hominis procreatione.*

¶ Et sanè hoc ipsum communis attendit inimicus, qui opera & miracula CHRISTI extenuare & eleuare con-
79 tendens, † & simul humana ope potuisse patrari, Vespasianum induxit, vt simularet cæcum saliua, claudum contactu ab eo sanatos; quod antiqui (insignes superstitionum affectatores) sibi persuaserunt, & quod magis mirandum) *Suetonius in Vespasiano, cap. 7.* dicens: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset, confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset rem nullo modo successuram, ideóque ne experiri quidem auderet: extremò hortantibus amicis, palàm pro concione vtrumque tentauit, nec euentus defuit.* Quibus non tantùm *Dio Cassius li. 66. in principio* non concinit (vt aliqui putarunt) quin potiùs eis in multis contrariatur: ait enim, καὶ Οὐεσπασιανὸς δὲ αὐτὸς τυφλόν τέ τινα, καὶ ἕτερον οὐκ ἀρτίχειρα προσελθόντας οἱ ἐξ ὄψεως ὀνειράτων, τοῦ μὲν τὴν χεῖρα πατήσας, τοῦ δὲ τῶν ὀφθαλμῶν προσπτύσας ὑγιεῖς ἀπέφηνε, quæ ad verbum, fideliterque translata (communi versione prætermissa) ita sonant: *Et Vespasianus cæcum quendã, aliúmque imbecilla manu laborantem (ad eum tempore quietis deuenientes) huius manum calcans, illius verò oculos expuens, sanos dimisit.*

Vides vt isti in pluribus † differunt, 80
Suetonius enim in suo figmento claudum fecit, quem *Dio* mancum, vel imbecillæ manus. Secundò *Suetonius* diuersus est à *Dione* in loco; ille hoc accidisse Vespasiano ait pro tribunali sedenti, & in concione stanti; *Dio* verò intra priuatos (vt aiunt) parietes. Tertiò differunt in modo, & quidem dupliciter: primò, nã *Suetonius* finxit velut renuentem Vespasianũ illa patrasse hortantibus amicis, *Dio* verò vltrò. Secundò, *Suetonius* claudum tantùm, tactúmve supponit, cùm *Dio* mãci manum conculcatam asserat verbo illo πατήσας. Sed & *Tacitus* (qui ista latiùs commemorat *lib. 4. Historiarum*) diuersus est à *Suetonio*, & itidẽ à *Dione*, vt inde testibus his adeò variis núlla sit adhibenda fides ex vulgatis, & passim à nostris annotatis, maximè in *l. qui falso*, per *textum* ibi, *ff. de testibus.*

Adde Imperatores ad fundandum
† Imperium plura diuina ipsis contin- 81
gẽtia insimulasse, vti accidit Augusto, Tiberio & reliquis, quæ scripsêre Sue-

tonius & *Dio Cassius*. Quin & Imperio potiti hisce vtebantur figmentis, vt suis rebus aliquid diuini inesse suaderent, vt videmus in Claudio diem suæ mortis velut prædicente apud *Suetonium cap.*46. & plura similia simulanti (quæ dexterrimè irrisit *Seneca in Claudij* ἀποκολοκυντώσει, siue *ludo*, cuius meminit *Dio lib.*60. *in fine*) Et præ cæteris sanè hisce præstigiis, & obreptionibus vsus est Vespasianus, vt clarè colligitur ex *Suetonio* d. *c.*7. Et temporibus insequentibus Hadrianus, vt facilè percipies ex *Ælio Spartian.* in eius vita, *ad fin.* ita dicente: *Ea tempestate superuenit quædam mulier, quæ diceret, somnio se monitam, vt insinuaret Hadriano, ne se occideret, quòd esset bene valiturus: quod quum non fecisset, esse cæcata. Iussam tamen iterum Hadriano eadem diceret, atque genua eius oscularetur, receptura visum, si id fecisset. Quod cùm insomnium impleßet, oculos recepit, cùm aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluißet. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Hadrianum, eúmque contingit: quo facto, & ipse oculos recepit & Hadrianum febris reliquit: quamuis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret.* Sed & Domitianus ante Hadrianum plura alia ad sui commendationem confixerat, vt obseruarunt *Tacit.* d. *lib.*4. *Historiar. Sueton. c.*2. Et verò hoc genus hominum egregiè insectatur *D. Augustinus de Ciuitate Dei, lib.*22. *cap.*10. A cuius dictis ibi (& aliis locis j. expendendis, & traditis per nos s̃.) clarè demonstratur nullam adhibendam fidem enarratoribus horũ & similium miraculorum (quicquid *Fulgos.* adstruere conatus fuerit *libr.*1. *factor. & dictor. memor. c.*6.) Non tamen negamus plura miranda, & vltra captum communem hominum prædictis Imperatoribus Romanis, aliísque contigisse; sed horum pleraque ope dæmonum confecta, vel conficta sunt (iuxta tradita à *D. Augustino libr.*8. *de Ciu. Dei, c.*19. & *lib.*18. *c.*18. & *lib.*22. *d. c.*10.) alia magna calliditate & versutia, qua & hodie pollent quidam ignauiæ sectatores, maximè mulierculæ ficta sanctimonia auram popularem affectantes. Cùm ergo Lector disertè audieris Vespasianum, Hadrianum cæcis oculos dedisse, & similia, firmiter crede, hoc dæmonum fuisse inuentum: quale diiudico existimantium, virginẽ posse concipere absque viri congressu à præcitato *Pomp. Melæ* loco; in quo plura alia ficta & commenta iste congerit ab aliorum traditionibus. Sed nec conceptum similem per rerum naturam euenire posse facilè comprobabis ex dicendis j. *q.*10. cum *Ambr. Paræo* & aliis ibi referendis. Vt inde ista irridenda & explodenda sint, ac resurgentem vigesimo die (postquàm fuit sepultus) irrisit *Lucian. in Philopseude.*

Sit ergo propositæ quęstionis (à qua paululum digressi sumus) resolutio † 82 mulierum nullam humanum partum sine viri congressu concipere, ederéque vnquam potuisse; & fabulis adscribenda quæ *Pomponius Mela*, relatus s̃. nu. 50. enarrauit.

Et hoc ipsum dicas de cæteris animantibus à congressu masculi, & fœminæ naturaliter edi consuetis.

VT INDE meræ sint nugæ, † nudáque figmenta, quæ de equabus Hispanicis Zephyro flante concipientibus tradit *Virgilius* dicens *lib.*3. *Georgicon.* 83

Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptántque leues auras, & sæpè sine vllis
Coniugiis, vento grauidæ (mirabile dictu)
Saxa per & scopulos, & depressas conualles
Diffugiunt.

Queis concinit *Sili. Italicus* illicò refe-

referendus. Et (quod magis mirãdum) *Plinius lib.8.c.42.* Et *Solin.c.26.* dicens: *Ibi oppidum Vlyssipo ab Vlysse conditũ, ibi Tagus flumen, Tagum ob arenas auriferas cæteris omnibus prætulerunt. In proximis Vlyssiponis equæ lasciuiunt mira fœcunditate, nam spirante vento Fauonio concipiunt, & sitientes viros aurarum spiritu maritantur.* Inde *Martianus Capella* de Vlyssipone agens *lib.5. In eius* (inquit) *confinio equarum fœtura ventis maritantibus inolescit, volucres pulli cursus ipso spirante Fauonio.* Sed & *Columella de re rustica, lib.6.cap.28.* ita (rem istam adstruens) ait: *Cùm sit notissimum etiam in sacro monte Hispaniæ, qui procurrit ad Occidentem, iuxta Oceanum frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse, qui tamen inutilis est, quòd triennio priusquam adolescat, morte absumitur.* Et his vltimis consonat *Plinius suprà, Solinus c.47. Edunt equæ ex ventis conceptos, sed hi nunquam triennium æuum trahunt. Sil. Italicus de bello Punico.*

Attonitus tum spe tanta, Genitore Pelore
Te Zephyro eductum nunc, nunc ostendere tempus
Discant, qui pecudum ducunt ab origine nomen
Quantum diuini præcellat seminis ortus
Victor dona dabis, statuésque altaria Patri.

At idem *Italicus* longiorem triennio vitam pullis his à vento conceptis aliquando tribuit *lib.3.*

Hic adeò cùm Ver placidum, flatúsque tepescit,
Concubitus seruans tacitos grex præstat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura,
Sed non multa dies generi, properátque senectus,
Septimáque his stabulis longissima ducitur ætas.

siue *æstas*, vt disertè legit *Ludouic. Carrio lib.2. emẽdatic.4.* Qui & ipse isthæc non fabulis, sed veræ historiæ tribuit.
Ast ego † hos omnes, & quoscunque a- 84
lios talia asseuerantes deridendos iudico cum *Trogo Pomp.* siue *Iustino, lib.*
44. qui & fabulæ istius causam † assi- 85
gnans ait: *In Lusitanis iuxta fluuium Tagũ, equas vento concipere multi Auctores prodiderunt: quæ fabulæ ex equarũ fœcunditate, & gregum multitudine natæ sunt, qui tanti in Gallecia & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immeritò ipso vento concepti videantur.* Ab his (vt hęc obiter dicam) equos Hispa-
nos valdè commendatos † inuenies, 86
non solùm à multitudine (quo ex capite *Claudianus de laude Serenæ* Hispaniam *diuitem equis, frugumque facilem* decantauit, itidémque *Symmachus lib. 4.epist.59. Latinus Pacatus in Panegyrico)* verùm à laborum patientissima, & velut infatigabili fortitudine, nobilíque sanguine (quam nos idiomate proprio, nec mutuato ab Italis, vt malè putabat *Couarruuias in suo Thesauro linguæ Castel.* RAZA appellamus) de quo in *l.1.C. de equis Curulib. lib.15. C. Theodos. tit.10.* vbi *Theodosius* Imperator equorum *Hispani sanguinis* meminit. Et omnium sanè multus est *Symmachus* in eorum generositate prædicanda (vt optimè notat *Franciscus Iuretus* eius Scholiastes) maximè *lib.4.epist.61. & lib.7.epist.105. & 106. & lib.9. epist.12.18.19.20.22. & 23.* Sed præ cæteris Hispanorum equorum velocitatẽ extollunt *Plin. lib.8. d.c.42. vers. in eadẽ Hispania Iustinus d.lib.44. Seruius ad Virg. d.libr.3. Georg. Columella de re rustica, lib.6.c.27.* & alij ex nostris Neotericis, quos retulit *Petr. Pantoja in l. fi.* scholio *deinceps verò ordinet quinque ludos, C. de aleatorib. & aleæ lusu.*

Demum in proposito nostræ quæstionis noto, *Pomponij Melæ, Plinij,* & aliorum principalem assertionẽ (cir-

ca conceptum absque congressu in mulieribus & equabus contingentem) neutiquam iuuari auctoritate *Aristotelis lib.5. de historia animal. c.32.* & eiusdem *Plinij lib.11.c.35. & 36. Senecæ lib.5. naturalium quæstionum, c.6.* affirman-
87 tium, animalia in niue & igne † generari: hæc namque diuersa alia generatio est, vel potiùs creatio similis tineæ in veste, ficario culici in caprifico, culici & pediculis in corpore humano. Quæ omnia & similia à Natura obueniunt. Et quî fiant, & quamobrem disputat egregiè *Marsilius Cagnatus lib.1. variarum resolutionum, c.23. & 24.*

QVÆSTIO octaua.

88 PRÆPOSITIS subnectendam duco illam quæstionem. Vtrùm † rei venereæ vsus (ad solius prolis propagationem à Natura inductus) ad salubritatem aliquando conferat? Quã ferè oratione negatiua resoluit *Plinius lib.28.c.6.* & disertiùs *Galenus* ex *Epicuro lib. Artis Medicæ,* & *3. Epidem. cõmen.1. tex.4.* dicens: *Nullum eius salubrem vsum esse, præclarè agi, si non noceret.* Et sanè *Plutarchus 3. Sympos.* Auctor est, Clyniam Pythagoricum dixisse: *Tunc Venerem exercendam, cùm quis damnum subire velit.* Meliùs *Hippocrates* (apud *A. Gellium lib.19. Noctium Atticarum, c.2. in fine*) *Diuina vir scientia de coitu venereo ita existimabat: partem esse quandam morbi teterrimi, quem nostri comitialem dixere, namque ipsius verba hæc traduntur:* Τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, *coitum paruum esse morbum comitialem.* Demus cum temperamento salubrem esse, & aliquibus morbis ex pituita prouenientibus, & maximè melancholicis viduis, virginibúsque velut medicinalem, ex his quæ latissimo sermone disputat & resoluit *Marsilius Cagnatus lib.1. variar. obseruation. cap.1.* Ego tamen Medicos Christianos moneo, ne tale quid consultant his qui legitimo non fuerint matrimonio copulati: quin potiùs similes infirmitates notissimo Apostoli remedio medeantur. Eos verò qui matrimonij nexibus subiungi non potuerint, mortem prius subeundam constanter doceant, quàm simile remedium (animæ lethale) corpori adhibeant. Plures enim nouerunt antiqua & posteriora tempora magnificè vita functos, quia venereo non subcubuerunt vsui.

QVÆSTIO nona.

HIS VELVT consectaria est quæstio, † An primoribus parenti- 89
bus in statu innocentiæ perseuerantibus, & Dei præcepto obtemperantibus, generis humani propagatio futura foret à mulieribus sine corruptione suæ integritatis, & virginitatis? Et sanè *Diuus Augustinus* affirmatiuè (vt nostri loquuntur) quæstionem istam resoluit *lib.14. de Ciuitate Dei, cap.26.* in illis verbis: *In tanta facilitate rerum, & felicitate hominum, absit vt suspicemur, non potuisse prolem seri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera, & sine ardoris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus vxoris. Neque enim quia experientia probari non potest, ideò credendum non est: quãdo illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spõtanea potestas, sicut opus esset, adhiberet: ita tũc potuisse vtero cõiugis salua integritate fœminei genitalis virile semen immitti: sicut nunc potest, eadem integritate salua, ex vtero virginis*

virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Sed dubitat de hisce *Pererius libr.5.in Genes.* tu pro resolutione post *Ludouicum Viues in notis ad* dictum *cap.26. Augustini*, vide *Leonardum Coquæum* ibidem.

90 Illud verò iam citra omnem controuersiam † positum est (quidquid olim excogitauerit *Philo libr.de mundi opificio prope finem*) generationis propagationem in prædicto innocentiæ statu absque vllo libidinis morsu euenire debuisse: *Vt enim* (ait *Augustinus* dict.*cap.26.*) *ad pariendum non doloris gemitus, sed naturitatis impulsus fœminea viscera relaxaret: sic ad fœtandū, & concipiendū nō libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturā vtramque coniungeret.* Idem ab *Augugustino* docet *D. Thomas* 1.*part.quæst.98.art.2.*& nobis *Gloss.*verbo, *ardore*, in *capit.sicut 32.quæ.2.* Quòd verò *D.Augustinus* ait de partionibus sine dolore & gemitibus tūc euenturis, clarè demonstrat, dolores

91 in parturitionibus † à peccato prouenisse, velùt infirmitates & symptomata: & probatur apertè *Geneseos cap.3. vers.16. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios:* quorum verborum insignis est illa paraphrasis *D. Alchimi Auiti.libr.3.de Parentum à Paradiso expulsione, cap.7.*

Móxque vbi concipiens fœtum persenserit aluus,
Ventris onus gemitu testaberis: ac tibi clausum
Anxia crescentem portabunt viscera fœtum:
Donec transacto fastidia tempore cōplēs
Naturale malū partus ab vindice partu
Producas: vita vt prolis sit pœna parētis.

Et altera *Claudij Marij Victoris in commentario super Genes.lib.1.ad finem:*

Et pariens crebris adeò torquebere natis,
Vt quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam laceræ sint causa Parenti.

QVÆSTIO decima.

DECIMO demum & vltimo loco non ineptè hîc quæri potest, † An ex congressu dæmonum incuborum & subcuborum cum strigibus, lestrigionibus, & alijs hominibus pessimæ notæ, humanus, vel saltem monstrosus partus possit produci? 92 In qua quæstione multa dixerunt Antiquiores, præsertim Veteres patres: & subinde plura comminiscuntur Neoterici, maximè *Martinus Delrius lib. 2. disquisitionum Magicarum, quæst.15. Torreblanca*, post *Paulum Grillandum* & alios, *libr.2. de magia, capit.30.* Ego verò in ea quædam ante resolutionem prænotanda, & distinguenda † duco. Et omnium pri- 93 mum, constantissimum esse, maleficos & lamias cum dæmonibus rem venereā exercêre, illos quidē cum subcubis, istas verò cum incubis, *Augustinus lib. 15.de Ciuit.Dei, c.23. Torreblanca*, post *D.Thomam, Castrū, Simancam*, & plures alios, d.*cap.30.n.9.& seqq. Martin. Delrius* d.*q.15.* vbi optimè notat damnandos hæreticos (omnium rerū nouatores) contrariam adserentes, quos recensuit, & refellit ibi, *in princ.* simul cum *Philippo Brodæo*, & Italis *Hieron. Cardano, Ponzinicio*, & *Baptista à Porta*, & prosequitur latè *Bauhinus libr. 1. de Hermaphrod.capite 20.21.& 29.* & exemplis illustrat pluribus in *cap.22.*

Secūdò prænoto, ex viro & demone subcuba † prolem nunquam susceptam 94 fuisse. Vt enim iam probauimus *sup.hoc capite in quæst.1.* plura in parturitionibus matres suppeditant quàm patres, vterique virtutem præ cæteris magni faciendam probauimus ibidem *num.8.* At dæmones corpus non habent organicum, quo semen commutetur, & confoueatur, & huma-

ni corporis architectura perficiatur, *Paul.Grillandus de sortilegiis,quæst.*7.à *nu.9.Vallesius de sacra philosophia,cap.* 13. Clarè ergo consequimur,dæmones subcubas partui prorsus ineptas. Et ita est de mente omnium, & eorum itidem qui dæmones incubos prolificos faciunt, vt optimè notat *Martin. Delrius* d.*q.*1.vers.*quid igitur*, & nouè latéque *Bauhin.de Hermaphrod.libr.*1. *c.*28.

Propositæ igitur quæstionis difficultas in eo tantùm versatur,an mulieres à dæmonibus incubis prægnantes fieri possint? In quo insuper prænotandum † est, dæmones vi sua, & ex propria substantia more animantium generare non posse,vt qui nec aëreum habent corpus,& per consequens nequeunt commisceri: nec itidem semen producere, quod est substantiæ corporeæ viuentis pars, & residuum cibi optimè concocti, vt aiunt Medici: & ita post alios disertè annotarunt *Martinus Delrius lib.* 2. *disquisitionum Magicarum*,dict.*quæst.*15.vers.*axioma* 3.& *Bauhin.*illicò referendus. Etenim
96 quod communiter de Hercule † Sarpedone, Ænea & aliis passim circunfertur (maximè à *Delrio* dicta *quæst.* 15. *Torreblanca* dicto *c.*30.*in appendice*,& aliis insuper exemplis illustratur à *Bauhino libr.*1.*de Hermaphr. c.*19.25. 27.*&* 28.) meris nugis & fabulis tribuendum est: sicut & tradita à *Liuio lib.*1.*Plinio lib.*36.*c.*27.de natalitio Seruij Tulli.

Ab his demum consequitur,illud vnum circa propositam quæstionem
97 præcipuè,† veréque in dubium reuocari, an ex concubitu mulieris cum incubo semen hominis,vel alterius animalis asportante proles concipi, edíque possit? In quo puncto communior est Theologorum,Philosophorũ & Medicorum assensus affirmantium id patrari posse, prolis tamen verum patrem dæmonem non esse, sed illum cuius semine dæmon incubus abusus fuerit. Quæ fuit sententia antiquorum Ægyptiorum,& Philosophorum Scholasticorum, quos refert & sequitur *Martinus Delrius* dict. *quæst.* 15. vers.*dicimus,Vallesius de sacra philosophia,c.*8. *ad finem*, *Sprengerus in mall. malefic.part.*2.*quæst.*1.*cap.*4. *Grilland.* dict.*quæst.*7.ex *num.*12.*Niderus in Formicar.lib.*5.*cap.*9.*&* 10. *Petrus Binsfeldius in confess.malefic.membro* 1.*conclus.* 5.*Bauhinus* latè & de plurium sententia *lib.*1.*de Hermaphrod.*dict.*cap.*21.23. 24.*&* 28. Huiusque rei rationem reddens *Delrius*,post alios (maximè *Vallesium* d.*cap.*8.) ita ait d.*q.*15.vers.*axioma* 2. *Potest diabolus semen aliunde acceptum (v.g.in ea quæ somnianti viro contingit illusione) deferre,& qua est agilitate,& naturalium rerum peritia, calorem prolificum in semine,quantumuis ille subtilis & aereus sit,ac facile dissipabilis,conseruare: & illud denique, quo momento mulier ad concipiendũ optimè disposita est, quod eũ non latet, tunc illud matrici sic infundere,vel naturali vi attrahendum exhibere,& muliebri semini commiscere, vt inde conceptus subsequatur.* His ab *Sprengero* & aliis addit *Torreblanca* d.*c.*30.*n.*35. *Siue à corpore, siue à cerebro vis gignendi oriatur spiritum genitalem ipsi semini esse implantatum,in ipsa seminis ab humano corpore decisione, nullo facto discrimine an ab homine ipso, an dæmonis ministerio infundatur, quia ex vero hominis & mulieris semine nascitur homo.* Et his plura consimilia subiungit *Bauhinus lib.*1.*d. c.*21. Et tandem *Torreblanca* d.*c.*30.*n.* 41.ait, semini aliunde deciso diabolum nosse spiritus vitalis conseruationem, & vim caloris putredinalis adhibere:applicandíque tempus ipsi innotescere, simul cum aliis Naturæ arcanis,quibus semen asseruetur, & non euaporizetur, quantum & quo tempore

pore opus fuerit illud infundendo. Et ab his Auctor iste ancipitem se esse ait, an ex tali congressu proles possit produci.

Nec his aduersari putant *Delrius* d. q.15. *Bauhinus* d. *cap*.23. quæ in contrarium adducit *Nicolaus Remigius* notãs: Primò, dæmonem & hominem specie differre. Et insuper dæmonem vitæ auctorem esse nequire. Et subinde semen ab eo infusum ex sagarum confessione frigidum esse. Et denique par non esse credere DEVM OPT. MAX. in simili generatione concurrere. Nam ad primum respondent, nil concludere, cùm ab animalibus diuersæ speciei prolem Natura producat: & addunt, semen non dæmoni, sed homini, à quo decisus fuit, tribuendum. Secundo medio respondent, vitalem vim semini inesse, non dæmoni. Tertiò satisfaciunt ab *Sprengero in malleo male*.2.*p*.*q*.1.*c*.4. semine frigido in concubitu cum sagis dæmones cõmuniter vti solere: interrogantibus verò his subcubas an velint imprægnare, ipsisque adsentientibus, semẽ prolificum & aptum, aliunde actu carnali decisum, conceptioni, & generationi patrandæ aptum adhiberi, & inde hoc casu nõ tam quòd fieri soleat, quã quòd fieri possit, considerandum fore. Ad vltimum demum respondent, dæmonem in simili generatione instrumentum esse externum, & agens principale (quod est verum semen humanum) applicare, & Deum subinde cõcurrere ad vltimam dispositionem organici corporis ab humano semine nati, quemadmodũ in conceptu spurij, incestuosi, & adulterini.

28 Sed his omnibus explosis, ego † verius existimo, ex concubitu dæmonis cum muliere, semine humano, aut alio aliunde allato, prolem suscipi non posse, id quod video præsensisse *Diuũ Augustinum libr*. 15. *de Ciuitate Dei*, *dict*.*cap*.31. & post *Plutarchum in Numa* ita expresse affirmarunt *Vir*. *Molitor*. *de pythonic*. *mulierib*. *cap*. *vltimo*, *Nicol*.*Remig*. *lib*.1.*dæmonol*. *cap*.6. *Ambros*.*Paræus lib*.24.*cap*.16. *Valeriol*.*tom*. 1.*enarrat*.*Medicin*. *Peramat*.*de homin*. *procreat*.*cap*. 1. Sed præ omnibus ista mihi disertè pertractauit *Paræus supr*. qui dum contrariam opinionem impugnaret, ita ait: *Est tamen absurdissima, & falsitatis plena hæc opinio: semen enim virile seminali, seu sanguinea materia, & spiritu multo constans, si aliò à testiculis quàm in vterum, vel minima mora diuertat, euanescentibus è vestigio calore, & spiritibus extinguitur. Nam vel sola virilis membri longitudo maior inter sterilitatis caussas censetur, quòd per illam viæ longitudinem refrigeretur semen. Si qui sunt, qui inter concubandum post effusum semen statim à complexu muliebri se reuellant propter subeuntem inhiantem adhuc vterum aërem, qui semen corrumpere creditur, gignere non putantur*: & mox idem disertissimus Auctor ita ait: *Agnoscit equidem Ecclesia dæmones Dei scelerum nostrorum vltores nutu, hominibus ad coitus quandam speciem abuti posse, at quòd inde humanus fœtus prodire possit, nõ modò falsum esse adstruit, sed tanquam impium detestatur, vt quæ credat neminem vnquam ab Adamo* (*si* CHRISTVM *Saluatorem exceperis*) *hominem sine semine virili genitum. Iam verò quæ confusio, & creaturarum perturbatio hunc Orbẽ* (*vt dicebat Cassianus*) *occuparet, si liceret dæmonibus ex virorũ coitu cõcipere, aut si possent mulieres dæmonũ consortio grauidæ fieri? Quot iã monstra à condito mũdo nobis dæmones peperissent. Quot prodigia protulissent, immisso in ferarum & brutorũ animãtium passim vuluas semine suo? Philosophorum .n. sententia, quoties facultas & voluntas idẽ cõcurrũt, effectus necessariò proferri & prodire solẽt At dæmonibus nunquam defuit voluntas*

XX

…A UNIVERSIT… VILL…

humani generis, & mundani huius ordinis conturbandi: Est enim (vt aiunt) dæmon inimicus noster ab initio, & vt Deus ordinis & pulchritudinis Auctor est, sic dæmon, per superbiam Deo aduersus, cōfusionis & turpitudinis. Ergo si ad malam illam mentem, malúmque animum, si ad nequitiæ & inuidiæ voluntatem plenissimā par potestas accederet, quis dubitare potest, quin summa rerum omniū, & specierum confusio, quin summa deformitas mundi huius munditiem, comptum, & ornatum monstris vndique cooriētibus sit inuasura? Iam verò quæ coeundi, quæ gignendi potest esse voluntas, vbi nulla voluptas est, nulla speciei metuenda mortalitas? Cùm igitur dæmones incorporei sint, venereis illecebris teneri, & tentari, quæ dabit ratio? cùm Dei nutus immortales sint, vt in pœnam miseri viuāt, quid successione per indiuiduorum generationem est opus? Quare si nec volunt, nec possunt, nefas est putare eos hominibus commisceri.

Quæ sanè valdè obfirmant propositum tertium & quartum argumentum *Nicolai Remig.* Et simul clarè demonstrant à veritate prorsus alienam sen-
99 tentiam † *Auerrois lib.2.collectan. c.10.* & *Alberti lib.de format.homin.cap.1.de generat.embryon.Nider.in formicar.lib.5.d.cap.10.* aientium, quandam in balneo à semine ibidem deciso grauidam factam; Natura enim ad generationem semen prolificum aptè muliebri immixtum expostulat, ex dictis *suprà* cum *Paræo*, clarè denotantibus virtutem matricis (quam vocant *attractiuam*) tam longè à se vim exerere non posse: nec certè quid ineptius media aqua seminum immixtioni dari posse puto. Ad hæc semen virile fœcundum illicò dubio procul fundum balnei petiisset, vti, ista disertè improbās, notauit *Andr. Laurent. lib.8. histor. anatom. quæst.11.* Addit, & quidem strenuè, *Ioan. Baptist. Syluaticus controuers. 79.* mulierem illā *Auerrois* vel agnouisse semen illud in balneo contentum, vel non. Si non, quomodo asseuerare potuit, se ex illo concepisse. Si nouerat, cur tam infamis fuit, & impudica, vt expectaret semen illud spurcum suum ingredi, occuparéque vterum in balneo, ad quod sordium corporis abluendarum gratia descenderat?

Demum subiungit *Hieronym. Mercurialis lib.1. de morb. mulie. ca.2. Auerroem.* nimia ductum credulitate, quod à vicinia audiuit scripsisse, & ita illum impugnauit is Auctor, & post eū *Martinus Delrius lib.2. disquisitio. Magicar. d.q.15. vers. his consentaneum, Bauhin. de Hermaphro. libr.1. c.8. Torreblanca de Magia lib.2. d.c.30. nu.37.* ¶ Et iidem
isti post alios meritò irrident fabulam 100
† puellæ iā pubescentis, quam propter pudoris custodiam in lecto suo pater habebat, quò in somnis pollutionem passo semen ad matricē filię peruenit, à quo puella grauida facta est. Hoc enim à *D.* itidē *Thoma* (qua animi sinceritate & candore pollebat) enarratū & *quod l.6. art.* 18. à verosimilitudine, & rerū naturaliū solito ordine abhorret; sicut & partus à dæmone incubo, de
quo noster præcipuus est sermo. Quem 101
re vera nullus vnquam † vidit. At certè 102
par est credere † in tot variis rerū successibus sagam aliquam, seu succubam designatam & notatam, proprióq; nomine demonstratā inuentámque fuisse, cui inprægnatio contigisset absque humano congressu, solo dæmonis obscœno, tremendóque complexu interueniente. Ex quibus omnibus sententia *Remig. Paræi* & aliorum *suprà* relatorum verior in Natura, eiúsque regulis videtur: & insuper concinior sanctis Patribus, verísque placitis ECCLESIÆ VERÆ CATHOLICÆ ROMANÆ. Cuius dignissimæ censuræ ex ani-
mo † submittimus omnia hac nostra 103
disputatione contenta.

APPEND.

APPENDICES ANNOTATIONES, VT PLVRIMVM OBFIRMANTES ALIQVANDO EMENDANTES CONTENTA in ista disputatione.

CAPVT PRIMVM.

SECT.2.pag.32.in fin. ibi, *qu.* 11. *adde.* Et ex nostris perquam optimè *Annæus Robertus libr.4. rerum indicatur.cap.10.post princip.*

§.1.pag.48.nu.vltimo,vers. *Nec quicquam*, ibi voluit, *adde.* Et sanè ab istis disertè dixit *Cornel. Gemma de diuinis characterib.lib.1.cap.2. Nil in natura erratum, si cum* CHRISTO *sit philosophandum.*

§.2.pag.61.num.31.ibi, sect.2. *adde*, Et conferunt quæ ex sententia *sanctorum Ildephonsi, Cyrilli, Eusichij* liorum disertè notant. *Paul. Ioan. Bapt.* Poza *in Elucidario Deiparæ, tract.3.cap.6.*

CAPVT SECVNDVM.

§.1.pag.96.nu.89.ibi, aptioribus, *adde.* Post ista scripta vidi nouiores Salmaticences inter punctionem *Taurel.* & *suprà* traditam interpretationē ex duplici capite improbantes. Primò inquiunt) in d. §. *posthumo*, & §. *posthumus*, *institutionum de legat.* id principaliter agi & quæri, an posthumus sit suus, vt valeat institui, vel alienus, vt institui non possit. Et ab his fieri, vt id tantùm inspici debeat, an suus vel alienus sit tempore conditi testamenti, non verò quo tempore natus est. Secundò arguunt dicentes, posthumum ex filio in potestate alienum dici omnino non posse, cùm possit nasci in vita aui, filio subducto de medio, iuxta terminos *l.1. §. sciendum*, *D. de suis & legit. hæred.* cum similibus. Imò & natus post aui mortem suum esse posse in casu *l. si quis filio exhæredato 6. ff. de iniusto, rupto, irrito testam.* Et ab his eliciunt, posthumū, etsi nascatur alienus, posse ex post facto suum fieri: & simul (cùm is posthumus in Galli formula citra omnem controuersiam cōtineatur) subinferunt, vel Gallum loquutum nō fuisse de posthumo alieno, vel *Torniellum*, & præcitatos Auctores *nu.76.* errasse in eius definitione, à *Iustiniano* tradita, interpretanda. Sed ex quo ista perlegi, ea nullius momenti diiudicaui. Primum enim facilè diluitur cuique attendenti verba definitionis posthumi alieni à *Iustiniano* prolata, intelligēda de vero posthumo, is est (iuxta *supr.* tradita ex *num.*51.) qui nascitur post mortem testantis, ita vt verba illa definitionis: *Qui natus: inter suos hæres testatoris futurus non est*, excipiant à posthumi alieni definitione, posthumum suum primum locum in vita patris, aut post eius mortem intra decem menses formulæ Galli occupantem, & insuper excludant nepotem viuo patre natum. Sed & secundus Salmanticensium obex clarè mutat terminos disputationis de vero posthumo, nato scilicet post mortem testatoris, & nepotem viuo auo natum submittunt impugnationi, quam à separatis adstruunt: qui casus longè alius est à terminis definitionis alieni veri posthumi à *Iustiniano* traditæ. Nec minus lapsi sunt, dum supponunt, à dict. l. 6. *ff. de iniusto, rupt.* fieri posse, vt nepos à patre præcessus post mortem aui in vita patris natus sit suus hæres auo, contrarium namque expresè docuit *Vlpian.* in illa ead. *lege.*

Quid quòd Salmanticenses comprobantes definitionem posthumi alieni traditam à *Paulo de Castro* in *l. Gallus, in princip. ff. de liber. & posthum.* (asserente, posthumum alienum esse, qui si natus fuerit in vita patris, non esset in eius potestate, vt qui ipse in aui ipsius posthumi esset potestate: vel si natus esset, primum locum non occuparet) in id ipsum recidunt quod *Taurel.* & reliqui à *Iustiniani* definitione eruunt & ratiocinantur: ac accidit *Antonio Fabro*, & eius assertori *Schifordeghero*, *suprà* relatis.

Prædictis omnibus nūc denuò duo subaddenda duco. Primum, interpunctionem *Taurel.* tersiorem, aptiorémque reddi, si loco verbi, *hæres*, legamus *hæredes*, & dicamus: *Qui natus, inter suos hæredes testatoris futurus non est*: id quod par est credere, vel à syncope litterarum, breuioribúsque notulis (quibus scriptores ante Typographiam vti solebant) processisse, vel à facili lapsu verbi *hæredes* in *hæres*.

Secundum sit, neutiquam *Iustiniano* in d. §. *posthumo quoque alieno*, in animo fuisse posthumi definitionem genere & differentia (vt aiunt Logici) constantem proponere, imò nec descriptionem generalem, sed tantùm voluisse demonstrare posthumi alieni quàm latissimam acceptionem, ac si diceret, non tantùm ad quemuis extraneum, seu collateralem posthumi alieni nomen extendi, verùm & ad filios, & nepotes, cæterósque descendentes testantis primum locum in successione non occupantes. Qua verissima & litterali sententia admissa, cessabant anxij nostrorum labores in adaptandis prædictis verbis Iustinianæis cuique posthumi alieni acceptioni.

Dict. §. 1. numer. 174. in fine, pag. 117. ibi, posthumo, *adde*, Iunctis his quæ latiùs & altiùs discutiuntur in appendic. annotationibus super *hoc cap. §. 21. num. 32.*

Dict. §. 1. n. 198. p. 121. col. 1. lin. 45. ibi: *inueniatur, adde.*

Neque obstabit, si opponas de *l. in tempus 62. ff. de hæredib. instituend.* ibi: *Beneuolentiæ est*: & de tribus temporibus in extraneorum institutionibus requisitis in *l. si alienum 49. §. in extraneis, ff. de hæredib. instituend.* & in *§. in extraneis, institution. eod. tit. §. in extraneis, institutiō. de hæred. qualit. & differ.* cum aliis adductis *infr. num. 278.* Nam respond. prædicta omnia iura loqui in prima dispositione, hoc est, in institutione primore, à quo perficitur testamentum: nos loquimur de substitutione, quæ est secunda institutio, in qua sufficit habilitas tempore delatæ successionis ex substitutione. Vt accidit in donatione, quæ facta Petro & liberis nascituris tenet, *l. Diui 5. vers. pactis, Cod. de natur. liber. l. quoties 3. Cod. de donation. quæ sub modo, l. 7. tit. 4. part. 5.* vbi *Gregor. gloss. 3. Molina*, post alios, *lib. 1. c. 1. nume. 18.* non tamen valet facta posthumo alieno priore loco, ex latè traditis *infr. §. 3.*

Vnde fiet, vt si quo tempore institutus noluit, aut non potuit adire, posthumus alienus substitutus nondum natus fuisset, substitutio non teneat, deficiente extremo habili tempore deferendæ hæreditatis, id est, persona hæredis, quæ tunc incerta est, nec in hominum rerúmve natura, iuris intellectu, inuenitur.

Dict. §. 1. nu. 246. pag. 146. col. 1. lin. 8. ibi, *annotasse, adde.* Vtcunque verò sit, *lex Imperij* & *Regia* idem apertè sunt in præcitatis locis. Et idem meritò irridendi quotquot *legem Imperij à Regia* secernunt contra *Vlpianum* in *dict. l. 1.* ibi: *Cum lege Regia, quæ de eius Imperio lata est,* & *Iustinianum* iisdem verbis vsum in d. §. *sed quod Princeps.* Etsi vterque sit deceptus (ni verbum *legis,*

vt prædixi, ad Senatusconsultum refe-ras) dum supponunt, *legem Regiam* verè rogatam & latam. Et enim *Vlpianum* (aduenam è Phœnicia *l.1.ff.de censibus*, natiua lingua Græcum, historiæ Romanæ ignarum (*legis Regiæ* initium latuisse par est credere; & subinde *Iustinianum*, vel veriùs *Tribonianum* ab *Vlpiano* edoctum.

Dict.§.1.nu 247.p.149.lin.31. ibi: *nu. 277.adde.*

Quod verò à dictionis, *Tunc* significato eliciunt, dicentes cum *Antonio Fabro*, eam retrotractationem impedire, & ea attēta ad præteritum dispositionem referri nō posse, nil certè nobis obstat, qui præexistenti, firmáque testantis dispositione, non ficta aut retroacta innitimur. Sed nec perpetuò verum est, dictionem, *Tunc*, retrotractioni impedimento esse, & contrarium expresse probatur in *l. 2. §. si pecuniā, ff. de donation.* & in *l.1.ff.de vulg. & pupil. substitut. l. sed si plures, §. nemo institutus, ff. eod. tit. l. ei qui soluendo* 88. *Tunc Titius quoque hæres esto, ff. de hæredib. instituend.* iuncta *l. hæres quandoque* 54. *ff. de acquir. hæredit.*

§.2. pag. 197. nu. vlt. in fine, ibi, *inducto, adde.*

Sed re altiùs, diligentiúsque discussa & pensitata ab omnibus hoc *nu.* 32. contentis vltrò discedo, & legata posthumo alieno facta nec Iure Prętorio regulariter sustineri existimo, iuxta annotata *hoc cap. §.1.nu.*172. Idque probari iterum contendo in *§. posthumo, institution. de legat.* expensa dictione *inutiliter*, quæ & Ius Prætorium respicit, & afficit, cùm verba *vtile*, & *inutile* eius iuris propria sint, vt memini iam annotasse.

Dixi *regulariter* alieno posthumo nec Iure Prętorio legari potuisse; nam quemadmodum omni posthumo (id est, siue suo, siue extraneo) instituto bonorum possessionis secundùm tabulas beneficium Prætor impartiebatur, *l.3. ff. de bonor. possess. secund. Tabul.* ita & cuiuis alieno posthumo legatum relictum, bonorum possessione hæredi instituto concessa, à Prætore sustineri existimo, ex regula illa quæ habet: *Illis legari posse, quos hæredes instituere possumus, & è contra*, de qua egimus *supr. hoc cap. §.1.num.* 184. Aliàs enim inutiliter & Iure Prætorio alieno posthumo legabatur, hoc singulari casu excepto, & regula generali *Iustiniani* non comprehenso, vt qui à fortuna, & alieno facto hæredis instituti penderet, non à voluntate posthumi alieni posteà nati, eiúsque patris aut tutoris: vt quo casu is ipse posthumus hæres esset institutus.

Neque istis obstabit dict. *l.1.§.fin.ff. de legat. præst.* cum adductis per nos *supr. d. nu.32. in princ.* nam re benè perpensa inuenimus, verba illa: *Posthumis liberis*, intelligenda cum *Costa* de posthumis suis hæredibus, quibus Iure Ciuili legari poterat, ex dictis *supr.* d. §.1.*nu.*184. & alibi. Idque vltra *Costam* expendentem, *l.2.ff. illo titu.* ego comprobo à *l.3.§.fin.ff.eod.* Vbi *Vlpianus* generali regula præcauit, ea tantùm legata liberis, parentibus, cęterísque personis (duce æquitate exceptis, & contentis in *l.1. illius titul.*) deberi, quæ vtiliter data essent, si filius bonorum possessionem contra Tabulas non petiisset: cùm autem Iure Ciuili legatum alienis posthumis (quales sunt liberi primum locum in successione non occupantes, iuxta dicta *supr. §. numer.* 80. & *in appendice*) relinqui non posset, clarè consequimur, verba illa dicti §. fin. *Posthumis liberis*, pręcisè intelligenda de posthumis suis hæredibus, quos ideò *Vlpianus* liberorum generali nomine cohonestauit, vt eos indubiè omnes admitterent, vt qui sub nomine liberorum (à Prætore exceptorum illo titulo & Edicto) continerentur:

quò rē vera tendunt illa *Vlpiani*: *Posthumis liberis legata relicta vtique præstabuntur*, expensa dictione, *vtique*, quę velut rem manifestam præ se fert, *Cicero de diuinat. Faba Pythagoræi vtique abstinuerunt*, & *ad Atticum*: *Quid censeas mihi faciendum vtique scribo*, & iterum: *Ego vt constitui, adero, atque vtinam eadem die; sin (quid enim multa?) vtique postridie.*

Ab his ergo (altiùs aliunde petitis) veram diiudico sententiam *Costæ* existimantis, legatum alieno posthumo factum nec Iure Prætorio sustineri, nisi quo casu hæres institutus bonorum possessionis secundùm tabulas beneficio à Prætore adiutus ab eodem itidem velut in consequentiam simile legatum exsoluere cogeretur, ac cætera in testamento relicta.

Hæc difficillima ista disquisitione nunc nobis se offerunt, alia meliora ab aliis discendi auidi, vel nobis occurrentia in medium proferre parati. Nec enim protervè nobis (ac aliis accidit) nostra placent. Veritatem certè indagamus, & eam à quoquam prolatam, & vbique inuentam amplis semper, & ingenuis amplectemur vlnis.

CAPVT TERTIVM.

§. 1. num. 40. in fine pag. 243. ibi: *captum vsu, adde.*

Quòd si instes, & cum *Galeno in opusc. Quòd animi mores corporis sequuntur temperaturas* dicas, seruum esse *instrumentum animatū* domini, & ideo ignorantiam iniustæ detentionis ancillæ domino prodesse non posse in d. *l. qui ob pactionem cum seq.* Respond. ista vel regulariter & in plurimum ita intelligenda: vel hyperbolicè dicta: nobis præsertim, qui inter scientiam domini & serui extra causam peculiarem iustè distinximus *supra.*

CAPVT QVARTVM.

Num. 7. in fine, pag. 517. ibi: *consequātur, adde.* Sed & filium languidum derelictum à sacris patris liberari, & sui iuris effici ac seruum, notauit *Pat. Azor. 2. p. instit. moral. lib. 2. c. 26. q. 1. per totam.*

Sect. 1. nu. 118. pag. 350. ibi: *patrem adde.* Sed hîc non ineptè vltra omnes, quos viderim, summa breuitate disquirēdum duxi, An filius naturalis expositus per subsequēs matrimoniū legitimatus (ad terminos *tex. c. 1. & c. tanta, qui filij sint legit.* & *l. 1. titu. 13. p. 4. & l. 10. titu. 8. lib. 5. Recop.*) recidat an cæteri in patris potestatem? Et sanè præpositæ quæstionis occasione facile erat latissimo retrotractionum campo euagari, & plura ex congestis à repetentibus dictum *cap. tanta* in medium adducere, sed hæc alij curabunt. Nobis sat sit resolutiuè (vt aiunt nostri) asserere propositū expositū in patriā potestatē non recidere. Etenim retrotractio ista (quæ Iuris Canonici propria est, *Præposit. tanta, nu. 5. Butrius* in *cap. per venerabilem n. 8. eod. tit.* (res reducit ad terminos prioris parentū cōgressus; à quo generatio filij prouenit, imò & antè fingit, seu supponit matrimonium cōtractū. Cùm autem terminum *ad quem* retrotractionis subsequatur expositio, hinc fit legitimationem iuris fictione retroactam crimen expositionis subsequutū, eiúsq; pœna in amissione patriæ potestatis, ex proximè dictis, præcipuè consistente) nō compurgare. Vt inde velut melior sit naturalium expositū conditio in casu & thesi d. *c. tanta,* quam aliorū, quandoquidē matrimonio inter parentes subsequnto sese legitimos, & sui simul iuris aduenium.

Num. 128. ad fin. pag. 353. lin. 40. ibi: *3. par. adde. Pat. Azor* (ista optimè declarans) *2. p. instit. moral. li. 2. cap. 5. q. 7.* & d. *ca. 26. quæst. 2.*

Eodem nu. 128. in fin. ibi: *ca. 16. adde.* Sed an in foro poli delinquant parētes filios exponētes? & nū ipsis ob summā

ing

inopiã, iustáve suspicioné, aut cõsimilé causã filios exponere liceat? Videant Theologi & Sũmistę, perpẽsis his quæ disertè notauit *Azor* s̃. & d. *c*.26.*q*.1.

Num.141.pag.391.lin.42.ibi: *crescere adde. Festus de verb. signif. in prin. Noni Marcel. de propriet. sermon. c*.4. *D. Isidor. libr*.12. *Etymol. cap*.2.

Num.146. pag.369. col.2. lin.6. ibi: *quantitate. adde.*

Plura alia de impensis ab educatoribus in expositos factis: & parentibus earum restitutioni obnoxiis: & aliquando liberis, prosequitur *Pat. Ioan. Azor*.2.*p. inst. mor. lib*.2. d. *c*.5 *q*.7. & d. *c*.26.*q*.1. vers. *sed quæstio est.*

Nu.148. in fi. pag.370. ibi. *nu* 45. *adde*

His omnibus, quæ de sumptibus in expositos factis, & eorum repetitione fuimus prosequuti, illud vnum vltimo loco addo, licere educatori expositum des.tere, dum tamen id faciat iudicis officio implorato, seu consulto, vt in Hospitali vel ex Publico, vel à Principe expositus alatur, iuxta s̃ tradita à *n*. 136. Quòd si ista omnia deficerẽt, educator in casu summæ necessitatis tenebitur in vtroq; foro (ac quilibet alius) exposito alimẽta subministrare, vsque dũ ipse suis posset manibus aut industria victum quærere, iuxta tradita s̃. *n*. 141. Nec eum poterit propria auctoritate deserere, ni velit sese subdere pœ:æ arbitrio iudi:is imponendæ.

Capvt Nonvm.

Num.26. pag.443. col.2. lin.14. ibi: *vsurpauit, adde. Virgil. lib*.6. *Æneid.*

Voce vocans Hecatem, Cœlóque Ereb óque potentem.

Num.39. in fi. pag.450. ibi: *illico, adde.* Et ab iisdem impugnandus venit *Socin. Senior* in *l. cùm auus, nu*.110. *ff. de condit. & demonstr.* dum existimat, natũ ante septimũ mẽsem pro abortiuo, & non nato habẽdum. Id quod *Bonauenturæ* subinde post *Alciat*, malè placuisse video *lib*.9. *de octom. part. ca*.47.

Capvt Vndecimvm.

Num.8. pag.473. col.2. in princ. ibi: *cap*.7. *adde. Q. Curt. lib*.5.

Num.57 in fin. pag.540. lin. 26. ibi. *supra, adde.* Ita vt nobis *octomestris per se*, de quo s̃. *n*.52. sit quicunque vigintiquatuor vixerit horas, & sacro Baptismate fuerit' regeneratus. Quamuis execto ventre lucem viderit, quidquid in contrarium alibi adstruere conatus fuerit *Socin. Iunior in cons*.35. *tom*.2.

Capvt Decimvmqvartvm.

Num.15. pag.586. col.1. lin.15. ibi: *sensu, adde. Vndecimo mense perfecto peperit.* Quòd si dicas, isthæc dubia esse in Græco originali, κατὰ τὸν ἐνδέκατον μῆνα περαιούμενον ἔτικεν (cùm præpositio κατὰ *iuxta*, ad mensem prope finiendum, vel iam finitum possit referri, vt subtiliter notauit *Tiraquel.* in *l. si vnquam*, verb. *susceperit liberos, num*.210. *pag*.222. *col*.2.) certè consideratio ista cessat omnino à verbis illis eiusdem *Nouellæ*.

Num.18. in fine, d. pag.587. ibi: *inuenitur, adde.*

Et sanè (vt hæc obiter dicam) insulsa est consiliatio *Peroti* (à *Bonauentura* relati & reprobati *li*.9. *c*.46.) dum existimat *Hadrianum* vndecimestrem recipere, & *Iustin'anũ* duodecimo mense natum tãtùm reiicere, hoc enim facilè refellitur ex dictis s̃. *n*.15.

Num.19. pag.588. col.1. lin.6. ibi: *nu*. 11. *adde.* Et ab his certè notandus meritò venit *Federic. Bonouent.* qui *lib*. 9. *de octomest. partu, cap*.48. 53. & 56. existimauit *Iustinianum* vndecimestres partus non reiecisse.

Capvt Decimvmnonvm.

Num.21 pag. 680. col.2. lin.35. ibi: *Physicam*, *adde* post *Aristotelem* duplicem assignantem *sect*. 10. *proble*.46)

SCHOLIA AD PRINCIPALES DIGESTORVM, ET CODICIS, PATRIIQVE IVRIS LEGES IN CAVSA Partus humani, cum remiſsionibus ad præcedentis Diſputationis Capita.

In gratiam eorum, qui noſtræ Scriptionis velut ſummam præſentaneam habere voluerint,

NOTÆ ad l. inteſtato, 3.§. poſt decem, D. de ſuis & legitimis hæredibus.

VLPIANVS [1] lib.13. ad Sabinum [2].

Poſt decem menſes [3]. mortis natus, non admittitur ad legitimam hæreditatem [4].

VLPIANVS Iuriſconſultus iſte (quem BONI VIRI nomine *Ælius Lampridius in Antonino Heliogabalo* inſigniuit) ex Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia originem traxit, vt ipſe teſtatur in *l.1.D.de cenſibus*, Papinianum docentem audiuit, & ab eo edoctus eidem Præfecto Prætorio adſedit: & à loco illo & dignitate, quã ſibi priùs pararat prudentia, ab eodem Heliogabalo, non ſine periculo vitæ, niſi à militibus reſeruaretur, remotus eſt, *Lampridius ſuprà.* Pòſt magno fuit in honore temporibus Alexãndri Seueri & Antonini Baſſiani (quorum meminit in *l.licèt Imperator 4.D.de legat.* 2. iuncta *l. ſi Titio 61.§. Iulianus, D.eodem titulo*) Eum enim Alexander velut pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente: & inde PARENTIS nomine illum condecorauit in *l.4.C. de locato*, & negotia, cauſaſque omnium primus apud eum tractauit *Lampridius in Alexandro.* Demum poſt alios dignitatis gradus, vt patet ex inſcriptione *l. 4. C.de contrahenda ſtipul.* Præfecti Prætorio dignitatem (ab Heliogabalo acceptam & ſublatam) ſub iſto Imperatore rurſum fuit adeptus, d.*l.4. Dio Caſſius lib.80.in princip. Aurelius Victor.in lib.de Cæſaribus.* Et hoc tempore quo forſan in Heliogabalum æſtuabat odio, plura ab eo ordinata ſub Alexandrõ reuocauit, *Dio Caſſius* d.*lib.*80. Adhæc ſecundum poſt Papinianum locum in Iuriſprudentia conſequutus fuit, quinimò κράτιστον, & iuriſconſultorũ ſimul CORYPHÆVM appel-

appellat eum *Modestinus* in *l. scire 13. §. illud. ff. de excusationibus tutor.* & SVMMI INGENII VIRVM *Iustinianus* in *l. vnica, §. ne autem, C. de caducis tollendis*: DISERTISSIMVM idem in *l. fin. C. de institution. & substitution.* & PRVDENTISSIMVM is ipse in *Nouella* 97. & antea *Diocletianus* in *l. Diuo Marco, C. de quæstion. Dio Cassius*, & *Lampridius in Alexandro*. Tandem nocturna inuasione oppressus & occisus fuit, *Dio Cassius supra:* ob iustitiæ amorem, vt quidam rentur, ac alter Papinianus: vel ob summam (vt par est credere) crudelitatem, qua nomen Christianum insequutus fuerat. Is libros quamplurimos scripsit, vt indicant variæ inscriptiones legum in Digestis contentarum, quorum numerũ in *Bynomicis* inuenies, maximè in *Forstero* & *Bertrando*.

2 AD SABINVM. Vlpianus præ cæteris operam nauauit in interpretandis Masurij Sabini scriptis, vt qui Princeps Sabinianæ sectæ, ab eo sic nuncupatæ, quam iste fuit amplexus, ex latè annotatis superiore disputatione, *c. 9. ex n. 15.* Is ergo *lib. 13. ad Sabinum legem xij. Tabularum* (admittentem eos, qui in vtero sunt, ad legitimã hæreditatem) interpretatus à *§. vtique*, & in eiusdẽ legis interpretatione persistens dixit in hoc *§.* post decem menses mortis natum non admittendum ad hanc legitimam hæreditatem. Et hoc quidem firma resolutione statuit, non minatoriè, vt malè putabat *Augenius* relatus & improbatus in *cap. 14. nu. 12.*

3 POST DECEM MENSES. Ab hoc enim tempore nullus partus legitimus reputatur ex *lege xij. Tabularum* (iam expensa *cap. 13.* ex *nu. 2.* & *c. 14. d. n. 12.*) qua decem menses completos Romani vltimi pariendi tempus constituerunt: & inde verborum illa formula: *Intra decem menses proximos mortis*, *d. c. 13. n. 3* Et quoto tempore menses isti Romanis constarent, dictum est latè in *cap. 11. §. 5.* vbi ex pluribus annotauimus & resoluimus, hanc legem, & omnes mensium rationem habentes intelligẽdas de mensibus solaribus communibus æqualibus tricenis.

4 LEGITIMAM HÆREDITATEM. Et cur conceptus, quamuis non suus viuo eo de cuius hæreditate agitur, fuerit admissus ab eadem *lege xij. Tabularum* (vt probarunt *Iulianus* & *Celsus* in *l. Titius 6. l. Vel si viuo 7. ff. illo tit. de suis & legit. hæred. Vlpian.* in *d. §. vtique*) tractauimus in *cap. 2. §. 1. ex nu. 263.* vbi rationem differentiæ cur posthumus in causa intestati pro nato habeatur, in causa verò intestati secus, enodauimus.

AD §. DE EO AVTEM, qui est fin. d. l. 3. ff. de suis & legitimis hæredibus.

De eo autem, qui centesimo octogesimo secundo die [1] natus [2] est, Hippocrates [3] scripsit [4], & Diuus [5] Pius [6] Pontificibus [7] rescripsit [8], iusto [9] tempore [10] videri natum: nec videri in seruitute conceptum [11], cùm mater ipsius ante centesimum octogesimnm secundum diem esset manumissa.

A MATRE editũ partum post centesimum octogesimum secũdum diem *Vlpianus* iustum, id est legitimum & naturalem declarat ex sententia

Hippocratis, & responso *Diui Pij* ad Pontifices, qui ex matre ab hoc tempore manumissa natum à seruitute liberum itidem rescripsit.

1 CENTESIMO *octogesimo secundo die.* Adde *cum dimidio*, vel computatione exactiùs inita, *cum quindecim horis, & vigesima alterius parte*, iuxta notata in *c.*10.*n.*12.*in princ. & fine.* Vlpianus enim breuioris orationis gratia quindecim horis prætermisit, non verò detraxit, vt putabat *Horat. Augen.*d.*c.*10.*n.*12. relatus & notatus. Et quid dicendum de nato die centesimo octogesimo primo videbis in scholiis ad *l. septimo mense*, verbo *septimo.* Quî autem fiat, dicíve possit 182. dies cum parte alterius septimum mensem attingere notauimus in *c.*12.§.4.

2 NATVS EST, Vel execto ventre editus, ex dictis in *c.*6.*n.*16.*&* 17.

3 HIPPOCRATES. Antiquissimus Medicus, Medicinæ parens, qui eam quingentis latentem annis à morte Æsculapij in lucem reuocauit, vt diximus in *Prolegomenis n.*2. *Qui tam fallere, quã falli nescit*, vt ait *Macrob.* Quem que Æsculapio adæquauit *Cicero*: & *Galenus* Πάντων τῶν καλῶν ἡμῖν ἡγέμονα, omnium bonorum auctorem & ducem clamat.

4 SCRIPSI. In *libro de septimestri partu*, & *lib. de carnibus*, *Plato libr.*5.*de Republ. Arist. lib.*7.*de histo. animal. c.*4. & *lib.*4.*de generat. animal. cap.*6. Et cur *Vlpianus*, *Paulúsque* in d.*l. septimo mense* Philosophorum non meminerint, sed solius *Hippocratis*? ex aliorum sententia notauimus in *c.*10.*n.*4. & ex nostra *n.*5.

5 ET DIVVS. Hoc nomine, teste *D. Isidoro in glossis*, condecorabantur Imperatores, qui post mortem nomen *Diui*, seu *Dei* accipiebant. Quin & in vita: primum C. Iul. Cæsarem imitati, qui sese Deum vocitari permisit, *Diodor. biblioth. hist. libr.*4. *&* 5. *Flau. Ioseph. lib.*2. *de bello Iudaic. c.*9. *in principio*, vbi Petronium cum exercitu ad statuas in templo collocandas Ierosolymam ab eo missum testatur. Et quamuis *Seruius ad lib.*5. *Æneid. Dij* (ait) *perpetui: Diui ex hominibus facti.* Suos tamẽ Imperatores Romani adeò adulati sunt à primo Iulio Cæsare Imperij occupatore, vt eos *Diuos* & *Deos* simul tã in morte quàm in vita vocitarint: consecrationes: & plurima alia hùc tendentia variis cæremoniis (relatis ab *Herodiano* latè *lib.*4. *suæ histor. post princ.*) confingentes, quæ *Tertullianus*, *Lactantius*, & alij verioris doctrinæ amatores sũmè insectati fuerint. Tu adi nouissimũ *Bulengerum*, ista & alia adducentem: *de Imperatore Romano lib.*1.*c.*5.

6 PIVS. Is fuit Imperator Titus Aurelius Fuluius Baionius Antoninus, qui (vt ait *Capitolinus in eius vita*) *Hadriano* (patre adoptiuo) *apud Baias mortuo, reliquias eius Romam peruexit sanctè, ac reuerenter, atque in hortis Domitiæ collocauit: etiam repugnantibus cunctis inter Diuos enm retulit. Vxorem Faustinam, Augustam appellari à Senatu permisit: PII appellationem recepit* vel, vt voluit *Xiphilinus in supplemento Dionis lib.*70. *Eum Antoninum Augustum, Piumque esse appellatum à Senatu propterea quòd initio principatus sui multis reis factis, postulatisque nõnullis nominatim, ad supplicium neminem puniuit. Non enim, inquit, oportet ab his me rebus principatus exordium facere*: vel, vt ait *Capitolinus*: *Quòd socerum fessa iam ætate, manu præsente Senatu leuauerit: vel quòd eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi iusserat, reseruauit.* Vtcunque sit, ab hoc Antonino cæteri Imperatores PII Romanis, Græcis εὐσεβεῖς sunt appellati, *Iustiniano* teste (vltra plures) *in Nouella* 17.*c.*5. *Antoninus Pius cognominatus, ex quo etiã ad Nos appellatio hæc peruenit.* Et hoc sanè ita cõtigit, licèt anteà Caligula PIVS etiam fuerit appella-

appellatus, *Suetonius in Caligula c.22.* quod pietatis alicuius causa forsan euenit, cùm soli Antonino & subsequutis Imperatoribus hoc nomen fuerit cognomenti, teste *Iustiniano* s.

7 PONTIFICIBVS. De horũ dignitate & munere, déque nominis etymo *Bulenger. de Imperat. Romano lib.1.c.13.* iam per nos relatus in *c.9.n.17.*

8 RESCRIPSIT. Id est, respondit, vt in *§. sacræ res, instit. de rer. diuis. Papinianus rescripsit.* Princeps enim ad epistolas & interpretationes rescribebat, libellis verò subscribebat. Hoc autem rescriptum, siue responsum in occurrenti, & particulari casu ab Imperatore fuit redditum, nec ius in genere constituit, vt probauimus *c.9.n.20. 21. & 32.*

9 IVSTO. Nobis, Philosophis, Medicis, Mathematicis & aliis, vt notauimus in *c.10.nu.6.* & probant plures Iuris Professores relati *nu.7.* Et rationes cur septimestris partus sit iustus (id est legibus conformis & naturæ, *l. Stichũ, §. naturalis, ff. de solution. l. ait Prætor 7. §. ait, ff. de pactis*) ab aliis scientiis repetitas tradidimus ibi *nu.8.* Nota tamen, septimo mense editos iustos, id est, naturales, legitimos, maturos, perfectos & vitales esse in suo genere, vel quod attinet ad suæ naturę rationem, vt aduertimus in *d.c.10.n.20* Et ab hac consideratione in *n.22.* composuimus dissidium inter *Hippocratem* & *Aristotelem*, comparatione enim ad alios partus isti imbecilles sunt & imperfecti, vt probauimus d.*n.22.* ex *Homero, Aristotele, Cicerone*, & pluribus Medicis. Et rationes imbecillitatis demonstrauimus ex *n.24.*

10 TEMPORE. Et primo in constitutione legitimi partus, cuius ocyorẽ & præcociorem editionem designare in animo habuit *Vlpianus* in his verbis, vt aduertimus in *c.10.n.12.* Est & alius septimestris partus completior in *Hippocrate* & *Iulio Paulo* exactis septem mensibus, id est, 210. diebus constans, de quo in d.*c.10.nu.12.* Sed & totius septimi mensis spatio septimestres partus contingunt, vt tenent *Valeriola, Mercadus*, & alij relati in d.*c.10.nu.19.* simul cum disertissimo *Iacobo Cuiacio*: improbatis variis opinionibus cõtrariis *Plinij, Galeni, Macrobij, Ferdin. Menæ, Lælamantij, Zacchiæ*, & *Menochij* relatis in d.*c.10.* ex *n.13.*

11 IN *seruitute conceptum.* Optima illatio. Ex quo enim partus naturalis & legitimus est is, qui 182. die editus est, fauor libertatis (*l. generaliter 24. §. si quis, ff. de fideicommiss. libertatib.*) fingit septimestrem 182. dierum eum, quẽ mater ab illo tẽpore manumissa edidit. Quòd si opponas, & conceptum ab ancilla, quæ libera facta peperit ingenuum nasci, *l. & seruorum 5. §. ingenui, ff. de statu hom. §. sed etsi quis, institution. de ingenuis.* Respondet ibi *D. Pichardus*, & in *l.3. C. de murileg. lib.11. n. 92.* mero Iuris rigore attento istum ingenuum non esse, ob ídque Martianũ vsum verbo *placuit*, in d. *§. ingenui.* At mihi alius certè sensus est illius textus, in quo verbum *placuit* refertur ad eum, qui tempore conceptionis & editionis matrem habuit ancillam, medio tamen tempore liberam. Vnde ego existimo, nec *Vlpianum* (Martiani coætaneum) quid ab eo diuersum sensisse hîc, aut præsupposuisse, prætextu & causa libertatis, sed tantùm in proposita illatione denotasse natum à matre manumissa post 182. diem non videri in seruitutem conceptum, quod attinet ad alios Iuris effectus, extra libertatem, puta honores, patriam & alia, quæ à patre, & non à matre in filium deriuari videmus in *l. filiam 9. l. liberos 10. ff. de Senatoribus, l. assumptio, §. filius, ff. ad municip. l. generaliter 3. §. spurios, ff. de Decurionibus*, cum aliis iam per nos latè annotatis in *ca.3. §.3.*

SCHOLIA AD LEGEM SEPTIMO MENSE XII. D. DE STATV HOMINVM.

PAVLVS[1] nono decimo Responsorum[2].

Septimo mense[3] nasci perfectum partum[4] iam receptum[5] est propter auctoritatem[6] doctissimi viri Hippocratis, & ideò[7] credendum[8] est, eum qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse.

1 PAVLVS natione Patauinus fuit, vt asserit *Bertachinus* ab statua supra ostium ædium Magistratus Patauini posita:& ita censent alij, vno excepto nouissimo *Ioanne Bertrando de Iurisperitis*, qui non leuibus ductus coniecturis, cum Tyrium fuisse putat natione Græcum, idque clarè demonstrare *l.nam quod liquidæ 4. ff. de penu legata*, & *l.legata 9. ff.de supellectili legata*, & legem istam, cum aliis ab isto expensis. Hic ab Heliogabalo remotus(ac Vlpianus) reuocatus itidē fuit ab Alexandro, teste *Lampridio* relato ã. *in scholiis ad §.decem l fin.ff.de suis & legitimis hæredib.*

2 RESPONSORVM. Inter plura, quæ Iurisconsultus *Iulius Paulus* (qua Græci sol. nt abundantia & facilitate) edidit in Iure, is ipse occasione diuersorum ex Iure datorum (quod proprium inter alia Iurisconsultorū munium fuisse annotauimus in *c.2.§.1.ex num.223.*) Responsorum libros scripsit XXXIII. quorum meminit *Iustinianus in præfatione Digestorum,§.sed quia.*

4 SEPTIMO MENSE. Id est in totius septimi mensis spatio ab eius principio, dum tamen centesimus octogesimus secundus dies excurrerit cum parte alterius diei maiore, vt diximus *in scholiis ad l.3.§.fi. ff.de suis & legitim hæred.* Et enim editus die 181.(qui mensem septimum Solarem tricenum attingit) partus legitimus non erit, vt contra *Accurs.*hîc *gl.1.*notauimus in *c.10.n.27.*

4 PERFECTVM PARTVM. Id est maturum, & ad viuendum aptum, *l.quod certatum, C.de posthumis hæred. instit.*cum pluribus in horum verborū: *Perfectus & maturus partus*, annotatis in *c.6.ex n.3.*

5 IAM *receptum est*. Antiquorum concertatione(de qua in *c.10.n.1.*) sopita:ni mauis his verbis *Paulum* attendisse decisionem *Vlpiani*, eo aliquantulum prouectioris, iam receptam, vt diximus in *c.9.n.17.*

6 AVCTORITATEM. Hinc clarè inferes, ad causarum decisionem Prudentum hominum dictis, & sententiis Iuris ipsius Conditores vsos, *l.1.Iunius & Trebatius, & Fenestella scribunt, ff. de officio Quæstoris, l.1. A quibusdam Scriptorib. traditum est, ff. de officio Præfect. Præto.* cum aliis:notat optimè *Gothofredus in scholiis ad l.3.§.fin.ff.de suis & legitim.hæred.* Quinimò à dictis Sapien-

pientum, vltra Iuris Auctores, leges sumptæ fuerunt, *l.6.titul.1.part.1.* vbi *Gregorius* verbo *Sabios* disertè notat.

7 Et ideo. Hæc illatio simul cum interpretatione huius legis clarè demonstrat, *Paulum* in casu speciali consultum ita respondisse, vt aduertimus in *c.9.n.32.*

8 Credendum est, &c. Verba ista subtiliter interpretata inuenies in dicto *c.9.n.24.*

SCHOLIA AD LEGEM QVOD CERTATVM III. C. DE POSTHVMIS HÆREDIBVS INSTITVENDIS.

Imperator[1] Iustinianus[2] A. Ioanni (*vel* Iuliano, *vt alij volunt*) Præfecto Prætorio.

Quod certatum[3] est apud veteres[4], Nos decidimus[5]: cùm igitur[6] is qui in ventre portabatur præteritus fuerat, qui si ad lucem fuisset redactus, suus hæres patri existeret, si non alius eum antecederet, & nascendo ruptum testamentum faceret, si posthumus in hunc quidem orbem deuolutus est, voce autem non emissa, ab hac luce subtractus est. Dubitabatur, si is posthumus ruptum facere testamentum posset? Et veterum animi[7] turbati sunt, quid de paterno elogio statuendum sit? Cúmque Sabiniani existimabant, si viuus natus esset, et si vocem non emisit, rumpi testamentum: apparetq;[8] quòd etsi mutus fuerat, hoc ipsum faciebat: eorum[9] etiam nos laudamus[10] sententiam[11] & sancimus[12] si viuus[13] perfectè natus est, licèt[14] illico postquàm in terram[15] cecidit, vel in manibus obstetricis[16] decessit, nihilominus testamentum rumpi: hoc tantummodo requirendo,[17] si viuus[18] ad orbem totus processit, ad nullum[19] declinans monstrum, vel prodigium.

1 Imperator (quem Græci Στρατηγὸν, siue ἡγεμόνα vocant) propriè appellabatur, qui exercitui præerat, & suis auspiciis bellum gerebat. Et quidem primus omnium Iulius Cæsar perpetuus fuit Imperator: hanc enim dignitatem, & cæterorum simul Magistratuum ius, auctoritatémque sibi arrogauit, *Bulenger.* post omnes, *de Imperatore Romano lib.1.c.1.*

2 Ivstinianvs. Is, vltra ante-

cessores aliis, magnificis titulis insignitus est in *Proœmio Digestorum*, & alibi, maximè in *Epigraphe Nouellæ* 17. *de mandatis Principum*, vbi inter alia SEMPER ADORANDVS præponitur. A quo forsan, vel ab adoratione Gelimeris Regis Vandalorum proni, & purpura exuti (de qua in *Procopio lib.2.Vandal.Zonar.tom.3.*) communiter circumfertur sese immortalem existimasse, & vti Deum adorari voluisse, sed iniustè quidem: nam vt ipse *Zonaras* ait *vbi s.* αὐτὸς δὲ Βελλισάριος προσούδισεν ἑαυτὸν, ἐνδεικνύμενος τῷ Γελίμερι, ὅτι οὐχ ὡς αἰχμάλωτος ἐκεῖνος τοῦτο ποιῆσαι ἀπητῆτο, ἀλλ' ὅτι οὕτω νενόμισται προσκυνεῖσθαι τοὺς Ῥωμαίων βασιλεῖς, *Ipse autem Bellisarius ad terram procidit, vt ostenderet Gelimeri, non hoc ab ipso exigi, quòd esset captiuus, sed quòd ita moris esset adorari Romanos Imperatores.* Quinimò adeò Catholicæ, melioríque doctrinæ assertor fuit, vt omnem paganam superstitionem abolere in animo habuerit, vt disertè annotauit *Annibal Fabrotus in notis ad leg.22. Cod.Theodosiani, De Paganis sacrif.& templis*, motus Historiæ Miscellæ *lib.16.* verbis illis: *Tertio namque Imperij sui anno Iustinianus Imperator promulgauit legem, vt non essent Pagani, nec Hæretici, nisi soli Orthodoxi* CHRISTIANI, *datis illis induciis vsque ad menses tres ad conuersionem.* Is demum Imperator opera Triboniani & aliorum Ius Ciuile in Pandectarum quinquaginta libros, & duodecim Codicis redegit, & Institutionum quatuor insignes composuit, qui velut manuductionis vice fungerentur in difficilioris Iuris anfractibus. Nouellas demum Constitutiones plures addidit, & omnium primæ & præcipuæ fuerũt quinquaginta pòst suo Codici insertę, quas illustribus commentariis post alios exornarunt nouissimi *Edmundus Merillius*, & *Petrus Franciscus Linglois.* Harúmque vna est *lex* ista 3. *C. de posthumis hæredibus instituendis.* Qui plura de *Iustiniano* videre desiderat, adeat Historicos sui temporis, & post *Balduinum*, & alios, *Franciscum Raguellum in commentariis ad constitutiones & decisiones Iustiniani: Broeum* optimè prosequentem quid iste in compilatione Iuris præstiterit, & quo tempore & ordine) *in Histor.Chronolog. iur. ante, commentar.institutionum.*

3 QVOD *certatum est.* Rem adhuc dubiam, & inextricabili velut nodo obuolutam (vt notauimus in *c. 9. nu. 18.*) *Iustinianus* exactè decidit, quamuis nullum concertationis istius reliquerat vestigium in Digestis, vt annotauit *Balduinus.* Quod clarè demonstrat *Tribonianum*, cæteróſque Iuris antiqui concinnatores, ni mauis concissores, plura penitùs exterminasse, aut aboleuisse.

4 APVD *veteres.* Id est, Proculianos & Sabinianos, vt *inferiùs* declarat.

5 NOS *decidimus.* Hæc planè demonstrant vsque ad tempora *Iustiniani* rem (hac lege decisam) in controuersia fuisse, vt quæ vltra communem hominum esset captum: & disertorum vtriusque Scholæ Iurisconsultorum turbauerit animos, vt inferiùs ratus est Legislator. Quæstio erat, An natus post mortẽ patris illicò decedens, nec vllam vocem emittens, testamentum rumperet? Et Sabinianis eam resoluentibus affirmatiuè, Proculiani (qui à Proculo Neruæ successore, & Antistij Labeonis plurima innouantis, velut ex opposito Iuris controuersias decidebant) in hac ardua quæstione vocis recèns nati emissionem attendebant; subtiliter quidem, & à veris Philosophiæ principiis, vt latè vltra omnes pluribus confirmauimus in dicto *cap.9.numer.26.* ¶ Sed tunc grauiter obstat (quod miror nullum ex nostris quos

quos viderim, annotasse) *l.2.C.*hoc titulo *de posthumis hæredibus instituend.* vbi Imperatores *Diocletianus* & *Maximianus* (qui multo tempore *Iustinianum* præcesserunt) vt indubitatum, & euidentissimum resoluunt, natum illicò decedentem successionis capacem esse. Et sanè *Gothofredus* (qui in notis ad illam legem supponit idem ibi decisum, quod à *Iustiniano* in ista) apertè contrariatur prædictis verbis illis: *Nos decidimus*, quæ nullo modo stare possunt, nisi subaudias (& hæc mihi verissima resolutio est propositæ difficultatis) in d.*l.2.* actum de eo qui editus est viuus, vocémque emittens, vt ita thesin illius textus liberemus à concertatione Sabinianorum & Proculianorum à *Iustiniano* postea sedatam.

6 CVM IGITVR, &c. Multiloquio sanè minus apto vsus est hîc *Tribonianus*, qui clariùs, concissiùs, & aptiùs dicere potuit: *Cùm posthumus suus præteritus nascendo testamentum rumpat, dubitarunt veteres, an is editus, & illicò voce non emissa decedens, testamentum ruptum facere possit?*

7 VETERVM ANIMI. *Raguellus* post *Cuiacium* legit, *veteres animi*, & simul in *l.cùm quæstio* 23. *C.de legatis*, *l.furiosum* 9. ibi: *Antiquos animos*, *C. qui testamenta facere possunt.* Sed ad quid ista? si vtraque oratio constans est: & communis & recepta, *veterum animi*, aptior.

8 APPARET, *quòd si mutus fuerat, hoc ipsum faciebat.* Propositio ista erronea est, & contrariatur his quæ ex *Hippocrate*, *Aristotele*, & aliis clarè probauimus in d.*c.9.n.26.*

9 EORVM. Sabinianorum.

10 LAVDAMVS. Probamus, *Cicero contra Rul. Vt in omnibus meis factis, atque consiliis vestrum de me factum, consiliumque laudatur*, & alibi sæpe.

11 SENTENTIAM. Ego autem eam improbaueram, & contrariam Proculianorum adstruxeram dicto *capite 9. n.26.*

12 SANCIMVS. Sabinianorum sententiam deinceps pro lege seruari voluit *Iustinianus* hac sua noua Constitutione (vt notatur in *c.9.n.25.& 32.*) aliqua addente, vt dicitur in glossa sequenti: & pleniùs prouidente circa legitimi partus designationem, & constitutionem, quam antea fuerat decisum per d.*l.intestato, §.final.ff.de suis & legitimis hæredib.* *l.septimo mense, ff.de statu hominum:* ita vt hac noua Constitutione quinquemestres & semestres, si viui perfectè nati sint (vti accidere posse notauimus in *c.9.*) venirent admittendi, & testamentum rumperent, iuxta notata in d.*cap.9.num.38.& 41.*vers.*sin autem, & nu.46.* Etenim *Iustinianus* alia longè diuersa ratione motus fuit ab ea qua innituntur *Vlpianus* & *Paulus* in d.*l.3.§.final.ff.de suis & legitimis hæredib.* & in *l.septimo mense, ff.de statu hominum*, ex dictis in dicto *capite 9.num.24.& 25.* Et ob id forsan (& ab aliis notatis *num.23.*) responsorum *Vlpiani* & *Pauli* non meminit. Sed & octomestres *Iustinianus* hac sua Constitutione dubio procul admisit, iuxta animaduersa in *capite 11. n.39.*

13 SI VIVVS *perfectè natus est.* Id est, tempore apto & congruo cum debita perfectione & maturitate, vt ex *Tiraquello*, *Mantica*, & aliis nouioribus annotauimus in *cap.6. num.3.* vbi & numeris sequentibus verba ista latè explicantur & illustrantur, & iterum in *capite 9.num.25.& 37.* & illic clarè demonstramus nouum hîc Ius à *Iustiniano* inductum, & sententiæ Sabinianorum superadditum. Sed & aliqua non contemnenda circa horum verborum interpretationem annotauit

Bonauentura in disputatione compend. de octomestri partus natura, c.9. Et demum adde: natum & eum dici, qui membris aliquibus aridis natus est, vel tribus manibus, aut vno pede, *Petrus Loriotus de iuris arte, libr.2.tract.2. axiom.2.*

14 LICET ILLICO, &c. Hæc ampliatio è sententia Sabinianorum est,

15 IN TERRAM CECIDIT, hæc verba ad antiquum morem apponendi in terra recens natos (de quo egimus *c.4.nu.8.*) nouiores cultioris doctrinæ cum *Gothofredo* hîc referunt, sed malè, & vi manifesta verbis simplicibus facta, quin & sequentibus illis: *Vel in manibus obstetricis*, vt notauimus in d.*c.4.nu.13.*

16 MANIBVS *obstetricis*. De obstetricum arte & antiquitate plura adduximus in *c.1.n.35.in fi.& sequentib.*

17 Hoc *tantummodo requirendo, &c.* His verbis *Iustinianus* nil noui sententiæ Sabinianorum adiecit, vt clarè demonstrauimus in *c.9.nu.25.*

18 SI VIVVS *totus ad orbem processit.* Id est, integrè editus fuerit, & viuus. Neque enim verba illa: *Viuus totus*, referri debent ad omnes partes corporis contra *Vlpianum* (Sabinianæ sectæ tenacem assertorem) in *l. quod dicitur, ff. de liberis & posthumis*, vt notatur in d.*c.6.*ex *nu.7.*

19 AD NVLLVM *declinans monstrum, vel prodigium.* Horum verborum interpretatio petenda est à dictis in *c.17.*ex *n.4.*& priùs in *c.6.nu.7.vers. Demum*, & concinit *l.non sunt liberi 14.ff.de statu hominum*, & *l. quæret aliquis 135.ff.de verbor.signific.*

SCHO-

SCHOLIA AD LEGEM IV. TIT. XXIII. PARTITA. IV.

Ipocras fue vn Philosopho [1] en arte de la Physica, è dixo [2], que lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vientre son diez meses. E porende [3] si desde el dia de la muerte de su marido fasta diez meses [4] pariesse su muger, legitima seria la criatura que nasciere, è se entiende que es de su marido, maguer [5] en tal tiempo sea nacida, solo que ella viuiesse con su marido [6] à la sazon que finò. Otrosi dixo este Philosopho [7] que la criatura que nasciere fasta en los siete meses [8], que solo que tenga su nacimiento vn dia del seteno [9] mes, que es complida, è viuidera, è debe ser tenida tal criatura por legitima del padre, è de la madre, que eran casados, è viuen en vno à la sazon [10] que la concibio [11]. Esso mismo debe esser juzgado de la que nasce fasta en los nueue meses [12]. Et este euento mas vsado [13] que los otros. Mas si la nascencia de la criatura tañe vn dia [14] del onzeno despues de la muerte del padre, non debe ser contado por suo fijo [15]. E en que manera deben guardar las mugeres que dizen que fincan preñadas despues de la muerte de sus maridos, porque non vega yerro ninguno en la criatura que nasciere dellas diximos [16] en la sexta partida deste libro, en las leyes que fablan en esta razon.

ALPHONSVS X. *cognomēto* SAPIENS (huius legis Auctor) *Hispaniæ Rex, insignis Philosophus & Mathematicus, Septipartitum opus Iuris Ciuilis: Hispanorum Historiam generalem: librum Thesauri, & Tabulas Astronomicas conscripsit: quaterdecies vniuersa Biblia cum suis Glossis inter tot negotia legit. Imperator Romanorum electus fuit, sed recusauit Imperium contentus solo titulo, quem ob eligentium honorem ad tempus in literis suis retinuit:* ita *Genebrardus lib. 4. Chronologiæ*, ex *Vaseo, Trithemio* & aliis.

1 IPOCRAS FVE VN PHILOSOPHO. De eo diximus in scholiis ad *l. 3. §. fin. ff. de suis & legitim. hæred.*

2 E dixo, *que lo mas que la muger preñada puede traer la criatura en el vientre, son diez meses.* In *lib. de octomest. partu* in verbis per nos expensis *cap. 14. n. 6.*

& 7. à quibus ibidem *n.*8. rectè loquutum hîc Regem Alphonsum elicimus.

3 E PORENDE, &c. Rectè infert Legislator ad partus nobis legitimos à sententia ἀρχιάτρου *Hippocratis*, iuxta ea quæ diximus in scholiis ad *l.*3.*§.fin. ff.de suis & legit.hæred.* & ad *l.septimo mense ff.de statu homin.* & disertiùs in elucidatione huius *legis* annotauimus in *cap.*9.*num.*26.

4 FASTA *diez meses.* Hunc terminum Decemuiri humanis partionibus constituerunt, vt probauimus in *c.*13.*n.*2. Et adeò antiqua & vsitata est ista cōputatio, vt in formula fuerit illa posthumi institutio: *Si intra decem menses natus, natáue erit,* de qua in *l.*Gallus, *D. de liber. & posthum.* & aliis expensis in d.*cap.*13.*n.*3. & notauimus *suprà* in notis ad §.*post decem, schol.*3.

5 MAGVER *en tal tiempo sea nacida.* Id est, quamuis decimo mense posthumus natus fuerit.

6 VIVIESSE *con su marido, &c.* Quod intellige, nisi longa & graui infirmitate (à qua mors insequuta) maritus fuisset affectus, vel senio, aliaue nota ineptitudine ad generationem præpeditus iuxta tradita in *cap.*11.*nu.*90. & alibi, argumento *textus* in *l.filium* 6. *ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris.*

7 DIXO *este Philosopho.* In *libro de sept.partu, in prin.* & in *lib.de carnib.* siue *de princip. ad fin.* & notauimus in *c.*10.*num.*3.

8 SIETE *meses.* Ab hoc tempore partum legitimum incipere Legislator designat, vt diximus in *cap.*9. *num.*29. (partiones semestres simul excludens) & *numer.*33.40.46.& 52. Quod tamen limitatur *num.*23. & 34. quo casu de initio conceptionis non constat: tunc enim huius *legis* decisio recidit in *l.*3.*C. de posthum.hæred.* Sed & *num.*41.d.*c.*9. alia limitatio singularis superadditur.

9 SOLO *que tenga su nacimiento vn dia del seteno, &c.* Idem tenuisse videtur *Accursius glo.*1. in *l.septimo mense, ff.de statu hom.* sed indistinctè admitti non potest, nec intelligi de mensibus lunaribus, nec de solaribus communibus æqualibus tricenis, sed tantùm de mensibus Iulianis, & non de quibusque, sed de constituentibus mediam saltem anni partem, & aliquid amplius, id est 182. dies & 15. horas. Alioquin partus non esset legitimus, vt puta natus centesimo octogesimo primo die, ex notatis in *cap.*10. *numer.*27. contra *Accurs. supra* & diximus in notis ad §.*fin.l.*3.*ff.de suis & legitimis hæredibus schol.*1.

10 E VIVEN *en vno à la sazon.* Declara & limita vt in *schol.*6.*supr.*

11 CONCIBIO. Tempus enim conceptus ad plures Iuris effectus (congestos in *cap.*1. ex *num.*40.) maximè considerandum est.

12 FASTA *en los nueue meses.* Id est à septimo mense ad nonum, vt expensa dictione *fasta*, Latinè *vsque* notauimus in *c.*11.*nu.*44. vbi à verbis istis elicimus octomestres parturitiones ab hac lege non fuisse exclusas, & ita agnouit Gregor. *Lopez* hîc *glos.*2.

13 ESTE *cuente es mas vsado.* De vero horum verborum sensu (post Gregor. *gloss.*3. hîc) actum est per nos in *ca.*11.*num.*45.

14 TAÑE *vn dia del onzeno.* Id est natus & editus fuerit post dies 300. (computatos à die conceptus) qui decem menses solares communes æquales tricenos integrant.

15 NON *debe ser contado por su fijo.* Concinit decisio ista sententiæ *Hippocratis*, qui decem mensibus partionum humanarũ terminum præclusit, vt notauimus in *c.*14.*num.*7.& 8. Et simul conuenit cum antiquissima *lege xij.Tab.* qua *Decemuiri* (teste *A.Gel. lib.*3.*Noct.Attic.c.*16.) *in decimo mense* gigni-

gigni hominem, non in vndecimo scripserunt. Nec dissentit à *Nouella Iustinia.* 39. *de restitutione & ea quæ par. in vndecimo mense, c.2.* vt notatur in *Prolegomenis n.13.* & latiùs in d.*c.14.num.19.* Quod tamen declarandum est iuxta tradita in dict.*cap.14.* ex *numer.20.* vsque in finem capitis. Ad quæ reducenda sunt quæ *Gregorius* adduxit hîc *gloss.4.*

16 DIXIMOS. In *l.17.tit.6.part.6.* & nos latissimè demonstrauimus in *c.1. num.35.* & *cap.2.§.2.* per varios numeros.

SCHOLIA AD LEGEM XIII. Tauri, quæ est l.2. tit. 8. libr. 5. Recopilat.

Por euitar[1] muchas dudas, que suelen occurrir[2] cerca de los hijos que mueren rezien nascidos, sobre si son naturalmente nascidos, ò si son abortiuos[3]. Ordenamos i mandamos[4] que tal hijo se diga que naturalmente es nascido[5] i que no es abortiuo[6], quando nascio viuo todo[7], i que alomenos despues de nascido viuio veinte i quatro horas[8] naturales[9], i fue baptizado[10] antes que muriesse. I si de otra manera[11] nascido murio dentro del dicho termino, ò no fue baptizado, Mandamos que el tal hijo sea auido por abortiuo, i q̃ no pueda heredar a sus padres, ni a sus madres, ni a sus ascendientes[12]. Pero si[13] por el ausencia del marido, o por el tiempo del casamiento[14] claramente se probasse, que nascio en tiempo que no podia viuir[15] naturalmente[16], Mandamos que aunque concurran en el dicho hijo las calidades susodichas[17], que no sea auido por parto natural, ni legitimo[18].

1 POR EVITAR *muchas dudas.* Leges dubiis enodãdis principaliter debẽt inseruire, *l.3.cũ seq.ff.de legib.l.3.C.eod.* & has ἐν κοινῷ, *rectè positas* dixit *Arist ot.lib.4.de Repub.c 8.* Sed & is precipuus fuit scopus in promulgationẽ legũ Tauri (latarum tẽporib. Reginæ & dominæ nostræ Ioannæ) vti ex earum procemio dilucidè constat, &

notat *Castillo* hîc. Et verba ista correspondent prioribus *Iustiniani* in *l.3.C. de posthum.hæred.instit.* vt notatur in *c.9.n.30.*

2 QVE *suelen ocurrir,&c.* Idem euenit temporibus Digestorum & nouiorum *Iustiniani* Constitutionum, vt clarè colligitur ex *l.quod certatum 3.C. de posthu.hæred.instit.* & notatur in d. *c.9.n.30.*

3 SI SON *naturalmente nacidos, ò si son abortiuos.* Longè enim distat quod Iuris effectus naturales partus ab abortiuis, & pluribus demonstrauimus in tota disputatione, maximè in *c.6. & 16.*

4 ORDENAMOS *i mandamos.* Hæc verba noui Iuris promulgationem prę se ferunt, vt illa, *Sancimus, Præcipimus,* & similia, quibus *Iustinianus*, post alios Imperatores, passim vtitur in nouis Constitutionibus suo Codice insertis.

5 QVE *el tal hijo se diga que es naturalmente nascido.* Lex ista in designatione partus naturalis plura requirit, & Iuri Communi superaddidit à legibus Hispaniæ antiquioribus, sũ. expendendis desumpta.

6 I QVE *no es abortiuo.* Ista superabundare videntur: sed non ineptè quidem sunt addita ad maiorem & clariorem subsequentis decisionis intelligentiam.

7 QVANDO *nascio viuo todo.* Id est, viuus, & totus à matre seiunctus, vt aduertimus in notis ad d. *l.3.C.de posth. hæred.instituen.schol.*18. iunctis his quę diximus in *c.6.n.9.* & in d. *cap.9.nu.30.* quibus adde *Castill.* hîc, verb. *viuo*, & verb. *todo.* Sed & idem dicendum de fœtu maturo à matris ventre execto, qui vigintiquatuor vixerit horas, & sacro fuerit Baptismate regeneratus, iuxta notata in *c.6.nu.14.in fine.*

8 VIVIO *veinte i quatro horas.* Ad quas optimè lex ista reduxit decẽ dies antea hoc casu requisitos in *l.17.& 18. tit.2.de succession.lib.4.leg.Gothor.* quæ sunt *l.17.& 18.tit.2.lib.4.Fori juzgo*, de quibus in *c.9.nu.27.*

9 NATVRALES. Disertè sanè & aptè additum est verbum hoc, *Naturales*, vt comprehenderet tam horas diei, quàm noctis, de quibus in *l ideòque 7.ff.de vsucapion.& vsurpat.l.à qua ætate 5.ff.de testam.* (quæ inde diurnæ & nocturnæ appellantur in *l. capite quinto 25.ff.ad leg.Iul.de adulter.l. 2.ff. de aqua quotid. & æstiua*) ita vt vigintiquatuor horæ continuæ sint ab editione partus ad subsequutam eius mortem.

10 I FVE *baptizado.* Hoc desumptum fuit ab illis verbis *l.3 tit.6.libr.3. Fori: Si despues nasciere fijo, ò fija, è fuere baptizado, aya todos los bienes del padre.* Sed & lex illa (ex compilatis à Rege nostro Sapientissimo ALPHONSO XI. ante Septem partitum opus) attendisse videtur sententiam *D. Hieronymi* relatam in *c.3.de verb.signific.* Conferunt adductæ à *Bursato consil.63 n.20.* *Franc.Marc.decis.*168.*& seq.2.p.* cum aliis pluribus, quos refert *Marius Giurba in consuetud.Se. at.Messan.c.10. gloss.1.p.1.n.*18. Et sanè verba ista monstrosum partum (vt qui baptizari non potest) excludunt, & re vera correspondent finalibus illis verbis *l.3. C.de posthum.hæredib.instituend. Hoc tantummodo requirendo, si viuus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum vel prodigium*, vt diximus in *c.9. num.*31. Ni mauis (vt ibi etiam aduertimus) ab illa legem istam supplendam, seu declarandam. Quod tamen limitandum est à traditis in d. *capite 9.numer.34.*

11 I SI DE *otra manera nascido muriò,&c.* Declara cum *Azeuedo* dîc. *numer.*8. & adde, verba ista, & immediatè præcedentia locum apertè facere partionibus octomestribus, & eas velut

velut apertè admisisse, vt notatur in *c.* 11.*n.*46 *&* 57. Quidquid in contrarium contendat *Azeued.* hîc *n.*10. & alij Patrij Iuris Auctores, relati & impugnati in d.*c.*11. Subinde circa verba ista nota, eadem requisita antea proposita affirmatiuè, hîc repeti negatiuè, ita vt oratio disiuncta pro coniuncta accipiatur, vt pluries accidit, *l. sæpe, ff. de verb. signif.* Et ab his, quæ facilia sunt, cessat anxius labor *Ferdinandi Gomez Arias* hîc *n.*9.

12 A SVS *padres, &c.* Hîc quærit *Azeuedus n.*7. an è contrario parentes & ascendentes non baptizatis, aut illicò mortuis ante 24. horas completas succedant; & re hinc inde discussa, tandem cogitandum reliquit. Sed omnia ista inania sunt quandoquidem ita editi, & confestim mortui (paternæ, aut auitę successionis incapaces) nil aliunde acquirere possint. Etenim recèns natus (in quo præfata requisita non concurrunt) ab omni acquisitione & successione arcetur per legem istam, & ita sentit *Gomez Arias nu.*1.

13 PERO SI. Stat aduersatiuè, Latinè *Sed si*, notat *Gomez Arias* hîc *n.*10.

14 SI POR *el absencia del marido, ò por el tiempo del casamiento.* Nota ex his verbis (quorum interpretationem sumus prosequuti in *c.*9.*n.*41. & *c.*11.*n.* 90.) modos probandi tempus recèns editorum, qua de re egimus in d.*c.*11.*n.* 90. *&* 91. & alibi in nostra disputatione.

15 SE PROBASSE *que nascio en tiempo que no podia viuir.* Verba ista respiciunt illa *l.*3. *C. de posth. hæred. instit. Si viuus perfectè natus est, &c.* iunctis his quæ ad eorum interpretationem notantur in *c.*6. *&* 9. *nu.*30. *ad fin.* Adhæc in præcitatis illis verbis: *Que no podia viuir*, compositores huius legis commune illud dicterium attenderunt: *Paria esse non viuere, vel viuere non posse, l. qui mortui, ff. de verb. signific.* *Azeuedus*, post alios hîc *nu.*11.

16 NATVRALMENTE. Velut quinquemestres, semestres, & quicunque alius vltra metas & terminos præfinitos à *l.*4. *tit.*23. *p.*4. A qua ista debet suppleri & declarari, iuxta tradita in *c.* 8. *nu.*6. & *c.*9. *nu.*34. 40. & 41. Nec enim par est credere hac lege admissos trimestres & quadrimestres baptizatos viuentes vigintiquatuor horas, aut vndecimestres; alioquin via maximis fraudibus aperiretur, ex dictis in *c.*14. *n.*20. Et sanè hæc lex dispositiones Iuris Communis & Patrij anteriores restrinxit, ita vt iam hodie non sufficiat, quem perfectè & maturo tempore natum fuisse, nisi fuerit baptizatus, & simul superuixerit vigintiquatuor horas, vt notatur in *Prolegomen. n.*16.

17 CALIDADES *susodichas.* Id est, etiam si partus editus totus viuus vigintiquatuor horas vixerit, & fuerit baptizatus. Quatuor ergo hîc requirũtur, vt recèns editus legitimus sit, & successionis capax. *Primum*, quòd totus viuus prodeat. *Secundum*, quòd viuat vigintiquatuor horas. *Tertium*, quòd sit baptizatus. *Quartum*, quòd maturo tempore sit editus. Et hoc vltimum (quod prætermisit *Azeuedus* hîc *n.*3.) optimè considerarunt *Anton. Gomez* 1. *tom. c.*11. *n.*4. *ad fin.* & in hac *l. nu.* 4. *Tellus Fernandez* hîc *in princ.* & *n.*2. & demum agnouit ipse *Azeuedus n.*6. Et ab his ego dilucidè elicio, ex *lege* ista *Tauri* correctas, vel declarandas esse *l. septimo mense, ff. de statu homin.* & *l.*3. *§. fi. ff. de suis & legitim. hæred.* vt dum in constitutione partus naturalis & legitimi solam requirunt editionem & septimo mense, subaddamus, hanc nobis sufficientem non esse, nisi partus vixerit vigintiquatuor horas, & fuerit baptizatus. Suppleri itidem, & eodem modo debet *l. vxoris abortu* 2. *l. quod certatum* 3. *C. de posthum. hæred.*

instituend. dum prima editionem tantùm exigebat viuetis, & secunda, quòd totus viuus partus editus sit, ad nullũ declinans monstrum, vel prodigium. Adhæc, legem istam video corrigétem omnes anteriores Iuris Patrij: nam vice decem dierum superuiuentiæ (sic liceat loqui) à tempore editionis à *l.*17. & 18.*tit.*2.*lib.*4.*Fori juzgo* antea requisitorum (vt notauimus s.*schol.*8) iam hodie sufficit dies vnus naturalis. Et dum in d.*l.*3.*tit.* 6. *lib.*3.*Fori* editus baptizatus quocunque tempore decedés legitimus partus declaratur, hac nouiore lege illam generalem determinationem restrictam dicamus ad viuentes viginti quatuor horas. Et demũ dum in *l.*4.*tit.*23.*p.*4. indistinctè prouisum est, natum quemcunque à septimi mensis initio vsque in finem decimi legitimum esse, non procedat, neque admittatur, nisi totus viuus prodeat partus, & baptizatus fuerit, & viginti quatuor superuixerit horas.

18 QVE *no sea auido por parto natural, ni legitimo.* A propositis conditionibus partui legitimo, & successionis capaci, conclusionem generalem elicit lex ista partus naturalis & abortiui conjecturas & præsumptiones deinceps excludens, vt diximus in *c.*16. *nu* 34. & video optimè annotasse *Tellũ Fernandez* hîc *in principio.* Et certè ab his Scholiis, & aliis latiore stylo annotatis in Disputatione locis s. relatis maiores, quæ ab hac lege pullulabant difficultates (vt diximus in *Prolegomenis num.*18.) iam hodie cessant. Faxit Deus, vt nos hæc inter alia ab ista scriptione simus consequuti.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM INSIGNIORVM IN HAC DISPVTATIONE CONTENTORVM, & in Scholiis ad d.l.§.post decem,ff.de suis & legit. hæredib.cum aliis.

Primus numerus paginam, secundus eius numerum denotat.

Aditionis

Annum

D.

Decime-

E.

H.

Q

FFf 2

V

FINIS INDICIS.

CAROLI

CAROLI ANNIBALIS

FABROTI

Antecessoris Aqui-Sextiensis,

EXERCITATIONES DVÆ,

de

TEMPORE PARTVS HVMANI.

& de

NVMERO PVERPERII.

(a)

Illustrißimo Viro

VINCENTIO ANNAE MAINERIO

BARONI D'OPPEDE, DOMINO DE LA FARE, &c. Palatino & Consistoriano Comiti, Equiti & Senatus Aqui-Sextiensis Principi.

CAROLVS ANNIBAL FABROTVS S.

DE TEMPORE humani partus haut conuenit, *Præses Illustrißime.* Iustum autem edendi libri tempus continetur his Poëtæ *Horat.* verbis,

---Nonumq; prematur in annum
Membranis intus positis.

Atque ita Cinna Smyrnam suam post annos nouem elaboratam edidisse fertur *Catull.*

Smyrna mei Cinnæ nonam post deniq; messem
Quàm cœpta est, nonamq; edita post hyemem.

An ergo sicut nono mense partio mulieris maximè secundum naturam fit: ita quoque libri condendi summus finis nonus annus est? Atqui triduò quicquid est, quod exaraui, prodit & solem respicit. Itaque sicut olim monstra in mare continuò

exportabantur : ita videtur hic libellus rudis & impolitus in profundum exportandus, veluti nouum genus portenti Sed neque fortaſſis eius omnes ſordes mare abluet, quo cuncta, cùm violata ſunt, expiari creduntur. At enim fortè quis tralatitiâ hîc humanitate dicet: ergà partum ingenij iuſto te ſeueriùs adhibes : ſolent enim parentes pij ſubturpes etiam fœtus tollere, atque educare. Sua cuique res eſt chariſſima. Quin tu ſi bonam mentem amas, non intempeſtiuum partum tolle: licèt enim triduò fuſus & eiectus videatur, eſt tamen numero quoque ternario dignitas ſua & plenitudo. Qualis qualis igitur hicce partus eſt, Te (Præſes Illuſtriſſ.) patrem eius veluti luſtricum auſus ſum eligere cuius nomen in terra Gallia celeberrimum eſt, ex quo in vrbem regiam nuper accitus es maximis orbis Gallici rebus pertractandis. Illàm autem nominis claritudinem auget dignitas, in qua maiores quoque tui ſumma cum laude, atque ſanctitate fuere. Vnde mihi rem prorſus miram ſperare licet, hoc eſt, præter naturæ leges, partui vitam abortiuo. Quinimò tui nominis æternitas immortalitatem præſtabit, non vltra diem aliàs victuro, quæ vulgò dici ſolet, Ephemeri vita. Vale. Aquis-Sextiis No. Iuniis M. DC. XXVII.

INDEX.

INDEX EORVM quæ in hac exercitatione continentur.

DE

DE TEMPORE HVMANI PARTVS,

EXERCITATIO.

VEteres sapientiæ sectatores, Medici naturæ antistites, Iurisconsulti Iustitiæ Sacerdotes, de tempore humani partus satis anquisitè, satísque sollicitè quæsiuerunt. Ego igitur virorum illustrium sententias super eâ re cõquisiui, Iurisconsulti partibus functus, cuius est de iusto partu respondere: vel certè Philologi, qui quidem ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθέναι, id est, *Pedem in alieno choro ponere. Plutarch.* nullo iure prohibetur.

Cuius autem momenti sit ea pertractatio, omnes (opinor) intelligunt: quid enim aliud hoc est, quàm rem obductam, & in naturæ penetralibus abditam promere, & in lucem educere? Sed & publicè interest, gignendi finem non ignorari, ne fortè subdititius partus ei fraudi sit, quem iustissimè conceptum addubitari non potest.

Sciendum igitur est ὡς ἐν παρεωρίᾳ, id est, *In modum prauiæ inspectionis*, vt præfari solet Theophilus noster, tempora duorum esse generum, vt scribit Varro 1. de re rustic. c. 27. *Vnum annale, quod Sol circuitu suo finit: alterum menstruum, quod Luna circumiens comprehendit.* Plutarchus in quæstionib. Roman. ποιεῖ δὲ ὁ μὲν ἥλιος τὸν ἐνιαυτόν, ἡ δὲ σελήνη τοὺς μῆνας. id est, *Efficit autem Sol annum, Luna menses.* Itaque Luna dicitur patrociniũ mensium à Varrone, referente Tertulliano ad Nationes libr. 2. c. 5. Certè propiùs ad Naturæ leges, menses lunari, annum solari curriculo computari Plethon ait apud Theodorum Gazam in libello περὶ μηνῶν. id est, *De mensibus.*

Rursus annus vel lunaris est, vel solaris. Lunaris constat trecentis & quinquaginta quatuor diebus, vt scribit Epiphanius aduersus hæreses lib. 3. tom. 1. adde, cum triente, & paulò plus quàm duum trien-

stium horariorum, vt placet iis, qui περιεργότερον, id est, *Curiosius*, hæc putant. Solaris autem constat trecentis sexaginta quinque diebus, quartâ ferè diei parte additâ, vt præter Ciceronem de nat. deor. Plutarch. in Numa, Chalcidium in Timæum Plat. scribit Galenus ad libr. Hippocrat. περὶ ἑπτάμ. qui quidem Galeni liber periit: nec enim præter interpretationem Ioannis Bernardi Feliciani quidquam habemus. Cur autem dixerim (ferè,) vide Gregoram lib. 8. Id etiam constat ex Auctoribus nostris in l. ita vulneratus, 51. vers. æstimatio. D. ad l. Aquil. l. 4. §. 5. D. de statulib. l. anniculus, 134. D. de verbor. signif. Quamquam Iurisconsulti præcisè finiunt annum trecentis sexaginta quinque diebus. Epiphanius verò tres horas addit loco suprà citato. Iam mensis à Luna nomen accepit, Varro de ling. Latin. lib. 5. D. Ambros. epist. 83. lib. 10. *Denique μήνην Lunam vocant Græci, vnde μῆνας Græcè dicunt menses.* Itaque Lunam pro mense, Solem pro duodecim mensibus accipimus. Man. Moschopulus: ἥλιος λέγεται καὶ ὁ δωδεκάμηνος χρόνος, ὅτι διὰ τῶν δωδεκαμηνῶν διέρχεται τὸν ἑαυτοῦ κύκλον ὁ ἥλιος. id est, *Sol quoque dicitur spatium duodecim mensium, quia duodecim mensibus curriculum suum Sol conficit.*

Mensis autem vel ciuilis est, vel naturalis. Ciuilis est numeri dierum, quos vnaquæque ciuitas suo instituto obseruat, vt nunc Roma à Calendis in Calendas, vt ait Censorinus de die natali. Naturalis duæ sunt species: vel enim lunaris est, vel solaris. Vitruuius lib. 9. cap. 4. *Luna die octauo, & vicesimo, & amplius circiter hora cæli circuitionem percurrens, ex quo cœperit signo ire, ad id signum reuertendo perficit lunarem mensem. Sol autem signi spatium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit.* Rursus lunaris duplicis generis: hoc est, periodicus, & synodicus. Periodicum intelligit Hyginus de Planetis in fine. *Mensem autem,* inquit, *constituerunt, quandiu Luna Zodiacum circulum perducat.* Cleomedes vtrumque κύκλικ. θεωρ. μετεώρων, lib. 1. cap. 4. his verbis: αὕτη τὸν ἴδιον ἀπαρτίζει κύκλον, ἐν ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέραις, καὶ ἡμίσει· συνοδεύει δὲ τῷ ἡλίῳ διὰ λ'. id est, *Hæc proprium orbem peragrat septem & viginti diebus, ac vnius dimidio: sed cum Sole trigesimo die coit.* Alij tradunt Lunam orbem suum lustrare septem & viginti diebus, alij quater septenis, id est, octo & viginti diebus. Aul. Gellius lib. 1. c. 20. & lib. 3. c. 10. Macrobius in somn. Scip. Plutarch. de Iside, & Osiri. Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, id est,

(*De non edendis animatis*) Chalcidius in Timæum Platonis: *Vt Luna, quæ iuxta cubicum numerum viginti septem diebus circulum suum lustrat.* Sunt qui synodicum mensem tricenarium faciant: Cleomenes dict. cap. 4. Theodoretus in Genesim, quæstion. 15. ἐκ δὲ τοῦ δρόμου τῆς σελήνης τὸν τῶν μηνῶν μανθάνομεν ἀριθμόν· διὰ τριάκοντα γὰρ ἡμερῶν μῆνα προσαγορεύομεν, ἐπειδὴ καὶ τὴν σελήνην προσαγορεύουσι μῆνα. id est, *Ex lunari cursu numerum mensiũ addiscimus: triginta autem dies mensem appellauere, quoniam etiam Lunam appellant mensem.*) Sed si certiorem rationem sequamur, mensis periodicus cõtinet dies viginti septem, horas octo, aut vt alij ἀκριβέστερον i. *verius* putant, horas septem, minutas quadraginta tres, secundas septem: mensis verò synodicus dies viginti nouem cum semisse vel dies viginti nouem, horas duodecim, minutas quadraginta quatuor, secundas tres.

Vulgò mensis appellatione intelligimus tempus à Calendis in Calendas, vel synodicum, vel tricenos dies. Cleomenes lib. 2. cap. 5. καλεῖται δὲ καὶ (μὴν) τὸ ἀπὸ συνόδου ἐπὶ σύνοδον χρονικὸν διάστημα, καὶ λοιπὸν, ὁ τριακονθήμερος χρόνος, id est, *Appellatur quoque mensis temporis interuallum à coitu ad coitum, postremò tempus quoque triginta dierum.* Chalcidius Proclus in sphæra. Hippocrates autem tricenarium, περὶ σαρκὸν, & ἐπιδημ. 2. sect. 3. Synodicũ verò, περὶ ἑπταμήνου: ὧν γὰρ, inquit, ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρης ἔγγιστα δύο μῆνες ἐκτελοῦνται): id est, *Nam vnde sexaginta dieb. quàm proximè duo menses perficiuntur.* Galenus ad eum librum: *Annum trecentis & sexagintaquinq; diebus, & quartâ insuper diei parte constare dicunt, & mẽstruum tempus viginti nouem & dimidio: nã mensem nominari spatium: quod ab vno Lunæ coitu cum Sole vsq; ad alterum intercedit, nemo est qui nesciat.* Itaque annus lunaris dicitur constare trecentis quinquaginta quatuor diebus: menses enim duodecim synodici hunc numerum efficiunt, vt iam dictum est.

Superest, vt quemadmodum dies accipiendus sit, breuiter exponamus. Dies igitur aut naturalis est aut ciuilis. Naturalis constat horis duodecim, *l. 2. §. 1. D. de verbor. signific.* Ioannis cap. 11. οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσιν τῆς ἡμέρας; id est, *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Sextus Empyricus aduersus Mathematicos: καὶ μὴν ἡμέρα λέγεται διχῶς· καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ἡ ἐκ τῶν δώδεκα ὡρῶν συνεστῶσα· καθ' ἕτερον δὲ, ὁ πεφωτισμένος ἐξ ἡλίου ἀήρ. id est, *Præterea dies dicitur duobus modis: vno quidem modo, qui constat duodecim horis: altero autem aër à Sole illustratus.* Quâ ratione hora dicitur δωδέκατον τῆς ἡμέρας, id est,

Diei pars vndecima. Suidas. Quod ait Sextus diem quoque appellari τὸν πεφωτισμένον ἐξ ἡλίου ἀέρα, id est, *Aërem à Sole illustratum.* videtur exscripsisse D. Basilius homilia 6. in Hexaëm. οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι, inquit, ἡμέραν ὁρισάμενος εἶναι τὸν ὑπὸ τοῦ ἡλίου πεφωτισμένον ἀέρα, id est, *Nec quis errauerit, qui diem definierit, aërẽ à Sole illuminatum.* Ideóq; Paulus Iurisconsultus ait, cuiusque diei maiorem partem esse horarum septem primarum, non supremarum, in *l.2. D. de verbor. signific.* nam hora sexta τὸ μέσον τῆς ἡμέρας, ἢ μεσημέριον, id est, *Meridies.* Et maior itaque diei pars horarum septem. Item nox totidem horis constabat. Atqui horæ duodecim magis videntur esse διάστημα τῆς ἡμέρας ἐαρινῆς, id est, *Spatium verni diei.* vt apud Scholiastem Apollonij 4. ἀργον. quando

χ' ἅμα νὺξ ἀνθρώποισιν ἴσα, καὶ ὁμοίιος ἀώς id est,

Et mox hominibus par, & par dies.

Vt est in eidyllio quodam Bionis. Sed res aliter se habet: prout enim dies augescebat, aut decrescebat, horæ quoque augebantur, & diminuebantur. De naturali die videtur intelligendus Anastasius Sinaita anagogicarum contemplat. in Hexaëm. lib. 1. *Vmbri*, inquit, *gens Italica, à meridie in meridiem dicunt esse diem. Athenienses autem, & Romani ab ortu vsque ad occasum diem definiunt, vt dicit Cato, & Labeo.* Verum est, quod scribit de Vmbris: quod de Atheniensibus, non item, sed neque quod de Romanis, vt constat ex Aulo Gellio lib. 3. cap. 2. nisi diem naturalem accipias. Ciuilis autem dies constat horis viginti quatuor, *l. more. 8. D. de feriis.* D. Augustinus Confess. lib. 11. cap. 13. *Nam quæro quoniam dies dicitur non tãtùm morula Solis supra terram, secũdùm quod aliud est dies, aliud nox, sed etiã totus eius circuitus ab Oriente vsque ad Orientem, secundùm quod dicimus: Tot dies transierunt: cũ suis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur spatia noctium.* Et lib. imperf. de Genesi ad literam, c. 7. *Sed eo modo, quo dicimus, verbi gratiâ, triginta dies habere mensem, hic enim nomine diei noctes quoque includimus.* Et Epist. 80. *Totus enim dies, totus circuitus Solis veriùs nuncupatur non ab Oriente vsque in Occidentem, sed ab Oriente vsq; in Orientem: vnde toto die peracto, id est, viginti quatuor horis, rursus exoritur.* Atque ita Galenus ad dictum libr. περὶ ἑπταμ. *Quatuor, autem, inquit, & viginti horarũ interuallum diem appello.* Antillus apud Stobæum serm. 99. ἡμέραν λαμβανόμενοι σὺν τῇ νυκτὶ, id est, *Diem vnà cum nocte accipimus.* Quod spatium Hippocates Solem appellat li. περὶ τροφῆς, de quo vide Ma-

Manuelem Moschopulum in voce ἥλιος, à quo Thomas magister exscripsit. Ciuilem diem Ouidius Fastorum 5. plenum appellat:

Is decies senos ter centum, & quinque diebus
Iunxit, & è pleno tempora quata die.

Seruius in quintum Æneid. *Dies est plenus, qui habet viginti quatuor horas.*

Nunc eius rei, quam suscepimus, disputationem aggrediamur. Eius autem omnino quinque erunt capita, hoc est, de septimo, octauo, nono, decimo, & vndecimo mense, quantùm potest, dilucidè tractabitur.

Ante mensem septimum neque masculus, neque fœmina salubriter, & secundùm naturam nasci potest, vt scribit Aulus Gellius Noct. Atticar. lib. 3. cap. 10. Aristoteles histor. de animalib. lib. 7. cap. 4. ὅσα μὲν οὖν γίνεται πρότερα τῶν ἑπτὰ μηνῶν, οὐδὲν οὐδαμῇ δύναται ζῆν. i. *Qui ante mensem septimum prodeũt, nulli vlla ratione possunt viuere.* Inter omnes autem conuenit partum ἑπτάμηνον maturum esse. Certè sic veteres tradunt Philosophi, atque ita in primis Pythagoras apud Diogenem Laërtium μορφοῦσθαι δὲ τὸ μὲν πρῶτον, παγὲν ἐν ἡμέραις τεσσαράκοντα· κατὰ δὲ τοὺς τῆς ἁρμονίας λόγους, ἐν ἑπτὰ, ἢ ἐννέα, ἢ δέκα τὸ πλεῖστον μησὶ τελεωθὲν, ἀποκυΐσκεσθαι τὸ βρέφος, id est, *Formari autem primò quidem concretũ, & compactum intra dies quadraginta: iuxta verò rationem harmoniæ, intra septem, aut nouem, aut decem vtplurimum menses consummatum, atq; perfectum infantem nasci.* Philo περὶ κοσμοποιίας. γίνεται γὰρ τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων ὡς ἐπίπαν ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων, id est, *Partus enim septimestres vitales sunt, octimestres autem plerumq; viuere non possunt.* Et in Allegoriis: τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι τῶν βρεφῶν τὰ μὲν ἑπταμηναῖα γόνιμα, τὰ δὲ πλείω χρόνον προσλαβόντα ὡς ὀκτὼ μῆνας ἐνδιαιτηθῆναι γαστρὶ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἄγονα, id est, *Quis enim ignorat partus septimestres vitales esse?* Empedocles apud Plutarchum de placit. Philosophorum lib. 5. ca. 18. τὰ δεκάμηνα γόνιμα, καὶ τὰ ἑπτάμηνα. id est, *Partus decimestres, & septimestres vitales sunt.* Olympiodorus in Alcibiad. Platonis 1. cap. 17. τιμία ἐστὶν ἡ ἑβδομὰς, ὡς κρίσιμος, καὶ ὅτι ἑπτάμηνα ζώσιμα. id est, *Septenarius numerus venerabilis est, quia criticus, & quia partus septimestres vitales sunt.* Quem locum è veteri codice bibliothecæ Regiæ descripsi. Prætermitto sciens Platonem, Aristotelem, & è Latinis M. Tullium 10. epist. ad Attic. 20. & alibi, Plinium, Aulum Gellium, Macrobium, Martianum Capellam, & Donatum in Hecyram act. 4. scen. 1. Apponam duntaxat Chalcidij lo-

cum è libro commentario in Timæum Platonis: *Septimani partus*, inquit, *ante cæteros legitimi sunt in generis humani fœtib.* Et Fauonij Eulogij in somn. Scipionis: *Hippocrates Cous Naturæ scrutator egregius hunc numerũ in libris, quos* περὶ ἑβδομάδων *appellat, ait creandis inesse corporibus: nam semen fusum, & fomite matris exceptum septimo die in sanguinem commutari, septimo mense perfici, ac plerumque nasci.* Iã præter Philosophos illustres, & non modicæ criticos auctoritatis, si Medicinæ parentẽ Hippocratem ad testimonium citemus, ab illo videri poterit hæc sententia profluxisse: eius enim hæc ferè verba sunt in 1. de victus ratione: ὡσαύτως καὶ γόνιμα γίνεται, τὰ μὲν, θᾶσσον ἑπτάμηνα τελείως· τὰ δὲ βραδύτερον, ἐννέα μησὶ τελείως εἰς φάος ἀναδείκνυται. id est, *Eodem modo vitales nascũtur, quidam citiùs, septimo mense perfectè; quidam tardiùs, nono mense perfectè in lucem prodeunt.* Et περὶ σαρκ. τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνον γινόμενον, λόγῳ γίγνεται καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας. id est, *Puer septimo mense natus certa ratione in lucem prodit, & vitalis est, cùm is rationem, & numerum exactè ad hebdomadas habeat respondentem.* Adde sis eundem 2. ἐπιδημ. sect. 9. Plutarchus dicto cap. 18. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης καὶ Ἱπποκράτης φασὶν, ἐὰν ἐκπληρωθῇ ἡ μήτρα ἐν τοῖς ἑπτὰ μησὶ, τότε προκύπτειν καὶ γεννᾶσθαι γόνιμα· ἐὰν δὲ προκύψῃ μὲν, μὴ τρέφηται δὲ (ἀσθενοῦντος τοῦ ὀμφαλοῦ, διὰ τὸ ἐπίπονον αὐτὴν γεννᾶσθαι τὸ κρίμα) τότε ἔμβρυον ἄτροφον εἶναι· ἐὰν δὲ, μείνῃ τοὺς ἐννέα μῆνας ἐν τῇ μήτρᾳ προκύψαν, τότε ὁλόκληρον ἐστι. id est, *Aristoteles verò & Hippocrates dicunt, si vterus impleatur septẽ mensibus, tunc fœtum se exerere, ac in lucem edi: quod si se exerens non alatur ob vmbilici langorem, laboriosè gestato fœtu, tunc eum non nutriri: si verò nouem menses in vtero maneat, tunc se promere, integrumq; nasci.* Qui quidem locus in morbo cubat apud Stobæum in Eclogis physicis, & Mercurio nescio cui tribuitur: poterit autem hic Mercurius Plutarchi beneficio pristinam sanitatem recuperare.

Sed nec ab ea sententia veteres abierunt Theologi. Tertullianus de Anima, cap. 19. *Sed & cum septimo mense natiuitas plena est, &c.* Petrus Chrysologus serm. 56. *Hinc est, quòd homo sæpè mẽsis decimi despiciens terminum septimo mense angustas primæ domus, & arctas vteri abijcit, & deserit mansiones, vt præliator nouus ante se tempus euicisse gaudeat, quàm dependat ipse suam temporibus seruitutem.* Arnob. 3. *Præpropero partu septimanas edere aliquando futuras.*

Denique Iuris Auctores eidẽ sententiæ, post magnas, vt videtur,

tur, varietates incubuêre: Paulus enim ait, septimo mense nasci perfectum partum iam receptũ esse, propter auctoritatẽ doctissimi viri Hippocratis, in l. septimo mense, 12. D. de stat. homin. vt omnis ea de re quæstio propter Hippocratẽ præcipuæ virum autoritatis hodie sit consopita. Itaque septimo mẽse natus matri prodest in senatúsconsulto Tertulliano, vt scribit idẽ Paulus receptarum sententiarũ lib. 4. tit. 9. In summa, gigni hominem septimo receptum est. Itaque tradunt μυθοποιοὶ Eurystheum Sthenelei filium septimestrem in lucem prodiisse. Apollodorus biblioth. lib. 2. Sed & Apollinem septimanum nationes crediderunt. ἑπταμηνιαῖος γὰρ ἐτέχθη ὁ Ἀπόλλων, id est, *Septimestris*, vt scribit vetus Scholiastes Callimachi, à quo dicitur ἑϐδομάκις hymno εἰς τὸν Δῆλον. Nisi fortean ἑβδομάκις ibi est, qui ἑβδομαγενὴς apud Plutarchũ Symposia. 8. & Proclum. 3. commentario in Timæum Platonis, id est, septimo mensis die natus. Porrò videamus, quibus tandem rationibus opinio hæc iam prò vero sit recepta. Paulus ait, *rationem Pythagoræi numeri hoc videri admittere*, dicto tit. 9. hoc est septenarij dignitatem, & plenitudinem: *etenim*, vt ait Chalcidius, *septenarius numerus laudatur à Pythagoræis vt optimus, & naturalissimus, & sufficientissimus, &c.* Censorinus de die natali: *Septimo*, inquit, *partum iam esse maturum, eo quòd in omnibus numeris septenarius plurimũ possit.* ἐστὶ γὰρ μυστικώτατος ἀριθμῶν, id est, *Hic enim numerus supra omnes mysticus est*, vt ait Gregorius Nazianzenus oratione 42. Nolo huc congerere quæ περὶ τῆς τοῦ ζ΄. τιμῆς idem Gregor. orat. 44. Basilius in Psalm. 114. Gregorius Nystenus, Philo Iudæus, Hierocles ad aurea Pythagoræ, Proclus in Timæum Platonis, cæteríque, quorum anteà memini, literarum monumentis tradidêre.

Astrologi putant Lunam septimo mensi præesse: *Puerperiis enim Iuno præposita est, & auxiliatur genetricibus fœtis.* Arnobius 3. aduersus Gentes, Plutarchus Symposia. 3. quæst. vlt. Macrobius Saturnalium 7. cap. 16. Artemidorus lib. 2. cap. 35. Veteris Homeri Scholiastæ rationes hic tantùm consignemus, quib. instituit septimani partus maturitatem comprobare ad Iliad. τ΄. πῶς τὰ ἑπταμηνιαῖα ζωογονοῦνται, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα οὔ; καὶ λέγομεν τρεῖς κινήσεις ἔχειν τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστρὶ· τὸν κατὰ δ΄. μῆνα, καθ' ὃν τὰς φυσικὰς ἐμφαίνει κινήσεις. καὶ ἔτι τὸν καθ' ἕβδομον, καθ' ὃν ἔχει κίνησιν τῆς εἰς φῶς προόδου, ἀλλ' ἡ μήτηρ ἀδυνατεῖ καὶ ἄωρός ἐστιν ἀποβαλεῖν· διὰ τοῦτο γίγνεται καὶ ἑτέρα κίνησις κατὰ τὸν θ΄, καθ' ὃν ἔχει πρὸς δυνάμεως καὶ ἡ μήτηρ ἀποβαλεῖν αὐτά· αἱ γὰρ κινήσεις

δύτάκτως εἰς δ', εἶθ' οὕτως εἰς τρεῖς, ὡς δυσθενέστεραι, εἶτα εἰς δύο μῆνας ὡς ἔτι δυσθενέστεραι. ἐξ ὧν ἀποτελεῖται τὸ ἐννεάμηνον, &c. id est, *Quomodo qui septimo mense nascuntur, vitales sunt, non etiam qui octauo? Respondemus embrium ter moueri in vtero matris: primò circa quartum mensem, cùm naturales ostendit motus, & rursus circa septimum, cùm motum habet prodeundi in lucẽ. Verùm mater eniti nõ potest, nec matura est ad partum edendũ: ideoq; fit tertius motus circa nonum mẽsem, quo tempore mater potest eniti. Eiusmodi autẽ motiones ordinatè fiũt quarto mense, deinde tertio, tanquam robustiores. Nono denique mense, quo tempore longè firmiores, validioresq; sunt, ex quibus conficitur nouem mensium spatium.* Cætera, quæ de numeris morosiùs fortè subiiciuntur, hinc petant harũ rerum indagatores.

Atque hæc sunt, quæ de septimo mense pleno dicẽda nobis videbantur, à quo digrederemur ad octauum, nisi superesset hæc inspectio, an & is maturus credendus sit, qui ad initia septimi mensis natus dicitur. Certè Iurisconsultus refert Hippocratem scripsisse, & D. Pium Pontificibus rescripsisse, eum, qui centesimo octogesimo secundo die natus est, iusto tempore videri natum, l.3. §. vlt. D. de suis, & legit. hæredib. Verum est scripsisse id Hippocratem περὶ ἑπταμήνου, verba eius hæc sunt: οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο, καὶ προστόντος μορίου. id est, *Septimestres autem nascuntur diebus centum & octoginta duobus, & insuper accedente diei particula.* Quanquam sunt qui addubitent, an legitimus ille Hippocratis partus sit, ídque, vt mihi videtur, iure, meritóque: solet namque Hippocrates Solarium magis, quàm Lunarium mẽsium rationem habere. Verba eius hæc sunt in libro περὶ σαρκῶν: ἔχει δὲ καὶ τὸ ἑπτάμηνον γενόμενον τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων. ἐς δὲ τὴν δεκάδα ἑκάστην ἑβδομήκοντα ἡμέραι. τρεῖς δεκάδες δὲ ἑβδομάδων αἱ σύμπασαι δέκα καὶ διηκόσιαι. id est, *At septimo mense editus partus tres hebdomadarum decurias obtinet, & ad vnamquamque decuriam dies concurrunt septuaginta. Tres itaq; hebdomadarum decuriæ in totum dies ducẽtos decem faciũt.* Septem igitur menses ducentis decem diebus constant, & conuenienter mensis triginta diebus, qui Græcanicus, & Solaris mensis est, vt etiam constat ex lib. 2. ἐπιδημ. sect. 3. Hæc igitur inconstantia nõ videtur in Hippocratem doctissimum virum posse cadere, quæ nec in homine mediocriter erudito ferenda esset. Secundò moueor, quòd Plutarchus d. cap. 18. hanc sententiam adscribit Polybo: quid enim erat cur Polybũ referret,

omisso

omisso coryphæo Medicorum Hippocrate, cuius ea de re iam liber exstaret, maximè post relatum ibidem super hac ipsa re diuini propè viri sententiam. Clemens etiam Alexandrinus Stromate 6. cap. 8. refert ex eodem Polybo, lib. περὶ ὀκταμ. (fortasse legendum περὶ ἑπταμήνου) sexto mense fœtum perfici, hoc est, centum octoginta duobus diebus, cuius verba mox ex Plutarcho referemus.

Denique septimum plenum vbiq; videtur Hippocrates desiderare, præterquam in eo libr. περὶ ἑπταμήνου, quem sequutus est Paulus Iurisconsultus dict. tit. 9. nec aliter (opinor) scripserat in d.l.12. sed Digestorum concinnatores propter d.l.3. leuiter illã interpolarunt: septimo namq; mense ibi natus intelligitur, qui intra septimum mensem natus est. Anonymus Græcus interpres ad d.l.12. lib. 46. Basilicωn, tit. 1. ἐὰν ἄλλως ἅψηται τοῦ ζ' μηνός. ὅθεν ὁ τῇ ρπβ. ἡμέρᾳ τικτόμενος, οὐ δοκεῖ ἐν δουλείᾳ συλληφθῆναι τῆς μητρὸς αὐτοῦ πρὸ ρπβ. ἐλευθερωθείσης. id est, *Licet attigerit tantũ septimum mensem. Vnde qui ducentesimo octogesimo secundo die natus est, non videtur in seruitute conceptus; cùm mater ipsius ante centesimum octogesimum secundum diem manumissa est.* ex d.l. 3. §. vlt.

At enim quid hîc faciemus Vlpiano, qui in d.l.3. authorem eius sententiæ facit Hippocratem? Ego didici plures eo nomine scriptores, & Medicos pariter extitisse. Quid autem prohibet, nisi Polybus est, alium ab Hippocrate Medicorum Principe, autorem esse libelli περὶ ἑπταμήνου? εἰ δὲ λέγει τις ἄλλως, κατὰ Βακχυλίδην, πλατεῖα κέλευθος. id est, *Si cui videtur aliter, lata est via, Plutarchus.* Agamus quod agimus. Immaturus non est, qui circa initia septimi mensis natus est, hoc est, centesimo octogesimo secundo die. Hippocrates ait, καὶ προσόντος μορίου. i. *Accedente diei particula.* Polybus, maturum nasci CXXCIIS. Huius enim verba sunt hæc: ἑκατὸν ὀγδοήκοντα δύο καὶ ἥμισυ ἡμέρας γίνεσθαι. εἰς τὰ γόνιμα· εἶναι γὰρ ἑξάμηνον, ὅτι καὶ τὸν ἥλιον ἀπὸ τροπῶν ἐν τοσούτῳ χρόνῳ παραγίνεσθαι. λέγεσθαι δὲ ἑπταμηνιαίους, ὅταν τὰς ἐλλειπούσας ἡμέρας τούτου τοῦ μηνὸς ἐν τῷ ἑπτὰ προσλαμβάνεσθαι. id est, *Vitalem prolem nasci diebus post conceptum cẽtem octoginta duobus: hoc enim esse sex mensium tempus, quando etiam Sol à tropico ad tropicum decurrat. Dici autem septimestres, cùm dies, qui supersunt, à septimo absumuntur.* Sex enim menses lunares constant centum septuaginta septem diebus. Supersunt igitur è centum octoginta duobus quinque dies, qui septimo deputantur. Hîc autem dierum numerus dimidiam anni partem efficit, τοῦ μέρους τοῦ

μέρει ποσῷ γινομένῳ, id est, *Vna cum aliquãtula parte ad diei partem accedente*, vt ait Hippocrates, siue is est Polybus, περὶ ἑπτ. Eodem res ferè recidit, si mensem pro triginta dieb. accipiemus, vt in l. vbi lex, 101. D. de diuers. regul. iur. ant. l. si venditor. 28. & l. quod si nolit 31. §. si quid ita 22. D. de ædilit. edict. & l. vlt. C. de iur. delib. l. 2. C. Theodos. de decurionib. Quanquam in l. vlt. C. de temporib. appellat. tres menses latiùs accipiuntur pro nonaginta tribus diebus. Si (inquam) mensem pro triginta diebus accipiemus, idem quoque dicetur: nam & hic centum octoginta duo dies septimũ mensem attingunt: sex enim menses centum octoginta dies efficiunt, qui supersunt duo, septimum inchoant. Quam putandi rationem sequutus est Accursius ad d. l. 3. *Secundo die*, inquit, *id est, sexto mense, & duobus diebus tractis de septimo.* (meliùs quàm ad l. septimo mense: nisi ibi mẽdum subest, & diem vnum pro duobus librarius ineptus adscripserit) & Græci Iuris interpretes, quorum verba subiiciam è Regis Christianissimi codice manu exarato: ὡς τοῦ ζ'. μηνὸς ἐπιλαβόμενος· ἐπεὶ γὰρ ὁ ἐν τῷ ιβ'. διγ. τοῦ ε': τιτ. τοῦ α'. β. φησὶ, ὅτι ὁ ἐν τῷ ζ'. μηνὶ τικτόμενος νόμιμος υἱός ἐστι. ἀλλ' ἐνδέχεται τὰς ρπβ'. ἡμέρας μὴ ἅψασθαι τοῦ ζ'. μηνὸς, μήτε τὸν ς'. πληροῦται. ἀπὸ γὰρ τῆς α'. τοῦ μαρτίου ἕως πληρώσεως τοῦ αὐγούστου ρπδ'. εἰσὶν. ἀλλὰ λεγόμενον ὅτι κατὰ Ἱπποκράτη, ᾧτινι ὁ παρὼν νόμος ἠκολούθη λ'. ἡμερῶν πεπληρωμένων ἐστὶ μὴν τῆς σελήνης. id est, *Vtpotè quod qui natus est, attigerit septimum mensem: nam in l. xij. tit. v. lib. j. Is, qui septimo mense natus est, iustus filius est. Atqui interdum contingit, vt centum octoginta duo dies non attingant septimum mensem, sed neque sextum mensẽ impleant. Verbi gratia à Calẽdis Martiis vsque ad finem Augusti dies sunt centum octuaginta quatuor. Sed secundùm Hippocratem, cuius auctoritate hîc vtitur Iurisconsultus singulis mensibus triginta duntaxat dies tribuuntur.* Porrò septimus mensis incœptus habetur pro completo, vt de vndecimo quoque scribit Hippocrates, vt posteà dicetur: id est septimestris esse creditur etiam qui septimum duntaxat attigit, quòd aliàs quoque prudẽtes admittunt.

Verùm licet immaturus esse non dicatur septimestris, vel qui 82. die natus est, Hippocrates tamen in d. libro περὶ ἑπταμήνου, putat septimestres ferè non esse vitales his omninò verbis: ἐστὶ δὲ ἀ τούτων τῶν ἑπταμήνων, καὶ περιγίνονται ἐκ πολλῶν ὀλίγα. id est, *Ex his qui septimo mense nati sunt, pauci è multis incolumes euadunt.* Huc facit quod idem scribit lib. 4. γυναικ. ἐξέβαλε θῆλυ ἑβδόμῳ μηνὶ. id est, *Puellam effudit septimo mense,*

mo mense. nam quod ἐκβάλλειν græci, effundere vel eiicere Latini dicunt. Pomponius IC. in l. Quintus 39. ff. ad le. Aquil. *Quod prægnas erat eiecit.* D. Augustinus de Ciuit. Dei 22. c. 12. *Abortiui fœtus non nati sed effusi.* Iuuenal. Satyr. 2. vers. 32.

Cùm tot abortiuis fœcundam Iulia vuluam
Solueret, & patruo similes effunderet offas.

Quintilianus Declamatione 6. *Si adeò non genuit filium, sed effudit.* Quanquam & fundi, vel effundi dicitur partus, qui circũactis mensibus nouem nascitur. Sic loquitur Paulus Iureconsultus recept. sent. libr. 4. titul. 9. §. 2. Aristoteles hist. de animalib. lib. 7. c. 5. καὶ τὸ μὲν ἐξέβαλον, τὸ δὲ ἔτεκον. *Alterum effudere, alterum peperere.* Partus quoque tunc dicitur, ἐκπεσεῖν. *Cadere.* Aristoteles ibid.

Partus inquam, septimestres ferè vitales non sunt, aut certè imbecilles sunt. Aristoteles dicto capite 4. τὰ δ' ἑπτάμηνα, γόνιμα γίνεται πρῶτον, ἀσθενῆ δὲ τὰ πολλὰ. *Septimus maturè oriundi principium est. Verùm plerique sunt imbecilles.* Immò qui mense septimo eduntur, immaturi quodammodo videntur. Lucianus in dialogo Neptuni, & Mercurij: ἐμὲ δὲ κελεύει ἀνατεμόντα τὴν γαστέρα τῆς γυναικὸς, ἀνακομίσαι ἀτελὲς ἔτι αὐτῷ τὸ ἔμβρυον ἑπταμηνιαῖον. id est, *Me autem iubet, vt incisa illius aluo, fœtum illum imperfectum, & septimestrẽ sibi afferam.* Quia sæpe nono, sæpenumerò decimo mense, gignitur homo, vt ait Gellius, vel vt ait Aristoteles dicto cap. 4. δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. Homerus ita videtur accipiendus Iliade τ'.

ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱὸν, ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μείς,
ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόως δὲ καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα. id est,

Hæc autem gestabat vtero charum filium, hicque septimus erat mensis, eduxítque in lucem, licet partus immaturus esset.

Quorum versuum immemor Aristo Spartæ Rex Demaratum non agnouit, quem intra septimum mensem vxor ediderat: οὐκ ἔφη τῶν μηνῶν εἶναι καὶ αὐτοῦ τὸν παῖδα, *Dixit eum non esse mensium, & suum.* vt scribit Pausanias in Laconicis.

A septimo transeamus ad octauum, quem inter genitales menses quidam referunt. Plutarchus dict. cap. 18. Πόλυβος, Διοκλῆς, οἱ Ἐμπειρικοὶ καὶ τὸν ὄγδοον μῆνα ἴσασι γόνιμον, ἀτονώτερον δέπως, τοὺς πολλάκις διὰ τὴν ἀτονίαν πολλοὺς φθείρεσθαι καθολικώτατον δὲ, μηδένα βούλεσθαι τὰ ὀκτάμηνα τρέφειν, γεγενῆσθαι δὲ πολλοὺς ὀκταμηνιαίους ἄνδρας. id est, *Polybus, Diocles Empirici etiã octauum mẽsem aptum partui agnoscunt, sed fœtũ esse tũ imbecillum, ideoque multos perire, ac tametsi ferè in vniuersũ nemo*

octauo mense natam prolem alendam censet, tamẽ sic natos multos in viros euasisse. Aul. Gellius 3. cap. 16. *Sed noster Cæcilius cùm faceret eodem nomine, & eiusdem argumẽti comœdiam, ac pleraque à Menandro sumeret, in mensibus tum genitalibus nominandis, non prætermisit octauum, quem præterierat Menander, Cæcilij versus hice sunt.*

Insolétne mulier decimo mense parere?
Pol nono, etiam septimo, atque octauo.

In duobus manuscriptis codicibus sic habetur:

Pol nonóque.

In tertio verò:

Pol nono quoque, & septimo, atque octauo

Scitu dignum est, quod de Vincentio Pinello altæ eruditionis viro, scribit Paulus Gualdus vir longè doctissimus in eius vita, sororis cum Corneliæ geminum fuisse, & octimestrem creditum. Hippocrates autem immaturum esse partum scribit περὶ σαρκῶν: ὀκτάμηνον δὲ γινόμενον οὐδὲν βιοῖ πώποτε. id est, *Octimestris partus nunquam vitalis est.* Idem quoque scribit in περὶ ὀκταμήνου, & ἐπιδημ. lib. 2. sect. 9 & περὶ τροφῆς apud Aulum Gellium dict. cap. 16. & Auctor τῶν ὅρων ἰατρικῶν. Philo Iudæus περὶ κοσμοποι. & in Allegoriis. Atque antiquos Romanos Varro dicit non recepisse huiuscemodi quasi monstruosas raritates, ibidem referente Gellio. Denique scribit Asclepiades, in Naxo tantùm mulieres octàuo mense parere ex Iunonis beneficio, vel quòd Bacchus eo mense natus sit. Stephanus de vrbibus in Νάξος.: Ἀσκληπιάδης ἱστορεῖ τὰς Ναξίνας γυναῖκας μόνας ὀκτάμηνα τίκτειν, ἢ διὰ τὸ τὴν Ἥραν φίλην γενομένην τῷ Διονύσῳ ταῖς Ναξίαις τοῦτο δῶρον παρασχεῖν, ἢ ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ Διόνυσος οὕτως ἐτέχθη. id est, *Asclepiades narrat mulieres tãtùm in Naxo octauo mense parere, vel propter beneuolentiam Iunonis erga Bacchum: vel quia Bacchus ita natus sit.* Vide tamen quæ de Baccho dicuntur infrà, vbi de partu decimestri. Aristoteles quoque d. cap. 4. & Plinius Secundus libro 7. capit. 5. tradunt octimestres in Ægypto viuere. ἀλλὰ καὶ διαφθειρομένων αἱ τίκτουσαι κινδυνεύουσι, id est, *Sed & illorum percuntium parentes in discrimine sunt.* vt ipse Aristoteles ait. Neque rectè quis dicet annum Ægyptiacum lunarem fuisse, vt quidam existimant, qui ante nos hanc quæstionem pertractarunt. Theon in Aratum: ἐμέτρουν Αἰγύπτιοι τοὺς μῆνας πρὸς τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον. id est, *AEgyptij menses constituebant iuxta Solis cursum.*

Sed iam ab intempestiuo partu ad tempestiuum progrediamur, hoc est, ad eum, qui nono mense gignitur, quem

quem inter omnes constat vitalem esse: sicut nono mense, vel decimo partionem mulieris maximè secundum naturam fieri conuenit. Hippocrates de victus ratione: τὰ δὲ βραδύτερον, ἐννέα μησὶ τελείως εἰς φάος ἀναδείκνυται. id est, *Quidam tardiùs, nono mense perfecte in lucem prodeunt.* Denique idem tradit περὶ φύσιος παιδ. & ἐπιδημ. 2. sect. 9. Aulus Gellius dicto cap. 16. Atque nono mense IESVS CHRISTVS generis humani redemptor fertur editus. Diuus Chrysostomus homilia in IESV Christi diem natalem: ἓξ μῆνας ἐν γαστρὶ ἐχούσης, τῆς Ελιζάβεθ τ Ιωάννην, ἡ Μαρία ἤρξατο συλλαμβάνειν. ἂν τοίνυν μάθωμεν, ποῖος ἐκεῖνος ὁ μὴν ὁ ἕκτος ἦν, εἰσόμεθα καὶ πότε ἤρξατο συλλαμβάνειν ἡ Μαρία· εἶτα μαθόντες πότε ἤρξατο συλλαμβάνειν, εἰσόμεθα καὶ πότε ἔτεκεν, ἐννέα μῆνας ἀριθμήσαντες ἐκ τῆς συλλήψεως. id est, *Quum menses iam sex Elisabeth Ioannem in vtero gestaret, tum Maria concipere cœpit. Itaque si discamus quisnam sextus ille mensis fuerit, certò etiam sciemus, quando cœperit Maria concipere: deinde quum cognouerimus quodnam conceptus sui principium habuerit, vtique quādo peperit cognoscemus, nouem mēses à cōceptione numerantes.* Nono quoque mense natum Ioannem significatur Lucæ c. 1. vers. 26. 56. & 57. Cur verò qui nono mense natus vitalis est? an propter numeri dignitatem? πᾶσι γὰρ διὰ σόματος ἐςὶ, καὶ πᾶσιν ὑμνούμενος ὁ τ ἐννεάδος ἀριθμός. id est, *In orē enim omnes habent nouenarium numerum, & nemo non eum prædicat.* Plutarchus Sympos. 9. An quia, vt volunt Astrologi, nono mensi præest Iupiter, quem Ζῆνα appellarunt: διὰ τὸ σώζουσα καὶ αἰτία οὖσα τοῖς ζῶσι τοῦ ζῆν, id est, *Quia seruet, ac vitæ causa sit animantibus*, vt ait Phurnutus περὶ τ τῶν θεῶν φύσεως, id est, *De natura Deorum*, c. 2.

Decimum quoque mensem genitalem esse placet. Moschus Eidyllio 2.

ἐπεὶ δέκα μῆνας ἔκαμνον. *Quoniam decem mensium laborem tuli.*

Plutarchus d. c. 18. τὰ δεκάμηνα γόνιμα. i. *Decimo mense editi fœtus vitales sunt.* Hipp. περὶ ὀκταμήνου· τὰ δεκάμηνα καλεόμενα λέγω ἐν ἑπτὰ τεσσαράκονθ' ἡμέρας μᾶλλον τίκτεσθαι καὶ μάλιστα προσήκει ἐκτρέφεσθαι. i. *Decimestres nūcupatos septem dierum quadragenariis potissimum in lucem edi, sentio maximeq́ vt educētur cōuenire.* Addesis eundem, ἐπιδημ. 2. sect. 9. Philo Iud. αἱ κύουσαι μὲν βαρυτάτοις ἄχθεσι δέκα που μῆνας βιάζονται. id est, *Quæ grauidæ valdè onerantur per menses fermè decem.* Itaque Poëtæ fingunt Iouem decem continuos menses, Bacchum femori suo insutū gestasse. Lucianus dialog. Neptuni & Mercurij. Aristides in

Bacchum oratione. Huc facit quæ de Stratonico citharœdo ac vetula quadam & Satyro scribit Athenæus δειπνοσοφ. octauo. Varro mysteriis apud Nonium Marcellum: *Nascimur enim spissius, quàm emorimur: vix duo homines decem mensibus edolatum vnum reddunt puerũ: contrà vna pestilentia, hostica acies puncto tẽporis immanis aceruos facit.* Terentius Adelph. act. 3. sect. 4.

Virgo ex eo
Compressu grauida facta est,
mensis hic decimus est.

Virgilius Egloga 4.

Matri longa decem tulerunt
fastidia menses.

Huc respicit Volusianus in epistola ad D. Augustinum: *Mirum,* inquit, *vtrùm mundi dominus & rector, intemerata fœminæ corpus impleuerit, pertulerit decem mẽsium longa illa fastidia.* Seruius ad illum Virg. locum. *Mares in decimo nascuntur mense, fœmina verò in nono.* Suetonius in Augusto, c. 94. Arnobius 5. aduers. G. *Hanc petra concepit & mugitibus editis multis priùs mense nascitur decimo, materno ab nomine cognominatus Acdestis.*

Anianus interpres Chrysostomi homilia 48. *Mulier prægnans semper de decimo mense cogitat.* Vide Petri Chrysologi quẽ suprà adduximus locum in visione de mense septimo. Alexandrum Aphrodisæum problemate quadrag. Bellè autem quæritur an decem menses incœpti, an verò consummati accipiendi sint. Et Gellius quidem è Cistellaria Plauti actu 1. sect. 3. profert hos versus:

illa quam compresserat
Decimo post mense exacto hic
peperit filiam.

At idem Gell. lib. 3. c. 10. scribit, eos qui iustissimè nati sunt post ducentos octuaginta dies postquàm sunt concepti, siue quadragesima hebdomade nasci. Ei adstipulatur Hippocrates loco proximè cit. Nouem enim mẽses, & decem dies ducentos octoginta dies efficiunt. Et libr. περὶ σαρκ. ἐννέα δὲ μηνῶν, καὶ δέκα ἡμερέων χρόνος γίγνεται, καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα εἰς τὰς ἑβδομάδας. id est, *Nouem autem mensium & decem dierum fœtus editur, & vitalis est, numerumq; ad hebdomadas exactè respondentem habet.* vtique autem decem menses exacti dies trecentos reddunt. Tertullianus quoque videtur id significare de Anima c. 19. *Legitima,* inquit, *natiuitas fermè decimi mensis ingressus est.* Item illud Sapientiæ cap. 7. εἰμὶ μὲν κἀγὼ θνητὸς ἄνθρωπος, ἴσος ἅπασιν, καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου, ἐν κοιλίᾳ μητρὸς δεκαμηνιαίῳ παγὶς ἐν αἵματι ἐκ σπέρματος ἀνδρός. *Sunt quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempo-*

tempore coagulatus sum in sanguine: sic interpretatur D. August. apud Petr. Damianum lib. 2. epistolar. vlt. *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in triduo illud reædificas? qui videlicet numerus, si per senarium ducitur, omne tempus, quo dominus in matris vtero mãsit, impletur: nam quadraginta sexies seni, ducenti septuaginta sex dies: qui dierum numerus complet nouem menses, & sex dies, qui videlicet tanquam decem mẽses parientib. fœminis imputãtur: in quibus nimirum verbis indubitanter ostenditur, quòd triginta solummodò dies quibusq; mensib. adscribuntur. Triginta quippe si nouies multiplicentur ducẽti septuaginta simul, In ducentis ergo septuaginta*, ait Damianus, *tricenarius numerus inuenitur, qui iuxta Beati Doctoris huius testimonium nouem menses fiũt, quinq; verò dies, qui residui sunt, pro decimo mense accipiũtur*. Atque ita Catholicus Armenius in legatione Manuelis Comneni: ἐσκήνωσεν ἐν τῇ γαστρὶ τῆς παρθένου, &c. *Habitauit in vtero Virginis nouem mẽsium, & quinq; dierum spatio*. Dixit ergo Theorianus. *Vnde quæso id habet, quòd nouem mensib. & quinque diebus habitauerit in castiss. Virginis vtero?* Catholicus. *Accepimus à Doctorib. nostris, primigenia quinque diebus in matrũ suarum aluo diutiùs existere, quàm fœtus nõ primogenitos. Atque huic opinioni fidẽ cõciliauit ex illo sapiẽte Salomone de seipso dicente: Decem mensium spatio defixus in corpore fui. Quibus verbis hoc indicare vult, quòd nõ modò nouem mẽsib. in vtero matris suæ fuerit, sed etiam decimi partem aliquam ceperit. Noster igitur Emmanuel tanquam fœtus primigenius par temporis spatium in vtero matris exegit*. Theorianus tamen ibidem: *Solomo*, inquit, *Hebræorum more tempora metiẽs, decem mẽsium spatio se in corpore defixum fuisse dicit: quippe mẽses Hebræorum minores sunt nostris mẽsib. nã secũdùm Lunam mẽses suos dimetiũtur, adeoq; Lunæ principiũ mẽsis principium faciũt, ac vicissim Lunæ finem, mẽsis sui finem. Nunquam verò Luna dies triginta vel 31. instar nostrorum mensium habet. Itaque iuxta numerũ Hebræorum mẽsium Solomo dixit: decem mẽsium spatio defixus in corpore*. Veterum tamen Hebræorũ mensis tricenarius fuit vt Græcorum, non vt hodie Lunaris & synodicus. Nicephor. Gregoras lib. 8. ἀπὸ γὰρ συνόδου πρὸς σύνοδον τῶν δύο φωστήρων τὰς τῶν μηνῶν ἀριθμοῦντες περιόδους, &c. id est, *Nam à congressu ad congressum duorum luminum mẽsium circuitus Iudæi numerant*. Verùm decimo quoque mẽse exacto, partum edi posse dubitari non debet, siquidem in vndecimo quoque gigni hominẽ posse decreuisse fertur Adrianus authore

Gellio d. c.16. An ergo id quoque tribuendum erit occultæ rationi numeri decumani? quē Pythagorici appellant primam quadraturam, *propterea quòd ex primis quatuor numeris conſtat, vno, duobus, tribus, quatuor*, vt ait Chalcidius. Tertullianus d. c.19. *Qui numeros ratiocinantur, & decurialem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt: denique perfectorem natiuitatis humanæ.*

Supereſt vt de eo qui vndecimo menſe natus eſt, breuiter agamus. Scribit Gell. *fœminam bonis atque honeſtis moribus, non ambiguâ pudicitiâ in vndecimo mēſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumq́ eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea cōcepiſſet: quoniam Decemuiri in decem menſib. gigni hominē non in vndecimo ſcripſiſſent.* quò etiam pertinet Galli Aquilij formula in l. Gallus 29. D. de lib. & poſthum. & l. vlt. C. de poſthum. hæred. inſtit. l. vlti. D. de fideicomm. liber. Scribit etiam Plutarchus in Alcibiade regem Agidem agnoſcere Leotychidem noluiſſe, quòd poſt decimum menſem à viri concubitu editus eſſet, quod etiam tāgit in Lyſandro & Ageſilao. Idē quoque ſcribit Xenophon ἑλληνικῶν lib. tertio. Et ſi quæ vltra decem menſes vterum geſtare ſibi viſæ ſunt, falluntur, vt ſcribit Hippocrates, περὶ φύσιος παιδίου. Diogenes Laërtius in Pythagor. ἐν ἑπτὰ, ἢ ἐννέα ἢ δέκα τὸ πλεῖστον μησὶ τελεωθὲν, ἀποκυΐσκεσθαι τὸ βρέφος. id eſt, *Intra ſeptem aut nouem aut decem vt plurimum mēſes perfectum infantem naſci.* Ariſtoteles d. cap. 4. δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. id eſt, *Fœmina parit plurimum mēſe decimo.* Denique luctui peragendo decē olim menſes præſtituti erant auctore Plutarcho in Numa, Coriolano & Antonio, Ouidio primo & 3. Faſtorum, quòd hoc eſſet legitimum pariendi tempus, ideóque poſt decem menſes mortis natus non admittitur ad legitimā hæreditatem d. l. 3. §. vlt. Quid ergo eſt, vltra decimum menſem fœtura mulierum protolli non poteſt? Atqui Gellius locū profert è Marci Varronis Satyra, quæ inſcribitur, Teſtamentū, ex quo docet in vndecimo quoque hominem gigni. Sed & Suillium Rufum vndecimeſtrem fuiſſe tradit Plinius Secundus lib. 7. cap. 5. Placet igitur Iuſtiniano noſtro natum vndecimo pleno à morte mariti, aut vt ipſe loquitur: κατὰ τὸν ἐνδέκατον μῆνα περαιούμενον, &, πρὸς τῷ πέρατι τοῦ ἔτους, illegitimum eſſe. Nouella 39. cap. vlt. Et iuſtus igitur partus eſt, ſi edatur ſub initium mēſis vndecimi, non ſub finem, cōuenienter, vt videtur Philoſophi ſententiæ, qui d. c. 4. ſic ſcribit: ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι, καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός. id eſt, *Quidam etiam*

etiam insuper ex vndecimo etiam aliquid capiunt. Deniquenon aliter videtur Hippocrates sentire in περὶ ἑπταμήνου· κατ᾽ ἐμὲ, inquit, καὶ τὸ μέρος ἐν τοῖς ἕνδεκα μησὶ, μηνός ἐστιν id est, *Mea sententia pars in vndecim mẽsibus mẽsis est*, vtputa si trecentesimo secundo die natus sit, vt tradit Accursius noster ad dictam Nouellam 39. Atque ita mensem putabat Hippoc. vt antea dictum est: vel si mauis synodicum mensem sequi cũ Polybo & Galeno, si ducentesimo nonagesimo septimo die editus sit: & ita fortassean erit accipiẽdum D. Adriani decretum, cuius meminit Gell. d. c. 16. Et mulieres igitur, quæ post 11. mẽsem pepetisse putant, falluntur, vt scribit Arist. d. c. 4. in fi. Cęsarius dial. 3. δι᾽ ἑπτὰ μηνῶν γυνὴ πολλάκις, ὡς ἐπιπολὺ θ´ ἢ ι´. περιτλαβοῦσα καὶ ἐκ τοῦ ιά, μόλις ποτέ. i. *Mulier fœtum gestat ad mẽses septem aliquãdo: plerumque ad nonum, sæpenumerò ad decimum postquam concepit, vix autem post vndecimum.* Grammatici tamen tradũt Gracchum *à gerendo dictũ, quòd mater eius duodecim mensib. vtero eum gestauerit.* Sosipater Charisius Institut. Grammaticarũ li. 1. Terentius Scaurus de Orthogr. Sed & quædã mulier tredecim mẽses vterũ gessisse fertur, vt ex Plinio refert Gell. d. ca. 16. quanquam Cuiacius putat Plinij locum esse corruptissimũ, & ex libris veterib. ita legit: *Cùm mulier partum se decem mensibus diceret tulisse.* Equidem Auatici Biturigum Plinium vidi, in quo variæ lectiones è Cuiacij codice, vt dicebat vir doctus, ad orã erant adscriptæ, & locus Plinij supradictus ad eam faciem emẽdatus. Verùm manuscripti tres Gellij Cod. vulgatam retinẽt, & ita Gellium apud Plinium legisse non ambigitur, & fortassean, sedecim: vnde factum, se decem. Sed profectò sicut ait Tullius, *quod rarò fit, portentum putãdum est*: nisi fortè præstat Philosophiæ parentem sequi existimantem, mulieres ignorare conceptus initium, cum post statum pariendi tempus fœtus editur: sic enim scribit d. c. 4. αὐτὸν τρόπον δοκεῖ λανθάνειν, καὶ ὅσα φαίνεται τίκτεσθαι πολὺ χρονιώτερα τῶν ἕνδεκα μηνῶν· καὶ γὰρ τούτων ἡ τῆς συλλήψεως ἀρχὴ λανθάνει τὰς γυναῖκας, &c. id est, *Eodem modo latuisse quoq; eorum cõceptio videtur, qui post vndecimum mensem editi sunt: illorum enim conceptus initium ignorant mulieres.* Quod fortassẽ verius est. Hippocrates tamen scribit, mulieribus de partu fidem habendam esse, quę asserunt partum septimo mense, octauo, nono, decimo, & vndecimo in lucem prodire d. libr. περὶ ἑπταμήνου.

Quod de partu duodecimestri ex Timæo scribit auctor hist. philosoph. vereor vt verum sit, propter id quod ex eodem

Timæo refert Plutarchus d.cap. 18. putabat enim partum ne decimo quidem menſe gigni. Plutarchus ait : οὐ δεκαμήνους φησίν. ἐννέα δὲ νομίζεσθαι παρὰ τὰς ἐπισχέσεις τῶν μηνιαίων τῆς πρώτης συλλήψεως. οὕτω καὶ τὰ ἑπτάμηνα νομίζεσθαι οὐκ ὄντα ἑπτάμηνα. ἔγνωτε γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύλληψιν πόσαι καθάρσεως. id eſt , *Non decem, inquit menſes ſed nouem cenſeri ab inhibitione menſtruorum poſtquam conceptus eſt fœtus. Sic etiam ſeptim. cenſeri, qui non ſunt, cùm aliquando mulier poſt conceptum menſtruis purgetur.* Quî ergo Timæus duodecimeſtrem agnoſcet , qui ne decimeſtrem quidem admittit? εἴ τίς με ἐλέγξαι , καὶ παραστῆσαί μοι ὅτι οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνω, ἢ πράσσω δύναται , χαίρων μεταθήσομαι. ζητῶ γὰρ τὴν ἀλήθειαν , ὑφ' ἧς οὐδεὶς πώποτε ἐβλάβη. βλάπτεται δὲ ὁ ἐπιμένων ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀπάτης , καὶ ἀγνοίας. id eſt, *Si quis me redarguere poteſt, & demonſtrare quod nõ rectè ſentiam aut agam, lubens ſententiam mutabo: veritatem enim quæro, quæ nemini vnquam damno fuit: damnum autẽ facit qui in errore & ignoratione ſua permanet. Marc. Antoninus libro 6.*

CAROLI

CAROLI ANNIBALIS

FABROTI

Antecessoris Aqui-Sextiensis,

de

NVMERO PVERPERII.

EXERCITATIO SECVNDA.

(d)

DE NVMERO PVERPERII

EXERCITATIO SECVNDA.

SI QVIS decesserit relictâ vxore prægnante, quæri solet, quæ pars interim hæreditatis assignari debeat filio, qui in rebus humanis est in *l. 3. ff. si pars hæredit. pet.* Quid dicemus? an semis hæreditatis, quasi vxor vnum paritura sit? atqui duo pariter nasci possunt, imò tres, imò quatuor, imò quinque. Scribit enim Aristoteles περὶ θαυμασ ἀκουσματ. & ex eo Stephanus περὶ πόλεων, in terra Vmbria, τὰς γυναῖκας εἶναι πολυγόνους· ἅπαξ γὰρ ἐν τίκτουσι, τὰς δὲ πλείστας, δύο, ἢ τρία. id est, *Mulieres esse fecundas: rarò enim vnum pariunt, plures autem duos vel tres.* Idem Aristoteles histor. de Animalibus lib. 7. c. 5. πολλάκις δὲ καὶ πολλαχοῦ δίδυμα, οἷον περὶ Αἴγυπτον. τίκτουσι δὲ καὶ τρία, καὶ τέτταρα, περὶ ἐνίους μὲν καὶ σφόδρα τόπους ὥσπερ εἴρηται πρότερον. id est, *Multa & multis locis gemellos pariunt, vt toto ambitu terræ Aegypti, quin etiam ternos, quaternosq́, quibusdam locis non paucis, vt supra dictum est*, Strabo li. 15. τάς τε γυναῖκας ἔσθ' ὅτε καὶ τετράδυμα τίκτειν τὰς Αἰγυπτίας. id est, *Aegyptiæ quoque mulieres interdum quater geminos pariunt.* Solinus c. 3. *Fausta quædam ex plebe partu vno edidit quater geminos, mares duos, fœminasq́ totidem*, ex Plinij lib. 7. c. 3. Paulus Iureconsultus in d. l. 3. *Nam traditum est, quatuor pariter puellas à matrefamilias natas esse. alioquin tradidêre nō leues auctores quinquies quaternos enixam Peloponesi.* Vide an legendum sit, *quinos quater enixam*, auctore Plinio d. c. 3. *Reperitur*, inquit, *in Peloponneso quinos quater enixa, maioremque partem ex omni eius vixisse partu.* Nisi fortè malis ex Pauli scripturâ Pliniū emendare. Similiter tamen Antigonus Carystius Historiarum mirabilium c. 119: mulierē quandā quater quinos edidisse refert his verbis: καὶ μνημο-

νοῦεσθαι ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, id est, *Traditumq; mulierem quandam Alexandrinam quatuor partubus viginti enixam.* sic malè hiatum suppleuit eximiæ vir eruditionis Ioannes Meursius, μίαν ἐν τέτταρσιν τόκοις, εἴκοσι τετοκυῖαν. Phlegon Trallianus rerum mirabilium cap. 28. Καὶ Ἀντίγονος δὲ ἱστορεῖ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μίαν γυναῖκα ἐν τέτταρσι τοκετοῖς εἴκοσι τεκεῖν, καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκτραφῆναι, id est, *Antigonus narrat Alexandriæ mulierem quandam quatuor partubus viginti fœtus edidisse, plerosque autem sublatos atque educatos*, & Aristoteles histor. de animalib. lib. 7. c. 4. μία δέ τις ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσιν; id est, *Mulier quadam quater quinos edidit.* Tertullianus de anima c. 2. *Inuenitur etiam in iure ciuili Græca quædam quinionem enixa.* Paulus Ægineta lib. 3. c. 76. διὰ τὸ πλείονα τυγχάνειν ἔμβρυα. πέντε γὰρ ἱστόρησεν Ἡρόφιλος. id est, *Quòd plures sint fœtus: quinque enim visos prodidit Herophilus.*

Subiicit Paulus in d. l. 3. Lælium scribere, *se vidisse in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta est, vt Hadriano ostenderetur cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa*, inquit, *dicebatur quintum post diem quadragesimum.* Idem ferè scribit Phlegon Mirabili 29. his verbis: καὶ ἑτέρα γυνὴ κατὰ τὴν αὐτὴν πόλιν πέντε ἐν ἑνὶ τοκετῷ ἀπεκύησεν παῖδας, τρεῖς μὲν ἄρρενας, δύο δὲ θηλείας, οὓς αὐτοκράτωρ Τραιανὸς ἐκέλευσεν ἐκ τῶν ἰδίων χρημάτων τρέφεσθαι. id est, *Eadémque in vrbe alia mulier quinque infantes vnà peperit, tres masculos, duas fœminas, quos suis sumptibus ali iussit Traianus Imperator.* Capitolinus in Antonino Pio: *Natus est & biceps puer, & vno partu mulieris quinque pueri editi sunt.* Vide an errore labatur Capitolinus, qui ad Antoninum Pium mulierem perductam scribit. Item an scripserit Phlegon, Ἀδριανὸς, ἀντὶ τοῦ, Τραιανὸς, id est, *Adrianus pro Traianus.* quorum nominum mutatio in facili est. Neque solus Lælius id vidit: nam idem quoque Gaius IC. testatur, *in l. vtrum, D. de reb. dub. Nostrâ*, inquit, *ætate Serapias Alexandrina mulier ad Diuum Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos vno fœtu enixa est.* Iulianus autem ait, *hoc & in Aegypto affirmatum esse sibi, in l. si pater 36. ff. de solut. & liberat.* Quin imò referente Plinio capite 3. & Solino dict. capite 3. Trogus auctor est, *in Aegypto septenos vno vtero simul gigni*, quem videtur intelligere Paulus in d. l. 3. cùm ait, *non leues auctores, tradidisse, multas Aegypti vno vtero septem enixas*, vbi fœtifer potu Nilus, vt ait Plin. dicto capite 3. & appel-

lat non leuem auctorem vt Proculus Iurisconsulus, non leuis iuris anctor dicitur in *l. diui* 17. *ff. de iur. patron.* Sed & Aristoteles scribit, καὶ ἑπτὰ δίδυμά τινα τετοκέναι, id est, *Quandem septem geminos peperisse.* vt refert Strabo d. libr. 15. Casaubonus tamen τὸ ἄλφα τῶν κριτικῶν, id est, *Criticorum princeps*, putabat apud Strabonem esse γραφικὸν ἁμάρτημα, ideóque legendum, πεντάδυμα, id est, *Quinque.* Certè Gellius ita suadere videtur Noct. Attic. 10. cap. 2. & Iulianus IC. in d. l. 36. Antigonus d. c. 119. γυναῖκα τίκτειν πλεῖστα πέντε. id est, *Mulierem non vltrà quinque vno fœtu edere.* imò Aristoteles ipse d. cap. 5. ait, πλεῖστα τίκτεσθαι πέντε τὸν ἀριθμόν, id est, *eum esse finem multiiugæ hominum partionis*, vt loquitur Gellius d. c. 2. apud quem relatum quoque est, D. Augusto imperante ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurente peperisse quinque pueros: déque eodem numero puerperij grauissimus auctor Plutarchus περὶ τῶν ἐκλελειπότων χρηστηρίων. Sed & idem in Quæstionibus Romanis ait, in nuptiis de more quinque faces accendi, quoniam mulier vt maximè quinque parit: *quia vulua mulierum totidem receptacula habere possunt*, vt ait Iulianus in d. l. 36. quod quidem pace diligentiæ eius dixerim, verum non est, vt sciunt medicorum filij: sicut falsum quoque est, quod quidam putant, mammarum numerum eundem esse cum numero fœtuum. Verum ne quicquam in supradicto Strabonis loco immutem facit Eustathius, qui in Dionysij περιήγησιν, idem vt liquidò constat, ex Strabone refert. διὸ καὶ τὰς γυναῖκας ἔσθ' ὅτε τετράδυμα τίκτειν, ἤδη δὲ κατὰ τὴν Ἀριστοτέλους ἱστορίαν, ἑπτάδυμα. id est, *Ideoq́ mulieres interdum quater geminos parere, imò vt refert quoque Aristoteles, septem geminos.* Apud Strabonem igitur τὴν γραφὴν οὐκ ἀνάγκη κινεῖν, id est, *Scripturam mutare non est necesse*, vt verbis eiusdem Strabonis vtar. Quinimò refert idem Eustathius ad Iliad. ν. γυναῖκα ἐπιφανοῦς ἀνδρὸς εἰς ἐννέα ἀποβολύσασαν βρέφη καθ' ἕνα τοκετόν. id est, *Viri cuiusdam illustris vxorem vno partu nouem enixam.* Celebrantur quoque apud nos Procelleti, quos è noueno partu originem ducere constans fama est. Quid dico nouem? Nam plures quoque nasci posse non malè quis fortasse dicet ex Tatiano vetustissimo Theologo, πρὸς ἕλληνας. quem locum licet V. Clariss. Dionysius Gothofredus obseruauerit ad d. l. 36. tamen non pigebit αὐτολεξεὶ huic adscribere. Τί μοι διὰ τὴν Περικλύμενον, γυναῖκον, ὅπερ ἐκύησε τριάκοντα παῖδας ὡς θαυμαστὸν ἡ-

γεῖσθαι καὶ κατανοεῖν ποίημα? πολλῆς γὰρ ἀκρασίας ἀπενηνεγμένη τὰ ἀκροθίνια βδελύττεσθαι καλὸν ἦν, τῇ κατὰ ῥωμαίους συῒ παρεικαζομένη, ἥτις καὶ αὐτὴ διὰ τὸ ὅμοιον μυστικωτέρα ὑποφάσεως ἠξίωται. id eſt, *Quid ad me Periclymeni opus mulierculæ, quæ vno partu triginta infantes peperit, quod plerique miraculum putant? cum potius magnæ intemperantiæ fructus hic exiſtimari deberet, & illa abominabilis videri, vtpote ſimilis Scrophæ Romanæ, quæ itidem propter euentum ſimilem Sacrum quendam cultum conſecuta fertur.* Id quod ait de triginta porcis Traianus, ſcripſerat quoque Caſſius Hemina in ſecundo hiſtoriarum. *Monſtrum fit*, inquit, *ſus porcos parit triginta, cuius rei fanum fecerunt Laribus Grundulibus*, vt refertur à Diomede Artis libr. primo. Vide Nonium in *Grundules*, Diodorum Siculum in fragmento libri ſeptimi. Quod ſi cui fabuloſum videatur, is meminerit vxorem Ergolai Comitis in Cracouia triginta ſex vno partu edidiſſe, vt refert Elburtius lib. 7. hiſtor. Polon. cap. 13. In ſumma de huiuſcemodi re tam varia & incredibilia creduntur, vt fabulis annumerentur, vt ait Paulus in d. l. 3. Quid ergo eſt? *prudentiſſimè iuris auctores*, ait idem, *medietatem quandam ſecuti ſunt, vt quod fieri non rarum admodum poteſt, intuerentur*: id eſt, *quia fieri poteſt, vt tergemini naſcantur*, in ſpecie propoſita, *quartam partem ſuperſtiti filio aßignarunt*: τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, *vt ait Theophraſtus*, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται: id eſt, *Quod enim ſemel iterumque contingit, omittunt legiſlatores. ideóque etſi vnum paritura ſit, non ex parte dimidia, ſed ex quarta interim hæres erit.* Iuris auctores medietatem ſecuti ſunt à Stoicis imbuti, quos *erciſcundos* appellat Seruius ad tertiam Æneidem: & mediam illos quoque viam ſequi ſcribit Theodoretus Græcarum paſſionum curatione duodecima. Quæ verò medietas illa eſt, quam ſequuntur iuris conditores? Paulus dixerat, multas in Ægypto vno partu ſeptem enixas. tres igitur qui gigni poſſe ſimul admittit, medietatem ſequi creditur. atque hæc mihi videtur eſſe Pauli ſententia. Planè quod idem ait ex Theophraſto, Legiſlatores ea prætermittere quæ ſemel iterúmque contingunt, refertur ex eodem in l. 6. D. de legibus. Ariſtoteles 4. Ethicorum ad Eudemum capite 8. τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον λαμβάνει ὁ νόμος. id eſt, *Quod plerumque contingit lex, ſequitur.* quæ totidem verbis extant Ethicor. Nicom. libr. 5. c. 14. Heliodorus Pruſæus in Paraphraſi c. 16. τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον συμβαινόντων οἱ νομοθέται στοχάζονται. id

eſt,

est, *Quæ vt plurimum accidunt Legiſlatores reſpiciunt.*

Similiter ſcribit Beatus Gregorius Nazianzenus oratione trigeſima nona, *Legis vim in Eccleſia nō obtinere id quod rarò fit:* ἐ νόμος ἐκκλησίας, τὸ σπάνιον. Cæterùm idem ius cum Paulo ſequuntur Sabinus & Caſſius IC. in l. *ſed etſi* 28. §. *vltim. D. de iudic.* Atque hæc ſunt quæ de numero puerperij dicenda videbantur: nam quod de trecentis ſexaginta vno partu editis memoriæ traditum eſt, equidem vanitatis haud inſimulem, ſed eiuſcemodi raritates non ſtatim ad generalem formulam referri debent, quas veteres quoque inſuperhabuiſſe ſatis ſuperque conſtat: *Non enim à parte minima,* (ait Caſſianus collatione 19. c. 8.) *id eſt, de conſideratione paucorum, ſed de his quæ multorum, immò omnium ſubiacet facultati, vniuerſalis eſt regula proponenda.* immò Caius in d. l. 7. *Quod vltra tres naſcitur ferè portentoſum videri* ſcribere non addubitauit, cui Plinius adſtipulatur d. cap. 3. *Tergeminos,* inquit, *naſci certum eſt Horatiorum, Curiaciorúmque exemplo: ſuprà, inter oſtenta ducitur.*

FINIS.

ALPHONSI
A CARANZA
IVRISCONSVLTI HISPANI
DIATRIBA:
SVPER PRIMORE TEMPO-rum doctrina, in libris Pat. Dionys. Petauij, nouissimè prostantibus, contenta:

AVGVSTISSIMO, SVPREMOQVE HISPA-niarum Senatui sacrata.

A

ISTA, ET SIMVL TRADITA IN Cap. 12. DISPVTATIONIS PERLECTVRIS.

AVCTOR D.

IAM DISPVTATIO nostra typis demandata lucem propè visura, & Publicum subitura erat iudiciũ, cùm ad nos peruenêre ingentes illi duo Tomi Dionys. Petauij *de Doctrina Temporum*, quorum prioris inscriptione τὰ temporum τεχνικὰ in eodem, & ἱστορούμενα in secundo, se præstiturũ pollicetur. Percurrimus auidè Prolegomena: sub hæc descẽdimus ad priora *lib.* 1. capita, & annũ communẽ Solarem Græcorũ cum suis mensibus tricenariis æqualibus *Scaligero* (ac pluribus aliis) probatũ, dum eum Auctor iste insequeretur, explosum & impugnatũ in sola istius persona adinuenimus, & noua simul super hisce, & parũ (nisi cũ plurib. melioris notæ fallimur) firma à *Petauio* excogitata, intentiore lectione animaduertimus: eúmq; nõ tantùm cõmuni & receptę anni Græcanici designationi, verùm & Hebræi, Ægyptij, atque Romani nobis aduersum in plurib. deprehendimus. Cùm autẽ temporũ ἱστορικῶς disquisitores quæq; obuia sine delectu legentes, eadẽ implurimùm probent, & interdum admirentur, & laudent, non abs re me facturũ putaui, si istis, & acriore maximè præpollentib. iudicio hac nostra DIATRIBA causationem præstarem isthęc altiùs perquirendi, & Petauiana, nostráq; simul diiudicandi, & veriora subinde deligendi. Hic mihi scopus, cum CAVSA certè PVBLICA, quæ in veriore & receptiore tãtarum rerum obfirmatione; & nouarũ, deuiarúmq; euersione versatur. Vt enim disertè ait noster *Arias Montanus* in suo perquàm erudito libello de seculis: *Quanta*

sit sacrorum monumentorum vtilitas, in quibus tota illa, quam diximus, temporũ ratio verissimè traditur, quantúmq; illa ad veræ Philosophiæ cæterarúmq; omnium humaniorum disciplinarum intelligẽtiam conferat, & quid ex ea lucis ad historiarum cognitionẽ accedat, nullâ, licet longâ oratione æquè potest demonstrari, ac si eius, à studioso Lectore periculum fiat, ob prætermissam quippe temporum rationem (qua sine historia, vt cætera omittam cæca est, & fabulæ non dissimilis) videmus insignem, & omnib. ferè aliàs præponendum *Thucydidem* notatum à *Dionys. Halicarn.* in *epist. ad Q. Ælium Tuberonem.* Cúmq; istam annorum, & mensium antiquorum dignosin, scitu perquam necessariã, in obscuro latentem pro nostra facultate enucleare studuerimus in d. *cap.* 12. nunc certè videmus aliis atq; aliis spissiorib. tenebris adumbratam à *Petauio* (ferendo quidem, vt ait idem *Dionys. lib.* 7. *Si in prisca & multorum annorũ historia paucis falleretur annis*: non ita cùm in vniuersa præcipuorum annorum & mensium cõstitutione & præfinitione fuerit deceptus) id quod nunc hac DIATRIBA, prędictorum subinde perspicuitati pro virib. occurrentes, demonstrare curabimus. Absit, ne quis in suspicionẽ (nec vanam quidem) didu-ctus putet, nobis in animo vnquam fuisse *Scaligeri* partes agere, & eius scriptiones Chronologicas propugnare. Agnoscimus apertè, vt quiuis, hominis petulãtiam, & superbam ἀλαζονείαν, inq; annorum intercalationibus, & supplementib. (maximè Græcorum) suo ductum ductu plurimùm aberrasse, vt & *Petauius* post alios strenuè demonstrat. Eum verò primũ, seu præcipuũ anni cõmunis ęquabilis, & mensiũ tricenorũ Græcanicorũ (quæ præcipua contentio est) assertorẽ (vt vult *Petauius*) nõ agnoscimus, cũ vnus è multis sit (cũ vel præcedẽtibus, vel subsequentib.) qui isthæc affirmatũt. Nullus ergo nostra alicui ἰδιωτικῶς fauere falsò præsumat, sed cõmuni & veriori placito. Quãdo idipsũ verioris aut securioris annorũ doctrinæ gratia à quouis prolatæ essemus præstituri. VALETE.

DIS-

DISCVSSORVM HAC DIATRIBA Synopsis.

DIONYSIVS Petauius *Doctrinam Temporum à (faciliotibu., generalioribus, & antiquioribus, iuxta notissimam* Philosophi *sententiam, quam insequuti sumus in* cap.12.*nostræ* DISPVTATIONIS, *aliàs auspicanda) duce* Scaligero, *vt in cæteris suæ scriptionis, ab annorum & mensium Græcanicorum ciuilium designatione instruit illicò* lib. 1.ex cap.1. *Déque aliis gentium posteà sermonem velut casu, & vti sese res offerebat, vel eam* Scaliger *suppeditabat, instituit, seu permiscuit. Nos autem methodum d.*cap.12.*obseruatam prosequuti, quæ* Petauius, *disperse inter multa, de annorum, mensiúmque Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum, atque Romanorum supputatione (quam scitu digniorem existimauimus) ediseruit, quattuor capitibus absoluemus.*

IN PRIMO *probabimus*, ANNVM *in vsu* HEBRÆORVM *non tantùm* LVNAREM *fuisse cum suis mensibus, vt aliquando existimauit* Petauius, *verùm &* SOLAREM *vertentem 365. dierum cum quadrante: vel* COMMVNEM 360.*in duodecim menses tricenarios æquabiles diuisum firmè in nutabundum* Petauium *euincemus.*

IN SECVNDO, ANNVM CIVILEM ÆGYPTIORVM, *non tantùm* SOLAREM *æqualem* COMMVNEM *fuisse, ac ratus fuit* Petauius, *verùm &* LVNAREM *eosdem habuisse coniecturis, & quidem non leuibus, eruere curabimus.*

IN TERTIO, ANNVM GRÆCANICVM CIVILEM, *non tantùm*

LVNAREM *cum ſuis menſibus, vti perſiſtenti oratione* Petauius *aſſeruit, ſed &* COMMVNEM *æquabilem* SOLAREM, 360. *diebus conſtantem, omnibus, ante Solonem in vſu fuiſſe, eliciemus. Quin & poſt Solonem (qui Athenienſibus tantùm menſes Lunares induxit) cæteris Græciæ plagis annos communes Solares omnium vſitatiores, ſæpéque & ſæpiùs ab ipſis Athenienſibus vſurpatos demonſtrabimus. Et eos inſuper* ANNO SOLARI EXACTO & VERTENTE *vſos.*

IN QVARTO, ROMANORVM ANNVM CIVILEM *non tantùm* LVNAREM, *vti exiſtimauit* Petauius, *verùm* & SOLAREM COMMVNEM, VERTENTEM*que ſimul iiſdem in vſu communi & ciuili fuiſſe, ante Iulianam caſtigationem, apertè comprobabimus.*

ET QVIDEM iſthæc omnia (quæ in ſcriptis Scaligerianis & Petauianis reconditiora, ac penè imperceptibilia Aſtronomicorum, & aliorum intermixtione fiunt) ſummâ breuitate, aptáque elucidatione percurrenda pollicemur: & quæque ſubinde apto loco collocanda.

CAPVT

CAPVT I.

DE ANNO ET MENSIBVS VETERVM Hebræorum.

1 RESOLVIMVS in *cap.* 12. §. 2. † nostræ DISPVTATIONIS, priscorum Iudæorum annum non tantùm Lunarem & Solarem vertentem Iuliano consimilem semper exstitisse, verùm & communem Solarem 360. diebus constantem, duodecimq; tricenariis mensibus equalibus distinctum in vsu Hebræorum fuisse: & subinde menses, quos vocabant *dierum*, de his tricenis communibus esse intelligendos in *c.7. & 8. Genes. c.7. Sapientiæ*, & *cap.7. lib. 2. Machab.* cum aliis adductis in §.2.*n.* 28. At *Petauius*, inconsultò ista aggres-
2 sus, primùm † supponit vniuersè, in *lib.1.cap.5.in princip.* Iudæis ad Lunam tantùm *ciuilem* annum fuisse præscriptum. Id quod clariùs asseruit, de anno veterum Iudæorum eloquutus d. *lib.1. cap.8.* vers. *Præterea*: nisi quòd ibidem adstruit, Iudæos cùm de anno simpliciter loquuntur, eiusque conuersione, de Solari (quem sibi vsquedum persuaserat ciuilem non esse) intelligi debere: quod valdè mirùm. Posteà latiùs rem istam prosequutus *lib.2.c.27.* hinc inde dubius (ac ipse fassus est) vagatur: nam cùm primùm ex *Klepero* asseruisset, annum & menses Lunares à Iudæis post Alexandrum Magnum admissos (in quo sese aduersum ostendit his quæ resoluerat in d. *cap.* 8.) illicò ad ea quodammodò reuersus, & auctoritate *Philonis* & *Iosephi*, aliisque parùm ad rem conducentibus innixus (distant namque longè menses Lunares, de quibus isti loquuntur, ab anno ciuili Hebræorũ ex dicendis ĩ. in *cap. 3.num.*136.) Lunarem annum ante aliquot CHRISTI secula securè, & temporibus insuper Mosis subdubiè obseruatum firmat: & mox in *c.30.* vetustiorum Hebræorũ annos Solares velut supponit. Ab his idem *Petauius* † in 3
cap.49.eiusdem libri sub Epigraphe, *Elenchus anni veterum Hebræorum*, antiquioribus Iudæorum seculis, & subinde temporibus Dauidis & Salomonis annũ Ægyptiorũ ex sententia *Scaligeri* apertiùs indulsisse videtur. Nisi quòd simul, *Non satis demonstrari, aut colligi posse* (ait) *vtrum Iudæi prisci Lunaris anni rationem vllam habuerint: nec est vspiam* (subdit) *in sacris Litteris mensium huiusmodi facta mentio, vt alibi disputauimus. Nedum hoc assentiemur Scaligero accuratissimas Lunarium mensium rationes, cuiusmodi hodiernæ sunt, priscis illis constitisse.* ¶ Demum, sub hanc indiscretam & συγκεχυμένην di-

ſtinctionem, ea, quæ *Scaliger* de anno veterum Iudæorum aſſeuerarat, anxiè diſcutit, & validis rationibus interdum improbat in *lib.3.capit.20.& ſeqq.*
4 nil verò de ſuo (vt aiunt) firmè † reſoluit. Cumque rem inde indeciſam reliquiſſet, & ſine relatione ſaltem ad præhabitam qualemqualem reſolutionem dicti *cap. 27.30. & 49. libri 2.* nec ad anteriorem adductam in notis ad *Epiphanij hæreſin* 51. ad anni nouarum Indiarum tractationem, exemplo *Scaligeri*, ſub iſta deſcendit dict. *libr.3. cap.24.* Id quod non caſu, obliuionéve ita accidiſſe exiſtimamus: ſed quia tunc temporis dubius, nutanſque *Petauius* nil certè ſuper hiſce ſtatuere auſus fuerit.

At cùm τεχνικὰ primi Tomi prædictis adeò nutabundis abſoluiſſet, nec ſibi ipſi feciſſet ſatis, ad eandem redit ſecundo Tomo ἱστορουμένων, occaſione diluuij temporis deſignandi & eruendi à d. *c.7.& 8.Geneſ.* Et inde *lib.9.ca.*
5 *9.* ad quadruplicem † anni formam referri poſſe ait Moſis enarrationem illis *capp.* contentam; puta ad annum Solarem & vertentem 365. dieb. & ¼. conſtantem: aut ad annum communem 360. dierum Solari proximè accedentem, & cum appendice dierum iuſtum curſum explentem: aut ad annum Lunarem 354. propè dieb. conflatum: aut denique ad annum Ægyptiacum (quem malè Lunari tribuit, ex dicendis in *cap.3.*) qui 360. dieb. cum acceſſione aliorum 5. ſine quadrãte perficiebatur; iſtáque aliquibus intermixtis ita concludit: *Quapropter ſiue Lunarem annum, menſeſque Lunares ad diluuij hiſtoriam applicemus, ſiue tricenarios menſes, annúmque præterpropter dierum* 365. *ſtatuamus, nihil aduerſus Moſis enarrationem peccabimus.*

His itaq; prępoſitis ſequentia *eodem capite* annectit: *Et quidem quod potiſſimum anni genus amplexos veteres Patriarchas exiſtimem nondum ſatis apud me definire poſſum.* Demum iſta omnia *eod.c.* ita concludit: *Verùm neſcio quomodo propenſiores in eam coniecturam ſumus, vt & tricenarios fuiſſe menſes arbitremur, & appendices quinque, vel ſex aut plus, pauciorève dies acceſſiſſe, prout Solares anni modum animo perceperant.* Et aliquibus interiectis (ſ. examinandis) ſubdit: *Itaque Patriarcharum & diluuij tempore nihil prohibet, menſes ſingulos tricenarios extitiſſe.* Vides vt *Petauius* (qui de intercalatione dierũ ad anni Solaris Hebraici integram cõſtitutionem & perfectionem hîc & alibi egit) tandem temporibus antiquis Moſis & Patriarcharum annum communem æquabilem † menſeſque tri- 6
cenos agnoſcit: & in his quæ *primo tomo* hæſitauerat, velut pedem fixit: & annum Lunarem (aliàs ſibi commendatiſſimum, vt videbimus in *cap.3.*) nolens volens, quod attinet ad priſcos Hebræos, deſerit. Et quod plus eſt, in *cap.ſeq.* hunc illis communem annum CIVILIS nomine inſignit: & à conſideratione *Scaligeri*, qui menſium nulla alia nomina illis temporibus fuiſſe ait præter *primum, ſecundum, tertium,* &c. ſuam (quam denuò vocat coniecturam) comprobat. Sed aptiùs quidem (vt hæc nõ prętermittam) *Petauius* (*Scaligero* adeò infenſus) feciſſet, ſi iſta ad ſuum primum referret Auctorem, qui fuit noſter inſignis *Arias Montanus in lib. de ſeculis*, à nobis iam expenſus in DISPVTATIONIS d. *c.12.§.2.n.27.*

Quòd ſi diſquiras, cur his quę anni Iudaici conſtitutionem reſpiciunt, adeò nutans fuerit *Petauius*? Ego illud † vnum in cauſa fuiſſe ſecurè reſpon- 7
debo, *hunc* animo firmè concepiſſe vnicum tantùm annum, ſiue Solarem, ſiue Lunarem quoquam tempore apud quarumuis gentium plagam, ſeu nationem, *ciuilem* conſtitui poſſe, cumque ſimul anni Solaris & Lunaris vſum

vsum in Hebræorum gente inueniret, inde subdubius primùm Hebræis annum tantùm Lunarem, sibi perquàm gratum, *ciuilem* destinauit, seu præsensit *lib.1.d.cap.5.* post verò solùm Solarem naturalem 365. dierum aliquantulum inserseruit: & tandem variis sacræ Paginæ coactus locis, quæ Lunari anno adaptari non posse præuidit, Solarem communem veteribus Hebræis *ciuilem fuisse ratus est.*

Cumque à præfatis vltimo demum loco pro dicto anno communi Solari inuita sua Minerua steterit, & à Lunari, quem primitùs adstruxerat, deuiauerit, ab iisdem ansam iustè præripuit perquirendi † quantum temporis illud fuerit, quod apud Hebræos anno communi interserebatur? & quando fieret intercalatio? Et quidem vtrumque ignotum, nec inuestigabile diiudicat dicto *lib.9.cap.9.* Horum tamen primum sine vlla præcipitantia (qua *Petauius* ista decidentes ibidem inuitit) nos designauimus in dicto §.2. *numero* 28. & quinque dies cum quadrãte superadditos existimauimus à dictis in numeris præcedentibus, vbi annum Solarem vertentem Hebræorum 365. diebus cum ¼. constantem à *D. Augustino*, & pluribus aliis id adstruentibus obseruauimus. Si ergo Solaris communis idemque *ciuilis* annus Hebręorum 12. constabat mensibus tricenis ęqualibus 360. dierum, vt ipse *Petauius* agnoscit, & annus Solaris vertens & exactus (ad quem communis adæquabatur,) 365. diebus cum quadrãte apud eosdẽ integrabatur, clarè, imò necessariò consequitur, quinque dies cũ quadrãte, nec plus, minúsve intercalationi & adęquationi anni Solaris cõmunis cũ Solari vertẽti & naturali deseruisse. Non negamus, hęc perpetua apud Hebręos non fuisse quando in *Epiphan.* d. *hæres.* 51. videmus, quibusdã Iudæis aliquãdo annũ Solarẽ vertentẽ 365. dierũ cũ tribus tantùm horis fuisse. At ista, & quæuis alia particularia, cõmunioré & veriorẽ anni vertẽtis cõputationẽ Hebræis vsitatam, ex dictis per nos à *D. Augustino* & aliis d. §.2. non excludũt. ¶ Quando verò fieret intercalatio ista? cuius in sacris Litteris nulla mentio est, iam antea & nos dubitaueramus d. §.2. *num.* 28. vbi rem istam, non adeò ac *Petauius* desperantes, resoluimus à *Cardin. Caietani* venerandæ auctoritatis dis[e]rtissimo iudicio, & à *Pererio* & *Haruillæo* relatis eod. *num.* 28. Qua sententia nunc persistentes, explosa intercalatione *Rodolphi Hospiniani de Festis Iudæorum & Ethnicor. li.1.c.1.* subaddimus, tricenis illis intercalaribus *Caietani* diebus à sex annis conflatis quadrantem vniuscuiusque anni aliquo tempore præcisè adiectũ, vt annus communis ex integro Solari vertenti coæquatus euaderet. Video ista *Petauio* (illicò referendo) non placuisse, sed quid mirum? Etenim simul atque suum prædilectum Lunarem annum (iterum post hæc omnia vtcunque accitum in *lib.9.d.c.9.ad fin.* & *c.10.* maximè *in fine*) in Hebræorum gente stare non posse sibi suasit, non sine nausea ista pertractauit, & omnibus imperceptibilia esse voluit: & inde intercalationem *Caietani* sibi non arridentem ab hoc solo capite in *eius* vel alterius persona respuit, vt clarè præseferunt illa *Petauij* d. *c.10.* ad fin. *Nactus sum, qui hæc aliaquadam ratione disputaret, & Hebræos affirmaret, annum simplicem dierum 360. definisse, quinque autem appendices sexto quoque anno cùm scilicet collecti iam essent 30. dies intercalasse sextum inter & septimum, ita vt his septimus numeraretur: vnde qui septimus à Mose vocatur, is re vera octauus erat, sed qui ipsum antecesserat, extra ordinem insertus fuerat. Quam ego sententiam magis non probare possum, quàm certis argumentis refellere.*

B

Nec minus anni Hebraici veram rationem & supputationem à d.*c.*7.*&* 8. *Genes.* eodem lassatus fastidio despera-
9 uit† dicens, *Quin illud præterea cogitandum est, non solum ex Mosis verbis, atque diluuij descriptione, nihil de propria temporis illius anni forma posse concludi, sed etiam licèt manifestè mensium annique totius quantitas ib. esset expressa, non ideò tamē ab anno illo, quo Patriarchæ sub diluuij tempus vsi sunt, necessario colligi.*

Et quidem cùm proposita *Petauius*
10 magis ac magis obscurare† eniteretur (quidquid veram istam nostram notā confictis tantùm verbis eludere conatus fuerit d.*c.*10.*in prin.*) varias subinde temporis diluuionis computationes intermiscuit attento anno Lunari aliasq; cōplures iuxta Solaris rationē, plurimum (ac ipsi in proposito fuit) ab anni Iudęorū Lunaris, seu Solaris constitutione & designatione deuiantes: vt inde illo cōputandi superuacuo genere (quo adhuc incessanter λογιστὴς iste persistere poterat) hoc tātùm egerit & curauerit, vt certam firmámque calculationem à dictis *capp.*7.*&* 8. velùt impossibilem suaderet: & subinde quasque per alios adductas his thecnis infringeret. ¶ Ecquis ab istis, tanto tamque firmo assertori, nostram à contextu dictorum *capp.* erutā computationem displicituram non videt. Sed rem istā diiudicet, qui in alterius, siue ipsius verba non iurauerit. *Petauius* enim firmè quasi natura immotus, vti sua clarè demonstrant, hisce nebulas suas spissis spargere nec vnquam sinet.

Et sanè id vnicum in casu† esse illi
11 potuit, cur in dubium reuocauerit d.*c.*10.*in fi.* verā lectionē Latinā vulgatā & Grecam d.*c.*8.*Genes.* quę habet, Arcam *die vigesimaseptima mensis* requieuisse in montibus Armenię: & (quod peius, magisque mirandum) inclinauerit in Hebręam, *Requieuit decimaseptima die mensis*, contra *Hieronymum* & *August.* & contra *Conc. Tridentini* potissimam dispositionem, & alia per nos adducta in d.§.2.*nu.*3.*&* 4. indubiam certè vulgatæ lectionis fidem præ se ferentia.

Id quod euidentius erit affirmantibus 40. priores pluuię dies commemoratos in d.*c.*7.*vers.*12. non comprehēdi sub 150. inundationis, de quibus in d.*c.* 7.*in fi.* quæ fuit sententia *Basilij Legion.* per nos relati in d.*c.*12.§.2 *n* 22.) tunc enim, attenta lectione Hebræa, arca certè consedisset antè quàm aquæ imminui cœpissēt. Quippe 46. dies priores anni sexcentesimi vitæ Nohai ab omni aquarum κατακλυσμῷ irruptione excepti, liberíque fuerunt: nam à 17. die mensis 2. dicti anni sexcentesimi initium pluuię; quæ 40. diebus perdurauit. Quod si dictis diebus 46. & subinde 40. subaddas 150. inundationis, & subsequentem demum diem quo aquę imminui cœperunt, certè conflabis 237. dies, qui septem menses & 27. dies conficiunt, ita vt decem diebus ante diminutionem aquarum arca resederit super montibus Armeniæ.

Et sanè ab hac cōsideratione & supputatione illud ego vnum† precipuum 12
nunc obiter deduco, discussis in d.*c.*12. §.2. addendum, id est 40. pluuię dies in 150. inūdationis precisè includi: nec in dubium deinceps iam istud verti posse, quando videmus *Petauium* insuper id verius agnouisse d.*c.*10. *ad finem.*

Qui & ipse (vt hæc obiter eiusdem propositi non prætermittam) egregiè antea eruerat & resoluerat, menses quorum mentio est in d.*c.*8. *Genes.* ab initio anni sexcentesimi vitæ Noë, nō ab exordio pluuię connumerandos: & quidem non à capite anni Natalis ipsius, sed à principio anni ciuilis, temporibus illis decurrentis. Vt inde valdè miremur ἀνωμαλίαν qua ista pertractauit *Petauius* d.*cap.*9.*&* 10.*lib.*9. Et præ cęteris illa d.*c.*9. *Ac demum secūdo mense, die vel* 17. *vt Hebræi legūt, vel, vt*

Lati-

Latinis Græcísque placet die 27. arefacta est terra: etenim mensis ille non secundus, sed septimus fuit: sed nec septimo illo terram arefactam rectè *Petauius* dixerit, contrarius certè Mosis insequenti illi assertioni d. *c.8. vers.5. Decimo enim mense prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.*

Sub hæc noto, præfatã *Petauij* desperationem illũ continere non potuisse,
13 quominus experiretur, † an à d. *capit. b. 7. & 8. Genes.* aliquid ad anni Hebraici ciuilis constructionem diducere potuisset: ideóq; ex præhabitis supputationibus quasdam iterum intexuisse *d. c.10. in fin.* quas cum obscuritate velut affectata in mediũ attulerit; hoc tamen certi ab illis deducere potuimus, neq; anno naturali exacto, siue communi Solari, aut Lunari aptari posse: nec omnium dierum d. luuio insumptorum rationem in eis habitam. Vt inde in verũ præsenti statu, dúmque alius alia meliora excogitarit, à calculatione ex d. *capp. 7. & 8.* per nos eruta & inita in d. *c.12. §.2.* nec vllo modo desistere possimus, quando *Petauius* tot cõputationibus (quib. conceptæ apud alios de se spectationi sub aliquo prætextu facere satis curauit) interiectis nil egerit.

Sit ergo omnium vniuersa de anno Iudæorũ, ante Iulianũ prædictorũ cõ-
14 clusio, † ipsis annũ Solarem vertẽtem maximè ad ætatũ cõputationes in vsu fuisse: & insuper Lunarẽ cũ suis mensibus, vtpote ad sacra: & demum ad cõmunes vsus habuisse Solarẽ cõmunem 360. diebus constantem, & 12. mensibus tricenis æqualibus, de quo in d. *capp. 7. & 8.* Déque isto, vel solari perfecto accipiendos esse ANNOS quorum mentio habetur in subseqq. *capp. Genes.* & *Exodi c.12. vers.2.* & *c.13. vers.10.* & alibi & apertiùs in *eod. lib. cap.34. vers.22.* & *Leuit. c.25. ver.14.* & *Numer. c.4. vers.35.* & *Paralip. lib.1. c.20. vers.1.* & *lib.3. Reg. c.17. vers.1.* iuncto *c.4. Luc. vers.25.* & *Epist. Iacobi c.5. vers.17.* Idémque dicẽdum est de MENSIBVS, quorum ratio & mẽtio est in d. *c.7. & 8. Genes.* & iterũ *c.9. ver.14. Leuit. c.15. vers.19.* & omniũ maximè in *Paralip. li.1. c.27. vers.15.* & *li.1. Esdræ c.6.* & *li.2. c.1. & 2.* alibíq; sæpè. Vt inde satis supérq; affirmata remaneãt, quę in initio d. §. 2. deducebamus ab *Eusebio*, & nouissimis *Haruilleo* & *Vecchieto* nostra cõprobantibus.

Quibus in cõprobationem anni cõmunis Hebræorum cum suis mẽsibus tricenis, nunc addo insignia & notãda loca in *Daniel. c.12. vers.7. & 1.* & *Apoc. c.11. vers.2. & 3* & *c.12. vers.6. & 14.* expensis illis *Daniel.* d. *c.12. In tẽpus & tempora, & dimidium temporis,* quorũ prius illud verbũ *tempus,* ad anni spatium, & subsequens *tempora,* ad duorũ annorum intercapedinem; & demum illud, *dimidium temporis,* ad dimidiatũ annũ referri debent, ex sententia *Hieronymi, Theodoreti & Vatabli* ibi, & *August. li.20. de Ciu. t. Dei, c.25. Irenæo li. 5. c.30. Cyril. cathec.15. Hippolyto de consum. seculi.* Vt inde consimilia illa d. *c. 12. Apoc. vers.14. Per tempus & tempora, & dimidium temporis,* eodẽ modo veniant intelligenda: & subinde aptãda præcedentibus illis *eiusd. cap.* d. *vers.6. Diebus mille ducentis sexaginta,* qui integrant tres illos annos cum dimidio 360. dierum, & 12. mensium tricenariorum: Id quod clarius comprobatur à *c. 11. Apoc.* d. *vers.2. & 3.* in illis verbis: *Et Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus,* &c. *& prophetabunt diebus mille ducentis & sexaginta:* à quo dierum numero præcedentes illi 42. menses triceni æquabiles clarè conflantur: nam si ducas 42. menses per 30. dies, efficies planè dictos 1260. Vt meritò *P. Ludouic. Alcaçar* in d. *c. 11. Apoc. notati.2. vers. Tertiò notandum,* ab istis menses tricenos Hebræis antiquis vsitatos fuisse firmè comprobauerit; simúlque ad illud *Daniel. c.12. v.12.*

Dies mille ducenti nonaginta, respondet, hunc numerum ibi auctum à mense embolimo.

Ad hæc *D. Hieron. super c. 9. Daniel.* annos & menses Iudæorum Lunares plenos, cauósque securissimè enuntiat. Et denique apud eosdem annum vertentem Solarem supponit, dum in *c. 1. Ezechiel.* quatuor rotas currus illius quatuor animalium ad annum vertẽtem refert, dicens: *Quatuor quoque rotas quatuor temporum circulum* denotare, *qui ternis conficitur mensibus, annúmque vertentem: qui ab eo quod semper vertatur, & in se redeat, nomen acceperit.* Et quidem istis accinunt *Georg. Henischius in Sphæram Procli*, *Hospinianus de Fest. Iudæor. libr. 1. d. c. 1. Ari. Montan. in lib. de seculis, ad fi.* apertè agnoscentes Iudæis annos Solares fuisse, & simul Lunares. ❡ Et verè ab his *Arias Montan.* (iam antea relatus) *mẽsium dierum* in sacra Pagina mentionẽ fieri ait, ad distinguendos istos, qui Solares triceni sunt, à Lunaribus. Idque ipsum denique testantur cæteri ferè nouiores Chronologi, maximè *Gordonius in opere Chron. c. 15. n. 19.* expendens: *Africanum, Theodoret. Bedam* & alios & in *c. 19. n. 10. & 11.* vbi & annum communem, mensésque tricenarios Iudæorum adstruit.

Sed & illud vnum certissimum & aptissimum † nostræ potissimæ tracta- 15
tioni ab istis eruimus, menses scilicet conceptus & parturitionis humanæ (de quibus *Sapient. c. 7. & li. 2. Machab. cap. 7.*) ad Solares communes æquales tricenarios esse referendos. Id quod nec *Petauio* displicebit post multa iam agnoscenti menses prædictorum *c. 7. & 8. Genes.* Solaribus triceni s accensendos.

Demum à prædictis clarè venit refellendus *Torniel.* qui in *Annalib. sub anno mundi* 151. & iterum & expressiùs *sub anno* 1656. *num.* 25. Scripturam sacram semper intelligendam ait de vniformibus annis vertentibus Solaribus exactis, quamuis menses essent Lunares.

❡ Nec minus is iste *Petauius*, qui in *notis ad hæresin* 51. *Epiphanij, fol.* 153. existimauit, Alexandræam, siue Grecam anni formam à Iudæis admissam: velut clarè supponens, istos ab Alexandrinis, seu Græcis annos exactos, & menses tricenos fuisse mutuatos, contra ea quæ s. resoluimus, & d. *c.* 12. *§.* 3. & expressiùs in *§. seq. nu.* 5. Et insuper contra *Galenum* (expendendum i. *c.* 3. *n.* 74.) clarè stantem pro mensium Lunarium vsu, suis temporibus adhuc obtinente apud Hebræos.

CAPVT II.

DE ANNO ET mensibus Aegyptiorum.

AEGYPTIIS (post varias & miranda, prisco. ũ. obs.-
1 rationes † i temporum, annorúmq; dimensione) annum communem Solarem 360. diebus constantem cum intercalatione quinque dierum in vsu fuisse: plenè planéque probauimus in *cap.* 12. *§.* 3. & ibi.

ibidem à variis causis coniectati sumus, eos annum, mensésque Lunares itidem habuisse.

At *Petauius*, cui annus iste Lunaris Ægyptiorum cum suis mensibus maximoperè profuturus erat ad structionem anni & mensium Græcanicorum Lunarium (de quibus latior erit sermo in *c. seq.*) ab istis certè abstinuit, coërcitus auctoritate *Diodori*, *Gemini*, *Theonis* & *Censorini* (quibus addere potuit *Herodotum*, *Dionem* & *Strabonem*) hi enim omnes in locis per nos designatis d. §. 3. annum tantùm Solarem Ægyptiis accommodarunt. A quo factum ex opinione *Petauij*, vt nulli a-
2 lij anni † menséve præter Solares istis possint accenseri, & ita sæpe & sæpius ratus est, maximè *li. 3. c. 2. in princ.* vbi *Ægyptiacum annum nihil habere commercij cum Lunari* ait. ¶ Cùm autem ista *Petauij* ea vnica innitantur
3 causa, † quòd dato & constituto aliquo anni & mensium vsu in quauis gente, seu regione, non sit alteri vlli locus (quod quidem iam refellimus in *c. antecedenti*, & iterum impugnandum est in *seq.*) hinc fit, vt nostra anni Lu-
4 naris † coniectura nullam à nouissima opinione *Petauij* iacturam subeat. Et sanè ipsius intererat, annum & menses Lunares apud Ægyptios inducere, vel supponere, vt inde facilior pararetur descensus ad consimiles annos & menses Græcorum, qui (vt ex pluribus comprobauimus in d. §. 3.) ab Ægyptiis ista præcipuè inter alia desumpserunt. Cùm ergo *Petauius* Solarem tantùm annum Ægyptiis indulserit, Lunarem vnicùm (à sua sententia) Græcanicum magis ac magis destituit, vti latiùs demonstrabimus in *capite seq.*

Posthæc *Petauius* (qui pluries à *Gemino* edoctus, medio *Scaligero*, quadrantis voluntariam omissionem in anno Ægyptiaco prænuntiauit, maximè dict. *libr. 3. cap. 2.*) eò loci eundem
†quadrantem Ægyptios Solis rationibus imputasse asserit. 5
Quod, nisi intelligas de imputatione ciuili & vsitata, aptari nequit verbis *Diodori* ab eo ibi expensis: vt inde superuacuo labore *Petauius* inhiauerit *Scaligerum* refellere, qui tacitam, verámque apud Ægyptios intercalationem quadrantis quoque quadriennio suo captu itidem confingebat. Quòd si *Petauium* (præmeditata obscuritate proloquutum) intelligamus de quadrante, non quidem ad vsum ciuium, vel sacrificiorũ, sed ad Solis rationes exactè ineundas ab Ægyptiis tantùm considerato, tunc planè illi contrariatur *Diodorus* (quem explicandum ibidem susceperat) vt qui ciuili anno 360. dierum quinque dies cum quadrante à Thebanis æquè interseri asseruerit verbis illis: Πέντε δὲ ἡμέρας, καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι, *quinque dies & quadrantem duodecim mensibus interserunt.* Id quod & *Strabo*, à *Petauio* prætermissus, disertiùs asseuerauit in verbis per nos expensis d. §. 3. *num.* 8. Et insuper de Alexandrinis enarrat *Theon* à *Petauio* laudatus (maléque perceptus, ex dicendis illicò) & *Dion* simul per nos relatus d. §. 2. *num.* 9. Errarunt ergo pariter *Scaliger* † & *Petauius*, *iste* in im- 6
putatione, *ille* in intercalatione quadrantis, anno Ægyptiaco, 365. diebus tantùm constanti, facta. De ciuili autem loquimur anno: quando cum *Petauio* negare non possumus apud Astrologos Ægyptios annum integrum & exactum cum suo quadrante obseruatum. Sed hoc alia res est, & longè diuersa à nostra tractatione anni ciuilis Ægyptiorum, quo de expressè etiam loquuntur *Diodorus* & *Theon* (quorum meminit *Petauius*) & cum istis *Dion* & *Strabo* per nos simul adducti d. §. 3. Sic igitur res ista componenda est, vt apud Ægyptios annus

365. dierum tantùm fuerit in vsu ciuili, ab his tamen veniant excipiẽdi Thebani, qui ex *Diodoro* & *Strabone* annum singularem 365. dierum cum quadrante in vsu habuerunt: & insuper Alexandrini, qui eodem illo anno exacto cum suo quadrante vsi fuerunt, vt iam annotauimus in d. §. 3. ex *Theone* & *Dione*.

Vt inde valdè miremur insignem
7 alterum Petauij † lapsum, existimantis in *lib.* 3. d. *c.* 2. vers. *Quibus*, Alexandrinum annum (de quo *Theon* testatur) Iulianum aut Augustæum fuisse post victoriam Actiacam Alexandriæ inductum: & diuersum ab anno vetere Ægyptiorum. Etenim *Theon* (qui & ipse, teste *Suida*, Alexandrinus erat, & Astronomica ad normam veterum Ægyptiorum pertractauit sub Primo Theodosio, cùm iam emendatio Iuliana Ægyptiis à pluribus annis in vsu esset) ab his ipsis, quæ *Petauium* à vera horum dignosi dimouerunt, causam habuit disquirendi & definiendi antiquos totius ferè Ægypti, & insuper Alexandriæ patriæ suæ annos: loquitur enim apertè *Auctor iste* de anni constitutione & dimensione iisdem antiquis temporibus Alexandriæ & cæteris Ægypti plagis vigente (ac *Censorinus*, qui nunc mihi occurrit, fecit in *c.* 18.) & Alexandrinum annum (Ægyptiano communi contemporaneum) in sola quadrantis adiectione differre disertissimè asseuerauit.

His accedit, quòd cùm Cæsar varias Ægypti & Æthiopiæ ciuitates commeasset, teste *Suetonio in eius vita*, 8
c. 52. à solis † Alexandrinis anni sui rationem composuerit. A quo velut euidens fit, istos ante castigationem Iulianam annum suum 365. diebus & alterius quadrante integrasse, non nudis 365. velut alij Ægyptij fecerunt; alioquin nihil singulare, & obseruatione præcipua dignum Cæsar in Alexandria inuenisset.

Quid quòd ista apertè comprobantur à *Dione* in verbis per nos expensis & explicatis in d. §. 3 *nu.* 9. quem simul cum *Strabone* (vt prædiximus) Petauius præterit.

Quæ verò fastidioso multiloquio 9
idem de anno † ἡλιακοῦ siue θεοῦ d. *c.* 2. intermiscet, clariora sunt in *Censorino* d. *c.* 18. ita præcisiùs dicente: Ægyptiorum *annus ciuilis solos habet dies* 365. *sine vllo intercalari, itaque quadriennium apud eos vno circiter die minus est, quam naturale quadriennium: eóque fit vt anno* 1461. *ad idem reuoluatur principium. Hic annus etiam* ἡλιακὸς *à quibusdam dicitur, & ab aliis* ὁ θεοῦ ἐνιαυτός. Quæ clarè præ se ferunt, annum θεοῦ ex 1461. præcedentium annorum omisso quadrante componi.

Quo demum tempore Ægyptiis annus Iulianus in vsu esse cœperit, exactè tractauit Petauius *lib.* 7. *c.* 16. *tomo* 1. & *lib.* 10. *c.* 71. *tomo* 2.

CAPVT III.

DE ANNO ET mensibus Græcorum.

IN anni Grecanici ante Iulianū vigentis designatione, & designatæ constitutionis & dimēsionis com-
1 probatione *Petauius* omnium †maximè vela tendit,& pro neruis rem adeò adstruit, & vndequaque componit, vt cętera quæ de gentiū annis pertractauit,velùt accidentia istis fecerit. Nobis in voto est,omnia diuersis locis,& aliquando dissitissimis ab eo scripta,
2 quod attinet ad historiā †anni & mensium Græcorum planè, plenéque discutere. Idque præstituros speramus,si nostra priùs velùt per indicem prefixa huic disputationi sentētia (cōmunem aliorum assensum comprobante) nouissimā *Petauij* proposuerimus:& subinde auctoritates & media vtramque cōprobantia. Ab his sperantes, nullum posthac futurum,qui assertis à *Petauio* velit adhærere, sed communi potiùs placito altas iam agenti radices, & extra omnem fortèan dubitationem his nostris impolterum constituendo.

3 Resoluimus † in *c.*12.§.4. Antiquis Græcis ciuilem fuisse annum Solarem vertentē,atque perfectum,365. dies & quadrantē integrātē. Et Solarē itidem cōmunem 360.diebus,mensibúsque12. æquabilibus tricenariis cōstantem. Et hunc quidē prę cęteris in vsu omnium Græcorum extitisse vsque ad tempora Solonis, qui Atheniensibus menses Lunares 29.dierum & dimidij indidit. Et post legem adhuc Solonis menses communes æquabiles tricenos iisdem Atheniensibus in vsu simul fuisse probauimus. Et demum eruimus,menses conceptus,seu parturitionis humanæ (quorū frequens mentio est in scriptis *Hippocratis* & *Aristotelis*) referendos ad hosce tricenos,non ad Lunares, vt aliqui etiam ex nostris opinati sunt.

Hæc (quæ *Petauio in notis ad Epiphan.* antea placuisse annotauimus in d.*c.*12.§.4.*n.*14.) is nunc ipse obnoxiè† 4
interuertere destinat in *prioribus primi libri & tomi de doctrina temporū capitib.* præmaximè in *c.*5.vbi(post euersas anni Græci Scaligeriani,vt ipse aiebat in *c.anteced.* cōiecturas; auctoritatibúsq; triū insigniū Græcorum *Herodoti,Gemini,*& *Plutarchi,*& totidē Latinorum *Solini,Macrobij* & *Censorini* fretus) *Ciuilem Græcorū annū ex istorum mente & instituto Lunarem extitisse* asserit: *Atq; hoc illius expectasse conditorē,vt ad Lunæ motū,cuiusmodi ætas illa comprehēderat,menses exigeret.* Et ab his,*Græcanici anni simplicē formā Lunarē fuisse* predicat:idque tāquā securus euictor cōtra *Scalig.* iam ex voto profligatū decantat in *προθεωρίᾳ li.*1. & demum annum tantū Lunarē Grecis ciuilē fuisse sūma fiducia passim prædicat in d.*lib.*1.

Vt autem his occurreret, quæ pro anno Solari vertenti Græcorum adduci solent,eum opertaneum†& re- 5
conditum tantùm fuisse ait dict.*libr.*1. *cap.*5.& alibi,velut & nobis hodie Lunaris.

Et ſub hæc ad excluſionem anni communis 360.dierum, & duodecim menſium tricenorum, quando *Herodoti, Ariſtotelis*, & aliorum auctoritates effugere coram non poterat, eaſdẽ deludens, priſcorum Græcorum annũ
6 Lunarem † tricenum fuiſſe contendit d.*lib.*1.*c.*8 verſ. *Adiungit*, vbi ait: *Lunarem ante Solonem annum Athenienſes adhibuiſſe, ſed vitioſum, & iuſto longiorem, nimirum 360. diebus, cæterorum Græcorum more, conſtantem: primúmque ad emendationem anni Solonem ſe contuliſſe, & Auctorem ſuis extitiſſe, vt caſtigatiorem huius anni modum adſciſcerent, hoc eſt plenos, cauóſque menſes alternos agerent, quod ex Gemino* (inquit) *perſpicuum eſt.*

Ab his illud *Gemini*, paſſim circũlatum: *Græci menſes & dies ad Lunam, annos ad Solem deſcribere conſueuerũt*, in d.*c.*5. interpretatur † dicens: *Nihil*
7 *aliud eſſe quàm annos ad Solem accommodare, ita vt quatuor anni tempeſtatibus propria cuiuſque ſacra non aberrarent, ſed intercalationis fræno coercerentur.*

Demum omnibus quæ ex aduerſo adduci poſſe excogitauit *Petauius* (qui noſtra & ſexcenta alia non præuidit) generali reſponſione à prædictis eruta,
8 diſſoluit † d.*lib.*1.*c.*8. verſ. *Quintus*, edicens: *Nos ad hæc omnia Scriptorum veterum teſtimonia primum illud excipimus, ea partim de antiquiſſimo Græcorum anno Lunari accipienda videri, quẽ 360. diebus definitum eſſe ſuprà docuimus, partim ad ciuilem & vulgarem minimè pertinere, ſed ad interiorem & Solarem.* Et ſubinde ab his d.*lib.*1.*c.*15. veram anni ciuilis Lunaris rationem demonſtraſſe gloriatur.

Hæc ſumma eſt Petauianæ doctrinæ, quam aliquot aliorum extra relatos Auctorum teſtimoniis & rationibus, ſeu mediis in excurſu nititur cõprobare; & ex aduerſo adductis ab *Scaligero* (cum quo ſolo bellum iniit) facere ſatis. Quæ omnia j. ſuo apto loco examinabimus.

Nunc noſtra & omnium ferè, qui hiſce temporibus iſta tractarunt adſtruentes. Illud primo loco, nec præ- 9
termittendum, annotamus, malè † *Petauium* anni Solaris communis 360. dierum, & menſium tricenorum admiſſam ſententiam, ad *Scaligeri* inſectationem inſtruendam, ei ſoli ferè ſemper, totiéſque tribuiſſe: cùm aliorum plurium iam per nos relatorum in d.*c.*12.§.4. auctoritatibus innitatur, vt ex dicendis quàm apertiſſimè comprobabitur.

Fatemur, nouationes † in Diateri- 10
dis, Treateridis, Tetraëteridis, Octaëteridis, &c. intercalationibus, earúmq; rationibus ad anni Attici & communis cum Solis curſu adæquationem ab iſto *Scaligero* excogitatas (de quibus ipſe tantum gloriatur in locis à *Petauio* expenſis in προθεωρίᾳ *libri* 1.) optimè latéque ab eodem *Petauio* improbatas & exploſſas: ſed hæc alia res eſt ab anni communis & menſiũ tricenariorum conſtitutione & ratione, quam Græci præ cæteris gentium ſunt ſequuti, & vnus è multis *Scaliger* approbat, & *Petauius* incaſsùm in ſola eius perſona refellere contendit, quando verè & in ſe, ſuáſque *Epiphanianas notas* (quo ſenſu omnes vſquedum eas perceperunt) hoc ipſum bellum indicere, ſeu parare poſſet.

Et ſanè id deſertutum facilè † ſua- 11
deremur, ſi noſtra in dict.§.4. contenta prælegiſſet, maximè irrefragabilia *Hippocratis* & *Ariſtotelis* loca, menſium tricenorum communem vſum præ ſe ferentia: & poſt legem Solonis. Nunc autem cùm à concertationibus eiuſdem cum aliis ſuæ gentis eius geniũ, & θυμὸν ἀνένδοτον præcalluerimus, & noſtra ſimul agnoſcamus magna ex parte ſuorum altæ molis

duorum

duorum tomorum *de Doctrina Temporum*, delapsum & ruinam velùt ineuitabili fato minitari, securè nobis pollicemur, quinimo præuidemus ea magno odio ipsum perlecturum, & fortean λοιδορίαις, quibus nulli vnquã mortalium cedit insequuturum. At ista (condignâ suo tempore, si opus fuerit, σκυτάλλῃ coërcenda) ex nunc (vt more nostro loquamur) insuperhabenda ducimus, dum iustè, meliusque sentientibus, & sedati animi φιλαυτίας τὶ, & caloris iracundiæ expertibus verioris placiti iterata obfirmatione & propugnatione fecerimus satis. Id quod aptiùs perficiendum ducimus, si nostra, vt præposuimus, velut per transennam repetentes, quæ super iisdem & aliis Petauius excogitauit, subinde perpenderimus: & his, quibus suam adstruit sententiam, elisis, nostram, aliis atque aliis ex causis, seu mediis, & quidem irrefragabilibus præmuniuerimus.

SECTIO PRIMA.

Annus communis Græcorum 360. dierum, & menses duodecim triceni æquales plurium auctoritatibus comprobantur.

11 PRINCIPIO re ista (in qua plus operatur Historia,† & Auctorum antiquorum, priorisque notæ auctoritas, quàm syllogismus) primo se nobis offert loco antiquissimus *Hesiodus* per nos expensus in *c.*12.d.§.4.*numer.*4. qui nulla alia ex causa, vt ibidem prædiximus *trigesimam* mensis *diem* ἀρίστην *optimam* appellauit, nisi quia menses apud Græcos perficiebat & complebat.

Video Petauium his occursurum & responsurum, *Hesiodum* Solone antiquiorem intelligendum † de mense Lunari antiquitus magno errore 30. diebus constante vsquedum Solon lunæ cursui eum peræquauit, vt securè iste asserit *libro* 1.*cap.*6. ab *Herodoto, Gemino*, & *Censorino*. Sed certè illis ista imponit, maximè *Herodoto* per nos expenso d.*cap.*12 §.3.*numer.*4. cui concinit *Geminus*, quando antiquis Græcis menses tricenarios fuisse, & superadditiis, seu appendicibus diebus Solis cursum anno coæquare eosdem cõsueuisse testatur verbis illis, à Petauio expensis, οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον, τοὺς δὲ ἐμβολίμους παρ' ἐνιαυτόν. Vt inde non ineptè ab hisce & aliis per nos adductis in d.§.4.*n.*12. *Geminum* inter assertores anni communis, & mensium tricenorum connumerauerimus.

Nec enim aptè suam adstruit sententiam Petauius, dum *d.cap.*6. prædicta *Gemini* verba referenda & subaddenda curauit præcedentibus eiusdem *Auctoris* asserentis (ex mente Petauij) *Græcos aliter, atque Ægyptios, annum suum ad Lunam condidisse:* nam hisce duplicem † lapsum committit: 13
primum dum *Geminum* ad remotiora, proximioribus prætermissis, remittere parum aptè tentat. Secundum, dum eadem remotiora interuertit. Nullibi enim *Geminus* edocuit quod ei Petauius imponit. Adde, nec ipse veram esse aliquo modo potuisse hanc Petauij assertionem, attentis his ipsis quę ab eo *inferius* de mense communi

Solari Ægyptiorum, Græcorúmque annotabimus. Stare ergo nec vllo modo possunt illa anteriora eiusdem Petauij in c.5. *Etenim principio Græcos, ait* Geminus, *cum Lunæ menses tricenis diebus expleri crederent, tricenarios quoque menses suos instituisse.* Cedo Geminum altero alio in loco ista dicentem præter expensum à Petauio in d. *cap.6.* qui pro nobis apertè stat iuxta proximè dicta.

14 *Censorinus* † verò (cuius auctoritate ad prædicta obfirmanda Petauius innititur) in *c.18.* aliter rem adstruit ac ipse supponit, & Græcos ad Lunæ modum suos menses exegisse notat, eosque alternis annis 12. & 13. mensium fecisse, quod à mensibus numero tantùm duodecim, iisdemque æqualibus tricenis longè distat. Quid quòd *Censorinus* de anno cum mensibus Lunaribus in aliquibus Græciæ ciuitatibus vigente loquitur, vti suo loco notabimus; vt hinc parum aptè, & à valdè (vt aiunt) separatis Petauius infirat ad omnium Græcorum priscorum mensem tricenarium Lunarem ante Solonem.

15 Ad hæc † nil agit Petauius d.c.6. dum præsuppositis Antiquorum intercalationibus ita ait: *Vnde mendosa & perturbatissima anni forma tunc temporis fuit, quàm sæpius multorum dierum detractione atque intercalationum omissione castigari oportuit. Quod Herodotus innuit, dum plerosque Græcos ait: διὰ τρί-του ἔτους ἐμβάλλειν, & ἡμέρας ὑφαιρεῖν: ergo seculo adhuc Herodoti Lunarem annum diebus 360. menses singulos tricenis absolui multorum animis insita, & πατρο-παράδοτος erat opinio.* Nam vtcunque ista, *inferius* repetita, consideremus certè Petauius à longè diuersis arguit. Quid enim commune habet erronea (vt prædiximus d.§.4. *num.29.* priscorum ab *Herodoto* enarrata intercalatio cum mensibus tricenis & anno communi 360. dierum, quorum vsum vno & altero loco à nobis expensis in d.§.4. *numer.*3. clarè prædicat *Herodotus*? His subadde apertè *Censorinum*, & alibi *Geminum* loquutos de intercalationibus mensium Lunarium dierum 29. & ½. deque eorundem peræquatione cum anno naturali vertenti Solari intelligendos iuxta notata per nos in d.§.4. *num.29.* Cùm autem *Herodotus* præcisè & expresse agat de alia diuersa mensis tricenarij post biennium, aut triennium exactum intercalatione, clarè consequitur, malè Petauium eiusdem intercalationis assertores fecisse *Herodotum*, *Geminum*, & *Censorinum*. Manet ergo suâ tantùm auctoritate comprobata isthæc opinio, quam *communem* vocitat in *cap.7.*

Id enim quod Latini *Exiguus*, † & 16
Beda à *Petauio* relati suis temporibus (quando bonæ artes exulabant) accidisse testantur, vt quidam menses Lunares existimauerint tricenos, & ab iisdem annum communem 360. dierum componi, veritati historiæ antiquæ (quæ aliter se habebat, vt sentit *Exiguus* in verbis ipsis à *Petauio* expensis) præiudicio esse non debet.

Maximè considerantibus, Solonem
omnium † primum Atheniensibus 17
mensium Lunarium vsum monuisse, vt disertè enarrarunt *biographi Plutarchus* & *Diogenes* per nos expensi in d.§. 4. *num.27.* Triceni ergo menses, quos antea probauerat *Thales Milesius* in eodem *Diogene* per nos relatus in d.§.4. *nu.7.* Lunares non erant. Nec satisfacit duplex istis intermixta Petauij solutio in *lib.1. c.8. vers. adiungit:* nam dum primò ait, à Solonis emendatione saltem colligi, post ipsam menses Græcis Lunares fuisse, suam generalem resolutionem, seu propositionem infringit. Sed nec in se ista solutio vera esse potest vllo mo-

do. Cùm à Solonis lege Atheniẽsibus tantùm rogata, cæteræ Græciæ Regiones (quæ diuersis legibus continebantur, & Atheniensium res magno potiùs prosequebantur odio, vt constat ex *Thucydide, Diodoro, Pausania*, & aliis) menses ciuiles tricenos adhuc retinuerint. Quin ipsis Atheniensibus & post legem Solonis in vsu fuerunt, vt vtrumque satis supérque probauimus in d.§.4.

18 At secunda solutio, † quã *Petauius* supponit, Solonem menses Lunares priscorum Græcorum castigasse, suppositititia planè est, quinimò contraria verbis illis *Diogenis* ἠξίωσε τοὺς Ἀθηναίους τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν, *Athenienses monuit, vt dies secundùm Lunam agerent*, expensis illis posteriorib. κατὰ σελήνην, quæ sanè Solonem primũ Lunarium mensium ad vsum ciuilem Auctorem præ se ferunt, iuxta iam notata per nos d.§.4.*nu*.8.*&* 27. Quibus adde, terminos istos, & loquendi modulos κατὰ ἥλιον, & κατὰ σελήνην tanquam aduersantes, & ἐναντίως adduci, & vsurpari solitos, maximè à Mathematicis (qualis erat *Geminus*) vt inde κατὰ σελήνην μῆνας ἄγειν, *menses Lunæ accõmodos agere* ex lege Solonis, idipsum supponat & importet ac si *Diogenes* dixisset, menses antea Solares, vel indifferentes tam Soli, quàm Lunæ inæquales, Solonem Lunæ peræquasse, strictiori quã potuit, & adaptiore simul vsui ciuili formâ; & dierum mẽsis æquali numero (quicquid dixerit *Petauius* illicò refellendus) adhibito. Alioquin *Diogenes* clarè dixisset, seu enarrasset, à Solone menses Lunares emendatos, vel quid simile.

19 Nec dissimulandus † est obiter magnus *Petauij* lapsus his solutionib. interfectus, dum affirmat, Solonem menses Lunares plenos, cauósque alternos instituisse. Hęc quippe ad Astronomos spectantia βιαστικῶς ad mẽses Solonis traducit, qui certè vniformes fuêre ab eius institutione: & inde vltimus cuiusuis mensis dies, ἕνη καὶ νέα dictus, iuxta latè per nos iam notata in d.§.4.*nu*.27. Nec quicquam *Petauium* iuuãt illa *Gemini* malè ab eo percepta: ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος, καθάπερ εἴρηται, ἡμερῶν κθ' ½ λγ'. οἱ δὲ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν, ὁλοσχερέστερον λαμβανόμενοι μηνιαῖοι χρόνοι, εἰσὶν ἡμέραι κθ ½. ὥστε τὸν διμηνιαῖον χρόνον γίνεσθαι ἡμερῶν νθ'. ὅθεν διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ κατὰ πόλιν μῆνες ἄγονται πλήρεις καὶ κοῖλοι, διὰ τὸ τὴν σελήνην διμηνιαῖον ἡμερῶν εἶναι νθ'. His namque (à *Petauio* expensis *lib*.1.*c*.5. & à nobis iterum explicandis & Latinitati simul etiam condonandis) id vnũ *Geminus* eruere conatur, Solonis scilicet mensis plenis, cauísque Astronomorum verè respondere, διὰ τὸ τὴν σελήνην διμηνιαῖον εἶναι νθ', *ex quo duplex Lunæ periodus* ex lege Solonis 59. *diebus integraretur:* quòd si prefata omnia *Gemini* ad vnicos menses quis referre curauerit, vero eorum sensui cõtrariatur, vanóque multiloquio, & superuacuâ eiusdem repetitione consequenter eum inuret.

Dicet aliquis, *ciuitatum menses, vel magis numero dierum inter se discrepantes, dies vbique habere totos*, teste *Censorino cap*.22. At ista ad omnes gentium, seu ciuitatum menses referri non debent, sed ad Albanos, Tusculanos, & similes, à quibus isthęc *Censorinus* obseruauit. Quòd si Græcorum menses etiam respiciunt, de aliis certè præter inductos à lege Solonis (qui verè vniformes fuêre) sunt intelligenda. Velut illa eiusdem *Censorini* eodem cap. *Minimè videntur errasse, qui ad Lunæ cursum menses ciuiles accommodarunt, vt in Græcia plerique, apud quos alterni menses ad tricenos dies sunt facti.* Etenim Atticus Lunaris mensis Solonis

nunquam fuit plenus, & triginta diebus exactis constans.

20 Sed nec silentio † inuoluenda est (vt ad propria redeamus) insignis *Petauij* in iam prænotatis contrarietas, qui postquam *lib.1.c.7.* menses Græcorum in posterum Lunares tantùm statuit, & ex voto alios exterminarat, ingenuè agnoscit, annum eorundem communem 360. dierum Solarem fuisse, & simul quinque dies appendices *extraordinarios, aduentitiósque* indigetauit. Nunc sic, *Petauius* d. *lib.1.c.5.* à mensib. Lunaribus annum confici Lunarem affirmat, & menses cum anno (vt aiũt Logici) conuertit: ergo à Solaribus mensibus, & non aliis annus Solaris componetur: ergo annus communis 360. dierum (qui Solaris est, vt fatetur *Petauius*) à tricenis mensibus Solaribus conflabitur. Si enim ante adiectionem 5. dierum appendicum annus iste Solaris est, vt malo omine *Petauius* ratus est, quis negare poterit, 12. menses annum istum Solarem integrantes Solares fuisse? Hîc certè *Petauium* (qui conquisitis vndique responsionibus in sui mensis ciuilis Lunaris adstructionem vsurum se innuit in *lib.1.c.8.*) clarè detinemus, & ineuitabilis velut fati vi cogimus, vel à suo vnico mense Lunari ciuili desistere, vel annum cómunem *Lunaris* deinceps appellatione cohonestare & ista corrigere: nouum insuper huic anno nomen indicendo, contra ea quæ *Herodotus*, & alij ab Antiquitate enuntiarunt: & contra commune cęterorum placitũ: quin & contra veram huiusce rei seriem & continuationem communis Græcorũ ad consimilem Ægyptiorum, qui Solaris ipsis fuit, & à Lunari omnino seiunctus, ex traditis per nos in *c.12.§.3. n 4.* Vt inde hoc ipsum indubiè tenendum sit, quod attinet ad Græcos, qui ab Ægyptiis ista desumpserunt, vt ibidem à pluribus comprobauimus. Quẽadmodum ergo Ægyptij annum suum communem Solarem in 12. menses itidem Solares diuiserunt, vel Solarium vicem habentes, vt diximus in d. §.3. & comprobauimus ibidem ab *Herodoto*, & *Clemente Alexandrino* d. *num.4* (& aptiùs atque exactiùs demonstrabimus j. *num.126.* à *Diodoro Siculo*, & aliis) ita & de anno Solari communi Græcorum in totidem menses tricenos æquales diuiso dicẽdum est, quicquid renuat *Petauius*, postquam suos priscos menses Lunares tricenarios Græcanicos is ipse suis istis subterfugiis eluserit, & magis ac magis nobis Solares fecerit.

A quibus omnibus planum fit mensium Lunarium ex voto tricenorum subterfugio à *Petauio* excogitato, *Hesiodi* ΤΡΙΑΚΑΔΑ ΑΡΙΣΤΗ, TRICESIMÆ diei OPTIMÆ neutiquam fieri satis. Et verè vltima inde mensis Atoti ferè Græciæ τελευταία dicta est, Athenienfibus verò solis ἕνη καὶ νέα, vt ex *Polluce inferiùs* expendendo *nu.63. ante finem*, mirè comprobatur, & iterum ab *Scholiaste Aristophanis num.83.* Hísque accinunt diuersæ illæ denominationes, μῆνες ἐνδεκάφθινοι & ἐννεάφθινοι: hi enim 29. dierum erant ex *Galeno de dieb. decret. lib.3. cap.4.* illi verò triceni pleni: ideò sic appellati, quia supra 20. dies aliud haberent denarium, quo finirentur, vt post *Scaligerum* notat *Gordonus in opere Chronolog. capite 17. n.13.*

SECVNDÒ, in annum simplicem Lunarem vndecunque ciuilem Græcorum à *Petauio* excogitatum, & pro anno illorum communi Solari, mensibúsque eiusdem tricenis æquabilibus adduxi *Herodotum* † *lib.1.& 2.* in 21 verbis enarratis in dicto *cap.12.§.3. d. num.4.& §.4.num.3.* quibus vetustissimus is descriptor Historiæ vniuersæ

Græ-

Græciæ, quin & Barbarorum anni, mensiúmque communium tricenorum rationem adeò planis, simplicibúsque verbis interseruit iuxta nostras in prædictis locis expensiones, vt nullâ possint tergiuersatione vitari.

22 Et quidem Petauius (qui dictis† tantùm causâ *Herodoti* auctoritate ad suam sententiam affirmandam vsus fuerat, séque eâ innixum parum aptè asseuerauerat *lib.*1.*c.*5.*vers.Nos his auctoritatibus*) cùm sese multum re vera ab illo vrgeri videret varias euasiones parauit. Et primò eum intelligit dicto *lib.*1.*c.*6. de mensibus tricenis Lunaribus, ex opinione antiquorum Græcorum, à vera tamen anni Lunaris dimẽsione aberrantium. Idque probare cõtendit ab intercalationibus, quarum mentio habetur in iisdem *Herodoti* locis, quæ cum alternis (vt iste ait) fierent annis, inde infert, easdem fuisse cum enarratis à *Censorino c.*18. mensis embolimi secundo quoque anno in-
23 terserti. Sed fallitur † apertè, dum mẽsis triceni intercalationem (de qua loquitur *Herodotus*) & Lunaris *Censorini* eandem facit, contra ea quæ resoluimus d.§.4.*n.*29. varias multiplices & aberrantes Græcorum intercalationes expendentes. Et simul in ista Petauij notantes, *Herodotum* de duplici mensis tricenarij intercalatione loquutũ: vtpote de ea quæ exacto biennio fiebat in *lib.*1. de ea verò quæ post triennium patrabatur in *lib.*2. sicque percipienda illa huius *Auctoris* διὰ τρίτου ἔτεος, quæ perfectum & transactum triennium præsupponunt, iuxta tradita per nos d.*n.*29. In quorum prosecutione & confirmatione nunc à Petauio
24 † disquirimus, quid sit intercalationẽ alternis annis fieri in *Herodoto libr.*1. Certè respondebit, ista, intercalationem secundo quoque anno faciẽdam, pręse ferre. Sed tunc instamus, an in principio, vel fine anni fiat? Dicet sanè, in fine anni cum *Censorino & Gemino:* ergo alternis annis intercalatio facta biennium exactum præ se fert. Quis autem dicet idem esse intercalare *alternis annis*, & *tertio quoque anno:* vel vt propriùs loquar, post tertium quemque annum. Id enim verè denotant prædicta illa *Herodoti*, διὰ τρίτου ἔτεος: & sanè hoc idem est ac si diceres, διὰ δευτέρου ἔτεος, & διὰ τρίτου ἔτεος pro eodem vsurpanda. *Herodoti* ergo intercalatio mẽsis triceni διὰ τρίτου ἔτεος longè differt à *Censoriniana*, quę alternis fiebat annis. Vltra quam quòd illa erat mensis triceni ciuilis seu communis Solaris, ista verò *Censorini* mensis Lunaris. Licèt enim quindecim dies *Censorinus* pro dimidiato mense desumpserit, & interseruerit, non tamen inde contra omnes ferè inferas, Lunares menses in *Censorino* tricenos fuisse: nam vsus ciuilis, qui exactam dierum supputationem non attendebat, & dies præcise integros intercalandos curabat pro 14. diebus & $\frac{3}{4}$. (quibus dimidiatus mensis Lunaris constabat) 15. dies plenos superaddebat, vt qui propiùs dimidio mẽsi Lunari accedebãt.

Et quidem ab his ego ad vtramque istam intercalationem mensium Lunarium & tricenorum referenda† duco generalia verba *Diodori* expensa in 25
d.§.4.*nu.*1. vti iam ibidem aduertimus *n.*29. Vt inde quę trepidus dixit *Petauius lib.*1.d.*c.*5. de ὑφαίρεσι, & subductione dierum, ab intercalatione mensis triceni clarè maneant comprobata, idque nobis saltem debeat, cùm à tanto *Auctore* eius nutabunda comprobauerimus.

Cùm autem Petauius nec sibi ipsi fecisset satis præposita euasione, & adhuc suo mensi Lunari ciuili *Herodotum* verè obstantem præuideret,

alia solutione vsus est dict.*lib.1.cap.6.* variis eius locis: & subinde in *libr.2. c.73.* securissimè asserens, *Herodotum* de mensibus Lunaribus tricenis in pluribus Græciæ partibus adhuc suo tempore vigentibus loquutum, idque innuisse putauit, dum plerosque Historicus ille antiquus ait: Διὰ τρίτου ἔτους ἐμβαλεῖν ἡμέρας,& ὑφαιρεῖν: à quibus Petauius (vt iam notauimus §.*nu.* 15. ita infert: *Ergo seculo adhuc Herodoti Lunarem annum diebus 360.menses singulos tricenis absolui multorum animis insita, & πατροπαράδοτος erat opinio.*

Hîc nobis certè multa occurrunt:
26 sed illud primo † loco examinandum, an *Herodotus* (vniuersæ Historiæ Græcorum,vt prædiximus,enarrator) id quod de mensibus tricenis edixit ad plerosque Græciæ populos retulerit, an ad omnes? Et quidem si verba *Herodoti* per nos expensa d.§.*nu.*4.attentè inspiciantur,clarè nobis demonstrant, eum de Græcis in genere,vt aiunt,loquutum fuisse, quemadmodum & totius Aegypti anni formas & intercalationes ibidem enarrauerat. Imponit ergo Petauius *Herodoto* intercalationem quibusdam Græciæ partibus (ac ipsum decebat) contingentem,& generaliorem subtrahit vniuersam Græciam continentem. *Vniuersam* dico,& iustè quidem, cùm & post Solonem Athenis annus communis, & menses tricenarij in vsu fuerint,vt ab *Hippocrate, Aristotele*, & aliis plenissimè probauimus in d.§.4. Vt ab his planum fiat *Herodotum* vniuersali oratione eloquutum, suo tantùm ductu Petauium limitasse & restrinxisse: & *Censorinum* ex aduerso (de aliquibus Græciæ partibus, aut populis, de quibus loquitur in d.c.18. præcise intelligendum) ad vniuersam Græciam inconcinnè retulisse in *lib.1.c.3. & 4.* & aliis. Quod certè valdè mirandum & notandum.

Et multo magis quod is ipse Petauius postea in se † asseruit & resoluit 27
2.*tom.lib.9.c.39.* vbi *Herodotum* vniuerse atque ἀορίστως ista descripsisse ratus est.

Ad hæc Petauius in verbis illis proximè relatis † & ἡμέρας ὑφαιρεῖν, quæ 28
Herodoto tribuit, eundem subductionis dierum mensis intercalarij auctorem facit,& quidem ὑφαίρεσιν, seu subductionem concedimus, ex dictis §. cum *Diodoro*: at prędicta verba *Herodoto* (quem interpretamur) certè imposita notamus. Quòd si Petauius ea in suo adinuenit *Herodoto*, cur, quæso, hanc subductionem notans asseruit? vt §.aduertimus. Vides vt iste *Herodotum* versicolorem facere destinauit ad sua adstruenda, & simul affirmandam illam suam conclusionem: *Ergo seculo adhuc Herodoti Lunarem annum, &c.*

Sed & ad exterminandam præfatam Petauij illationem sequentia in summa † superaddenda duco. Primùm 29
ipsum à lege Solonis (quam generalem supponit,& omnem Græciam tenentem & afficientem) clarè enunciasse in *lib.1.cap.8.vers. Adiungit,* vniuersam Græciam menses Lunares plenos & cauos obseruasse. Quî ergo fieri potuit,vt *Herodotus* rerum & rituum Græcanicorum scientissimus (quo ex capite eum extollit *Dionysius Halicarnasseus in epistola ad Cn. Pompeium*) mensium tantùm tricenorum mentionem fecerit, & rationem inierit post legem Solonis? Nisi dicas, eum extra Athenas iam diu degentem (vt obseruat *Dionysius*) & totius Græciæ Historiam aggressum eius annis & mensibus communibus & ciuilibus vsum fuisse, & singulares Atticos prętęriisse. Quos certè Solon omnium

omnium primus adinuenerat, ex iam dictis §. (ista Petauiana secundo loco subinde infringentibus.) Tertiò explodũtur à suo Auctore, qui *lib.1.c.7.* menses tricenos facit Solares, simúlque latentes & reconditos, vt illicò videbimus. Quartò noto, eundem *Herodotum lib.3.* seu *in Thalia, c.22.* & 23. cùm de annis Persarum & Aethiopum agit, præcisè intelligendum de Solaribus; vt inde de eisdem eloquutum in præcedentibus libris clarè subinferamus.

Demus denique, antiquissimos Græcorum Lunaris cursus exactioris ignaros triginta dies cuique mensi accommodasse (id quod Aegyptiis contigisse innuit *Diodorus lib.1.*) quis non videt quo tempore *Herodotus* historiam suam conscripserit, errorem istum Aegyptiorum simul cum annis Lunaribus 30. tantùm dierum, de quibus in *Diodoro* §. cessasse: & illis menses tricenos (vt ab eodem *Diodoro* aptissimè probabimus §.*n.*126.) Solares ciuilésque fuisse: & quinque appendicibus, sub finem cuiusque anni interiectis, eo dem anni naturalis cum mẽsibus prædictis peræquationem fermè curasse? Vt inde perquàm euidens fiat, *Herodoti* seculo Græcos, insignes Aegyptiorum institutorum imitatores, menses 12. tricenos Solares ciuiles itidem egisse, cum quinque diebus appendicibus & quadrante, annũ vertentem integrantes. Quæ sanè consideratio funditùs euertit quæcunque *Petauius* de mensibus tricenis Græcorum Lunaribus sæpe sæpiùs scriptis suis intermiscuit.

Tertio loco pro anno communi, & mensibus tricenis Græcorum expendimus † n d §.4. *nu. 6. Plinij* testimonium de 360. statuis Demetrio Phalereo dicatis (quarum itidem meminit *Diogenes in eius vita*) & verba illa Plinij: *Nondum anno hunc dierum numerum excedente*, à *Varrone* confirmauimus, dicente: *Demetrium tot statuas adeptum, quot luces habet annus absolutus.* Sed his occurrit *Petauius lib. 1.c.8.* vers. *Sequitur*, dicens: *Eadem insuper ad Plinij, Varronisque locos adhibenda responsio, quos & Aegyptiacam Solaris anni descriptionem, ac menses æquabiles ante oculos habuisse, verisimile est. Plinius quidem cùm illud adiicit:* Nondum anno hunc numerum dierũ excedente, *ad Iulianam formam, & mensium distributionem adiecit animũ, in qua quinque & interdum sex appendices dies, quæ hactenus velut peregrinæ, ac superfluæ ab ipso anni corpore reiectæ atque actuarij loco in calcem coniectæ fuerant in annum ipsum, & naturalium dierum σύστημα recepta sunt, adeoque mensibus varius superfusæ. Propterea cũ annus antea diebus 360. definitus est, quoniam reliqui quinque extranei quodammodo, Solisque vias in fine constiterant post Iulij Cæsaris ordinationem anno Solari 365. dies imputari cum quadrante cœpti sunt. Non alia mens Plinij, cùm hæc scriberet, fuit.* Hæc vt exactiùs percipiantur, premittendus est idem *Petauius lib.1.c.5.* ita dicens: *Quoniam duo præcipua sunt sidera, quæ labentem annum cælo deducunt, quorum conuersione gentes omnes tempora metiuntur, vix vlla natio fuit, quæ tametsi ad alterutrius annuum orbem ac circulum ciuilia interualla digereret, non alterius quoque rationem habuerit. Itaque & qui Lunaribus annis vtebantur, Solares motus nihilominus obseruabant: & qui popularem annum ad Solem accommodabant, aut ad eum propius accedebant, vt Aegyptij, Lunæ interim rationes adhibebant. Sed illud interfuit quod alterum annum publico vsu, ac ciuili palam explicarent, alterum velut opertaneum & reconditum habuerint, vt eius ratio solis Sacerdotibus, aut peritis constaret. Nam & Aegyptij cum æquabili suo*

anno periodos Lunares implicabant: & Iudæi ipsi, quibus ad Lunam descriptus erat annus propter embolismos & cardines, siue Tekuphas Solaris anni modum aliquem statuerant. Quocirca Græcos minimè dubium est vtrumque annum domesticis interuallis esse complexos, quamuis vnius duntaxat vsum exererēt. Nec enim aliter vel easdem tempestates repræsentare possent, nisi Solis ratiocinia sequerentur: vel nouiluniis, ac pleniluniis festos illigare dies; si Lunaris circuitus planè expertes fuissent. Sed illud quæritur, ecquodnam genus anni populare, vulgóque cognitum & vsurpatum habuerint: cuius sensus ad omnes etiam imperitos manaret. Et subinde resoluit, Græcis annum & mēses Lunares manifestos fuisse, & in vsu publico & ciuili: annum verò Solarem opertaneum & reconditum habuisse. Et hoc ipsum repetit in *c.7.* vbi & menses tricenarios, seu Solares latentes facit. Et quidem ab his generalem solutionem, seu mauis euasionem præparat omnibus Antiquis prioris notæ Auctoribus, in quorum scriptis anni communis & mensium tricenorum Solarium mentio aut ratio est. Quibus cum, à mensibus tricenis Lunaribus expressis (de quibus *Herodotum* intelligendum asseuerauerat) re vera destitit. Déque anno & mensibus istis latentibus demum intelligit *Plinium* in verbis s̄. expensis.

Sed hæc affectata, & nullius testimonio affirmata, nouéque à *Petauio* inuenta ex multiplici corruunt capite.

31 PRIMÒ *Hippocrates*† & *Aristoteles* passim, imò ferè semper in rebus Medicis & naturalibus edocendis & demonstrandis anno communi & mensibus istis tricenis vsi sunt in pluribus locis per nos congestis in *c.12.* §.4. ex *nu.9.* Quis autem audebit dicere, istos rerum Medicorum & Naturalium priores Doctores anno & mensibus reconditis vsos cùm omnes edocere cōtenderent, & ciuiles populi, eósque Lunares (ex *Petauio*) longè aptiores omisisse?

Ad hæc, *Plinius* rem apertam† & ciuilem publicámque Athenis contingentem enarrat, & ab annuo comprobat cursu: ergo à ciuili & communi, omnibúsque in vsu, alioquin ineptè ratiocinaretur. Quid quòd si annus tantùm Lunaris esset Atheniensibus *ciuilis* temporibus Demetrij, *Plinius* & ante eum *Varro* tractationem suam magis miram facerent, & statuarum Demetrio dicatarum ingentem numerum aptiùs & pleniùs commendarent, si eum anni dies non æquasse, sed superasse enuntiarent. Ecquis non videt, illum statuarum numerum anni communis & ciuilis diebus ex integro respondisse: Athenienséſque curasse (vt colligitur ex *Varrone* & *Plinio*) vt tot essent statuæ, quot dies annui cursus ciuilis, non plus minúsve: idque non sine mysterio, sed vt Respublica omni tempore, seu quoquam die, gratias acceptorum beneficiorum Demetrio, velut præ oculis stanti, rependeret. 32

SECVNDÒ vidimus, vt *Petauius* cùm satisfacere conaretur *Herodoto*, menses illius tricenos Lunares, apertósque fecit simul cum anno communi: nunc autem eosdem latentes, & velut subterraneos fingit in *Plinio*, & priùs in *Aristotele*, ex notandis *infrà*. Vt inde magnam eius inconstantiam † & contrarietatem miremur, qui 33 tam paucis interiectis lineis eundem annum & menses, Lunares & Solares, apertos & coopertos esse voluerit: *Herodotum* interpretatus in anno & mensibus Lunaribus, & apertis: *Aristotelem* verò & *Plinium* in Solaribus, eisdémque latentibus. Ecquis, quæso, *Petauio* ista adeò aduer-

aduersantia suppeditauit? vnde desumpsit? quámve causam diſſidentium annorum & mensium inter hosce Auctores habuit? Cur isthæc in re tam seria, debitáq; auctoritate destituta subticuit? Miseret me certè istius, cùm adeò ingentia machinamenta mente concepiſſe perspicio.

TERTIÒ, noster *Petauius lib.1.cap.*8.
34 ab *Scaligero li.*4.*in princip.* eiúsque nomine suppreſſo, annum τῇ φύσει † *natura* Solarem aſſerit: *Quoniã sideris huius conuersione simplici definitur:* & Lunarem artificialem facit: *Quia simplex non est, sed ex duodecim & interdum* 13. *Lunæ cursibus, ac periodis cõficitur.* Quis autem patietur, sinétque Petauium annum NATVRALEM Græcis (in Physicis & Politicis dexterrimis) opertaneum & latentem constituentem, & ARTIFICIALEM ex contrario communem & ciuilem conficientem seu confingentem? Aut quis sibi suadebit, verum & *naturalem* annum velut tenebris inuolutum, & vi naturæ (semper, vt ait *Satyricus*, recurrente) præclusa, *artificialem*, seu confictum tantùm annum ciuilibus rebus & vsui populi adaptatũ? Hæc nec vlli *Petauium* vspiam suasurum securiſſimè nobis pollicemur.

QVARTÒ, à proximè propositis *Petauius eod.cap.*8. subinfert, cùm de anno simpliciter loquimur, eiúsque conuersione, de Solari † tantùm intelligẽdum etiam apud Iudæos & Græcos antiquos, ab his autem velut euidẽter sequitur vtriusque annum communem seu Solarem ciuilem fuiſſe, vt resoluimus in *c.*12.§.2.& 4. Alioquin dubia anni pronuntiatio tacitum & opertaneum tantùm annum denotaret, non expreſſum simplicem ciuilem & communem, qualem *Petauius* Græcis facit annum Lunarem.

QVINTÒ, annus communis 360. dierum in suo (vt aiunt) genere †. constans & perfectus est, etiam ante quinque dierum appendicum cum quadrante adiectionem, vt agnoscit *Petauius* in verbis *suprà* expensis dicti *capit. octaui.* Cùm ergo is *Auctor* annum naturalem Solarem vertentem 365. diebus & ¼ constantem opertaneum & reconditum, & alienum ab vsu ciuili facit, & accommodum tantùm ad sacra, æquandásque tempestates, annum communem 360. dierum (de quo agunt *Plinius* & *Varro*, ceteríque relati, & alij plures *inferiùs* referendi) apertè excipit ab ista sua anni adumbratione, vt quis alius est à Solari vertenti & perfecto, nec aptus quidem per se ad dimetiendas anni tempestates. Manet ergo in *Plinio* & reliquis annus communis à duodecim mensibus tricenis æqualibus conflatus, parens apertiùs & paſſim obuius; ac subinde eius menses triceni liberi erunt ab ænigmatico anno, quem *Petauius* omniũ primus adstruxit. Sed neque is ipse aptè cùm anno verè Solari recondito menses itidem tricenos intermiscuit, cùm annum communem tantùm respiciant, & hunc quidem liberum à suppreſſione anni vertentis per *Petauium* excogitata. Qui planè ab istis deprehenditur, terminos (vt aiunt) confundens, & eandem incaſſum supponens causam anni verè Solaris vertentis 365. dies cum quadrante integrantis, & anni communis 360. tantùm diebus constantis.

SEXTÒ, cùm *Petauius* magna anni communis & mensium tricenorum vbique occurrentium mole eſſet opprẽſſus, & opertaneos suos annos & menses iam diù latentes † continere 37
non poſſet, tandem succubuit, eósdémque Græcis in vsu fuiſſe velut pedetentim admittit variis locis: & primùm in dict. *libro primo, cap.*7. ita Latinè & verè quidẽ à *Theodoro Gaza* ait: *Dupliciter igitur contemplabantur, an-*

num nempe alterum diebus circumscribant 360. quem ad Solem accommodabant, quod in totidem partes signifer tributus sit: cuius anni quintam partem dies esse duos & septuaginta dicit Aristoteles. Alterum diebus 364. definiebant ad Lunæ circuitus. Tum pro cuiusque ratione mensis alios ad Solem, alios ad Lunam descriptos adhibebant, atque istis quidem triginta, illis verò quinque dies inter calarios appendebant, aut præter quinque, si quid insuper quartus quisque exiens annus auferret: istíque sequentia subiungit: *Hæc Gaza, & quidem verè.* Cùm ergo *Gaza* annorum & mensium Græcis vsitatorum formam æquè descripserit, nec quidquam de tacitis & implicitis annis & mensibus dixerit, nec senserit: quin potius totum cōtrarium denotet eius oratio generalis, seu absoluta (quæ menses Lunares expressos, tricenos verò latentes esse non patitur) istámque *Gazæ* sentētiam laudet & probet *Petauius*, non abs re erit asserere, ipsum annum communem, & menses tricenos apertos supposuisse, & simul approbasse. Dices eidem *Petauio* hance *Theodori* doctrinam, & aliorum consimiles displicuisse antea eodem *lib. c.*4. Sed hoc nihil aliud pariit præter *Petauiana* † ἀνλιλογίαν: &

Reponendū est 354. vt infrà.

38 simul vrgētem quandam suspicionem, quod is à variis dicteriis & perquisitionibus diuersorum Amanuensium ista (quin & alia plura repetitionis & contrarietatis vitio laborantia) concinnauerit. Nos autem eius *posteriora* (quæ semper, vt est in dicterio *meliora*) attendimus tantùm laudamus & probamus: & quòd menses parturitionum tricenos insuper fuisse Græcis idē *Petauius* velut supposuerit dicto *libr.*1. *cap.*8. *vers. Præterea.*

Ad hæc, *Petauius* disertiùs pro anno communi & mensibus tricenis stetit *libr.*1. *d. c.*8. *in princ.* vbi eos ordinarios

39 † vocat: & quæ *Scaliger* de anno isto, & mensibus prædictis (communi aliorum placito adhærens) affirmauerat, *Petauius* expressissimis adeò verbis probat, vt si anno prædicto communi *ciuilis* nomē condonare dignaretur, exuisse omnino videretur conceptā anteà de anno Solari opertaneo, mensibúsque tricenis latētibus opinionem.

Ab istis idem *Petauius lib.* 4. *cap.*6. *Quo tempore* (ait) *epocha Seleucidarum, & Alexandrea condita est, anni Lunares erant, vt & Græcorum ferè omnium & Iudæorum.* Quibus sanè verbis non omnibus † Græcis annos Lunares ciuiles tunc temporis fuisse agnoscit. 40
Cúmque ad Macedonum annos & menses hoc referri non possit, quandoquidem *Petauius* eos Lunarium numero recensuerit, & in anno Iuliano sursum & deorsum vagari asseuerauerit *libr.*1. *cap.*29. videat nunc ipse, quos excipit à regula, quam verbis generalibus; aut absolutis sæpè & sæpiùs d. *lib.*1. firmè proposuerat, vt illi demonstremus, in omnibus Græciæ regionibus & insuper Athenis mensium tricenorum eundem vsum & post Solonem perdurasse.

Id quod ipse *Petauius lib.* 1. *cap.* 4. *in princip.* dexterrimè † eruit ab *Epiphanio hæresi* 51. nisi quòd tricenorum mensium vsum apud Athenienses admittit post emendationem Iulianam, adhuc simul persistens & asserens hos reconditos antea fuisse. In quo multipliciter notandus est. Primò, dum *Epiphanij* sententiam & supputationem ad annum & menses Iulianos refert: est enim longè varius, & ante annum Iulianum † Athenienses mensibus tricenis æquabilibus vsos: déque his intelligendum *Epiphanium*, vt *Petauius* sibi contrariis asseruisse videtur *in notis ad dict. hæresin* 51. in verbis *infrà* suo loco expendendis. Secundò, menses tricenos post Iulianam editionem ab Atheniensibus admissam 41 42

approbat *Petauius*, in quo ſibi ipſi eo-
43 dem loco iterum † contrariatur, cùm menſes Iuliani non ſint triceni æquales. Video eum reſpondentem, Athenienſes & in anno Iuliano quinque dies appendices cum quadrante more Ægyptiorum Thebanorum, aut Alexandrinorum nouè poſt caſtigationem anni Iuliani intercalaſſe. Sed, quæſo, vbi ſunt iſta? Si enim *Petauio* non ſolùm adſcititias reſponſiones vndequaque paranti, verùm & ariolanti, & hallucinanti, & pro libito confingenti indulgendum eſt, ipſe certè annorum & menſium antiquorum moderator erit & arbiter. Tertiò ex *Heſiodo, Thalete, Herodoto, Hippocrate, Ariſtotele*, & aliis per nos expenſis in *capite duodecimo*, §. *quarto*, apertiſſimè deprehenditur, menſes tricenos ſemper Athenienſibus in vſu communi fuiſſe: malè ergo anni Iuliani noua-
44 tioni † iſta tribuit *Petauius*: & ab ea, annum Solarem, & menſes iſtos anteà reconditos ciuiles eſſe cœpiſſe, ſecuriſſimè aſſerit, dicens: *Hæc prima mutatio, qua annus ex recondito ciuilis eſt factus.* Nec enim maiore fiducia proloqui potuiſſet, ſi ab *Herodoto, Thucydide*, alióve eiuſdem notæ illorum temporum, vel ſubſequentium, vtpote à *Diodoro, Plutarcho, Polluce*, & conſimilibus iſta diduxiſſet. Deniq; *Petauius* ſuam reconditi anni Solaris & menſium tricenorum latentium inconcuſſam ob-
45 ſeruantiam † peruertit, quando in *lib.* 1. dict. *cap.* 8. *verſ. Quintus*, præpoſitis circa annum Solarem hæc ſubiungit: *Qui licet diebus abſoluatur 365. cum quadrante, in eo tamen ſoli 360. ordinarij ac proprij communi iudicio cenſebantur, reliqui vel appendix quædam erat & acceſſio. Nec mirum id eſſe debet, quoniam Græci Solaris anni modum, atque vſum ab Ægyptiis Sapientibus didicerant. Nam Solonem & alios veteres, tum Platonem & Eudoxum deinde cum Ægyptiorum Sacerdotibus arctiſſimam ſcimus habuiſſe conſuetudinem, ab hiſque arcana multa percepiſſe; quare illorum exemplo duodenos menſes æquabiles obſeruabant,* Ecce Solonem & poſt eum *Platonem, Ariſtotelem*, & conſimiles (quorum ſententias, aut ſcripta Antiquitati debemus) anno communi, & menſibus tricenis Ægyptiis vſos ex ſententia *Petauij*, idque certè ipſum in aliorum antiquorum libris inuenimus partim iam citatis, partim *inferiùs* referendis. Vbi ergo annus iſte opertaneus? In operto ſanè, & extra fidem omnium quotquot hucuſque ſcripſerunt, vno excepto *Petauio*. Qui ſimul
lapſus † eſt, dum Solonem & *Platonem* 46
æquos anni Solaris, & menſium tricenorum obſeruatores facit: quandoquidem Solon agnouerit tricenos menſes, non vtique vt eos obſeruaret; quin potiùs vt immutaret, & illorum vice Athenis Lunares induceret: id quod, verè ſaltem quoad ciuilia conſequutus fuit, vt conſtat ex *Plutarcho in eius vita*, & clarè præſupponunt, quæ ab *Ariſtophane* & eius *Interprete Antiquo* annotauimus in *c.* 12. d. §. 4. *numer.* 27. & 28.

SEPTIMÒ demum & vltimo loco ad exterminationem huius anni Solaris reconditi cum ſuis menſibus tricenis latentibus *Plinio* impoſiti noto, *Petauium* in hanc dubio procul adductum ſuſpicionem, & ὑπόληψιν ab e-
xemplo † anni & menſium Lunarium 47
velut latentium, & nobis adhuc vigentium ad paſſionis CHRISTI Domini noſtri annuam commemorationem & Paſchatis celebrationem, & ſubinde Feſtorum mobilium. Sed hæc longè diuerſa res eſt, quæ ſua ſpeciali innititur cauſa. At Solaris annus, menſéſque triceni omnibus in rebus quibúſque Græcis (Athenienſibus exceptis) ante commendationem Iulianam in vſu fuêre, vt iam demonſtraui-

mus. Quin & ipsos Athenienses illis vsos etiam post Solonem in Astrologicis, in Medicis, & Naturalibus, in Ætatum designationibus, & quibusuis populi rebus, extra ea, quæ leges iudicia & alia ciuilia respiciunt : quibus tantùm lex Solonis obtinuit, vt proximè aduertimus, & latiùs vidimus & probauimus in dict.§.4.ex *Plinio, Diogene, Hippocrate, Aristotele, Gemino,* & aliis.

Ab his omnibus clarè euincimus, anni & mensium opertaneorum conficta responsione *Plinio* satis non fieri.

VNDE *Petauius*, qui ita se rem habere verè præsensit, aliam verbis illis Plinianis: *Nondum anno hunc dierum numerum excedēte,* parauit solutionem
48 † in d.*c*.8.dicens: *Non alia mens Plinij, cùm hæc scriberet, fuit, aut si fuit, aberrauit:* ô bone Deus! quantas his dictis *Petauius*, ab illa vnda collisus, ab ista demum confrictus, tragœdias nūc excitat, cùm disertissimis istis verbis duo miranda proponat & decidat simul: primum sese reconditam istam annorum & mensium antiquiorum historiam, seu notitiā pleniùs & exactiùs his ipsis, qui annos illos & menses ferè vixerūt, percepisse & calluisse. Secundum (quod vltra omnem exspectationem constitutum video) se *Plinio* & *Varroni* (antiquæ eruditionis parentibus, vt insignia demonstrant eorum monimenta, & amissorum, proh dolor! memoria) præstare hisce posse non puduit contendere & suadere. Iis certè, & consimilibus sese supponit adsurdis, qui adeò deuia adstruere conatur.

QVARTÒ PRINCIPALITER, in comprobationem anni communis, & mensium tricenorum Græcis vsitatorum perpendimus in d.*c*.12.§.4. *num*.7.
49 *Cleobuli* † allegoriam, siue ænigma in *Diogene*, cui *Petauius* suam anni Solaris opertanei & mensium latentium resolutionem malè accommodat, ex dictis proximè. Quibus adde ænigmatum omnium (obscuram & inuolutā quæstionē semper continentiū, *Quintil.lib.8.instit.Orator.cap.6. A.Gell.libr.12.c.6. Alciat.lib.4.parergon,cap.19.*) veram dignosin & enarrationem semper in res notissimas, & omnibus obuias incidere, seu dissolui, vt suo constent lepore, & aptis salibus sint condita; aliàs enim si operta designarēt, ænigma esset ipsa ænigmatis dissolutio, ac re vera vult *Petauius*, dum *Cleobuli* ænigmatis solutionem à rebus communibus, notísque, & vsu omnium existentibus dimouet, & ad recondita & obstrusa solis Hierophantis, & Astronomis nota refert.

QVINTÒ NOSTRA confirmauimus d.§.4.*num*.7. † Thaletis (vnius è 50
septem Sapientibus Græciæ à *Petauio* prætermissi) sententia in *Diogene*, qui vt ibi notauimus, tam annum Solarem, quàm menses tricenos agnouit, & Græcos docuit. Hæc quæ *Petauius* non præuidit, nunc certè curabit, vt recadant in illam suam generalem & præmeditatam absolutionem, anni scilicet 360. dierum, & mensium tricenorum Lunarium, in opinione priscorum Græcorum. Sed certè nil aget, ex iam dictis, contra istos suppositios menses Lunares. Tum etiam, quia Thales de anno Solari vertenti agit, vt probauimus in d. §. 4. quò fit, vt eius menses triceni ad annum prædictum Solarem relati Solaribus præcisè sint accensendi. Quòd si ad annum reconditum & menses tricenos latentes recurrerit, maior erit ipsius lapsus, iuxta *supr.* tradita, & simul vim manifestam inferet *Diogeni* apertè loquuto de anno, & mensibus manifestariis à Thalete Græcis in vsum ciuilem, & reliqua præpositis.

SEXTÒ EXPENDIMVS in dict.§.4. *num*.8.

1 *nume.* 8. eundem *Diogenem* † *in Solone*, qui vt *biographus iste* ait: ἠξίωσε τὲ τὺς Ἀθηναίυς τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν. *Monuit Athenienses, vt dies ad Lunam dirigerent:* quæ clarè præ se ferunt ante Solonem menses (in duodecim diuisos partes iuxta ritum Ægyptiorum) non ad Lunam, sed ad Solem fuisse accommodatos. His dum *Petauius* respondere conaretur in persona *Scaligeri* (qui vnus è multis) ita ait *lib.* 1. *ca.* 8. post alia consimilia adducta anteà in *cap.* 6.) *Adiungit ad ea Laertij locum, qui in Solonis vita refert, contendisse ipsũ ab Atheniensibus vti dies ad Lunam exigerent* ἠξίωσε τὲ, *&c. ergo, inquit* Scaliger, *Lunares anteà non erant: nam id quod volebat impetrasse ab Atheniensibus, confirmat in eius vita Plutarchus, vt cap.* 4. *supr. declaratum est. At cùm Lunarem quidem ante Solonem annum Athenienses adhiberent, sed vitiosum & iusto longiorem, nimirum* 360. *diebus, cæterorum Græcorum more, constantem, primus ad emendationem anni Solon se contulit, & Auctor suis exstitit, vt castigatiorem Lunaris anni modum acciscerẽt, hoc est, plenos cauósque menses alternis agerent, quod ex Gemino perspicuum est.* Sed hæc, quæ cùm de *Hesiodi* auctoritate ageremus, plenissimè iam explosimus, adhuc aliis mediis & modis veniunt refellenda. Primò, ex iam dictis in d. §. 4. vbi planè plenéque euicimus, illa κατὰ σελήνην ad exclusionem mensium Solarium apposita. Et nunc addo,
2 eadem ἀντίθεσιν † facere aliis illis κατὰ ἥλιον, vt in *Gemino* dicente, Πρόθεσις γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις τὺς μὲν μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην, τὺς δὲ ἐνιαυτὺς κατὰ ἥλιον, & apertiùs in *Galeno inferiùs* referendo *nu.* 77.

Secundò aberrat valdè *Petauius*, dum Solonem Atheniensibus mensis
3 caui & pleni † auctorem facit ad ciuilia: hæc enim, ad Astronomiæ scientiam tantùm accommodanda, malè traducit ad legem Solonis, in qua menses iidem semper & æquales, & inde dies tricesima ἕνη καὶ νέα *vltima & prima* dicta, vt iam *supr.* annotauimus in *numer.* 19.

Tertiò deceptus fuit *Petauius*, dum à præposito *Diogenis* in Solone loco elicit, annum ciuilem Atheniensibus Lunarem fuisse, cùm de anno ciuili, seu communi Græcorum ibi nulla sit mentio: † id enim tantùm vnum enarrat *Diogenes*, Solonem Græcos monuisse, vt dies secundùm Lunam componerent, id est, mensis dies, vt interpretatur *Plutarchus*, & anteà *Aristophanes* per nos relati in dict. §. 4. Dicet *Petauius*, ab ordinatione mensis ad Lunam subsequi aliam anni ad eandem, cùm ex mensibus Lunaribus annus Lunaris præcisè confletur, vt *is ipse* arguit *lib.* 1. *capit.* 5. Sed illatio ista certa non est, vt quam euidentissimè eliciemus *inf.* in *sect.* 4. *n.* 136. Demus tamen nunc à mensibus Lunaribus annũ præcisè Lunarem componi, adhuc *Petauius* à separatis infert, quod attinet ad annum Lunarem ciuilem Græcorum ab ipso omnium primo excogitatum. Nullus námque vnquam ista admittet: *Solon Atheniensibus menses Lunares ciuiles dedit: ergo & annum Lunarem ciuilem simul fecit*: alia quippe ratio fuit mensium apud Athenienses, alia annorum, illi namque ad Lunam sunt directi, isti ad Solem, vt ex *Gemino* (exactissimè elucidando) annotabimus *infrà hoc cap.* d. *sect.* 4. 54

Qvartò, *Petauius* mensis *ciuilis* Atheniẽsium veri significati sese ignarum † clarè ostendit. *Atheniensium* dico: nam etsi anni, seu menses *ciuiles* in plurimum illi essent quos quæque ciuitas statuebat, vt ex *Censorino cap.* 19. & 22. notauimus *in c.* 12. §. 1. *n.* 8. & 9. Atheniensibus tamen post legem Solonis duplex fuit mensis, primus, *ciuilis*, id est, πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν, iux- 55

ta politicum ductum, seu institutionem, & is quidem Lunaris fuit; alius popularis, seu communis, & is Solaris tricenarius æqualis. Primus qui à lege Solonis fuit inductus, ad ritus, seu sacra, & iudicialia, & quæuis alia ciuilia velut vsuras, testamenta, & consimilia, ius publicum, vel priuatum respicientia; referri debet. Secundus ad tempora parturitionis humanæ, & annos ætatum, aliáque huiuscemodi, istúmque propriè vocabimus *communem*, seu *popularem* mensem, cuius sæpè & sæpius ratio est in *Hippocrate*, *Aristotele*, & aliis relatis in d. §. & *inferius* iterum adducendis. Primum verò more Iurisperitorum dicemus, *ciuilem*, quo sensu *verba ciuilia* dicimus in *l. verbis, ff. de vulgari & pupillari substit.* & *ciuile negotium, officium auxilium*, & similia latè congesta in DISPVTATIONIS nostræ *c.* 2. §. 1. *illat.* 13. *sect.* 4. *num.* 295. Et quidem hic est ille mensis ciuilis Solonis, irrisus ab *Aristophane* iam per nos commemorato in dict. §. 4. *nu* 17. Déque eodem intelligendi sunt *Geminus* & *Theon* relati à Petauio *libr.* 1. *cap.* 5. vt clarè præ se ferũt illa *Gemini* (iam *supr.* adducta in expensione *Hesiodi*) ἔστι δὲ
α.∞ μὲν ὁ ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος, καθάπερ
β.λ εἴρηται ἡμέρων. κθ' ʹ ʹ. οἱ δὲ πρὸς τὴν ΠΟΛΙΤΙΚΗΝ ΑΓΩΓΗΝ ὁλοσχερέστερον λαμβανόμενοι μηνιαῖοι χρόνοι εἰσὶν ἡμέραι κθ' ʹ. *Tempus exacti mensis* Astronomorum *dierum est* (*vt diximus*) 29. ʹ ʹ. *At menses* CIVILES *Atheniensibus lege inditi, captu faciliores, dierum tantùm sunt* 29. & ʹ. illa *Theonis in Arat.* τούτῳ δ' ὁ τῷ μηνὶ (subaudi *Lunari*) ἐχρῶντο πρὸς τὴν τῶν πολιτικῶν ἡμερῶν ΔΙΑΓΩΓΗΝ, *Hic sanè dierum mensis numerus* Atheniensibus EX INSTITVTO *in vsu fuit*. Et ab hiis est, vt cùm *Geminus* in præallegato loco subdidit, Διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ κατὰ πόλιν μῆνες ἄγονται πλήρεις, καὶ κοῖλοι, illa κατὰ πόλιν referenda sint ad præcedentia, πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγήν. Addo πόλις nomen (arci in medio Athenarum sitæ primitùs inditum, vt ex *Pausania*, *Thucydide* & *Plutarcho in Pelop.* notat *Meursius l.* 6. *Atticarum lect. cap.* 33.) ad ciuitatem posteà referri cœpisse: dein ad ciues: & subinde ad primores Rempublicam moderantes, vt in *Politic. Aristot.* ita vt mensis κατὰ πόλιν in *Gemino* aptè referatur ad inductum ex lege lata à Solone, quo tempore officio Archontis †(qui an- 56
no nomen dabat, *Pollux libr.* 8. *cap.* 9. *Libanius in argumento Orationis contra Androtionem*, pulchrè Philon. in lib. περὶ Ἀβραάμ) functus est Athenis, vt voluit *Sigonius libro primo, de Republ. Athenien. capite quinto*, nouissimè *Meursius in libro primo, de Archontibus Atheniens. cap.* 12.

Remanet ergo ab istis satis superque probatum, Athenis menses *ciuiles* ex lege Solonis diuersos fuisse à communibus & popularibus, quibus *Hippocrates*, *Aristoteles*, & alij vsi sunt in designandis ætatum annis, & parturitionum humanarum temporibus, aliísque consimilibus. Vt inde tantùm absit à lege Solonis Petauij opinionem posse comprobari, quin potiùs ab ea omnino refellatur & corruat. Sed cùm Petauius præfata callere non potuisset, mirari quis non debet, si menses ciuiles Atticos cum vulgaribus communibus, seu popularibus confuderit.

SVB HÆC quinto loco Petauius lapsus est, dum legem Solonis vniuersam Græciam affecisse, malè supponit, vt iam præuidimus. Etenim & quo deinceps tempore Athenienses eius imperio potiti sunt, Lacedæmonibus, Megarensibus, & reliquis menses tricenarij ciuiles & communes simul fuère, vti clarè deducitur ex *Diodoro*, Polluce, & aliis iã per nos relatis in dict. §. 4. & rursus expendendis *inferius*

rius. Nec sustineri potest idem Petauius, quando in lib. 1. c. 6. asseruit, mensium castigationem à Solone inductam reliquas Græciæ ciuitates imitatas † fuisse: hoc enim vel à Lydiato iam per nos improbato dict. §. 4. num. 8. desumpsit, vel à se didicit iste, contrarius certè Polluci, Plutarcho, Gemino, & aliis iam per nos relatis d. §. 4. & iterum inferiùs expendendis.

57

Sextò, à verò valdè deuiauit d. c. 6. dum emendationem mensium Solonis, & eorum ad Lunam reductionem facit nutabundam, † cùm per se patens, certa & Atheniensibus in ciuilibus vsu inconcusso fuerit recepta, vt vidimus supra & in dict. § 4. ex numer. 27. Etenim quod Petauius de Trieteride, Tetraëteride, & Octaëteride ibidem ex Censorino & Gemino, istis comminiscitur, res alia longè diuersa est, & dubio procul referenda ad τοῦ μηνιαίου χρόνου ἀκριβείας, mẽsis Lunaris accurati, ab Astronomis obseruati intercalatione, de qua illi tantùm loquuti sunt, vt patet ex præpositi Gemini loci prioribus illis verbis: ἔστι δὲ μὲν ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος, &c. iunctis his quæ latiùs & expressiùs in proposito edisseruit Censorinus in c. 18.

58

Demum prædicta omnia in Petauij responsionem ad Diogenem in Solone supr. expensum, apertissimè obfirmamus † à Gemino in verbis illis proximè expensis, πρόσθεσις γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις, &c. quæ aptissimè nunc, & latiùs inf. sect. 4. referimus ad legem à Solone rogatam, vt Athenienses menses ad Lunã reducerent, attenta voce illa πρόσθεσις, ita vt primum Atheniensium propositum mensis secundùm Lunam agendi à lege Solonis initiũ habuerit ex sententia Gemini; non ab aliis antiquioribus Græcis existimantibus menses Lunares tricenos fuisse, vt volebat Petauius; Et sanè ab hac sola consideratione penitus euertũtur, quæ sine vlla auctoritate, & ad vitandam vim mensiũ tricenorum (semper Solarium in Herodoto & aliis iste confinxerat, quæ iam variis mediis impugnauimus supra in expensione Hesiodi ex num. 11.

59

Septimò annum communem 360. dierum, eiúsque menses tricenos in vsu populari Græcorum quorumque, etiam Atheniensium, fuisse apertè comprobatur ex Hippocratis † (Medicinæ Parentis, qui nec fallere, nec falli scit, teste Macrobio) auctoritatibus per nos expensis dicto §. 4. numero nono. Et sanè illa Hippocratis loca (quorum nec vllum præuidit Petauius) ipsi dubio procul magno futura sunt negotio, quando præmeditatæ illæ generales solutiones mensium antiquorum tricenorum Lunarium: & subinde reconditorum, & latentium Solarium istis aptari non possint. Non prima; cùm Hippocrates Solone posterior adcenseri non possit illis antiquis Græcis Petauij, ab eius sententia Solonem præcedentibus. Non secunda, cùm extra omnem sit fidem & verosimilitudinem (vt iam aduertimus) Hippocratem in libros doctrinæ, quam omnibus innotescere curabat, mensibus obscuris vsum: idque sæpè & sæpiùs, explosis Petauij ciuilibus Lunaribus plenis & cauis (vt ipse volebat) omnibus notis; vel, quod verius est, à lege Solonis cum ἕνη καὶ νέα apud Athenienses inductis. Videamus quodnam hisce subterfugium parat. 60

Octavò, nostræ sententiæ assertorẽ laudamus Aristotelem † Principem Philosophorum in variis locis per nos expensis in dicto §. 4. nume. decimo, quæ cùm Petauio vsque dum essent incognita (illo excepto libro 6. de historia animalium, quem à Theodoro Gaza desumpsit) sua illa latentium mensium solutione persistebat: qua nunc certè tantùm Aristotelis auctori- 61

tatibus malè occurrere poterit. Nec enim res passim obuias, & contingentes (vt sunt parturitiones, quarum tempora ab omnibus Philosophus percipi volebat) mensibus obscuris & latentibus ipsum inuoluisse *Petauius* vlli vnquam sanæ mentis suadere poterit, vt iam prænotauimus. Hoc cùm ipse præsensisset, alia illa resolutione rem istam absoluere tentat (quam præuidimus dicto §.4.*nu.* 10.) vt *Philosophus* in verbis per nos ibi relatis possit intelligi de bimestri Lunari ciuili quinquaginta nouem diebus constante, ob idque dixisse sextam anni partem à sexaginta diebus plus minúsve perfici. Sed hæc inania sunt, & textui Græco (quem ipse *Petauius* expendit) certè contrariantur, ex traditis
62 iam † per nos dicto §.4. Quibus adde *Aristotelem*, quintæ anni portioni ibidem septuaginta duos dies tantùm concessisse sine adiectione alterius vllius diei, vt inde apertissimum fiat ex sententia *Aristotelis*, illam, à septuaginta duobus diebus tantùm, nec plus minúsue componi, ac subinde *Philosopho* menses fuisse tricenos æquales. His adde, *Aristotelem* disertissimè mensibus tricenariis, æquabilibus vsum, deque istis tantùm loquutum variis aliis in locis iam per nos expensis in dicto §.4.*num.* 10. Quæ cùm *Petauium* latuissent, inde ad prædictam euasionem (qua demum parum fidi.) confugisse videmus.

Nonò, nostrum, imò communem ista tractantium assensum confirmauimus in dict. §.4.*num.* 11.*in princ.* aucto-
63 ritate *Pollucis* † *lib.*1.*Onomast.c.*7. variis locis: cumque vnius tantùm meminisset *Petauius libr.*1.*capite* 5. Respondet, *Pollucem* intelligendum de mensibus Lunaribus, quandoquidem vigesimamprimam mensis vocauit ἐνάτην φθίνοντος, *nonam mensis deficientis.* At cùm ei grauiter obstarent illa *eiusdem* (iam per nos expensa dicto *num.* 11.) ἡ δ' αὐτὴ ἐ θ. φθίνοντος. θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα. *Ipsa & nona est mensis desinẽtis, nouem namque reliqua sunt à vigesima prima:* *Pollucem* peruertit, & loco istorum, θ, γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα, legit suo ductu (vt verè indicant illa ab eo subdita & reposita) ὅτε, θ. γίνεται λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα, *Quoniam à vigesima prima* (subaudi cum *Petauio* inclusiuè) *nouem supersunt dies.* Sed quis non videt, magnam istam vim *Polluci* illatam, & ea media *eius* sententiam aliàs claram & expressam, infringi, & *illum* in suam velit nolit traxisse *Petauium*, nihil indelaturum, nisi vt *Polluci* officiat, & *eum* sibi ipsi ἀντίλογον, seu contrarium eodem loci faciat. Etenim paucis interiectis lineis tertiam mensis partem δεχήμηρον, *decendium* vocat, & anteà alia attulerat menses tricenos comprobantia per nos adducta dicto §.4. Quibus nunc addo, *Pollucem* vltimam diem mensis communis Græcanici (quæ Solis Atheniensibus ἕνη καὶ νέα erat ex lege Solonis) TRICESIMAM appellasse in verbis illis, θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα. καὶ ὁμοίως ἄχει τῆς ΤΡΙΑΚΑΔΟΣ ἣν οἱ Ἀττικοὶ καλοῦσιν ἕνην καὶ νέαν, *Nouem namque supersunt dies post vicesimam primam, & sic similiter a prima vsque ad* TRICESIMAM, *quam Attici* ἕνην καὶ νέαν *vocant*: menses ergo tricenarij communes & ciuiles Græcis erãt, exceptis Atheniensibus: & quidem ineuitabili sequela, quando ista *Pollucis* ad menses Iulianos (quorum maior pars 31. diebus constat) referri non possint. Denique noto, *Petauium* (ab horum ignoratione & aliorum simul eiusdem *Pollucis* iam per nos expensorum dicto §.4.*numer.* 11.) ausum *eius* inpræfata verba velut manu militari interuertere, certè nihil egisse, cùm adhuc supposititia ista *Petauij*, ὅτε. θ. γίνεται λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα, idem importent quòd illa *Pollucis*, θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα.

quan-

quandoquidem vno, alteróque loco dictio ἀπὸ τῆς stat exclusiuè: ita vt nouem reliquæ sint dies à vigesima prima.

Cùm autem nullo modo stare possint prædicta Pollucis, τῇ δ᾽ αὐτῇ, καὶ θ. φθίνοντος. θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα, ego loco illorum, καὶ θ. φθίνοντος, reponendam censeo, καὶ ι. φθίνοντος, id est, *decima deficientis* mensis, vt subinde aptè inferatur, θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα: & sit sensus, vicesima prima dies *decima* itidem nuncupatur mensis deficientis, dinumerationis initio à trigesima & vltima mensis desumpto, vt prædocuerat Pollux dicto *cap.* 7. ita vt tricesima dies sit *prima*, mensis φθίνοντος *desinentis*: & vicesimanona sit *secunda*, & sic deinceps vsque ad vicesimamprimam, quæ *decima* nuncupabitur, *Quia nouem ab illa supersunt dies*, vt ait Pollux: hanc eandem designans rationem illis iam sæpè repetitis verbis, θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα. Et quidem par est credere, aliquem horum ignarum scriptorem ι. notam numeralem decem denotantem in θ. id est, nouem conuertisse, deceptúmque fuisse à consimilis θ. nota apposita in oratione Pollucis illicò, sub ista, dicente: θ. γὰρ λοιπὰ ἀπὸ τῆς κα.

DECIMÒ, mensium trice-
14 nûm assertorem diximus dicto §. 4. *numer.* 10. *Plutarchum* † *in Alexandro*, & *eundem in Camillo* à *Iosepho Scaligero* eius allegatione contenti. At vidimus nunc *Petauium* summè *Scaligerum* insectantem, & plura super hisce in eum adstruentem, quæ cùm perlegerimus, ista exactiùs perquirendi ansam certè nobis præstiterunt.

Et quidem *Plutarchus in Alexandro*, *lunarem defectionem* (vt in seipsum ratiocinatur *Petauius libr.* 1. *cap.* 8. *vers. Pergit*) *cladem Persarum, quæ ad Gaugamela præcessit, incidisse in noctem Mysteriorum*, ait: *Porro mysteria peragebantur vicesima die mensis Boedromionis* περὶ τὰς εἰκάδας. *Si vicesima mensis plenilunium commissum est, non igitur Lunaris mensis ille fuit.*

Sed & *Plutarchus* idem *in Camillo* enarrat Atheniensium victoriam ad Naxum, duce Chabria, vigesimaquinta Boëdromionis in plenilunio accidisse: à quibus fit, nouilunium vndecimæ, seu duodecimæ illius mensis diei præcisè tribuendum, quod in mensibus Lunaribus accidere non potuit, sed in tricenis tantùm, qui Lunę cursibus inæquales erant.

Hæc *Petauius* securissimè clusisse putauit, dum ad primum ait in dicto *capite* 8. & *libro* 10. *capite* 35. & 36. Lunæ eclypsin illam contigisse, περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων ἀρχὴν, *Circa initium Mysteriorum*, quæ quinque ait durasse diebus, ita vt defectio illa Lunæ decimaquinta die acciderit, in qua plenilunium. Horúmque comprobationem petendam ait ab his quæ *in notis ad Orationem* 12. *Themistij*, adduxit: quò loci de mysteriis hisce latè agit, & post eum latiùs
† & exactiùs *Ioannes Meursius in Eleusinijs*: vbi non tantùm quinque: 65
vt putabat *Petauius*, verùm & nouem Mysteriorum dies obseruat in *capite* 21. & *sequentibus*, vt inde *Scaligeri* opinio existimantis, vnica die εἰκάδι *vigesima* mensis Boëdromionis mysteria peragi magis ac magis explossa appareat: & simul excludatur eius consideratio & computatio existimantis in *Plutarcho* plenilunium in vigesima vel circiter die euenisse: & subinde mense triceno Solari.

His tamen nihilosecius *Plutarchus in Alexandro* stare videtur pro mensibus tricenis, nec ad Lunares referri posse: si enim mẽsis Lunaris popularis

esset, & in vsu communi, ac vult *Petauius*, deque isto loqueretur *Plutarchus*, plenilunium certè in eo semper eadem tempestate contingeret, id est decimaquarta die & ¼ alterius, & ante vnum diem & ¼ quàm Eleusinia Mysteria inirentur: nam cùm εἰκὰς *vigesima dies* esset quinta; & præcipua simul mysteriorum, ita agnoscente *Petauio suprà in notis ad Themistium* (vt quâ Græci mysticam Bacchi nocturnam pompam ducebant, vt ex *Plutarcho*, *Aristophane*, & eius *Scholiaste* exactissimè deduxit *Meursius suprà cap.27.*) inde perquàm euidens fit, mysteria à decimasexta die, vt notauit *Meursius* dicto *cap.21. & sequen-*
66 *tibus*, non † à decimaquinta, vt *Petauius* parum aptè supponit, initium desumpsisse: & subinde plenilunium illud mensis Boëdromionis, si Lunaris esset, περὶ τὴν ἀρχὴν τῶν μυστηρίων, accidere non potuisset, cùm tantum temporis interuallum inter ista mediaret. Demus, ac volet *Petauius*, præpositionem illam περὶ vni, duobúsve anterioribus diebus potuisse propriè adaptari; certè *Plutarchus*, qui eleganti & perpolito præpollebat stylo, ac eius scripta indicant, pleniluniũ κατὰ τὴν μυστηρίων ἀρχὴν, tunc euenisse, vt mirum non designaret, & enarraret, nec rem claram & per se notam superuacuis verbis demonstrandam susciperet; id enim per se staret, & certo certiùs esset in mense Lunari, ante scilicet vel prope τὴν ἀρχὴν τῶν μυστηρίων plenilunium futurum: ergo supponẽdam est mensis triceni Boëdromionis plenilunij tempus, *Plutarchum* strictissimè designare intendisse verbis illis, περὶ τὴν ἀρχὴν &c. quia Lunę vagantis per menses tricenos plenilunium tunc euenerit casu, non necessariâ causâ, ac re vera esset, si de mense Lunari, vt vult *Petauius*, esset intelligendus.

Subintrat *Petauij* responsio ad aliud eiusem *Plutarchi in Camillo*: cuius vim effugere tentauit ab expensione & emendatione † mendosæ, vt ipse 67
asserit, interpunctionis. Ad quam struendam præsupponit *in notis ad Themist.* (ad quas sese refert in d.c.8. & in *c.19. eiusdem lib.1.*) verba illa *Plutarchi in Camillo*, πέμπτῃ δὲ φθίνοντος ἐν Ἀρβήλοις Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον, *Die mensis* (vt communis fert sensus) *Boëdromionis vigesimasexta in plenilunio Athenienses in Arbelis iuxta Naxum nauali prælio, duce Chabria, victoriam nacti fuerunt*, iuxta vulgarem interpunctionem, ineptissimam orationem continere, cùm Arbela & Naxus duo sint dissitissima loca ad vnum & eundem redacta, & ideò huius absurdi vitandi causa interpunctionem reponendam asserit post verba illa, ἐν Ἀρβήλοις, vt his ad superiora relatis, fit sensus, Persas mẽse Βοηδρομιῶνος sexta die, & Marathonis tertia apud Platæas, & iuxta Mycalen à Græcis fuisse victos, & insuper vigesimaquinta eiusdem mensis ad Arbela. Sed his: *Quæ nec puero quidem difficile esset animaduertere* (vt ait *Petauius in Scaligerum* solum dicto *cap.9.* & in cæteros posset proferre vsque ad nouissimum *Meursium in Eleusinis cap.21.*) verè † nihil egit: li- 68
cet enim cum eo agnoscamus diuersa cum Persis prælia Alexandri ad Arbela, & Atheniensium ad Naxum, de interpunctione tamen dubitamus, cùm lectio communis *Plutarchi* vnico verborum contextu partam ab Alexandro de Persis ad Arbela victoriã, & consimilem eodem anni tempore, id est in mense Boëdromionis, ab Atheniensibus ad Naxum de iisdem obtentam aptè contineat: sicut in præcedenti, & istis immediata propositione vno & eodem orationis ductu, seu

filo.

ſilo tres diuerſas Græcorum de Perſis victorias ſummo illo verborum compendio deſcripſit, Τοῦτο δ' αὖ πάλιν Πέρσαι μηνὸς Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ μὲν ἐν Μαραθῶνι, τρίτῃ δ' ἐν Πλαταιαῖς, ἅμα καὶ περὶ Μυκάλην ἡττήθησαν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων, *Sub hæc Perſæ menſis Boedromionis die ſexta in Marathone, tertia ad Plateas, eadémque ad Mycalem, à Græcis ſunt confoſſi.* His addo illa ſubſequentia, πέμπτῃ δὲ φθίνοντος, &c. diuerſam orationem in *Plutarcho* videri conſtituiſſe; nec includi in præcedenti proximè expenſa, quandoquidem poſita ſunt poſt verbum ἡττήθησαν tres illas præmemoratas victorias afficiens & continens.

69 Sed etſi hæc in *Petauium* ita ſe habeant, nunc tamen re altiùs † penſitata pro illo agnoſco prædicta *Plutarchi in Camillo* πέμπτῃ δὲ φθίνοντος, &c. etiam communi retentâ lectione longè differre à ſenſu *Scaligeri:* nec *Plutarchum* innuiſſe vigeſimaquinta Boëdromionis plenilunium accidiſſe: Etenim illa: περὶ τὴν πανσέληνον τοῦ Βοηδρομιῶνος, proximiora τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, &c. afficiunt. Vt ſit ſenſus, decimaſexta menſis Boëdromionos circa plenilunium Athenienſes duce Chabriâ Perſas iuxta Naxum deuiciſſe, quos antea Alexander apud Arbela vigeſima quinta eiuſdem menſis profligauerat: & quidem hoc vltimum clarè præ ſe ferunt præcitata *Plutarchi* verba. Quod autem diximus de victoria ab Athenienſibus Chabriâ duce de Perſis obtentâ decimaſexta Boëdromionis, comprobatur apertiſſimè ab eodem *Plutarcho in Phocione* ita dicēte de hac ipſa victoria: ἐνίκων δὲ μεγάλοις μυστηρίοις, καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας Ἀθηναίοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, ΤΗ ΕΚΤΗ ΕΠΙ ΔΕΚΑ τοῦ Βοηδρομιῶνος. Et iterum idem *Plutarchus de gloria Athenienſium*, ΕΚΤΗ δ' ΕΠΙ ΔΕΚΑ μηνὸς (ſubaudi Boëdromionis, cuius paulò antè meminerat) οἰνοχοεῖται τὸ Χαβρίειον περὶ Νάξον ἐπινίκια ναυμαχίας, exploſâ illâ lectione mendoſâ, ἕκτῃ δὲ μηνὸς οἰνοχοεῖται, à numerorum ϛ. & ιϛ. contractâ, vt diſertè notat *Meurſius in Eleuſiniis, c.23.* Cui debemus *Polyænum* prædicta comprobantem *lib. 3. ſtratagematum*, his verbis: Χαβρίας περὶ Νάξον ναυμαχῶν ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ΕΚΤΗ ΕΠΙ ΔΕΚΑ, &c. Quod ergo à *Plutarcho in Camillo* diducitur, illud tantùm eſt, victoriam iſtam decimaſextâ die Boëdromionis menſis prope plenilunium accidiſſe: id quod nec *Petauio* prodeſt, nec nobis nocet, cùm certum plenilunij tempus non deſignetur.

¶ Etſi propiùs verba illa, περὶ τὴν πανσέληνον, ad Lunæ augmentum quàm deliquium referri deberent, quod *Petauio* indulgemus, quando mendicatis, vt aiunt, ſuffragiis non indigemus.

Quæ ipſum † vndique acciuiſſe clarè demonſtrat expenſio in *lib.1.cap.18.* facta eiuſdem *Plutarchi* dicto *libro de gloria Athenienſium*, cùm ait, τὴν δ' ἕκτην ἐπὶ δέκατου Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν, ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος, *Diem decimamſextam menſis Munychionis Dianæ ſacrarunt, quia tunc temporis Luna victoribus apud Salaminam Græcis plena eluxit.* Quinimò ab his ego tria elicio notanda in noſtræ ſententiæ comprobationem. Primum à verbo ἐπέλαμψεν Lunæ tunc inſitâ lucem ſplendidiorem, viuacioréмq; denotari, quæ certè in ipſo plenilunio inuenitur, non ita in eius defectione. Secundum, *Plutarchum* plenilunium 16. Munychionis die caſu tunc cōtingentem enarraſſe, vt clarè indicāt illa, ἐν ᾗ, &c. ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος, iunctis his quæ in *numero præcedenti* annotauimus. Tertium Dianæ, ſeu Σελήνῃ, ab hac victoria Græcos quo-

rannis sacrum ea tempestate fecisse, quia eius lux, vt par est credere, reportandæ maiori ab hostibus victoriæ in causa fuit: at Luna prioris noctis parte, cùm plenior est, fortiore virtute nobis adest, magísque splendet. Vt inde in verosimilem suspicionem ducamur, vt existimemus in ipso plenilunio mensis Munychionis Grecis apud Salaminam suam apparuisse Ἀρτέμιδα, noctis, terram aliàs inumbrantis, primordio.

Hæc cùm ita se habeant, ab ipsis velut euidens fit, menses Atheniensibus (ac cæteris Græcis) & post legem Solonis ex *Plutarcho in Alexandro*, & alibi tricenarios æquabiles fuisse, & quod attinet ad sacra, sicuti in Naturalibus, Medicis, & in annis ætatum computandis verè, certéque fuerunt triceni *Hippocrati*, *Aristoteli*, & aliis, vt probauimus in d. §. 4. maximè *num.* 29. Quamuis negare non possimus Oraculo (de quo *infrà* dicta *section.*3. à *num.*112.) sacra mensibus Lunaribus fuisse aptata. Nondum tamen in aperto est, an vsus ista receperit, vel recepta antiquauerit; sed de his latiùs d. *sect* 3.

Demum prædictis subiungo, omnia ex *Plutarcho* s. expensa, *Petauio* nec quicquam prodesse potuisse, † & quo sensu is ea considerabat: nam etsi
71 daremus à *Plutarcho* plenilunium designatum decimaquarta die mensis cuiusque, & ¾. diei insequentis, & sacra ad menses Lunares præcise dirigenda, adhuc nihil egisset in comprobationem suæ sententiæ: quandoquidem ista omnia & præcitata *Plutarchi* de mense Atheniensium, post rogationem Solonis essent intelligenda, vt inde istorum menses in sacris Lunares ab Oraculo ex lege insuper Solonis nil conducerent ad struendum simplicem & vniformem vniuersa in Græcia mensis Lunaris ciuilem vsum à *Petauio* excogitatum, iuxta ea quæ notauimus s. à *n.*51. de lege Solonis, & latiùs atque exactiùs discutiemus j. *hoc cap. sect.*3. super temporibus sacrorum.

Vndecimo loco, in anni communis, mensiúmque tricenorum comprobatione vsi sumus d. *c.*12 §.4. *nu.*11. *Galeni* † auctoritate *lib.*1. *de morbis popularib.* apertè asserente verbis per nos 72
ibi expensis, in multis Græciæ ciuitatibus mensium computationem & dimensionem ad Solem, non ad Lunam, velut solenni quodam ritu directam, quod sanè ad menses tricenos referri debet, non ad Iulianos (de quibus mox agit.) Tum quia illa Galeni: *Quod multis Græciæ ciuitatibus est solenne*, antiquissimum earum vsum ante emendationem Iulianam præ se ferunt. Sed & post anni Iuliani cum suis mensibus admissionem non tantùm Græcis, & aliis exteris, verùm & Romanis ipsis menses triceni in vsu fuêre, vt quàm euidentissimè comprobauimus in dict. *cap.*12. §.5. *numer.* 40. Vt inde nil mirum si in pluribus Græciæ ciuitatibus id contigerit, ac re vera idem *Galenus* disertiùs supponit in verbis expendendis *num. seq.*

Et hoc ipsum planè ille edocuerat in aliis illius *libr.*1. *de morb. popul.* à *Petauio* relatis *lib.*1. *c.*29. Quæ video eum coëgisse, † vt fateretur Macedonibus 73
(qui Græcorum in numero erant) menses quosdam fuisse Lunares, qui in anno Iuliano sursum deorsúmque promouebantur. At certè is ipse est, qui susquedéque fertur, dum talia, tantáque noua, animo nimium præmeditato (vt facile percipitur ex ipsius notis ad *hæresin* 51. *Epiphanij fol.*139. & anterioribus ad *Themistij orationem* 12.) rei Chronologicæ adiicit documenta.

menta & præcepta vltra omnium assensum, vt suum simplicem Græcorū Lunarem tantùm annum ciuilem adhuc mordicùs teneret. Vbinam, quæso, menses illi triceni Lunares ex voluntate, licèt erronea, priscorum Græcorum, nisi in *Petauio*? Vbi annus Solaris opertaneus, & menses eius latentes extra *Petauium*? Vbi demum menses Lunares sursum deorsum per annū Solarem vagantes vltra istos à *Petauio* ad eludendam *Galeni* sententiam excogitatos? Et certè hunc in re Chronologica ariolantem non miramur, sed adeò securo animo hæc omnia edocuisse, ac si antiqua ipsa tempora ei tantùm enucleationem istam reseruassent & destinassent. ¶ Vt autem à *Petauio* circa menses Macedonios præmeditatam euasionem radices deinceps agere non sinamus, & vt sæpe & sæpius à *Galeno* dicto *libr. de morb. popularib.* nostra probemus (ac proposuimus in d.§.4.*num.*11.) operæ certè nostræ non aliter facturos satis præuidemus, nisi integram verborum *Galeni* huius propositi seriem ob oculos ponamus, quæ sic se habet: *At mihi hæc semel iam dicta sint, quæ ego ad omnia, quæ sub hæc dicemus, memoria velim teneri, quo promptiùs ad omnium nationū menses, qui aliis alij sunt, transire queas. Nam si iidem sint apud omnes, nullam Hippocrates faceret, neque Arcturi, neque Vergiliarum, neque Canis, nullam etiam aut æquinoctiorum, aut solstitiorum mentionem, sed tantùm diceret: In Macedonia, verbi gratia, initio mensis quem Macedones Dion appellant, eiusmodi fuisse statum in temperamento aeris. Nunc quia Dion Solis est Macedonibus clarum, contrà obscurum Atheniensibus, cæterísque mortalibus: volebat autem omnibus nationibus iuxta prodesse Hippocrates, non potuit melius, quàm neglectis mensibus, solum scribere æquinoctium. Est enim æquinoctium, vniuersale: at menses, singulis gentibus sui. Qui ergo Astronomiæ imperitus est, hunc cælatum nolim, ipsum haudquaquam obsequi Hippocrati, ad illam ob prædictorū vsum cohortanti. At quia esse humanitatis videtur, vel istis præsto esse, faciam, vt quantum res facultatis est habitura, præscribam auxilium: cui si attendere animum velint, ex cunctis quæ refert Hippocrates, fructum capient. Age diuidatur in quatuor tempora annus pro æquinoctiorum & solstitiorum ratione, si hîc semel virum rogaueris versatum in Astronomia, quatuor hæ partes quosdam in menses incidant: mox his perceptis poteris, vbi de reliquis singulorum syderum significationibus sermo sit, assequi. Vt (verbi gratia) si iam cognoscas in principium mensis Dij autumnale incidere æquinoctium, videbis solstitium brumale fore ab hinc menses ferè tres, initio mensis* καθ' ἑαυτὸν πέρατος *appellati: nam hoc nomine denotatur apud Macedonas Vernum æquinoctium principio Artemisij: sic æstiuum solstitium initio Lôi. Nam in principiis mensium, quorum meminimus, æquinoctia & solstitia sunt apud Macedonas, qui isto pacto & numerant & appellant menses. Hæc si perceperis, ac insuper ante autumnale æquinoctium duodecim ferè diebus oriri Arcturum didiceris, Vergilias verò occidere post dies circiter quinquaginta, scies quoto mensis cuiusque anni die vtrumque sydus exoriatur. Obseruabis etiam si sequi Hippocratem velis, quæ acciderit aeri temperamenti mutatio. Cæterùm non sunt pro Lunæ ratione menses subducendi, quod multis iam Græciæ ciuitatibus est solenne: sed pro ratione Solis apud omnes vrbes antiquiores, & nationes complures numerantur. Et Romani vniuersum annum in menses duodecim dispertiunt, quorum est vnus duodetriginta dierum, quem à Solstitio brumali numerant alterum. ipse verò primus post solstitium, quem totius*

faciunt anni primum, vnum supra triginta assumit. Itidem tertius post solstitium: nam & hic dierum est triginta vnius. Quartus triginta diebus constat. Quintus præter triginta continet vnum. Sextus triginta dies habet. Qui sextum sequuntur duo, triginta sunt & vnius dierum. Qui hos excipit, triginta dierũ est. Huic proximus vnius est & triginta, qui numero decimus est, totius anni. Triginta est dierum vndecimus. Duodecimus vnius supra triginta. Quòd si cunctorum mensium dies in summam subducas, omnes sint quinque supra trecentos sexaginta. Iam si in hunc modum quatuor annos supputaueris, anno quarto tertium mensem triginta duorum dierum faciunt: vt singuli anni tricenûm sexagenûm quinque sint dierum, præteréaque quadrantis. Vt verò Palestini computant, duodecim menses efficiunt dies numero trecentos quinquagenos quaternos. Nam quando tempus à Lunæ cũ Sole coniunctione vsque ad aliam quamuis coniunctionem supra dies viginti nouem, alium præterea diem dimidium assumit: idcirco duos menses continentes quinquaginta nouem dies, in partes diuidunt inæquales, atque alterum dierum triginta faciunt, alterum viginti nouem. Quare quibus hæc est ratio mensium, aliquem facere intercalarem coguntur, vt primum præteritorum annorum reliqua cumulentur, & tempus fiat vnius mensis. Nam quando menses sunt intercalares intercalandi, scriptum reliquerunt, cùm alij Astronomi, tum Hipparchus. Quare apud illos, qui menses, hoc pacto numerant, non est dies constituere, quibus æquinoctia & solstitia fiant, & oriantur illustria sydera, apud eos, qui ad Solem rationem ineunt, statuas: id quod à Romanis dixi, & Macedonibus, nostratibúsque Asiaticis, & verò etiam aliis nationibus obseruari non paucis.

74 Et quidem his verbis plura † continentur notatu digna in *Petauium*, & communem simul assensum comprobantia, maximè illa: *Nationum menses alij aliis sunt:* & illa: *At menses singulis gentibus sui*, quæ omnino excludunt mensium simplicem Lunarem ciuilẽ, quo vniuersam Græciam afficit *Petauius*. Etenim *nationes, gentésve* appellat *Galenus*, non solùm dissitissimis prouinciis extra fines Græciæ degentes, verùm & varias illius plagas diuersis ritibus, aut legibus pollentes, vt *Macedones Asiatici, Lacedæmonij, Locrenses, Megarenses, Peloponesij*, & *Athenienses*, similésque, quorum exemplo paulò inferiùs rem propositam confirmârat. Sub hæc expendo illa: *Nam in principiis mensium, quorum meminimus, æquinoctia & solstitia fiunt apud Macedonas, qui illo pacto & numerant & appellant menses:* quæ sanè mensibus Lunaribus conuenire non possunt. Nec enim æquinoctia & solstitia eorum principiis semper consistere possunt, ac in mensibus Solaribus, seu tricenis, vt disertissimis illis verbis s. propositis notauit Galenus: *Quare apud illos, qui menses hoc pacto numerant.*

¶Sed & illa: *Cæterùm non sunt pro ratione Lunæ menses subducendi, quod multis iam Græciæ ciuitatibus est solenne, sed pro ratione Solis apud omnes vrbes antiquiores, & nationes quamplures numerantur*, mensium tricenorum ciuilem vsum, quàm euidentissimè demonstrant, & Lunares apertissimè excludunt āb antiquis temporibus, & simul ab iisdem illis, quibus sua *Galenus* protulit. Idque illicò comprobat ab anno Iuliano Romanorum, & mensibus κατὰ ἥλιον, οὐ κατὰ σελήνην, *ad Solem, non ad Lunam*, dispositis. Et certè cuiusque sigillatim formam, & dierum quantitatem ideò dinumerat, quia suis Asiaticis, Macedonibus, & reliquis ignota esset. Nec enim *Galenus* Pergami natus (quæ vrbs erat insignis Asiæ, *Strabo lib.13.*) hæc Romanorum,

norum, vt singularia, adeò splendida oratione enarraret, si Asiaticis Macedonibus & reliquis, quibus annus erat Solaris, menses essent Iuliani. Erant ergo triceni, qui simul cum quinque diebus appendicibus quoque anno, & altero die in fine quadriennij ex quadrantibus conflato, 365. dies cum quadrante anni Solaris vertentis integrabant; exemplo Ægyptiorum, Thebanorum, & Alexandrinorum, hac norma annum Solarem & ciuilem simul conflantium, vt clarè vidimus in *capite* 12. §. 3. à *Diodoro, Strabone, Dione* & *Theone*.

¶ Demum ab illis: *Vt verò Palestini:* & subsequentibus illis: *Quibus hæc est ratio mensium* (loquitur de Lunaribus) & illis: *Apud illos qui menses hoc pacto numerant*, clarè demonstratur *Galenum* nullam agnouisse Græciæ plagã, vbi Lunares menses ciuiles fuissent. Ob idque, vt sua de Lunaribus mensibus comprobaret Iudæorum annum, mensésque Lunares, illis tunc vigentes, proposuisse. Prædictis subaddo, *Petauium* in præmeditata illa responsione mensium Lunarium Macedonum intra Iulianos deuagantium, nec
75 sibi ipsi †, constitisse: idque certissimo dilemmate clarè posse demonstrari: nam aut menses istos illis attribuit ante vel post emendationem Iulianam. Et quidem primo casu nullus sententiam *Petauij* probabit, quando omnibus in comperto sit, menses Iulianos à C. Cæsare omnium primo excogitatos & inductos. Secundo verò casu multò minus, cùm postea Cæsarianam anni castigationem menses ciuiles Græcorum tricenarij solares diu durauerint; adeò vt temporibus *Epiphanij* adhuc permanerent, vt clarè probatur ex dictis in *numero præcedenti*, & antea à *n*. 41. & dicendis *num*. 84. & 95.

Exterminentur ergo quæ de mensibus Lunaribus Macedonum *Petauius* (eorundem oblitus, & cæterorum Græcorum, quorum meminit *Galenus*) comminiscitur d. *lib*. 1. *c*. 29. simul cum typis laterculis, seu indiculis ab isto depictis. Maneátque firma, & ab eius suppositione (mensis scilicet Lunaris sursum deorsum intra Iulianũ deambulantis) libera *Galeni sententia* in anni mensiúmque apud Macedones & alios Græcos constitutione. Explosâ itidem generali & absolutâ ὑποτυπώσει eiusdem *Petauij*, annum & menses Lunares in vniuersa Græcia peræquè supponente.

DVODECIMÒ, anni communis 360. dierum & mensium tricenorũ æqualium apud Græcos ciuilem & popularem vsum eruimus in d. §. 4. *n*. 12. à *Gemino* † in apparentiis id clarè de- 76
monstrante in verbis per nos relatis. Quibus nunc addimus, *Geminum* duplicem dierum formam post alios Astronomos annotasse, & secundâ dierum νυχθημέρων, die ac nocte constantium, diuisione institisse, vt anni & mensium compositionem & integrationem ab his diebus procedentem subiiceret, vt denotant huius *Auctoris* verba per nos expensa secundo loco in d. §. 4. Et apertiùs exprimunt Græca sic se habentia: κατὰ δὲ τὸν δεύτερον τρόπον τῆς διαιρέσεως τῶν ἡμερῶν, τὸν μὲν μῆνα λέγομαι εἶναι ἡμερῶν λ. τὸν δὲ ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τξε ¼. ἔστι δὲ τὸ συναμφότερον νὺξ καὶ ἡμέρα χρόνος ὡρῶν ἰσημερινῶν κδ. *At secundo, diuisionis dierum, luce, noctéque constantium, attento membro, mensis triginta diebus integratur, annus verò 365. cum quadrante diei; vtraque verò pars, id est lux & nox, tempus est 24. horarum æquabilium.*

Hæc tam aperta & clara, quàm quæ magis, & nullam ob id tergiuersationem admittentia *Petauius lib*. 1. *cap* 7. ad suum tacitum & implicitum refert annum. Idque adeò securo † fidóque 77

animo, ac si in *Gemino* illius anni mē-
tio, ratióve aliqua diserta esset, quò
loci totum contrarium apertissimè il-
le demonstrarat. Etenim ex quo men-
sium tricenorum communior erat v-
sus, & omnibus apertior, inde diei
naturalis spatio designato, *Geminus*
infert ad mensis tricenarij, & anni So-
laris tempora, diesque naturales; eos
exquisitè perquirens, & explicitè di-
numerans, vt rem, scitu necessariam,
omnibus notam faceret: quæ verè non
fieret, si annus iste & menses impliciti
essent & latentes, solis Astronomis &
Hierophantis noti, vt volebat *Peta-
uius*. Nulla certè alia ex causa, nisi
quia simplici suo & absoluto Lunæ
anno, mensibúsque Lunaribus isthæc
magno erant obstaculo: Fatemur die-
rum integrorum summam mensi Lu-
nari aptari non potuisse, cùm ex eo-
dem *Gemino* mensis iste 29. dieb. & ½.
constet, & insuper aliquibus alterius
horæ scrupulis, seu minutis. At Luna-
ris mensis (qui Atheniensibus, & aliis
eorum fortean exemplo in vsu fuit,
vtputa Coloniis, quas etiam antiqui-
tùs istos diduxisse testis est *Thucydid.*
78 *lib.*1. Et subinde 174. † populis eorum
ditioni subiectis, in integro *tractatu*
super hac re à *Meursio* edito expressis)
à 29. diebus & dimidio componeba-
tur; qui bimestri interuallo 59. dies in-
tegros producebant: nil ergo *Gemi-
num* continere potuit, quominus
menses singulos Lunares, aut bime-
stre certo dierum numero compo-
neret, si adeò communes & ciui-
les, imò vnici fuissent, vt *Petauius* ad-
struebat. Id quod in anno Lunari
354. diebus constante clariùs procede-
bat.

Remanet ergo ex his *Geminum* hoc
loco apertè pro anno communi, men-
sibúsque tricenis stetisse, ac altero † il-
79 lo (iam per nos expenso in dict. §. 4.
*numer.*12.) οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας
τριακονθημέρους ἦγον, τοὺς δ' ἐμβολίμους
παρ' ἐνιαυτόν, *Antiquis* Græcis *menses
fuerunt tricenarij, cum intercalarium
dierū vsu ad anni peræquationem.* Nec
Petauij euasionem, mensis scilicet tri-
ceni ex voluntate priscorum Græco-
rum Lunaris (quam ipsi certissimam
supponit *libro* 2. *dict. cap.* 73.) iuuat di-
ctio illa ἀρχαῖοι † *antiqui*, qua vel *Ge- 80
minus* (vti ex præcedentibus clarè de-
monstratur) mensium tricenorum
suis temporibus (editione Iuliana an-
terioribus ex computatione *Petauij
libro* 2. *cap.* 6.) pluribus Græciæ parti-
bus vsitatorum antiquitatem voluit
commendare, vel mensium Luna-
rium Athenis vsum ex lege Solonis
ciuilem istis superuenientem innue-
re, vt iam notauimus dicto §. 4. *nu-
mer.*29.

Instabit *Petauius*, *Geminum* men-
ses Lunares alibi aperto ore *ciuiles*
† vocitasse ad exclusionem triceno- 81
rum. At his ex integro fecimus sa-
tis *supra num.*55. & alia insuper adde-
mus *infr sect.* 3. *numer.* 112. *&* 125. quæ
nunc prætermittenda ducimus, ne
Crabem (vt sæpè sæpiúsque accidit
Petauio opere suo in longo) *repeta-
mus.*

Decimotertiò, annum com-
munem & menses tricenos supponit
Theon † insignis Astronomus in ver- 82
bis per nos relatis in *cap.* 12. §. 3. *numer.*
9. quæ sanè annum Solarem verten-
tem 365. diebus & ¼. constantem, v-
num & eundem apud Alexandrinos,
Ægyptios & Græcos facit, maximè
Macedonas, & alios à *Galeno supra*
memoratos. Cumque *Theon* de qua-
drantis adiectionis tempore apud A-
lexandrinos ibidem dubitasset, cum
certè eodem tempore & norma adie-
ctum, qua Græci prædicti vsi erant
(id est, post exactum quadriennium)
coniectatur. Cùm ait, Δῆλον ὡς ὅτι κατὰ
τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει ὁ
annus

annus κατ' Ἀλεξανδρέας, *Manifestum inde fit, quadriennio cuique exacto integram, naturalémque diem ex quadrantibus conflatam* anno *ab Alexandrinis adijci*: quasi diceret *Theon*, cùm Macedones, alijque Græci eundem cum Alexandrinis annum Solarem vertẽtem agant 365. diebus & ¼. integratum, & à duodecim mensibus tricenariis æqualibus compactum cum quinque diebus appendicibus: cumque superstitis adhuc diei in fine cuiusuis quadriennij rationem habeant (vt proximè à *Galeno* notauimus) ab his clarè consequimur Alexandrinos (quorum ritus & vsus *Theoni* aliàs ignoti) eandem in quadrantis adiectione rationem obseruasse. Et insuper inde fit, in oratione *Theonis* velùt certum supponi, Grecos illos (quorum ipse meminit) ad integrandum suum Solarem annum perfectum mensibus primùm vsos tricenis, Alexandrinis persimilibus: & subinde quinque diebus appẽdicibus: & demum diei integri, à quadrantibus conflati, adiectione.

DECIMOQVARTÒ, annum communem, mensésque tricenos omnibus
83 fuisse Græcis Atheniensibus exceptis, clarè demonstrant antiqui † *Scholiastis Aristophanis* verba iam per nos adducta in d. *cap.* 12. §. 4. *numer.* 29. cum expensione per nos ibi facta, quæ omne *Petauio* subterfugium adeò præcludunt, vt alia consimili (illi de mensibus tricenis Lunaribus ex voluntate priscorum Græcorum: vel Solaribus latentibus: vel Lunaribus sursumdeorsum inter Iulianos deambulantibus) egeat præmeditatione, quando præfatarum nulla huius *Scholiastis* absolutæ obseruationi adaptari possit: vt qui nec fuit priscorum Græcanicorum; nec de mensibus latentibus loquitur, quin potiùs de ciuilibus & populicis cæterorum Græcorum extra Atheniẽses, qui Lunaribus vtebantur, nec ad Lunares Iulianis interfertos potest referri, cùm de vsitatissimis Græcorum tricenis mensibus ineuitabili, malóque *Petauij* fato intelligi tantùm possit; aliter enim cæteris Græcis non esset idem τριακάς, quod Atheniensibus ἕνη καὶ νέα, vt *Interpres* iste antiquus adstruit. Vt igitur argumentum à simili, quo vtitur, ex æquo procedat, dicendum est ab eo, & quidem securissimè, τριακάδα trigesimam vltimámque mensis diem Græcis ferè omnibus propriam & ciuilem fuisse, ac Atheniensibus erat ἕνη καὶ νέα, iuxta ea quæ super istis dictionibus iam annotauimus *supr. num.* 20. *&* 63. & anteà consideraueramus in *cap.* 12. §. 4. *n.* 4. 27. *& seqq.*

DECIMOQVINTO LOCO nostræ, de anno communi, mensibúsque tricenis assertione fauet † *D. Epiphanius hæresi* 51. *in Analogos* per nos relatus in *cap.* 12. §. 4. *num.* 13. qui CHRISTVM *Dominum* natum scribit *quinta* die *Ianuarij mensis secundùm Romanos; iuxta Syros, siue Græcos Audinæi sexta; iuxta Athenienses Mamacterionis sexta*: quæ planè præ se ferunt, in communi Græcia, & Athenis insuper eandem tunc temporis mensium dimensionem fuisse: & hanc quidem persimilem Iulianæ. Et sanè ita præsensit *Petauius li.* 4. *cap.* 8. & anteà *in notis super* dicta *hæresi* 51. *inferiùs* expendendus. Non tamen negamus, ista *Epiphanij* rem nostram plenè non comprobare, cùm loquatur de temporum computatione Greciæ & Athenis post emendationem Iulianam vigente. 84

DECIMOSEXTÒ, pro dicto anno communi Grecorum, & mensibus eorumdem tricenariis stat *Augustinus* † ab inductione qua vsi sumus in dict. 85 *cap.* 12. §. 4. *num.* 13. quam nunc disertioribus verbis exprimentes notamus *huic* sanctissimo & præstantissimo *Diuo*, menses Hebræorum antiquis

temporibus tricenarios æquales fuisse in *lib.4.de Trinitate,cap.4.* & *libr.15. de Ciuitate Dei, cap.14.* Cùm ergo in *cap.10.lib.12.de Ciuitate Dei* (iam per nos relato in dict.§.4.) Græcanicam annorum historiam Ægyptiacæ præferendam dixerit illis verbis: *Et ideò Græcæ potiùs fides adhibenda est, quia veritatem non excedit annorum,qui litteris nostris,quæ verè sacra sunt, continentur,* clarè ab istis elicitur, Græcis antiquioribus (de quibus loquitur in d.*cap.10.*) menses tricenos fuisse,ac Palestinis,siue Iudeis.

DECIMOSEPTIMÒ, nostris suffra-
86 gatur *Suidas*† relatus per nos dict.§.4. *num.13.* qui in verbo γεννῆται notat Athenis quattuor exstitisse tribus, & has in quattuor classes fuisse discretas,quarum quæque triginta generationes continebat,& tribus illas quatuor anni tempestatibus consimiles facit,classes autem duodecim mensibus tricenis,generationes verò triginta in quaque classe,anno communi: ait enim, τὰς μὲν φυλὰς τέσσαρας ποιήσαντες ἀπομιμησάμενοι, τὰς τοῦ ἐνιαυτοῦ ὥρας, τὰς δὲ φατρίας καὶ τριττῦς. ιβ. καθάπερ οἱ μῆνες. τὰ δὲ γένη, λ' ἑκάστη φατρία, καθάπερ αἱ ἡμέραι τξε. Nec his aptè occurrit *Petauius* à sua generali solutione dicens, *Suidam* intelligendum de anno & mensibus antiquissimorum Græcorum circa Cecropis ætatem,qui rudis illius sæculi opinione tricenarij erant. Id quod iam nos ex integro refellimus. Et dictis insuperaddimus, *Suidam* prædictam Atheniensium di-
87 uisionem à *Philochoro*,† quem ibi refert desumpsisse. Is autem,multò post Solonis de mensibus legem, res gestas Atheniensium Reges & Magistratus 17.libris enarrauit, teste eodem *Suida*: vt inde coniectari liceat, hanc ciuitatis diuisionem & post Solonem perdurasse. Demus eam extinctam, adhuc computationi prædictæ, quæ fuit ipsius *Philochori*, multum tribuendum est,vt qui à seipso tribus, classes,& generationes prædictas anni tempestatibus, & eiusdem mensibus, & denique diebus assimilantes facit.

DECIMOOCTAVÒ, nostræ communis sententiæ assertorem enuntiauimus in d.§.4.*numer.14.*† *Theodorum* 88
Gazam natione Græcum,anni & mensium Græcanicorum peritissimum, qui in suo aureo *libro de mensibus* duplicem assignat Græcorum annum, & primum (quem Soli tribuebant) 360.diebus præfinit à duodecim mensibus tricenis æquabilibus compositum: & inde huius anni quintæ parti *Aristotelem* (iam per nos relatum) duos & septuaginta dies accommodasse ait: aliúmque Lunarem fuisse scribit Lunæ circuitus attendentem, & 354. (sic legendum,non 364.) diebus circumscriptum.Et ab his subiungit factum,vt mensium alij Soli, alij Lunæ descripti essent, & diuersa intercalatione (per eum ibi designata) anno verterti adæquarentur. Quo nihil clarius dici potuit in anni communis & mensium tricenûm comprobationem. Vt inde mirum sit, quàm tranquillo animo *Petauius* vada ista pertransierit: cumque ipsissima *Gazæ* verba retulerit, ingenuè fassus fuerit eum VERE loquutum: *nam tricenarius* (ait) *mensium modus communi Scriptorum vsu retinetur, cùm de Græcorum mensibus verba faciunt,annóque Solari.* Et certè hæc nos semper rati sumus,& denuò fatemur, immò hoc vnum euincere conamur,mensium id est mentionem & rationem cùm de Lunaribus expresse non agitur,ad tricenarios referendam, multóque magis cùm de anno Solari, mensibusque (vt *Petauius* agnoscit) sermo inciderit,qui semper Græcis triceni: & post emendationem Iulianam, vt iam ex

Galeno & *Epiphanio* annotauimus. Dicet, non eius mentem non calluisse, & scriptionis suæ sensū fuisse: *Scriptorum vsu & continuata serie menses Lunares antiquos tricenos appellari, & nunc cùm pleni sunt & caui*, id est 29. dierum. Et quidem istis sic perceptis
89 hoc vnum restabat *Petauio* † subterfugium, vt omnium aúctoritates annū communem, & menses tricenos Græcanicos adstruentes eliderct, & primoribus huiusce rei adsertoribus, & reliquis insequentibus menses Græcorum *tricenos* vocitantibus, occurreret. Et sanè ego valdè miror *Petauium*, qui (cùm *Gazam* expenderit asserentem duplicem fuisse annum, duplicésque menses Græcorum, & vnum dierum 360. alium 354. vt rectè is ipse emendat, huncque ad Lunam, illum ad Solem referri: & simul duodecim menses designantem tricenos ex sententia *Aristotelis*, anno illi 360. diebus constanti, & vtriusque intercalationem propriam subinde describentem) his adeò apertis, & vtriusque anni & mensium rationem & constitutionem disertissimam continentibus, subaudisse lusus fuerit, *Gazam* intelligendum de mensibus qui antiquis Græcis triceni & Lunares simul erant. Cui enim in aperto non est, *Gazam* edoctoris partibus fungentem, & regulas, seu præcepta præstantem, vt quæque Græcorum Chronologica perciperentur de annis, mensibúsque Græcorum ciuilibus & popularibus fuisse eloquutum, eósque in duas illas diuisisse classes. Adhæc *Gaza* annum 360. dierum & menses tricenos ad Solem refert; non ergo deceptus, aut ductus fuit errore illo, quo rudis æui priores Græci à *Petauio*, cùm suum componeret annum & menses, notabantur. Demum *Gaza* menses tricenos diuersos facit à Lunaribus: vnde est, vt illi ad Lunā referri non possint.

Quòd si præfata *Petauij* ad menses Solares latentes referantur (id quod nec ipsius verba patiuntur) sustinêri quidem nec vllomodo possunt, attentis considerationibus à sententia & doctrina *Theodori Gazæ* proximè diductis. Stare ergo non potest *Petauij* subauditio ad istū *Gazam*: ab eo quidem malè perceptum, duce *Scaligero*, qui *lib*.1. sub Epigraphe *de anno æquabili minore Græcorum*, *Gazam* solius anni Lunaris anteà assertorem malè, fecerat. Id quod, *Scaligero* suppresso *Petauius* infeliciter sibi vindicauerat.

DECIMONONO loco, Cardinalem *Caietanum* † Auctoribus classicis & 90
melioris notæ iam relatis superaddidimus dicto §.4.*numer*.14. qui super *Genes. cap*.7. & 8. ita ait: *Annus porro apud Veteres constabat 360. diebus iuxta numerum graduum signorum Zodiaci, vnicuique gradui diem vnum assignando, talisque fuit annus Solaris apud Græcos & Romanos, & (vt creditur) etiam apud Ægyptios: eundemque fuisse tempore Mosis, &c.* Hæc autem tanti Auctoris nulla certè eludi possunt suppositione, cùm de anno, mensibúsque ciuilibus ac popularibus Græcorum apertè loquatur, ac de annis & mensibus Iudæorum & Aegyptiorum: quos omnes æquo lance 360. dierum fuisse asserit, mensésque simul tricenarios æquabiles, ciuilésq; fuisse clarè denotat.

DEMVM vigesimo & vltimo gradu anni Græcanici communis (360. diebus constantis) mēsiumq; tricenorum approbatores, structorésq; retulimus d.§.4.*n*.14. *Iosephum Scaligerum* † *lib*. 91
1. *de emendat. tempor. Federicum Bonauent. variis capp. libri* 7. *de octomestri partu, Marsilium Cognatum lib* 4. *variarum resolution. cap*. 4. ipsumque *Petauium in notis ad dictam heresim* 51. *Epiphanij*, & demum nouissimum (cùm nostra scriptis commendaremus elitum) *Henricum Haruillæum in Isagog.*

Chronolog. difficult. 10. in princip. versic. Porro.

Et quidem, quod attinet ad *Scaligerum*, *Petauius* eum non tantùm huius sententiæ assertorem, verum & vnicū
92 †Auctorem nunc facit *lib. 1. c. 6. & 7. & lib. 2. c. 72.* Idque sæpe sæpius alibi ita supponit, summè deceptus, confundénsque parum aptè præmeditatam *Scaligeri* mensibus Lunaribus, aut tricenis intercalationem, ad anni vertentis coæquationem (à *Cicerone* & aliis sinistrè desumptam) cum dierum anni Solaris Græcanici communis & mensium tricenorum vsu & dinumeratione, quæ certè eadem fuit *Scaligero* ac *Gazæ*, Cardinali *Caietano*, & cæteris Antiquioribus s. relatis. Quæ si *Petauius* in re clara & patenti nunc attendisset (vti fecisse videtur in notis ad *Epiphan.* verbis illicò expendendis) anno & mensibus Solaribus seu tricenis Græcorum, non adeò infensus fortèan foret.

Denique nostra eiusdem *Petauij* ex-
93 pensio d. §. 4. *nu.* 14. innixa † est eius illis verbis: *A secunda Nouembris ad vltimam Decembris dies sunt 60. menses Atheniensium duo: proinde non Iulianis, sed æqualibus & Ægyptiacis mensibus vsi sunt Athenienses, cum primùm fixum & stabilem annum adhibuerunt, imò idipsum apud illos antiquissimum fuisse nō primus Scaliger, (vt gloriatur) sed Gaza ante illum edocuit lib. de mensibus, vbi de anno disputat. Etenim annus, inquit, apud illos duplex erat, vnus 360. dierū, cuius in fine appendices quinque inserebantur, ad quos quarto quoque anno dies vnus accedebat, alter Lunaris fuit. In priore forma tricenarij menses erant ad modum Aegyptiaci anni, vltimus mensis quinque vel sex diebus auctior erat. Hæc Gaza. Quod vtrùm illis priscis temporibus vsu populari receptum fuerit, alibi disseritur. Post Iulianam editionem, atque Epiphanij seculo eiusmodi annum obseruatum Athenis fuisse, ex hoc Epiphanij loco coniici potest. Vt enim Aegyptiacus annus mensibus tricenariis constans, cùm hactenus diei intercalaris omissione per Iulianum annum euagaretur, recepto anni Iuliani typo, tricenarios menses nihilominus retinuit, cum ἐπαγομένοις quinque & iterum sex, ita credibile est, Athenienses idem in anno suo fecisse, vt tricenis duntaxat diebus singuli menses decurrerent, nec ad Iulianorum mensium descriptionem quadrauerint.* Video *Petauium* dicentem, hoc loci nil ipsum de anno & mensibus ciuilibus Solaribus Græcorum ante editionem Iulianam statuisse, imò sese retulisse ad ea, quæ nunc protulit, idque denotasse illis verbis: *Quod vtrum illis priscis temporibus vsu populari receptū fuerit, alibi disseritur.* Sed ista ἀπρωσωπῶς dicta, (quæ ad extantia aliorum scripta aptè referri possunt) si hisce *Petauij* vltimis curis tribuamus, adhuc illum non eximunt à patenti sua ἀντιλογία, & contradictione, & quidem in multis. Primò, in notis illis absoluta propositione asserit, Athenienses cùm primùm fixo & stabili anno vsi sunt Ægyptiacos menses adhibuisse. At stabilem Solarem vertentémque annum ad imitationem Thebanorum & Alexandrinorum multò ante innouationem Iulianam habuerūt, vt probauimus s. à multorum auctoritatibus: ergo menses isti triceni Ægyptiaci (qui Solares tantùm fuerunt Ægyptiis, vt omnibus in confesso est, & ipsi *Petauio* ex dictis in *cap. præcedenti*) Solares itidem erant Græcis ex sententia *Petauij*, cùm illas ante annos quinque scriberet notas ad *Epiphanium*, non Lunares ex voto, vt nunc commentus est.

Secundò sibi ipsi contrariatur in expensione *Gazæ*, quam illa subsequuntur, *Quod vtrum priscis temporibus*, &c. In quibus hoc ego ineuita-

bili

94 bili vtor † dilemmate. Aut *Petauius* alibi ab eo edisertum *Gazæ* sententiæ concinens, aut aduersum facit. Primo casu communem certè sequutus fuit assensum existimantium cum *Gaza* annum itidem Græcis Solarem, vel quasi, id est, 360. dierum, & 12. mẽsium tricenorum vsu receptum fuisse (quod nunc in libris de Doctrina Temporum maximopere detestatur) Secundo verò casu sibi etiam ἐνάντιος & aduersus est, cùm in notis improbet *Gazam* à suis imposterum edendis, & subinde his ipsis illum laudet, & apertissimè probet *l.b.5.cap.7.* vbi hac eadem *Gazæ* sententia relata subdit: *Hæc Gaza & quidem* VERE.

Tertiò, *Petauius* arguens à simili in præcitatis verbis ait, Ægyptios & Athenienses post annum Iulianum mẽses tricenos æquè in vsu habuisse: in
95 quo ego duplicem † adinuenio lapsum: primum, dum tricenorum mensium vsum Ægyptiis ante castigationem Iulianam iste velùt denegat contra *Herodotum, Diodorum, Strabonem* & *Theonem suprà* relatos. Secundum, cùm vniuersæ Græciæ menses Lunares facit ante emendationem Iulianam contra *Hesiodum, Herodotum Hippocratem, Aristotelem,* & reliquos *suprà* expensos. Vt igitur argumentum à simili, quod hic vtitur *Petauius*, ex æquo procedat, dicendum est, Ægyptios post C. Cæsaris nouam anni indicationem menses tricenos (quod verissimum est) conseruasse, eosdémque communem Græciam retinuisse, & Athenienses simul, illos ampliantes, Lunaribus ciuilibus omnino explosis. Omnes enim gentes emendationem Iulianam admiserunt, sed diuersimodè; nam quidam retentis adhuc mensibus tricenaris æquabilibus, quinque dies cum quadrante intercalabant, vt clarè innuunt, quæ *suprà* à *Galeno* & *Epiphanio* annotauimus, Id quod mihi apertè probat *Censorinus cap.20. in fine*, de anno Iuliano ita ediserens: *Sed & apud gentes omnes,* QVANTVM POTERAT, *idem fuerunt correcti.*

QVARTÒ, denique *Petauius* in prænotatis verbis sibi ipsi non † con- 96
stat, dùm post editionem Iulianam menses tricenos Ægyptiacis consimiles in vsu Atheniensium fuisse contendit & adstruit (& iustè quidem) à sententia *Epiphanij*: & aliorsum *Gazam* mille & amplius annos post hunc Diuum idem adserentem & scribentem, intelligit in dicto *capite* 7. *libr.*1. de mensibus Lunaribus ab errore tricenis, vel de latentibus Solaribus, vt *suprà* annotauimus. Quod si de neutris: hoc tamen ab scriptis *Dionysij Petauij* in dicto *cap.*7. clarè elicimus, *Gazam* alio in sensu ab eo perceptum, longè diuerso à traditis & adsertis eadem super re paucis ab hinc annis in dictis notis ad *Epiphanium*. Quæ omnia in eam sanè nos inducunt suspicionem, vt existimemus, *Petauium* anno 1622. cùm illustres illas ad *Epiphanium* scripserat notas, nondum animo firmè concepisse mensem simplicem vnicum ciuilem Lunarem, quem hodie magno conatu inducere, & omnibus suadere infeliciter tentat.

SVBHÆC, † tot insignium virorum 97
auctoritatibus (iam per nos expensis in d.c.12. §.4. & hac *Diatriba* latiore sermone iterum illustratis) nunc ad penitiorem doctrinæ Petauianę de annis & mensibus Lunaribus atque ciuilibus Græcorum euersionem, sequentia, interiore lectione, ab aliis Auctoribus obseruata, addenda curauimus.

Primò, *Censorinum* variis in locis absolutã illã Petauij anni & mensium Lunarium designationem infregisse: & anni communis, mensiúmque tri-

cenorum vſum (quem cum commu-niore Chronologorum placito ad-ſtruimus) vel ſuppoſuiſſe, vel appro-baſſe inuenimus in *cap.*18.*in princ.*vbi aſſerit annos ciuiles Græcis alternos duodecim & tredecim menſium fuiſ-ſe media τελετηείδος intercalatione; quo cum excludit apertè annum Lu-narem *Petauio* ſoli ſimplicem & ciui-lem. Et mox in *eodem capite* annos Olympiadum (de quibus agemus *ſe-ctione ſequenti*) exactos, perfectóſque Solares vertentes ſupponit; & id ip-ſum antea inſinuerat in annis ætatum deſignãdis ab *Herod.* & aliis antiquiſ-ſimis Græciæ Scriptoribus *inferiùs* ex-pendendis. Is inſuper auctor menſes Solares Græcis in plurimum ciuiles fuiſſe denotat in *c.*22.cùm ait: *Minimè videntur errare, qui ad Lunæ curſum menſes ciuiles accommodarunt, vt in Græcia plerique, apud quos alterni men-ſes ad tricenos dies ſunt facti.* Etenim dictione illa, *plerique*, velùt indu-bitabili ſigno Athenienſes & eiſdem obedientes, ſeu quoſuis legis, à So-lone de menſibus latæ, obſeruatores demonſtrat, vel aliquas Græciæ ciui-tates, vt iam dixerat in *cap.*18. Et qui-dem anteà idem *Cenſorinus* in *cap.*11. ſeptimeſtrem vocauerat eum, *qui du-centeſimo decimo poſt conceptionem die* (qui ſeptem integrat menſes trice-nos) *exit ab vtero.* Quis ergo non videt omnia *Petauij* machinamenta, ab his *Cenſorini* (Auctoris inſignis, nedumque ſatis laudati) adeò colla-bi, vt eius ſola (quando cetera om-nia in *hac ſectione* contenta ceſſaſſent) auctoritate (ac par eſt) irrefragabili firmè obſiſtente, ſtare deinceps non poſſint.

Sed & nunc nouè pro menſibus tri-cenis, etiam Athenienſibus, conſidero egregium *Dionyſ. Halicarnaſ.* locum in *lib.*1.cùm ait: Ἴλιον μὲν γὰρ ἑάλω τελευ-τῶντος ἤδη τοῦ θέρους, ἑπτακαίδεκα πρό-τερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς ΑΘΗ-ΝΑΙΟΙ τοὺς χρόνους ἄγουσι. περιτταὶ γὰρ ἦσαν, αἱ τὸν ἐνιαυτὸν, ἐκεῖνον ἐκπληροῦσαι μετὰ τὴν τροπὴν εἴκοσι ἡμέραι, ἐν δὴ ταῖς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, ταῖς ἀπὸ τῆς ἁλώσεως διαγενο-μέναις, τά τε περὶ τὴν πόλιν οἴομαι διοι-κήσασθαι τοὺς Ἀχαιοὺς, καὶ τὰς πρεσβείας ἐπιδέχεσθαι παρὰ τῶν ἀφεστηκότων, καὶ τὰ ὅρκια ποιήσασθαι πρὸς αὐτούς. τῷ δ' ἑξῆς ἔτει, &c. *Troia*(inquit)*capta eſt* ſub finem æſtatis, XVII. diebus ante Solſtitium *æſtiuum octaua mẽſis Theagelionis deſi-nentis die* (quæ eſt XXIII.) *iuxta ſuppu-tationem temporum* ATHENIENSIBVS *vſitatam. Reſtabant adhuc à Solſtitio vi-ginti dies ad perficiendum illum annum, vt inde triginta & ſeptem dierum ſpa-tio, qui à Troia capta vſque ad anni fi-nem effluxerunt, exiſtimem Achæos & res vrbanas tranſegiſſe, & legatos eorum, qui defecerant, accepiſſe, & fœdus cum iis iniiſſe. Sequenti autem anno, &c.* Et quidem his nil firmius, nil ex-preſſius, nil denique aptius menſium tri-cenorum comprobationi dici potuit; quando apertè videmus in *Dionyſio Halicarnaſſæo* non ſolùm tricenûm menſium communem vſum in Græ-cia, ſed, quod plus eſt, apud Athenas i-pſas obtinentem in computandis per menſes temporibus etiam poſt legem Solonis: quam, hiſce nullo tempore admiſſa fuiſſe, indubium eſt ex *Dio-nyſio.*

Vltimo demum loco (plurium, & prioris notæ auctoritates in vnum congerens)noto, in annum ſimplicem vnicum ciuilem Græcorum Lunarem à *Petauio* excogitatum apertiſſimè ſta-re primos vſque ad nouiores claſſicos rerum Græcanicarum deſcriptores: *quibus* (vt ait *Dionyſius Halicarnaſ-ſeus in epiſtola ad Q. Aelium Tubero-nem*) *vel ad Regum, vel Sacerdotum ſuc-ceſſiones, vel ad Olympiadum ambitus, vel ad Archontum annuos principatus,*

ſuorum

suorum librorum diuisionem placuit accommodare. Et quidem omnes vno velùt ore annis naturalibus integro & naturali Solis cursui accommodis, eiusque tempestatibus semper sunt vsi (quouis ex præpositis cum *Dionysio* numerandi temporis modulo vsurpato) vti clarè innotescet *Herodoti* (vt ab hoc antiquiore incipiam) historiam per ducentos & quadraginta annos Solares diffusam, ex *Dionysio supra* (inde emendando *in epistola ad Gn. Pompeium*) perlegenti: & *Censorinum* subinde dicto *cap.* 18. isthæc ab eodem *Herodoto* obseruantem. Sed & *Thucydides* (à prætermissione temporum à *Dionysio* notatus, vt vidimus in *Proloquio huius Diatribæ*) sæpè & sæpiùs annos obseruauit, & quidem perfectos & Solares, Iulianisque valde consimiles, vt disertè annotauit *Georgius Acacius* in præfatione Chronographiæ in Historiam *eiusdem Thucydidis*, & simul à quaque Olympiade *Thucydidem* & alios quatuor annos Iulianos perfecisse: idque disertissimè comprobat ab eclypsibus, quarum ratio & mentio est per vniuersam Historiam *Thucididis*; qui annum naturalem & perfectum (ex illius historicis euictum ab *eodem Acacio* in dicta Chronographia, & à *D. Chitræo* in consimili) in æstatem & hyemem, iisdem anni tempestatibus semper persistentes, diuisit: & eius exemplo *Liuius libro* 5. vt optimè notauit *Fabius Paulinus in prælectionibus ad Thucydidem lib.* 1. Et demum annos belli Peloponnesiatici in *Thucydide* naturales & Solares fuisse strenuè eruit *Pat. Gordonus in opere Chronologico, capite* 8. Adhæc *Xenophon*, *Thucydidis* historiam prosequutus, sub annis Solaribus enarrata componit in *libris de rebus Græcorum*, & in *libello de Republica Athenensium.* Et verò post istum *Diodorus* (qui rebus antiquissimis ante Troianum bellum gestis historiam suam fuit auspicatus) eam vsque ad tempora Iulij Cæsaris perducit, omnia designatis temporibus per Olympiades & annos naturales, Solarésque prosequutus. Idem accidit *Dionysio*, vti facilè deprehenditur à locis historiæ, & epistolarum eiusdem *suprà* adductis: & pluribus aliis congestis ab *Henrico Glareano in eius Chronologia*: sed præ cæteris à *Dionysio* notandum est, ipsum *libro* 5. *in Principio* annos 244. prioris imperij Græcorum Regalis naturales & Solares supposuisse: & inde eos Olympiadibus peræquasse: & ab istis insuper, annuum principatum Atheniensium Archontibus concessum. Quæ planè demonstrant Cecropis temporibus & subsequentibus omnibus annos Solares communes & ciuiles fuisse tam Atheniensibus, quàm cæteris Græcis. Video subinde *Polybio* eandem fuisse temporum rationem, vt clarè demonstrat Synopsis in eum Chronologica *Casauboni.* Et demum *Appiano, Dioni*, & subsequentibus, qui disertiùs Græcorum & Romanorum, aliorúmque annos cum annis Solaribus peræquè componunt. At nemo negare poterit annos istos naturales & Solares ab Historiographis Græcis primoribus vsurpatos, ciuiles fuisse omniũ & quorumque Græcorum, quorum gesta enarranda susceperunt. Annis quippè ab eorum vsu alienis ea enarrare minimè possent, nisi omnia deliberato animo interuertere & obscurare conarentur, velùt illi quos à temporum prætermissa serie notat & irridet *Lucianus* in pereleganti libello, *Quomodo conscribenda sit Historia.*

Et ab his quidem effectum est, vt apud Romanos eadẽ anni naturalis & currentis ratio fuerit in Lustris, quæ Græcis in Olympiadibus, ita vt Latini Historiographi, quantumuis antiquis-

si ui, annorum rationem habentes de naturalibus cursui Solis peræquabilibus sint intelligendi. Cuius rei verę comprobationi illud præ cęteris deseruire debet, quod Gręcos & Romanos eandem temporis intercapedinem describentes, concordi numero annorum semper & passim vsos videbimus etiam Athenienses. Exemplo sit illud *Heraclidis Pontici in fragmentis Politicorum:* Πεισίστρατος, τελευτῶν τρία ἔτη τυραννήσας, γηράσας ἀπέθανεν. Cui concinit *Iustinus* lib.2. *Pisistratus occupata tyrannide per annos 33. regnauit:* quod ad annos certè Atticos Romanis consimiles referendum est; velut & illud *Aemilij Probi* in epistola Themistoclis ad Artaxerxem: *Annum mihi temporis des, eóque transacto me ad te venire patiaris.*

SECTIO SECVNDA.

Annus communis, & menses triceni Græcorum variis mediis comprobantur.

POST tot Auctorum irrefragabiles auctoritates, quibus affirmati remanent anni communes Grȩcanici, menséſque triceni æquales, nunc ad maiorem, vt aiunt, cautelam rē istam, quamuis ἰσοσκελῆ, aliquibus comprobabimus mediis.

98 PRIMVM † sit, eam post diluuium annorum constituendorum, & dimetiendorum catenatam fuisse seriem, vt ab Hebręis & Chaldæis Ægyptij, (vt vidimus in *cap.*12. §.3. ab istis Gręci (ex notatis ibidem) & ab his Romani (ex dictis in §.5. d. *cap.*12.) annos & menses suos didicerint & desumpserint. Et quidem, vltra notata in dictis locis, insigne huiusce rei exstat testimonium à verbis illis *Iosephi lib.1. antiquitatum Iudaicarum c.9.* τὴν ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. πρὸ γὰρ τῆς ἀβράμου παρουσίας εἰς αἴγυπτον οἱ αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς, ἐκ Χαλδαίων γὰρ ταῦτ' ἐφοίτησεν εἰς αἴγυπτον, ὅθεν ἀφίκηλθεν ΚΑΙ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΕΛΛΗΝΑΣ, *Arithmeticam & Astronomiam* Abramus *liberaliter Aegyptiis harum expertibus communicauit, quæ à Chaldæis ad Aegyptios ita deductæ, hinc ad* GRÆCOS *tandem peruenerunt.*

Cùm ergo Iudæis, Ægyptiis & Romanis annus & menses fuerint Solares vel propè, id est, annus communis 360. dierum, & menses 12. triceni æquabiles illum componentes, vt satis supérque probauimus in d. *cap*, 12 §.1. 3. & 5. Ab his velut necessariò sequitur, Græcis itidem (quibus cursus Solis maiori quàm Ægyptiis curę fuit, ex dicendis ĩ. cum *Gemino*, *n.*101. & 116.) annum fuisse communem, menséſque tricenos Solis cursui propiùs accedentes.

SECVNDÒ, † annus, vt annotauit *Scaliger lib.4. in princip.* & eius nomine suppresso *Petauius lib.1. c.*8. & nos s̃. *num.*34. φύσει *natura* Solaris est, vt qui prȩstantiores huius sideris perfecta & absoluta naturali periodo prȩfinitur & absoluitur sine aliqua additione, vel detractione, annus verò Lunaris simplex non est, nec in se perfectus ac Solaris, sed θέσει, hoc est ex dispositione & arbitrio hominum constituitur & componitur, interdum ex duodena, aliquando ex decimatertia Lunę ad idem punctum conuersione. Quis autem sibi suadebit, Græcos omnium 99

omnium scientissimos, & Astronomica præ cæteris gentium tractantes & reuoluentes anno naturali Solari simplici perfecto, absolutóque prętermisso, Lunarem imperfectum (pluribus posteà intercalationibus diuersimodè excogitatis Solis cursui malè in plurimum adaptatum) quæsiisse, & amplexos tantùm fuisse? His occurret *Petauius*, & opertaneum Solaris anni vsum advitandum (inter alia) hoc absurdum concedet. Sed vltrà quàm quòd ista eius subauditio sustinêri non potest, & facilè omninóque exploditur ex iã dictis per nos *in sectione præcedēti*, ea admissa, adhuc argumenti ab absurdo, quo vtimur, vires certè firmæ subsistunt; quando nullus erit (vno excepto *Petauio* in suo anno simplici Lunari Græcorum persistente) qui sibi suadere possit, naturalem annum, & κατ' ἐξοχὴν, iuréque velut gentium admissum & obseruatum Græcis reconditum fuisse, & artificialem, hominúmque θέσει inductum in vsu ciuili & aperto tantùm Græcis fuisse.

Quid quòd intercalationibus & subductionibus variis Lunarium mensium, & communium tricenorum vsi sunt omnes Græci ad eorumdem & annui Solaris naturalis cursus adæquationem, vt iam probauimus *in sectione præcedenti* ex *Diodoro*, *Solino*, *Macrobio*, & *Cęsorino*. Id quod ex pluribus comprobant *Gordonius in opere Chronolog. capite decimo nono, numero vigesimo quinto, Haruillæus libro primo, Isagog. Chronolog. difficultate* 10. *versic. Formas*. Et quidem ab his diuersæ illæ periodi Macedonica, Olympica, Thebana & Attica: quæ & ipsa multiplex, cùm plures fuerint Athenienses, qui Solis motui annum æquare tentauerint, vt *Aeschylus* eorum Dux, *Solon* Legislator, *Leostratus*, *Harpalus*, *Meton*, *Democritus*, *Heraclitus*, *Calippus*, *Hipparchus*, & consimiles. Cùm autem intercalationes istæ anni naturalis & Solaris integrationi deseruientes (etiam ab antiquissimis temporibus, prout captus illorum seculorum ferebat) ciuiles fuerint; inde planum & per quàm euidens fit, annum Solarem exactum à mensibus Lunaribus, vel tricenis, media intersertione, aut subductione dierum cōflatum, ciuilem fuisse, non simplicem Lunarem, quem vnicum *Petauius* admittit.

TERTIÒ, † Græcis, vt ait *Geminus*, πρόθεσις fuit, annos ad Solem, menses ad Lunam dirigere: Solares ergo habuerunt annos in vsu communi publico & ciuili, qui à duodecim mensibus tricenariis æqualibus componebantur. Sed ista latiùs prosequemur in *quarta sectione*, vbi interpretationem *Petauij* ad præfatam *Gemini* propositionem elidemus, & nostras omnibus, ni fallimur, placituras adiungemus. 100

QVARTÒ † idem *Geminus* (quem in horum dignosci omnibus præponit *Petauius*) Ægyptiaci & Græcanici anni differentiam insigni verborum eloquio (post prædicta) eo solo constituit, quod Ægyptij (non ignari annuam Solis periodum, & subinde verum & naturalem annum 365. diebus & $\frac{1}{4}$. integrari) deliberato tamen animo quadrantem omittebant, vt eorum festa per omnes anni tempestates vagarentur, quod cùm Græci vitare curassent, quadrantis illius rationem habebant, vt clarè, prædicta omnia prosequutus, testatur ipse *Geminus* pluribus verbis *inferius* expendendis *numer.* 116. Quòd si Græcis annus tantùm Lunaris in ciuili publico & aperto esset vsu, certè *Geminus* hanc longè dissitissimam differentiam inter Ægyptios & Græcos non 101

præteriisset, & illa sola, quæ in quadrantis obseruatione, vel omissione posita erat, perstitisset.

Hæc cùm præuidisset *Petauius libr.* 1.*c.* 5. & alibi annum Solarem Græcis indulsit, opertum tamen & reconditum ad dimettendas & æquandas tempestates & ad sacra tantùm aptatum, quia suus *Geminus* in præcitato ab eo loco horum solùm meminerat. Sed quis non videt, annum ad sacra primitùs coaptatum pòst ad reliqua publica, vel ciuilia, eadem norma accommodandum? Vt qua ratione apud Ægyptios annus imperfectus Solaris 365. dierum, omisso quadrante ciuilis fuit, sic & Græcis annus naturalis & perfectus 365. diebus & ¼. constans ciuilis exstiterit. Primum horum clarè sensit *Geminus*, vt præuidimus; & omnibus in confesso est ab *Herodoto* & aliis expensis in *cap.*12.§.5. & in hac *Diatriba c.*2. Ergo anni Græcanici reconditi Solaris confictio & restrictio ad sacra tantùm, & perequationem temporum aptati, sustineri non debet.

101 QVINTÒ,† Æquinoctiorum & Solstitiorum tempora Græci obseruabãt, & subinde tempestates cum Solis naturali periodo componebant, id quod plures ex Auctoribus *præcedẽti sectione* relatis, vel disertis edocent verbis, vel clarè supponunt, maximè *Geminus* & *Galenus*, & agnoscit à *Gemino* ipso *Petauius lib.*1.*cap.*7.& *lib.*2.*cap.*6.& *lib.* 4.*cap.*16.& 28. Annus ergo Solaris illis in vsu erat. Nec quicquam agit *Petauius* ad assuetum recurrens asylum, & dicens, Græcos Sapientes anno Solari recondito ad repræsentandas tantùm tempestates, & ad sacra vsos fuisse; hoc enim quod nullius auctoritate comprobare potuit, in medium tamen attulit, vt ab vsu populari & ciuili Græcorum annum Solarem extermi-naret τεχνικοῖς, & doctrinalibus istis ad libitũ efformatis, & vt sub nube simul responderet præsentaneo à nobis preposito medio. Vidit *Petauius* in suo *Gemino* Grecos anni Solaris vertentis, & perfecti obseruatores ad sacra; vidit insuper in *eodem* Græcos annum suum ad Solem direxisse: vidit subinde in *ipsomet* & aliis eosdem Græcos Solstitiorum & Æquinoctiorum rationem habuisse. Vt ergo suum simplicem & vnicum ciuilem Grecorum annum non desereret, opus illi fuit *sine Lege* (vt nostri aiunt) & sine Auctore annum reconditũ Solarem, & quoad fieri potuit strictissimum concedere Sacerdotibus ad sacra, & σόφοις Astronomis ad constituendas & peræquandas anni naturalis tempestates. Et ab his cùm *Geminus* prædicta propositione generali (hæc excludente subterfugia) Græcos annum suum ad Solem direxisse asseuerauerit sine speciali rerum designatione, eum intelligendum curauit, quo tantùm casu de temporum adæquatione ageretur. Et quidem ita suo isto recondito anno (ad sacra & ad tẽpestates cõponendas tantùm admisso) sibi suasit *Petauius* ex integro fecisse satis omnibus quæ pro Solari Græcorũ anno adduci posset, nec quid aliud deinceps curãdum. Cùm autem ab Auctoribus per nos adductis d. *cap.*12.§. 4. & repetitis in *anteced. sect.* agnouerit Græcis omnibus, & subinde Atheniẽsibus post legem Solonis annum Solarem in vsu fuisse; quin & mensibus tricenis ipsos vsos in rebus maximè Medicis & Naturalibus ex *Hippocr.* & *Aristotel.* diuersis locis, & aliis iam expensis, ineuitabili sanè velut fato coactus annum Solarem reconditum vltrà vagari finet, & eius vsum Medicis & rerum quarumque naturalium Scrutatoribus concedet ac Sacerdotibus. Idémque indulgebit is anni Secularis

Græca-

Grȩcanici diſpenſator Hiſtoricis, tempora geſtorum, & annos ætatum computantibus; & ſubinde aliis atque aliis iuxta *inferiùs* notanda.

103 SEXTÒ, † Græcorum numero vltra Athenienſes fuêre Lacedæmonij, Peloponnenſij, Locrenſes, Megarenſes, Macedones, Bæotij, Aſiatici, Siculi & cæteri, quorum meminêre *Herodotus, Thucydides, Dionyſ. Halicarnaſ. Pauſanias* & alij rerum Græcanicarum Scriptores. Horum verò quique, Regionis vel Patriæ ritus ſequuti, longè diuerſa in temporum computationibus & dimenſionibus ſtatuerunt & obſeruarunt, vt clarè præ reliquis docet *Galenus libr. 1. de morb. popularib.* in verbis per nos expenſis in *ſectione præcedenti, nu.* 73. & ab aliis nouiſſimè notauit *Petrus Caſtellanus in libello de Græcorum menſibus & anno, verſ. Huius ordinis.* Et quidem ab his fiebat, vt per præcones vniuerſa Græcia ab Elidenſibus ad Olympiaca inuitaretur: id quod ſuperuacuum foret, ſi intermedia dinumeratio anni (Olympiadum tempore verè peræquati) eadem omnibus Græcis eſſet. *Petauius* ergo vnam & eandem legem omnibus Græcię Regionibus imponens circa anni & menſium dies & modum longiſſimè ab ſcopo aberrauit. Et longiùs inſuper, dum lege Solonis (quæ Lunares menſes Athenienſibus tantùm ciuiles fecit) omneis Græciæ plagas (& cùm earum Imperio Athenienſes nondum eſſent potiti) obligatas ſupponit; quæ nec ſuppreſſæ & ſubiectæ eam admiſerunt, vt iam notauimus.

104 SEPTIMÒ, † conſtitutiſſimum eſt *Olympiades* omnibus Græciæ Regionibus, & Atticæ præcipuè in dinumerandis temporibus magno vſui fuiſſe, ſicuti Romanis *Luſtrum*, & nobis *Aera*, vt iam notauimus in *cap.* 12. §. 5. *numer.* 23. & latè probāt *Onuphrius Panuinus libr. primo, Faſtor. Torniel. in Annal. anno* 3278. *Haruil. libro* 1. *Iſagog. Chron.* §. 109. *different.* 7. Omnes quippe Græci (in Agone Olympico vndequaque concurrentes, teſte *Liuio* illicò expendendo; id quod ab Eliorum excluſione in *Diodoro libro* 12. ex cauſa ibidem deſignata clarè diducitur) ab inſignibus illis ludis tēpora dinumerare cœperunt: & inde anni Olympiaci ciuiles & communes ipſis fuerunt *Haruillæus* poſt alios *ſuprà*. Ad hæc certamen iſtud *diebus tantùm æſtiuis celebrabatur*, vt hiſdemmet verbis enarrat *Cenſorin. in cap.* 21. *Liuius libr.* 17. dicens: *Olympia ludicrum ea æſtate futurum erat, quod maximo cœtu Græciæ celebratur*; & inſuper ab *Herodoto* & *Plutarcho* hoc ipſum optimè elicit *Petauius in Paralipomenis ſuper c.* 44. *libr.* 9. *tom.* 2. & latè probat *Haruil. ſupr.* Cúmque *Olympias* ſpatium eſſet temporis τηλεπτηκόν quattuor annorum exactorum, *Pauſan. in Eliacis, Strabo lib* 8. *Dionyſ. Halicarn. lib* 2. *Diodor. lib.* 5. *Plutarch. in Theſ. Euſeb. libr.* 10. *præpar. Euang. cap.* 1. *Polydor. Ripa lbr.* 2. *de inuent. rer. cap.* 13. *Hoſpinian. de origine Faſtorum, cap.* 17. clarè inde duo eruimus. Primum, Olympiadis annorum initium æſtiuis temporibus tribuendum. Et quidem quod attinet ad Athenienſes (quorum annos & eorum progreſſum nunc enucleare curamus) res aperta eſt ab auctoritate *Simplicij* præſtantiſſimi Philoſophi ſuper *lib* 5. *Phyſicorum Ariſtotelis*, dicentis: *Nos Athenienſes anni principium in Solſtitio æſtiuo facimus.* Secundum, annos Olympiacos (quorum vnum ſemper principium) Solares exactos exſtitiſſe ab Auctoribus iam relatis. Quibus adde *Petauium* id clarè indicantem, vel ſupponentem d. *lib.* 9. *ca. quadrageſimo nono, & duobus ſeqq.* Et certè inde *Olympiadis* nomen cuique anno ſimplici

datum est, vt ab *Anonymo in Descrip. Olympia.* notat *Meursius lib.3. Atticarum lectionum cap.25. Dauid Origanus* post alios *in Ephemeridibus 1.p.c.1.pag. 22.* sicuti Lustrum Solis, annus vertens est *Manilio lib.3.*

Lustra decem tribuet Solis cum mensibus octo.

Cumque Olympiadum eadem computatio & dinumeratio perdurauerit apud Græcos etiam post emendationem Iulianam, vt videre est in illa *Censorini* dicto *ca.21.* (quam *Petauius exactissimam* vocitat, & admirabili Dei prouidentia persistentem asserit dicto *lib.9.cap.42.*) clarè & perquàm euidenter ex his omnibus elicimus Solonis vigentis tempore, & quoque alio, annos ciuiles communes Solares vertentes fuisse, non Lunares, vt aliàs voluit *Petauius*: non attendens Olympiades vniformes Atheniensibus, cęterisque Græcis fuisse. Neque enim quidquam aget *iste*, si Athenienses, & quosuis alios Græcorum, annos suos Solaribus ad Olympiadas, aliaque Festa peræquasse dixerit. Vidimus namque Olympiadum vsum ciuilem & communem totius Græciæ: & ciuiles subinde eius annos earundem Olympiadum dinumerationi subesse in designandis cuiusuis rei temporibus. Ita vt prædictæ Petauianæ subauditioni, aut restrictioni omnem aditum, seu subterfugium clarè præclusum à prædictis demonstrauerimus. Sed & adhuc retento *Petauij* themate aptissimè *eidem* responderi poterit, ab Olympiadum Festis. & sacris (omnium maximè) Athenienses, cęterósque Græcos annos (aliàs diuersos, vt proximè vidimus *numer.103.*) peræquare & dinumerare consueuisse; edoctos quidem à præconibus & edictoribus ludorum Olympicorum, & subinde à tempestate ipsa, qua celebrabantur. Sicque re ista vndequaque considerata, annos Olympiadum eosdem communes toti Græciæ, simúlque naturales Solares adinuenimus: quidquid (ab *Scaligero Canonum Isagog. lib.3.*) renuat *Gordian. in opere Chronolog.cap.19.num.26.* Isti namque annorum differentiam adstruere curarunt à potissima causa suæ συμφωνίας atque concentus.

OCTAVÒ, † anni ciuiles ætatum 105
Græcis omnibus Solares erant, vt vidimus *sectione præced.num. 67.* à *Censorino* post *Herodotum* & alios Historicos prioris notæ. Et nunc ibi dictis addimus, Athenis annos istos Olympiacis (quos exactos Solares iam probauimus) ex integro respondisse, vti apertissimè indicat *Dionys. Halicarn. in epistola ad Ammæum* de *Demosthene* nato ante Olympiadem centesimam, dicens: περὶ Demosthenes ἐγεννήθη μὲν ἐνιαυτῷ πρότερον τῆς ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. Et eodem sensu accipienda sunt illa *Anonymi in Descript. Olymp.* Δημοσθένης ὁ Ῥήτωρ ἐγεννήθη τρίτῳ ἔτει μετὰ Ἀριστοτέλη, *Demosthenes Rhetor natus est tribus post Aristotelem annis.* Sed & sexcenta consimilia addi facilè poterant, quæ clarè explodunt annum ciuilem Lunarem Græcorũ simplicium à *Petauio* excogitatum in fraudem anni Solaris communis seu exacti.

NONÒ. † Reditus Athenien- 106
sium Reip. annis Solaribus respondebant (etsi vsuræ fœnebris pecuniæ, & aliæ quæque ciuiles menstruæ Lunares essent à lege Solonis, ab *Aristophane* per nos relato in *cap.12. §.4.numer. 27.* facetè irrisa) vt clarè probatur ab *Æschine*, qui in *Oratione* περὶ Παραπρεσβ. istorum reditus talentorum 1200. & quod excurrit, quotannis fuisse ait, his verbis: Φόρος δ' ἡμῖν κατ' ἐνιαυτὸν προσέει, πλέον ἢ χίλια καὶ διακόσια τάλαντα. Sed & sexcenta

talenta

talenta, eadem norma à ſociis ciuitatibus Athenienſibus contributa dixit *Thucydid.lib.2.* Et demum Atticæ totius cenſum annuorum perſimilium talentorum indicat *Demoſthenes* περὶ συμμοριῶν. Vt ab his planè dignoſcamus, annum Solarem naturalem, ſeu tropicum *ciuilem* fuiſſe Athenienſibus, ac quibuſuis aliis Græcorum.

107 DECIMÒ,† poſt anni Iuliani emendationem menſibus tricenariis æqualibus vſos Athenienſes clarè teſtatur, ab *Epiphanio, Petauius libr.4.cap.8.* & & iam ab *eodem* eruerat in illius *notis ſuper* d.*hæreſ.51.* Id autem nulla alia ex cauſa obuenire certè potuit, niſi quia tempore Iulianæ reformationis annos etiam (vt iam notauimus) habebant 365. dierum cum ¼. menſéſque tricenos, Alexandrinis & Thebanis (de quibus egimus *ſupr.in cap.* 2. & in *Diſputationis noſtræ cap.*12.§.3.) per quàm ſimiles. Vt inde par ſit credere, Athenienſes eoſdem illos annos Solares, menſéſque tricenos poſt dictam C. Cæſaris caſtigationem retinuiſſe, ſeu conſeruaſſe, nec denuò, vt vult *Petauius*, eos iſta admiſiſſe quo tempore de inducendo & admittendo anno Iuliano cum ſuis inæqualibus menſibus agendum erat.

VNDECIMÒ † demum & vltimo loco vidimus (vt prænotatum eſt) *Petauium lib.4.cap.6.* ita dicentem: *Et enim cùm primum epocha Seleucidarum & Alexandria condita eſt anni Lunares erant, vt & Græcorum ferè omnium & Iudæorum.* Quibus ſanè quam apertiſſimè agnoſcit aliquibus Græcis annum Lunarem non fuiſſe, in fraudem ſuæ aliàs abſolutæ anni Lunaris ſimplicis ciuilis omnium Græcorum deſignationis. Agnoſcit inſuper æquè Iudæis ac Græcis annos Solares fuiſſe antiquitùs. Cúmque ipſe *Petauius* hinc inde vagatus annum Iudæorum ciuilem Solarem fuiſſe volens nolens demum edixerit, vt iam annotauimus in *cap.1.huius Diatribæ:* illud certè ipſi reliquum eſt, vt agnoſcat & concedat ſimul communiores & ciuiles annos Solares omnium Græcorum, & menſes inſuper tricenos communes à cæteris, præter Athenienſes ſemper vſitatos & vſurpatos. 108

SECTIO TERTIA.

Auctoritates, quibus innixus fuit Petauius, recenſentur & examinantur.

QVAMVIS firmiorem aſſenſum conſtruentium annum communem & menſes tricenos tot auctoritatibus & mediis obfirmauerimus, nedum nobis certè fecimus ſatis, niſi auctoritates & media, quibus *Petauius* ſua tutatur, *hac ſectione & ſequenti* eluſerimus.

109 ET QVIDEM *lib.1.cap.4.* ſex † Auctores refert, quos anni & menſium Græcanicorum ratione omnium melius demonſtraſſe teſtatur. Hi ſunt, *Herodotus, Geminus, Plutarchus, Solinus, Cenſorinus* & *Macrobius:* & ab eorum expenſione in *capite ſequenti* ita concludit: *Nos his auctoritatibus, quas attulimus, freti* CIVILEM *Græcorum annum dicimus ex eorum mente & inſtituto Lunarem exſtitiſſe, atque hoc illius exſpectaſſe conditorem, vt ad Lunæ*

motus cuiusmodi ætas illa comprehenderat, menses exigeret.

Sed antequàm istorum Auctorum sententias sigillatim perpendamus, notanda valdè duco illa Petauij proximè relata: non enim ait, prædictos Auctores idipsum affirmasse scripsisse, vel docuisse quod ipse de anno Lunari simplici & ciuili Græcorũ nobis præ-
110 ponit, *sed ex mente* † *& instituto*, Græcorum annum Lunarem tantùm exstitisse, quasi diceret, annum communem 360. dierum, mensésque tricenos, quorum Herodotus, Geminúsque & aliis diuersis locis meminere ex *istorum* voto & voluntate Lunares fuisse: vt inde clarè percipias, eorumdem & aliorũ sententias violéta subauditione Petauium retorsisse, & annum communem, mensesque tricenos Solares (de quibus isti, alijque agunt apertè, ex iam dictis, & notandis *inferius*) in Lunares manu velut Regia peruertisse.

Sed age num videamus, vbinam ex
111 Petauij sententia Herodotus † pro suo anno Lunari simplici & ciuili steterit? Dicet *ipse*, hoc deduci ab illius *libro primo & secundo*, vbi agitur de mensibus tricenis, qui opinione eiusdem *Herodoti* & Antiquorum fuerunt Lunares: id quod repetit *libr.2.cap.7.* Sed ista iam plenè planéque explosimus *sectione* I.

Herodoto in opinione Petauij succe-
112 daneus est *Geminus:* † *Auctor* (vt ipse ait *lib.1.cap.4.*) *valdè bonus, idémque satis antiquus, qui de anno Græco tam accuratè scripsit, vtpote Mathematicus, vt omnium industriam & diligentiam hac in parte superarit.* Et inter insigniora loca huius Auctoris principio Petauius illa verba expendit: Πρόθεσις γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις, τοὺς μὲν μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην, τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς καθ' ἥλιον, *Antiquorum Græcorum institutum fuit, menses Lunæ accommodare, & annos ad Solem dirigere.*

1. Hæc, (quæ Petauius variis locis prosequutus est, & maximè *in Prolegomen.ca.2.& in diuersis capp. libro 1. & lib.9.cap.9.tom.2.*) ita exactiùs enucleauit in *lib.1.d.ca.4.* *Secundùm Solem annos ducere sic interpretati sunt* Græcorum antiquissimi, *vt circa easdem tempestates eadem instaurarent sacrificia, puta verno tempore verna: æstiua similiter æstiuo. Quam in rem necesse fuit Solstitia & Aequinoctia iisdē continere cardinibus. Secundùm Lunam dispensare dies, id esse putarunt,* ἀπὸ τῶν τῆς σελήνης φωτισμῶν, *& apparentiis Lunaribus diebus imponere vocabula, vt qua die noua Luna nascitur.* 11. ΝΟΥΜΗΝΙΑ *dicatur: tricesima verò, quod in eam vetus ac noua pariter incidant* ἔνη καὶ νέα: *reliqua ab Lunæ visionibus sua nomina sortiantur. Ita quod est tertiũ, menses ad Lunam dirigebantur cùm & in mensis initiũ Luna noua & in finem vetus, post ea medium in mensem incurreret: quod Solis ac Lunæ deliquia monstrabant: quorum illa ineunte, hæc medio ferè mense contingebant. In hunc modum Græci,* κατὰ πάτρια καὶ κατὰ τρία *sacrificabant. Cuius contrarium Aegyptios instituisse narrat* Geminus. *Nec enim secundùm Solem annos agere, nec menses ac dies, sed* ἰδίᾳ *quadam* ὑποστάσει κεχρῆσθαι. *Nam sacra sua & solemnia per omnes anni partes licenter euagari fuisse, cùm annus illis esset dierũ præcisè 365. ex duodenis mensibus tricenariis cum appendicibus quinque contextus.* Hæc Geminus.

Istis *in cap. sequenti* hæc accinentia subdit; *Nihil autem erat aliud annos ad Solem accommodare, quàm à quattuor tempestatibus propria cuiúsque sacra non aberrare, sed intercalationis fræno coërceri. Menses autem & dies secũdùm Lunam agere est vtrósque Lunæ visionibus respondere.* Et hoc ipsum amplio-

ribus

tibus verbis repetit d. *lib. 1.cap.15.* Et probari videtur ab illis *Gemini* (præcedentia subsequentibus) τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων καὶ τῶν χρησμῶν παραγγελλόμενον, τὸ θύειν κατὰ τρία ἤγουν τὰ πάτρια, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτούς. τοῦτο διέλαβον ἅπαντες οἱ Ἕλληνες, τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς συμφώνως ἄγειν τῷ ἡλίῳ, τὰς δὲ ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας τῇ σελήνῃ. *A legibus & Oraculis inditum, vt iuxta* tria, siue iuxta *ritus patrios mensium, dierum & annorũ in sacrificiis ratio haberetur, omnes Græci ita sunt interpretati, vt annos cum Sole componerent, dies verò & menses ad Lunam accommodarent.*

III. AB HIS *Petauius* vltrà progressus d.*lib.1.cap.6.* Græcos annum ad Lunam condidisse à *Gemino* ausus fuit asserere, illumq; huiusce rei Auctorem facere. IV. EST SVBINDE 2.*tom.lib.9.*d.*cap.9.* Sanè *(ait) Græcos refert Geminus ab Oraculo monitos, annum ciuilem ad Solis rationes, menses autem ad Lunæ interualla direxisse: sed hoc ipsum ab eo ita declaratur, vt tam menses singuli, quàm anni planè Lunares extiterint, quantum captus illorum temporum tulit,* &c. V. SED & annum priscorum Græcorum lunarem 360. diebus constitisse apertiùs firmat *lib.2.*d.*cap.73.* & ibidem suæ sententiæ assertorem facit *Geminum* cum *Herodoto.*

Et eò tandem res deuenit, vt (cùm nullo in loco anni ciuilis, seu publici Græcanici mentionem fecerit *Geminus*, vbi eum non supposuerit Solarem & 365. diebus cum $\frac{1}{4}$ constantem) *Petauius* tamen in *libr.9. cap.29.* ab eodem *Gemino* nihilominus diduxerit annum VI. CIVILEM de eius sententia Lunarem Græcis fuisse.

His ita constitutis, *Petauius* cùm ei iam nulli essent impedimento illa *Gemini* τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς κατὰ ἥλιον ἄγειν, securissimè menses vnicos ciuiles Græcorum VII. LVNARES fuisse asserit *lib.1.cap.5.* ab illis eiusdem *Gemini*, quę expendimus *suprà*, ὅτι δὲ ὁ μὲν ἀκριβὴς μηναῖος χρόνος, &c. *Exactus mensis dierum est (ac fertur) 29. &* $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{33}$ *quos verò menses vsus ciuilis recepit, dierum tantùm sunt 29. &* $\frac{1}{2}$. *Ob ídque duo menses diebus 59. integris constant. Et ab itidem causa fit, vt ciuiles menses fiant velut pleni & caui, quandoquidem bimestri tempori 59. dies accommodantur.* A quibus *Petauius* ita infert: *Quis non videt ciuiles menses, ac vulgo tractatos, ab omnibus & cognitos Lunares extitisse?* VIII. PRÆTEREA, *vel ipsa menstruorum dierum appellatio ac distinctio Lunares, ex primario & antiquiore Græcorum instituto, fuisse annos indicat. Vetustissimus enim mos ille fuit, ex aspectibus Lunæ nominandorum dierum, veluti prima dies* νουμηνία, *postrema* ἕνη καὶ νέα *dicebatur. Post* εἰκάδα *non vicesima prima, sed* δεκάτη ἐνάτη, *& ita reliqua propter Lunæ decrementa præposterè* ἀνάπαλιν *vocata sunt. Sed & trifariam distributa mensium nomina, vt primi decem dies* ἱσταμένου μηνὸς *posteriores* μεσοῦντος, *vltimi* φθίνοντος *nuncupati sint, quid aliud quàm Lunæ faces & visiones imitantur. Auctorem istarum appellationum Solonẽ Plutarchus facit, quem Diogenes Laertius scriptum reliquit primum Atheniensibus persuasisse, vt annos ad Lunam dispensarent. Quod non sic accipiendum putamus, vt ante Solonem ad Lunarem annum Athenienses, Græcique non respexerint: sed quod Lunam quidem sequi se profiterentur, ab ea tamen propter cœlestium rerum inscitiam, inuiti atque imprudentes discederent. Nimirum, quia maiorem Lunaris anni modum popularibus suis præscripserant, vti paulò pòst dicetur. Coniecturæ huic fauet imprimis illud, quod tantò ante Solonis seculum Homerus popularium temporum nomina ad Lunam conformat: & vt Critici omnes, & Plutarchus obseruat; nam &*

ἱσαμένου μηνὸς, *& φθίνοντος meminit. Quare vti nos ex eo quòd Romanorum mensium dies ab Lunaribus aspectibus cognominati sunt, vt puta Nonæ Eidus, & inuerso deinde, ritu Græcorum, ordine xvi. Kal. xv. xiv. & ita deinceps vocati sunt. Ita Græcos fas est, imò necesse est arbitrari, cùm ab Luna similiter dierum in mensibus vocabula petierint, Lunares æquè menses publico vsu recepisse.* Et sanè istiusmodi suæ sententiæ sic exornatæ rationem assignauerat anteà PETAUIUS eodem *cap.* 5. dicens: *Etenim principio Græcos ait Geminus, cùm Lunæ menses tricenis diebus expleri crederent tricenarios quoque menses suos instituisse.*

IX. DEQVE hisdem tricenis Lunaribus *Geminum* intellexit *cap. 6. in princip.* dicens: *Antiquissimi Græciæ populi, ac præsertim Athenienses, etsi Lunarem sibi modum anni proposuissent, vti hactenus intellectum est, non statim exactos illius sideris motus assequuti sunt: ex quo factum est, vt neque menses ipsorum, nec anni, quos esse Lunares volebant, cum Luna congruerent. Quamobrem initio Lunarem mensem tricenarium habuerunt: Id quod apertè Geminus declarat pag. 128. nam cùm dixisset,* GRÆCOS *aliter atque Ægyptios annum suum ad Lunam condidisse, subdit:* οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον, τοὺς δ' ἐμβολίμους παρὰ ἐνιαυτόν. *Erant tum igitur tricenarij menses omnes, sed nihilominus ex eorum voluntate & opinione Lunaris.*

X. ET QVIDEM ab istis PETAUIUS descendit *d. libr.* I. *cap.* 7. ad interpretationem illorum eiusdem GEMINI, τὸν μὲν μῆνα λέγομεν εἶναι ἡμερῶν λ. τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τξε. ¼. *Mensem diebus 30. annum verò 365. ¼. constare dicimus.* Securissimè subdens: *Vides quo sensu menses tricenarios Græcorum esse dixerit* GEMINUS: *non enim ea ratione quam* XI. ARRIOLATVS *est Scaliger, quod & ciuiles menses triginta diebus constarent, & ex huiusmodi mensibus præcisè, aut, si fortè duobus adiunctis diebus trecentorum & sexaginta dierum ciuilis annus consurgeret, quod nemini præter illum venit in mentem. Sed de tacito anno & implicito* GEMINUS *accipiendus est, qui annus Solaris & Iulianus fuit.* XII. IVLIANVM *autem annum antequam Romanis à Iulio Cæsare proponeretur ab illa ratione in ciuilem vsum admissum negat Scaliger, & quidem rectè. Quocirca de ciuili anno* GEMINUS *non loquitur.* XIII. ERGO *alius præter ciuilem annum apud* GRÆCOS *exstitit, cuius duntaxat tricenarij menses fuerant, non vtique ciuiles:* XIV. CVM *ideo* GEMINUS, τοὺς κατὰ πόλιν μῆνας, XV. ALTERNIS *plenos, cauósque fuisse postea confirmet.*

XVI. ET INDE *d. cap. 6.* GEMINI temporibus Octaëteridis vsum in anno populari (vt qui Lunaris) fuisse affirmat, & ob id à verbis illis GEMINI, κατὰ ἑκάστην ἐξ καὶ δεκαιτηρίδα πρὸς τὸν τῆς σελήνης δρόμον γ. ἐπάγονται ἡμέραι, expendit verbum illud, ἐπάγονται. præsentis temporis: *Quod argumento esse* (ait) GEMINI *tempore Octaëteridem in anno populari locum habuisse*; & subinde alia consimilia adducit.

XVII. SVB HÆC à suo GEMINO (quem omnibus Græcanici anni tractatoribus prætulit *lib.* I. *cap.* 8. *in fine*) sequentem elicuit conclusionem in *cap. antecedenti.* TOLLATVR *igitur ex hominum opinione error ille, quem vnius viri in coniecturis, commentísque suis asseuerandis promptissimi error inuexit. Nec alij in vsu populari quàm Lunares fingantur anni, non quidem illi ad Hipparchi, & accuratiorum Astrologorum abacum primis temporibus exacti, sed pinguiore Minerua, ac iusto nonnunquam maiores, posteà castigatiores redditi: in quibus postea quàm à priscis illis seculis discesseris, alternis ferè vicibus pleni menses, cauique dispensati sunt.*

XVIII. ET DEMVM vltimo loco, velut

tacitæ obiectioni occurrens, anni communis 360. vel naturalis vsitati 365. dierum &¼. sequentia reposuit: *Cur autem Solaris annus licèt 365. diebus explicetur, ab non ignaris verioris motus hominibus 360. circumscriptus fuerit, ad eosque velut aduentitij & extraordinarij quinque dies adscripti? proxima & ἀμεσος causa videtur illa, quod ad Græcos attinet, quoniam ab ipsorum magistris Ægyptijs pridem ita constitutus annus fuerat. Vltima verò & exquisitissima, cur vel ipsimet Ægyptij eam formam adsciuerint, aut illa ipsa est, quam Gaza protulit quod totidem in segmenta signifer orbis diuisus est. Aut quæ nobis occurrit modò, quod cùm menses ad Lunam propriè pertineant, vnde & μῆνες à Græcis appellantur; triginta porro plus minusve diebus non pluribus orbem suum Luna compleat: visus est numerus idem ad mensium quorumcunque mensuram omnium aptissimus. Nulla melior hactenus nec certior allata ratio est.*

HÆC summa est eorum quæ variis
113 locis sparsim, † & absque ἀναλογίᾳ tradidit Petauius à Gemino. ¶ Qui, omnibus vndique exactè καὶ ἀκριβῶς perpensis, tantùm abest vt illi suffragetur, quin potius omnia ab eo excogitata
114 eludat, † & communem ex contrario assensum obfirmet. Id quod dilucidius apparebit, si præposita Petauiana ex ordine proposito sigillatim discusserimus.

115 AIT PRIMÒ † in d. *cap.* 4. Antiquos Græcos illud, *secundum Solem annos ducere, interpretatos fuisse, vt circa easdem tempestates eadem instaurarent sacrificia.* Nec vlterius Solis ad annos rationem habuisse. Et subinde illud, *menses iuxta Lunam agere* eosdem asserit, ita vniuersè percepisse, vt menses in vsu populari & ciuili Lunares haberent. At hæc (à *Petauio* securissimè ita scripta) certè antiquis Græcis ipsis imponit. Cedat vnum, qui isthæc ita intellexerit, ac ipse supponit, vel saltem innuerit, vt venia aliqua condigna sit ista subauditio toties à *Petauio* repetita, & nulla vnquam auctoritate vallata: &, quod magis est, apertis *Gemini* verbis aduersantior quàm quæ magis. Quis enim non videt, Græcos *annum secundùm Solem agere, & menses secundùm Lunam*, id vnum prima facie præferre, annum scilicet ad cursum Solis, menses ad Lunæ periodos referendos? Et quidem æqua lance: vt cùm Græcis antiquis menses Lunares essent ex sententia *Petauij* (quam non probamus) sic & iisdem Solaris annus publicus & ciuilis extiterit, iuxta iam tradita per nos in d. *cap.* 12. §. 4. *num.* 31.

Præterea *Petauius* in interpretatione illa *Gemini*, μῆνας κατὰ τὴν σελήνην, ἐνιαυτοὺς δὲ κατὰ τὸν ἥλιον ἄγειν, *Menses ad Lunam, annos ad Solem dirigere*, terminos † interuertit & mutat. 116
Ait enim primo loco, hoc ab antiquis Græcis ita enuntiatum, vt denotarent sacrificia tempestatibus temporum aptanda: cumque ista persequi deberet, atque illa annis, mensibus & diebus æquè accommodare (id quod nos paulò inferiùs præstabimus) hac illatione, seu interpretatione destituta, nedúmque in mensibus ad Lunam (quod attinet ad sacra) dirigendis comprobata, ab his subinfert (& quidem pro suo libero dumtaxat captu) menses in vsu populari & ciuili Lunares tantùm Græcis Antiquis fuisse: quo nihil alienius fuit à sententia *Gemini*, id tantùm eruere instituentis, vt annos & menses cum Solis & Lunæ cursibus ad sacra & Festa componeret, vti primitùs ratus fuerat *Petauius* in annis: ineuitabili subinde consequentia agnoscere adstrictus, menses ad Lunam iisdem sacris aptandos, quando in suos adeò commendatos

menſes Lunares ciuiles extra rem prorupit. Quid quòd attenta *Petauÿ* interpretatione (qui relationem anni ad Solem ſingulárem ad æquandas tantùm tempeſtates, Lunæ verò generalem priſcis Græcis facit) ſuperuacua profectò foret ſubſequens Solonis lex, quæ Athenienſes ἠξίωσε μῆνας κατὰ σελήνην ἄγειν, *monuit menſes ſecundùm Lunam agere.* Fateamur ergo nunc cum *Petauio*, Græcos annos ad Solem direxiſſe, & Feſtis adaptari curaſſe vt iiſdem temporibus celebrarẽtur: dum tamen ipſe concedat illud, *menſes ſecundùm Lunam agere*, eodem ſenſu accipiendum, non vltra, contra communem nobis regulam diductam à *l.2.ff.de vulgari & pupill. ſubſtitut.* qua edocemur, vnicam determinationem plura, vt noſtri loquuntur, reſpicientem, determinabilia, debere pariformiter determinare: ita vt verbum illud ἄγειν *agere*, ſeu *dirigere*, poſitum in propoſitione *Gemini*, æquè afficiat menſes ac annos, ſicuti cùm de Ægyptiis idem dixit: οὔτε γὰρ τοὺς ἐνιαυτοὺς ΑΓΟΥΣΙΝ καθ' ἥλιον, οὔτε τοὺς μῆνας, καὶ τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην, *Nec annos* AGVNT *ſecundùm Solem, nec menſes & dies ſecundùm Lunam.*

Et quidem ab his eueniſſe affirmat *Geminus*, vt eorum Feſta per omnes anni tempeſtates vagarentur diſertiſſimis illis verbis: οἱ μὲν γὰρ Αἰγύπτιοι τὴν ἐναντίαν διάληψιν καὶ πρόθεσιν ἐσχήκασι τοῖς Ἕλλησιν, οὔτε γὰρ τοὺς ἐνιαυτοὺς ἄγουσι καθ' ἥλιον, οὔτε τοὺς μῆνας καὶ ἡμέρας κατὰ τὴν σελήνην, ἀλλὰ ἰδίᾳ τινὶ ὑποστάσει κεχρημένοι εἰσί: βούλονται γὰρ τὰς θυσίας τοῖς θεοῖς μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ πασῶν τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διελθεῖν, καὶ γίνεσθαι τὴν θερινὴν ἑορτὴν, καὶ χειμερινὴν καὶ φθινοπωρινὴν, καὶ ἐαρινήν. ἄγουσι γὰρ τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε. δώδεκα γὰρ μῆνας ἄγουσι τριακονθημέρους, καὶ πέντε ἡμέρας ἐπάγουσι, τὸ δὲ ¼ οὐκ ἐπάγουσι διὰ τὴν προκειμένην αἰτίαν, ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζωνται αἱ ἑορταί. Ex quibus omnibus perquàm euidens fit, explodendam omnino eſſe *Petauÿ* confictam ſubauditionem, & violentam interpretationem, tot irrefragabilibus mediis profligatam.

Et ſanè aptiùs *Scaliger* (relatus & exploſus à *Petauio lib.1.cap.15.*) interpretatus eſt indiuidua illa (& eodem ſenſu, vt notauimus percipienda) *menſes ad Lunam, annos ad Solem, &c.* quando dixit illud, μῆνας κατὰ σελήνην ἄγειν, intelligẽdum de primis Tetraëteridum menſibus, quorum præcipuæ celebritates Lunares erant. Hęc enim interpretatio (licèt manca, & vni alterive tantùm menſi apta; & ſimul inepta propoſitioni abſolutæ, ſeu indefinitæ *Gemini* omnes anni menſes æquè reſpicienti) è re tamen eſt, & mente *Gemini*. A qua omnium maximè deuiat menſium Lunarium ciuiliũ à *Petauio* importunè hîc & alibi prætexta tractatio.

QVOD certè nobis in cauſa † fuit, 117 vt prædictæ *Gemini* præpoſitionis exactiorem elucidationem curantes, eam tripliciter intelligi poſſe exiſtimauerimus.

Et primùm †(vt prædiximus dict.§. 118 4.*num.*31.) vniuersè accipi poteſt, ita vt denotet, Græcos omnes implurimùm annos ſuos ad Solem, menſes ad Lunam accommodaſſe in temporum dimenſione & ſupputatione. Idque feciſſe, vel ritu patrio, vel Oraculis & legibus ductos, quæ trium, id eſt menſium dierum & annorum rationem in ſacris haberi dictabant: inde inferentes, annos ad Solem, menſes ad Lunam in cæteris referendos. Et quidem id in anno perpetuum fuit: nam Solarem vſui ciuili ſemper accommodarunt, mediis implurimùm variis intercalationibus, & ſæpè ſubductionibus: in menſibus verò alter-

ſe res.

ſe res habuit; Solaribus quippe ſimul ac Lunaribus vſi ſunt; ídque par eſt credere in cauſa fuiſſe legi Solonis (Athenienſes afficienti) menſes Lunares deinceps tantùm in vſu ciuili admittenti. Id quod certè nec apud Athenienſes Solon integrè conſequi potuit, vt ſatis ſupérque probauimus *hoc cap. ſect.* 1. à diuerſis auctoritatibus *Hippocratis, Ariſtotelis*, & aliorum: & iam aduerteramus d. § 4. *n.* 29. Et hinc factum, vt prædictę προθέσεως, veritas maiore ex parte apud Aſtrologos & Aſtronomos permanſerit, iuxta notata in d. § 4. *n.* 31.

119 Secundò † tota illa verborum *Gemini* ſeries expenſa ſ. *numer.* 112. *in princip.* & paulò pòſt, intelligi aptè poteſt de annis & menſibus ad Feſta & ſacrificia ab omnibus Græcis, dirigendis & adhibendis. Quod quidem apertè comprobari videtur ab illis τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων, &c. *A legibus & Oraculis inditum eſt, vt iuxta tria, ſiue iuxta ritus patrios, menſium, dierum & annorum in ſacrificiis ratio haberetur: id quod omnes Græci ita ſunt interpretati, vt annos cum Sole componerent, dies verò & menſes Lunæ accommodarent:* expenſis illis, *omnes Græci*, ἅπαντες οἱ Ἕλληνες, quæ (vt ſonant) omnes Gręciæ plagas afficere videntur. Et quidem his partim arridet *Petauius*, quando illa, τοὺς ἐνιαυτοὺς κατὰ ἥλιον ἄγειν, ita diſertiſſimè intellexit: nec ſit cur præcedentia, (τοὺς μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην, quę ab vno illo verbo ἄγειν reguntur) aliter percipiantur, vti *Petauius* incaſsùm obnixè curauit, vt iam vidimus.

Adhęc coniecturę noſtrę non leue pręſtat fundamentum, is ipſe *Geminus* quando eadem phraſi & verbis (iam per nos expenſis *ſupr. numer.* 116. *prope fin.*) Ægyptios ab annui quadrantis omiſſione, nec annos ſecundùm Solem, nec menſes ſecundùm Lunam agere edixit, indéque eorum ſacra & Feſta per omnes anni tempeſtates ſpatiari.

Sit ergo ſenſus omnium illorum *Gemini* eiuſdem contextus, Grecos in ſacris & Feſtis Anni & Lunę periodos reſpexiſſe, ex quò ab Oraculo, legibúſque (quarum nullibi alia ratio) iuſſi ſunt ritu patrio ſacrificare, ſeu κατὰ τρία μῆνας ἡμέρας ἐνιαυτούς, *iuxta tria menſes ſcilicet, dies & annos.* Quod omnes Greci (atteſtante *Gemino*) ſic acceperunt, vt annos ad Solem, dies verò & menſes ad Lunam accommodarent, ſubaudi *in ſacris & Feſtis*, relatis illis *Gemini*, τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς συμφώνως ἄγειν τῷ ἡλίῳ, τὰς δ' ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας τῇ σελήνῃ, ad precedentia, τοὺς μὲν μῆνας ἄγειν, &c. ita vt in vtroque loco *Geminus* intelligendus ſit de annis & menſibus arcanis & Hierophanticis. ¶Neque id quidem vno aut altero caſu, ac volebat *Scalig.* iam reiectus, ſed ἁπλῶς, & vniuerſè. ¶Hoc tamen moderamine adhibito, vt vel anni, vel menſes ſacris Feſtis & ludis aptarentur, cùm impoſſibile eſſet, Feſta annis & menſibus, diebúſque ſimul iiſdem peragere † in diſſitiſſimis Solis & Lu- 120
nę periodis. Vt inde planum fiat ſacrorum & Feſtorum quędam ad anni tempeſtates fuiſſe aptanda, quędam ad Lunę periodos, ſiue φωτισμούς, quędam ad menſium dies, vt apertiſſimè probatur à Kalendariis Ethnicorum Feſtorum adductis à *Roſino lib.* 4. *cap.* 2. & *Dempſero* eius *Scholiaſte* d. *lib.* 4. *cap.* 4. & ab his ſimul quę iidem iſti proſequuntur in *capp. ſeqq. illius lib.* 4. Nec enim quid aliud adeò curarunt, qui de Feſtis, & ſacris gentium ſcripſerunt, quàm ea annis, menſibus, hebdomadibus, diebus & horis adaptari, vt videre eſt in *Stvvecch. de ſacrif. gent. deſcript. fol.* 11. *b. & ſeqq. Hoſpin. Caſtella.*

& *Meurs.in suis tract.de Festis.* ¶ Huiusque rei comprobationi, quod attinet ad annos sint plura Festa quotannis celebrari solita, quæ isti latè prosequuntur. Et insuper ὥραια sacra singulis anni temporibus, Vere, Æstate, Autumno, & Hieme fieri solita, vel ex *Hesychij* variis locis probat *Meurs.de Fest.f.*284. Et κυνοφόντεις festum, quod diebus Canicularibus celebrabatur, *Meurs.in eod.tract.fol.*183. Et Συγκομιστήρια, quæ post comportatas fruges: *idem fol.*257. *Censorin. c.*1. *Cùm perceperant fruges, antequam vescerentur, Dîs libare instituerunt.* ¶ Et quod attinet ad menses exemplo sit, Εκατόμβαιών (primus Atticorum mensis ex *Gaza*) qui à maioribus sacrificiis nomen habuit: *Boedromia sacra* in Βοηδρομιῶνος mense agi solita, vt notant *Plutarch.in Thes.Suid.* & alij. Ανθεστήρια, quæ Baccho octauo mense agebantur, vnde Athenienses mensem Ανθεστηριῶνα vocarũt (testibus *Harpocra.*& *Suid.*) διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀνθεῖν τότε, *quòd tunc plura è terra orta florescant, Meurs.* latè post *Castellan.*)*fol.*25. Θαργήλια, agi solita in mẽse, qui Θαργηλιὼν vocabatur, *Meurs.s̃. fol.*145. Προτέλεια, quæ in mense Gamalione, *Meurs. s̃.fol.*240. Μαιμακτήρια, quæ in Maimacterione, *idem fol.* 200. Et hinc ἐπιμήνιον & ἐπιμηνία, dicta, à sacris pro felici statu Reipubl. singulis mensibus persolui solitis, *Meurs.lib.*5.*Attic.lect.c.*3. ¶ Et quod attinet ad mensium φωτισμοὺς seu lunationes prædictæ propositionis confirmationem diduco à Νουμηνία: quippe in singulis nouiluniis Græci ex lege sacrificabant, *Liban.declam.*8. τὰς Νουμηνίας νόμῳ μὲν πόλεως ἰθύμθυ, *Meurs. de Fest.f.*210.*& seqq.* Et iterum *fol.*271. de Υβριστικοῖς nouilunio agi solitis tractat. Quod verò attinet ad dies mensium in Festorum celebratione, exemplo sint plura in Kalendariis *Rosini* & *Dempseri* s̃. relatis contenta. ¶ Et quò ad dies humanorum euentuum Αμφιδρόμια, quæ quinto post natum infantem die celebrabantur, *Meurs. fol.*20. *Castellan.* optimè *fol.*13. *& seqq.* Δεκάτη, quæ decimo die, quo nomen infanti imponebatur: idem *Meurs.fol.* 21.*&* 22. Τεσσαρακοστὸν, quòd quadragesimo die à parturitione celebratur ex causa designata à *Censorino c.*11. iã per nos relato in *Disputat.c.*1.§.2.*nu.*30. A quibus & aliis *Cicer. Certus* (ait) *dies non vt sacrificij, sic consilij expectari solet.* ¶ Et denique quod attinet ad dies lunationis & φωτισμῶν notanda est ipsa νουμηνία, de qua iam egimus; & Festa insuper in Boëdromione & Munichione mensibus, à *Plutarcho* relata s̃. *sect.*1.*n.*69.*&* 70. si Petauio deferendum est, iuxta tradita ibidem *n.*71. Hæc autem, & alia consimilia (omitto Festa hebdomadum & horarum, de quibus latè agit *Stuvecchius* s̃.) clarè demonstrant, qua norma Græci annos, menses & dies ad Festa & sacra Solis & Lunæ reuolutionibus, ex sententia *Gemini* pluries accommodarint; licèt sæpiùs anni præcisa tempora, aut mensium lunationes non attenderint, vt à præpositis clarè diducitur.

Tertiò † demum, prædicta illa *Gemini: Menses ad Lunam, annos ad Solem dirigere*, referri possunt ad legem Solonis, vt notauimus in dicto §.4. *numer.*31. ita vt *Geminus* (quamuis natione Rhodius) de lege Athenis (vbi edoctus & degens) viginti, loquutus præsumatur: & huc sanè tendere videtur verbum illud, πρόθησις, constitutionem, seu legem inditam præ se ferens: cúmque legis tantummodò Solonis super mensibus Lunaribus rogatæ mentio & ratio sit in antiquitate, & *Geminus* menses, Lunæ accommodos, 121

ad

ad legem referat, certè prædictam Solonis quasi indicasse videtur. Nec remorari nos debent illa eiusdem *Gemini* ἅπαντες οἱ Ἕλληνες, *omnes Graci*, quę de omnibus Græcorum populis sub Atheniensium ditione constitutis (de quibus alibi *hac Diatriba* egimus) intelligi aptè poterunt. Prædictis addo ex *Gemino*, menses Lunares à lege priscorum Gręcorum inditos fuisse: lex autem nulla tunc esse potuit, quæ omnes Gręcos ligaret: illud ergo ἅπαντες οἱ Ἕλληνες in *Gemino* de Atheniensibus tantùm quibusuis intelligendum est. Demus, pluribus variisve legibus vniuersæ Græcię dissidentes ditiones afficientibus, menses ad Lunam directos fuisse: sanè προθέσεις istas, siue νόμους vsus non recepit, præterquàm Athenis, & quidem non in omnibus, vt iam annotauimus, & latè probauimus *sect.1. huius capitis*, & antea in d. *c.12.§.4.d.n.29.*

122 Præuidemus † ista *Petauio* displicitura, ipsúmq; dicturum priore nostra interpretatione generalẽ *Gemini* propositionem, menses ad Lunam absolutè referentem, oblædi & restringi. In secunda omnia Festa & sacra mensium lunationibus, seu φωτισμοῖς non aptari, ac supponit *Geminus:* Et in tertia verba illa ἅπαντες οἱ Ἕλληνες nimis limitari. Sed his, aliísque consimilibus ex duplici capite fit satis. Primò respond. à *Gemini* sententia vnum illud tantùm elici, Gręcis scilicet Antiquis propositum fuisse, ex legéve inditum, annos ad Solem, menses ad Lunam agere, non tamen id ex integro illos perfecisse. Secundò, verba *Gemini*, quantumuis absoluta & generalia, ab his quę certam aliunde meruêre interpretationem, venire limitãda (id quod in Iure Ciuili ex pluribus facilè erat comprobare.) Cùm ergo mendum tricenorum Solarium Gręcorum ratio firma sit & inconcussa à prębabitis *hoc cap. sect.1. & 2.* & Festorum subinde celebritates mensium lunationibus diuagentur, vt clarè demonstrant, quæ ab Auctoribus de Festis agentibus iã prenotauimus, nullus certè in generali & absoluto sensu rectè accipiet à *Gemino* proposita.

Quod si nec latum vnguem nobis recedere datur à *Gemino* (solíque *Petauio* indulgetur aliò quàm longissimè illum diuertere, eiúsque verba apertè interuertere, vt iam notauimus & probauimus) tunc *Geminum* huius dicterij: μῆνας κατὰ σελήνην, ἐνιαυτοὺς κατὰ ἥλιον ἄγειν, primum assertorem † insuper habendum ducimus, & plurium Auctorum melioris notę placito expensorũ d. *sect.1.* omnino inhęrendum existimamus; maximè cùm videamus *Geminum*, Festa & sacra ad annos, menses & dies referentem, χωλῶς, & diminutè loquutum. Etenim & cum hebdomadibus, & dierum horis sępè sępiùs sacra insuper componebantur, vt clarè demonstrant, quę latissimo sermone prosequitur *Stvvecchius* relatus s. *num. 120.* 123

Denique noto, † illa *Petauij: Menses ad Lunam, annos ad Solem dirigi*, in nudo verborum sono *eidem* & nobis simul aduersari, sed longè magis *Petauio*, qui tam annos quàm menses Gręcorum ciuiles ad Lunam semper retulit: nos enim (qui *Gemino* in anni ad Solem directione etiam absoluta assentimur) Lunares etiam menses in vsu Gręcorum fuisse sępe & sæpius concedimus, vt inde non adeò ac *Petauius* à *Gemini* propositione (vtcunque accepta) deuiemus: & facilè demum eam in *Petauium* itidem retorqueamus. Omitto nunc alia eiusdem *Gemini* nostra quàm apertissimè comprobantia, quę expendimus s. *sect.1. ex nu. 76.* 124

II. QVOD verò *Petauius* (cùm suam ad *Geminum* adstruere conaretur interpretationem) dicto *c.*4. in verbis
125 iam præpositis,& sub ista expensis asserit, seu securè edocet de † νεομηνία, déque ἕνη καὶ νέα (supponens vt certissimum, dies & menses Græcos antiquissimos Lunæ adaptasse) nullius est momenti: etenim νεομηνία, seu νουμηνία ἀπὸ τοῦ νέου μηνὸς à *nouo mense* deducitur potiùs quàm ἀπὸ νέας μήνης à *noua Luna*. Id quod clarè supponit, illa eloquutio (maximè in *Thucydide* Græcorum eloquentissimo *libr.*2.*&* 4.) νουμηνία κατὰ σελήνην, id est, *prima dies iuxta Lunam*, clarè præ se ferens temporibus *Thucydidis* νουμηνίας vocem ambiguam fuisse prioribus mensis Solaris & Lunaris diebus æquè aptam, & ob id additum κατὰ σελήνην: Concedamus νουμηνίαν à noua Lunæ die deriuari, & primam mensis denotare. Hoc certè à lege Solonis menses Lunares Atheniensibus irrogante, initiũ habuisse par est credere, sicuti & nomina illa ἕνη καὶ νέα, vt à *Plutarcho*, *Aristophane*, & aliis apertè comprobauimus in d.*c.*12.§.4.*nu.*4.27.*& seqq.* quæ lapsum in istis *Petauij*, hæc postrema nomina ad primam antiquitatem referentis, clarè demonstrant. ¶ Sed & argumentum à denominatione, quo *Petauius* vtitur, semper debile fuit, cùm frequentissimè verus rei vsus, & aptius significatum à denominatione longè differat. Exemplo sit illud (præ omnibus huius propositi) nomen *Iareach* Hebræis Lunam & mensem simul denotare, quin & mensium lunationes, vti à *Psalmo* 8.*vers.*4. & *Deuteronomij c.*21.*vers.*13. notant *Sanctes Pagninus*, & *Valentinus Schindlerus in suis Dictionariis*, & noster *Arias Montanus in Apparatu*: & tamen certissimum est, menses Solares Hebræis in vsu ciuili fuisse, vt probauimus *s. in c.*1. & latiùs in DISPVTATIONIS *c.*12.§. 2. Et sanè hoc ipsum omne agnouit *Petauius*, sibi contrarius, *lib.*2.*cap.*73. dicens νουμηνίαι *mensium tricenorum primi etiam vocantur, & cæteri deinceps, translatis à mensibus Lunaribus vocabulis, notantur.* Id quod ab *Athenæo* mirè potuit comprobare, asserente *lib.*8 *c.*9. Græcos νουμηνίαν ad libitum disposuisse, his verbis: κήρυττον τά τε ἕκαστον αὐτῶν ὅτε θέλοι νουμηνίαν, quæ cùm commentaretur *Casaubonus*, subdit: *Hæc fuit olim anni confusio, & perturbatio, in his præsertim ciuitatibus, vbi minus litteræ florebant.*

Quid quòd post hæc scripta in *Petauium* incidimus priora nostra probantem, & insuper sua subuertentem *lib.*7.*c.*2. dum ait: *Altera anni partitio bifariam sumitur, primum enim in menses duodecim annus spargitur.* Μῆνας *Græci vocant* ἀπὸ τῆς μήνης, *id est à Luna. Siue potiùs* ἀπὸ τοῦ μηνὸς μὴν *deriuatur, vt ὁ* μὴν *latius pateat, quàm* μήνη, *& tam propriè Soli, quàm Lunæ menses congruant.* Quod enim illicò subdit, dicens, menses Lunares esse φύσει, Solares verò θέσει, verum non est ab his ipsis, quæ *iste* tradit, & facilè exploditur à dictis per *Censorinum capite* 22. & aliis per nos notatis in *dict. capite* 12. §.1.*numer.* 9. & in §.4.*numere* 32.

III. Quod autem à *Gemino Petauius* resoluit d.*lib.*1.*c.*6. Græcos scilicet annum ad Lunam condidisse, ipsiúsque ciuilem fuisse sustineri non potest, vt quod apertissimè *Gemino*, nec tale quid asserenti imponit.

IV. AT interpretatio ab *isto* assignata *lib.*9.*c.*9. præfatę, sæpiúsque repetitæ *Gemini* propositioni (præterquàm quòd iisdem ariolationis & violentiæ vitiis laborat, & à pluribus aliis iam adductis *supr.* facilè exploditur) ipsi

ipsi certè *Petauio* valdè aduersatur, dũ principio indefinitè (& verè quidem) enuntiat ex *Gemino: Græcos ab Oraculo monitos, annum* CIVILEM *ad Solis rationes direxisse.* A quibus ex istius sententia annus Lunaris ab vsu populi venit exterminandus. Dicet lapsum sermonis fuisse annum hunc CIVILIS nomine cohonestasse, lapsum tamen, quo *Dionysius Petauius* velut casu in veriora (à quibus longè aliàs deuiarat) re vera incidit approbamus. Non ita quæ ὑπερβολικῶς, & dissona oratione emisit in d. *cap. 9. vers. Ac ne Deus*, quæ citissimè, apud nos saltem, castiganda & supprimenda speramus.

V. QVOD verò à *Petauio* diduximus *lib. 2. cap. 73.* asserente ex *Herodoto* & *Gemino* annum 360. dierum in Antiquitate Lunarem fuisse, impugnatione certè non eget, attentis superiùs traditis, quæ planè plenéque euincũt, *Herodotum, Diodorum*, & consimiles anni communis 360. dierum rationem habentes ad Solarem tantùm, Ægyptiaco consimilem respexisse.

VI. SED ET consequentia à prædictis diducta per *Petauium lib. 9. c. 29. tom. 2.* vbi annum tantùm Lunarem Græcis *ciuilem* facit, nulla certè nititur causa, seu auctoritate: quinimò suo *Gemino aperto Marte* contrariatur, iuxta s̃. tradita.

VII. NEC est cur *lib. 1. c. 5.* mensem vnicum & simplicem Lunarem fecerit tantùm *ciuilem* omni Græciæ à verbis *Gemini* ibi expensis, & per nos s̃. adductis; cùm ibi *Geminus* de anno ciuili Lunari Atheniensium tantùm loquatur, vti eius verba clarè præ se ferunt. Sed & *Geminus* eo loci id vnum tantùm μαθηματικῶς ostendere, eueréve contendit, menses scilicet Lunares ἀκριβεῖς *exactos* & *accuratos* à mensibus Lunaribus popularibus diuersos verè fuisse. Cùm autem Solon omnium primus, imò solus legem de mẽsibus Lunaribus 29. dierum & dimidij Atheniensibus rogauerit, planè consequimur, *Geminum* de istis tantùm intelligendum, & *Petauium* deceptum, dum ab illis *Gemini* ad mensem Lunarem omnium Græcorum infert, & summa subinde fiducia exclamat: *Quis non videt ciuiles menses ac vulgo tractatos ab omnibus & cognitos Lunares extitisse?*

Quòd si verbis istis (ac par erat ab illis deducere) eos increparet, qui mẽses ciuiles Lunares Græcorum omnino excluderunt, certè non adeò aërem verberaret, aut stulto labore consumeretur. At nos vnquam negauimus, Græcos & mensibus vsos Lunaribus, quinimò promiscuum tricenorum, & Lunarium mensium vsum ab *Hippocrate* & aliis demonstrare curauimus in d. *cap. 12. §. 4.* Et nunc ingenuè cum *Gemino* hîc à *Petauio* expenso fatemur, menses Lunares πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν *in vsu ciuili* Atheniensiũ (vt prædiximus) fuisse; vel omnium Græcorum, si *Petauius* ita maluerit. Non tamen ideo minùs consequens illud *Petauij: Ergo nullos alios menses in vsu habuerunt*, negamus & pernegamus: & iustè quidem ab *Hippocrate, Galeno* & aliis in 1. *sect.* adductis, & *Petaujo* certè ignotis, cùm toties supponebat, & firmè existimabat, dato seu assignato alicuius gentis mense ciuili Lunari excludi Solarem, vel è contra: in quo nimiùm deceptus est, vt iam in *præcedent. capp.* demonstrauimus.

VIII. NVNC percurrentes cætera eiusdem *Petauij* in d. *c. 5.* videmus iterũ menses Lunares vnicos asseuerasse *ciuiles* à denominationibus illis dierum νεμηνία ἔνη καὶ νέα: & insuper illis, εἰκὰς δεκάτη ἐνάτη: & à trifariis mensis, ἱσαμένου μεσοῦντος & φθίνοντος.

nominibus. Et sanè considerationem istam, quod attinet ad nomina illa, Νεομηνία ἕνη καὶ νέα, iam delusimus. Quod verò attinet ad illa nomina εἰκὰς δεκάτη ἐνάτη, tantum abest, vt Petauiana confirment, quin potiùs ea omnia excludant: nomina quippè ista numeralia sunt, & mensibus tricenis adaptanda, ex his quæ à Pollucis sententia exactè comprobauimus in d.c.12.§.4.num.11. Vt inde mirum sit, quàm sine delectu Auctor iste annum & menses Lunares ciuiles Græcorum † hinc inde componere tentet. ¶ Id quod & clarè præ se ferunt quæ de mensis triplici nomine comminiscitur, ea namque mensi communi triceno verè imposita fuerunt, ita vt eius priores decem dies priori καὶ ἱσταμένῳ mensis parti fuerint designati: decem sequentes μεσοῦντι, & demum reliqui decem φθίνοντι. Nec quid aliud certè Homerus denotauit à Plutarcho in Solone relatus (quidquid ille nutabundus, ac verba eius demonstrant, excogitarit) vti clarè & ipsa Homerica ostendunt:

Τοῦ δὲ φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο.

Quæ vno finito mense alium instare tantùm denotant. Et eòdem sanè reducenda sunt quæ Pollux ediderit lib.1.cap.7. Daremus, nomina prædicta mensibus Lunaribus aptari tantùm potuisse, inferétne rectè inde Petauius: ergo Lunares menses in vsu tantùm erant? minimè quidem, ex proximè dictis circa argumentũ à denominatione. Ergo Petauius parum aptè vsus est hac repetita argumentatione.

¶ Et ab his simul fit satis illis, quæ Petauius à denominatione Nonarum & Eiduum, & subinde Kalendarum deducebat d.cap.5. Et quidem pleniùs respondebis, si annotaueris ex M. Varrone lib.5. de ling. Lat. Nonas præcipuè dictas, quia ante diem nonum Eidus semper. Et insuper Eidus dici dies postridie Kalendas: conferúntque tradita à Festo verbo Nonas, & latius à Macrobio lib.1.c.15. Quo fiet, vt nomina Eidus, Nonæ, Kalendæ Iulianis nostris mensibus, & quibusvis alijs conueniant: & facilè subinde explodantur, quę de nominibus istis ad lunares aspectus pręcisè referendis, malè supposuit Petauius suprà. Qui suis ipsius posteà, dum Scalig. insectaretur, oblitus, nostra re vera comprobauit in lib. 2.d.cap.73.

IX. Absolvtis infeliciter à Petauio his, quæ ex Gemino in comprobationem sui anni Græcanici simplicis Lunaris ciuilis vndequaque potuit congerere, ex ordine proposito discutienda † supersunt, quæ (super illis quæ non ab eodem Gemino in nostræ sententiæ comprobationem adduximus in d.cap.12.§.num.13.) non è iste commentus fuit: ea cęteris, quæ prædixerat, adeò inconcientia supponens, vt nec obicis prætextu, nominéve tenus Auctorem illum à sua sententia dimouerit. 125

Et primùm 1 præhabita mensium tricenorum Lunarium ex opinione antiquorum sua noua doctrina, quàm ad Geminum nihil minus curantem retulit lib.1.d.c.5.) eundem de istis mensibus Lunaribus tricenis velut in sequelam intelligit in d.c.6. his verbis Nam cùm dixisset Geminus, Græcos aliter atque Aegyptios annum suum ad Lunam condidisse, subdit, οἱ μὲν γὰρ ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον, &c. Gręcis antiquis menses tricenarij fuerũt. Sed errat in antecedenti, & subinde in consequenti: nullibi enim Geminus dixit, Græcos annum suum ad Lunam direxisse, imò totum contrarium, scilicet καθ' ἥλιον ἄγειν ἐνιαυτοὺς, annos ad Solem accommodasse. Etenim quæ præcedunt eius verba id tantùm demonstrant (vt iam notauimus) Ægyptios dici

diei quadrantem (integrantem annum (non attendisse, ac fecerunt Græci, adiectis quibusdam exactioribus embolimis, super 360. diebus conflatis à 12. mensibus tricenis, quæ annum vertentem, 365. diebus cum ¼. constantem integrabant. Et hic sanè verus & geminus sensus est prædictorum omnium *Gemini*. A cuius sententia planè plenéque diducitur mensibus istis tricenariis annum Solarem Græcos exemplo Ægyptiorum dimensos fuisse, & quidem perfectiore modo. Quòd autem mensibus tricenis Solaribus tantùm Ægyptij annum Solarem integrarint, apertè deprehenditur ex *Herodoto lib.* 2. seu *in Euterpe*, in verbis illis iam per nos expensis in *cap.* 13. §. 3. *num.* 3. *Quæ autem humanarum rerum sunt, hæc ita referebant inter se constare, omnium hominum primos Aegyptios annum comperisse, distinguentes eum in duodecim temporum menses, & hæc comparasse ex astris*: & mox adiicit: *Aegyptij numero triginta dierum, quibus duodecim menses taxant, adijciunt quotannis quinos dies, vnde eis ratio circuli temporibus constat eodem, redeuntis*: quæ planè demonstrant, menses tricenos anni Solaris compactioni temporibus *Herodoti* deseruisse. Idque clariùs asseruit *Diodorus libro priore Bibliothecæ Historicæ*, dicens de Thebanis Ægyptiis: *Dies autem non secundùm Lunam, sed secundùm Solem metiebantur, triginta dierum mensem facientes*. Cùm ergo *Geminus* Græcos annum suum mensibus tricenis vti & Aegyptios (in quadrantis tantùm adiectione ab eis diuersos) composuisse dicat, clarè consequimur, annum ab hisce mensibus conflatum nòn Lunarem ex opinione (vt vult *Petauius*) sed verum naturalem Solarem Græcis fuisse, Id quod & *Geminus* paulò inferiùs referendus clarè demonstrat.

x SVB ISTA, quæ de mensibus tricenis opinione Græcorum antiquorum Lunaribus à *Gemino* inuito *Petauius* extorserat in d. *cap.* 6. occurrit † is 127
ipse in *cap. seq.* illis quæ de mensibus tricenariis repetito sermone (iam per nos expenso *supr.* & dicto §. 4. *num.* 12.) *Geminus* enuntiauerat, dicens κατὰ δὲ, &c. τὸν μὲν μῆνα λέγομεν εἶναι ἡμέρων λ. τὸν δὲ ἐνιαυτὸν ἡμέρων τξε ¼. *mensem diebus triginta, annum* 365. *& quadrante constare dicimus*: *Vides* (ait enim iste) *quo sensu menses tricenarios Græcorum esse dixerit Geminus, de tacito & implicito anno intelligendus, &c.* At certè ego non video, quę nec ipsi *Petauio* patuêre, sed tantùm coniectatus, seu præmeditatus est, vt aliquo prætextu obruentem in se *Geminum* effugeret, seu retunderet: ac sæpiùs aliàs iam fecerat quouis quæsito colore. Quis enim è contrario non videt pręcedentia illa *Gemini*, οἱ μὲν ἀρχαῖοι, &c. in causa fuisse *Petauio*, vt Gręcos antiquos tricenorum ex errore Lunarium mensium Auctores extra omnium opinionem fecerit? Quis non agnoscit insuper eiusdem *Gemini* illa τὸν μὲν μῆνα, &c. (quæ mensibus tricenis annum Solarem componentibus præcisè sunt aptanda, nec vllo modo admittunt perfucatam mensium tricenorum ex opinione Lunarium *Petauij* respósionem) istum coëgisse, vt annum Solarem (ineuitabili velùt fato Græcis indulgendum) opertaneum & reconditum fecerit, eiusque menses latentes? Cùm autem isthæc ἑτέροις tribuenda sient, vt iam satis supérque *superioribus sectionibus* demonstrauimus, clarè consequimur, *Geminum* præcitatis locis apertè sensisse & edocuisse, Græcos in vsu habuisse annos & menses Solares tricenos.

xi AB HIS (vt vidimus) *Petauius* in *Scaligerum* (qui suus est scopus) descendit, & constantissimum, & omni-

bus simul receptum supponens, quod ipse de mensibus Lunaribus ex opinione Antiquorum tricenis excogi-
128 tauerat: in illum † inuehitur, & nouum mensium 12. tricenorum annum 360. dierum integrantem assertorem enuntiat, quod certè nos isti *Scaligero* (vni ex pluribus hanc sententiam asseuerantium) nunquam concedemus, nec tantæ rei Auctorem patiemur nouatorem istum, sed solummodò nouæ suæ intercalationis, quæ diuersa res est, & malè *Petauius* cū priore confundit in eius odium: & simul communis & mensium tricenorum concordis plurium assensus altas iam radices agentis: quem iste sub nudo nomine *Scaligeri* incassum eleuare conatur.

Quid quòd ipse *Petauius* illicò (quod valdè mirandum) eod. *lib.1.c.7.* subaddit, *Scaligerum* gloriari non posse anni communis, & mensium tricenorum primum assertorem fuisse, cùm id *Gaza* anteà edocuerit. In quo itidem *Petauius*, dum *Scaligerum* insectatur, sibi contrariatur: oblitus eorum quæ à *Gaza* eodem loci paulò anteà didux: rat, & aliter interpretatus fuerat, subdens; *Hæc Gaza, & quidem* VERE. Cur ergo *Scaliger* (qui ista de anno & mensibus communibus à *Gaza*, vt iste ait, fuerat mutuatus (VERE simul in eisdem eloquutus non est?

XII CVMQVE *Petauius* annum Solarem Græcorum, & Iulianum (vt ipse ait) reconditum iam firmè induxisse sibi suaderet, ab his elicit, ciuilem illis non fuisse ante editionem Iulianam, & *Scaligerum* id ipsum (ac putauit) tenentem probat. Sed quo sensu *Petauius* hîc assumit annum Iulianum pro constante 365. diebus & $\frac{1}{4}$. ipse & *Scaliger* (si tale quid vnquam dixit) decepti sunt. Quandoquidem Græci ante emendationem Iulianam annos istos agnouerunt, & mediis intercalationibus & iteratis subductionibus perfecerunt & integrarunt, ac Thebani Ægyptij & Alexandrini, quos quadrantis diei rationem habuisse simul cum 365. diebus apertè comprobauimus à magni nominis, indubiæque fidei Auctoribus in *cap.12.§.3.* Vt inde par sit credere (quando alia iam per nos adducta cessassent) Græcos exemplo horum Ægyptiorum annos suos integrasse, vel saltem ab anno naturali & tropico (quem curabant ab intercalationibus) paululum deuiasse.

Quòd si *Petauius* de anno eloquitur Iuliano ex mensibus inæqualibus (quibus vtimur) conflato, is certè ante Iulium Cæsarem, nec apertus fuit Græcis, nec opertus, vt ipse concedit: imò nec vllibi gentium eò vsque admissus. Etenim Alexandrini (à quibus Cæsar dum ibi degeret, vt ait *Dio libro* 43. anni rationem obseruauit) mensibus tricenariis æquabilibus, omnibus Ægyptiis, Græcisque communibus, suum annum Solarem componebant 365. diebus & $\frac{1}{4}$. constantem: adiectis nempe quinque diebus appendicibus & quadrante, qua norma, *Dio suprà*, & *Theon* per nos relati in dicto *capite* 12.§.3. scriptum reliquerunt. Vndequaque igitur ista *Petauiana* assumas, minimè quidem subsistere possunt.

PROFLIGATO, vt vidimus, *Scaligero*, *Petauius* redit ad asylum *Gemini*, cumque eum anteà in dicto *capite* 5. insignem mensis Lunaris ciuilis, seu κατ' ἀγωγὴν assertorem enunciasset,
hinc & euidentissimum † elicit, annum Solarem (cuius menses erant tricenarij) Græcis ciuilem non fuisse. 129
In quo multipliciter sanè labitur. Primùm, dum supponit ex sententia *Gemini*, omnibus Græcis mensem fuisse Lunarem 29. dierum & $\frac{1}{2}$. Etenim *Geminus* in loco à *Petauio* hîc designato.

signato nil minus curauit, quàm menses ciuiles Græcorum designare, aliud enim fuit eius propositum, vt iam annotauimus *suprà*.

XIV. SED ET subsequentia illa, οἱ κατὰ πόλιν μῆνες, *menses secundùm ciuitatem*, id clariùs denotant: *Geminus*.n. Athenis degens (ac par est credere de Scriptore idiomate Attico) menses illius ciuitatis à lege Solonis indicauit, non verò cuiusque Græcorum ciuitatis, vt *Petauius* supponit phrasi insolita in Astronomis & Historicis. Secundò, *Petauius* malè in ea persistit opinione, vt existimauerit, assignato alicuius nationis, aut prouinciæ mense ciuili, inde elici nullius alius mēsis vsū in ea fuisse: id quod sæpiùs iam impugnauimus, & facilè exploditur ab his, quæ de sententia *Hippocratis* annotauimus in *c.12.§.4.nu.9.23.& seqq.* Tertiò, *Petauius* professione Theologus quid sibi vellent in annis & mensibus Atheniensiū, de quib. *Geminus* loquitur, illa κατὰ ἀγωγὴν, & insuper illa οἱ κατὰ πόλιν μῆνες (quę nos à dictis in DISPVTATIONIS *c.2.§ 1.ex n.139.* declarauimus *sup.nu.55.*) callêre non potuit. Quartò, quāuis eidē *Petauio* daremus, menses ciuiles vniuersè, ac ipse vult, assumendos. Et quāuis ipsi indulgeremus hos Græcis, & quidē omnibus in vsu fuisse, adhuc prædicta eius illatio, seu cōsideratio nō subsisteret, quandoquidē & ex mensib. Lunarib. adiectis embolimis Græci annū Solarē vertentē perficiebāt & integrabāt, vt enarrat *Censorinus c.18.* & prosequemur latiùs *§.n.136.* Quintò demū & vltimò, vtcūque sese res habuerit (postquā eam *Petauius* ita voluit conturbare) adhuc durat propositio ſa *Gemini*, qui vniuersè, seu indefinitè, vt iste vult, asseuerauit, Græcos μῆνας κατὰ σελήνην ἄγειν, *menses ad Lunam in vsu ciuili direxisse*; vt inde idem sit dicendum de illis immediatè subsequentib. καὶ ἐνιαυτοὺς κατὰ ἥλιον ἄγειν, *annos ad Solem accommodasse*: ita vt Solares anni in vsu fuerint Græcorū: & à propositione ista generali absoluta, in sui prima parte ex mente *Petauij*, dimoueamus subauditionem ab eo, suo tantùm ductu excogitatam, in secunda, vt iam aduertimus.

XV. QVOD autem *Petauius* de mensibus subiicit ciuilibus plenis & cauis iam alibi refellimus.

XVI. VNVM illud hîc superest annotare, *Petauium* parum aptè in *li.1.d.c.6.* à pręcitatis ibidē verbis *Gemini* κατὰ ἑκάστην, &c. maximéq; à verbo ἐπάγονται, præsentis tēporis, quo is *Auctor* vtitur, diduxisse anni Lunaris vnicū & popularem vsum: loquitur.n.ibi *Geminus* de anno Lunari, media Octaëteride (de qua eius erat sermo) cum Solari componendo. Hæc autem *Petauio* nulli sunt adiumento; nam & hodie ab Astronomis, & qu busuis aliis eam intercalationem inducentibus dies ἐπάγονται, ἐμβάλλονται, & ὑφαιροῦνται.

XVII. SVB HÆC, *Tollatur † igitur*, ait *Petauius*) *ex hominum opinione error ille*, &c. *nec alij in vsu populari, quàm Lunares fingantur anni.* Sed quàm apta fuerit sequela ista, siue *Edictum Petauianum*, clarè & euidenter prænotata demonstrant. 150

XVIII. DEMVM vt ab istis expediamur & finem omnibus faciamus, quæ *Petauius* ex *Gemino* in sui anni simplicis Lunaris ciuilis adstructione cogitauit vltimo † loco notamus, *Petauiū*, (cui adhuc annus communis Solaris 360. dierum obstabat) in *lib.1.d.cap.7.* curasse causam ostendere, cur hisce diebus annus ille Græcis circu iscriptus esset? eámque vnicam designasse: *Quoniam ab ipsorum Magistris Ægyptiis pridem ita constitutus annus fuerat*: quibus verbis *Petauius* omnes suas ὑπολήψεις, & præmeditationes euertit. Si enim Græci ab Ægyptiis annum communem 360. dierum (vt is fatetur,

& verissimum est quàm quod verius) mutuati sunt, quis non videt, menses tricenos Solares (quos Ægyptij in compositione huius anni obseruarunt, vt ex *Herodoto* & *Diodoro* apertissimè probauimus s̃.*nu*.126.) Græcis, qui eadem sunt vsi, nec opinione Lunares, sicuti nec rei veritate, ex stere potuisse, cùm Græci simul ac Ægyptij eosdem menses tricenos expressos obseruauerint? Omnes ergo deinceps agnoscant, annum 360. dierum non Lunarem, sed Solarem fuisse Græcis sicuti & Ægyptiis; quibus annus iste adeò apertè Solaris fuit, vt nec contrarium asserere fuerit ausus *Petauius*, videns ei aduersantes prædictos *Herodotum lib*.2.& *Diodor.lib*.1. Cùm ergo is Græcos ab Ægyptiis annum 360. dierum accepisse ingenuè fassus fuerit, negare certè non poterit isthæc à sua dilucida protestatione & propositione ἀμέσως eruta.

Nec minus quidem deceptus fuit *Petauius* in designanda causa, cur Ægyptij mensibus tricenis vsi fuerint, eam ad Lunæ periodos referens, quas ideò 30.*plus minúsve* dierum facit, qui non ignorabat nunquam trigesimum attingere posse diem. Nec credere par est, Antiquos Ægyptios in re tam aperta & toties contingente hallucinatos fuisse, ac supponit *Petauius* ad exterminationem mensium tricenorum Solarium Græcis vsitatorum.

Quid quòd *Diodorus* expensus s̃.*n*. 126. disertissimis asseuerauit verbis menses Ægyptiorum tricenos Solares fuisse, non Lunares? Ita vt *Petauius* nihil aduersantius antiquorum Auctorum placito excogitare potuisset hac sua nouè conficta ratione. Qua nullam meliorem, seu certiorem vsquedum allatam gloriatur ἐνάντιος quidem, & simul oblitus eorum, quæ de mensibus Ægyptiacis latiore sermone alibi pertractauit, firmè asserens, Ægyptiis menses Solares tantùm fuisse, vt vidimus s̃.*c*.2. Quî ergo fieri potuit, vt menses tricenos ad Lunam isti referrent, aut ab eius periodis obseruauerint, si Solares menses tantùm ipsis in vsu fuêre ex sententia *Petauij*? Adhæc in præfatam eius rationem & considerationem noto, primos Ægyptios mẽsibus prædictis, & quinque subinde diebus appendicibus annum Solarem integrè ex voto componentibus vsos, vt asserit *Herodotus* in sæpe citato *lib*. 2. Cùm autem annus Lunaris à Lunaribus mensibus, & Solaris à Solaribus conflctur, vt asserit *Petauius* d.*libr*.1.*c*. 5. planè consequimur, menses tricenos primorum Ægyptiorum non ad Lunam, vt vult *Petauius*, sed ad Solem referendos. Vt inde aptior, veriórque huiusce rei ratio sit tradita à *Gaza* ab isto relatus, qui 12. menses tricenos 12. Zodiaci signis Ægyptios accómmodasse ait. Addo rationem rationis cur isti tricenum numerum, nec ampliorem, minorémve designauerint? ab ea desumendum causa, quam nos adduximus in *cap*.12.§.5.*num*.43. Et quia tricenus numerus vicinior vero annuo cursui in duodecim partes diuiso.

Hæc de *Gemini* auctoritate (qua *Petauius* passim abutitur) latiore sermone in medium proferre velut coacti sumus, vt præcipuis ab eo traditis ex integro fieret satis, & ne seriem tractationis disrumperemus. Et ab his quidem responsiones & dissolutiones sumendæ sunt ad potissima media, quibus *Petauius* suum simplicem vnicum & ciuilem annum Lunarem Græcorum affirmare conatus fuit, vt à dicendis in *sectione sequenti* omnibus patebit. Vt inde diligentiam & opellam nostram in Petauianis enodandis non ingratam futuram speremus.

remus, maximè considerantibus ea per nos suis aptis locis, seu classibus collocata, & ad vnum contextum, seu seriem redacta, quæ ipse σποράδην diffuso & peruerso ordine, sæpiúsque repetito & inculcato sermone profudit.

132 TERTIO LOCO † pro anno & mensibus Lunaribus ciuilibus Græcorum *Petauius lib.1.c.4.* allegat *Plutarchum in Solone* in verbis per nos expensis in *c.12.§.4.nu.27.* Sed aduertere debuerat ad seriem annorum Græcorum omnibus notam, & à nobis discussam d.§.4.*n.29.* Et subinde *Plutarchum* eloquutum de mensibus Lunaribus ex lege Solonis Atheniensibus tantùm inditis.

QVARTÒ principaliter, *Petauius* annum vnicum Lunarem cum suis mensibus ciuilibus diducit à *Solino c.3. Macrobio lib.1.c.13.* & *Censorino c.18.* Et quidem pro sua sententia expressissima diiudicat illa *Solini: Græci singulis annis vndecim dies & quadrantem detrahebant, eósque octies multiplicatos in annum nouum reseruabant, vt contractus nonagenarius numerus, in tres menses per tricenos dies scinderetur: qui anno nouo restituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολιμοὺς, vel ὑπερβάλλοντας nominabant. Quod cùm initio Romani probassent, contemplatione numeri paribus offensione neglectum breui perdiderunt.* Sed quis non videt ista & consimilia *Macrobij* dicto *capite 13.* intelligenda de anni forma ab Octaëteridis obseruatione, quæ aliquo tempore, & quidem breui, vt apertissime ait *Solinus*, perdurauit?

Adhæc *Solinus* & *Macrobius* interpretationem recipiunt ab illis *Censorini* d.c 18. *Veteres in Græcia ciuitates:* & mox: *plerique Græcia existimauit:* ad Octaëterida (de qua proximè loquutus fuerat *Censorinus*) referenda: maximè cùm & subsequentia eiusdem Auctoris Octaëteridis tractationem respiciant. Vt ab his quàm euidentissimum fiat, eius vsum breui deperditum, & subinde aliquibus tantùm Græciæ partibus admissum. Infert ergo *Petauius* (in hisce ab *Scaligero* eadem norma pessimè accipiente *Solinum* & *Macrobium* edoctus) à singularibus & temporariis ad vniuersa & perpetua, aut saltem diu consistentia.

Et quidem ἀβελτεροτέρως is ipse deceptus fuit in expositione *Censorini*, vt *qui* non tantùm de aliquibus Græciæ partibus loquitur, vt iam alibi notauimus, & clarè indicant *suprà* expensa, sed & eodem loci anni Solaris vsum apud Græcos supponit in verbis illicò expendendis. Dum priùs notem, *Petauium* à *Solino* & *Macrobio* diuersum fecisse *Censorinum*, quando æquè istos anni Lunaris ciuilis permanentis assertores struebat: loquuntur namque *Solinus* & *Macrobius* de annis Lunaribus ad naturales & Solares media Octaëteride redactis: *Censorinus* verò (quò loci eum iste expendit) de Lunaribus Dieteridis (quam alij τριετηρίδα vocant) intercalatione Solaribus peræquatis: meliùs ergo rem componeret, si concinentia *Censorini* (de Octaëteride deinde eloquuti) prædictis *Solini* & *Macrobij* accenseret.

Cùm autem *Petauius*, aliàs perspicacissimus, *Censorini* orationem in hisce parum aptè perceperit, non abs re erit priora dicti *c.18.* insequenti paraphrasi enucleare: *Hactenus* (ait *Censorinus*) *dictum de seculo, nunc de annis maiorib.* id est, Solaribus magnis & maximis, Olympiadibúsque & Lustris, *dicā:* quorum magnitudo *adeò diuersa, tam gentibus*, puta Græcis & Ægyptiis,

obseruata, quàm Auctoribus Græcis & Latinis *tradita est., vt alij annum magnum in annis vertentibus.*, id est tropicis, *diebus, alij in multis annorum millibus arbitrati sint. Quod quale sit, iam nunc conabor absoluere. Veteres in Græcia ciuitates* aliquot *cùm animaduerteret, dum Sol annuo cursu orbem suum circuit, Lunam interdum terdecies exoriri, idque sæpè alternis* annis *fieri, arbitrati sunt Lunares xij. menses & dimidiatum, ad annum naturalem conuenire, itaque annos ciuiles sic statuebant, vt intercalando facerent alternos xij. mensium, alternos xiij. vtrumque annum separatim, vertentem; iunctos ambos annum magnum vocantes. Idque tempus* τριετηρίδα *appellabant, quod tertio quoque anno* in initio *intercalabatur, quamuis bienny circuitus, & re vera* διετηρὶς *esset. Vnde mysteria, quæ Libero patri alternis fiunt annis, Trieterica à poetis dicuntur. Postea cognito errore* (quippe annus naturalis dierum est 365. & $\frac{1}{4}$. & duo anni 720. cum $\frac{1}{2}$. integrant, qui biennium anni Lunaris, 354. diebus constantis, 22. diebus & $\frac{1}{2}$. excedunt; & inde mensi embolimo 22. dierum, dimidiatus deerat dies) *hoc tempus duplicarunt, &* τετραετηρίδα *fecerunt, sed eam quòd quinto quoque anno redibat,* πενταετηρίδα *nominabant. Qui annus magnus ex quadriennio commodior visus est, vt annus Solis constaret ex diebus 365. & diei parte circiter quarta, quæ vnum in quadriennio diem conficeret. Quare Agon & in Elide*, ab ista cõputatione & intercalatione., *Ioui Olympico, & Romæ* Ioui *Capitolino, quinto quoque anno redeunte, celebratur.* Indéque Olympiadum quatuor annis Solaribus vertentibus deinceps constantium vsus in vniuersa Græcia. *Hoc quoque tempus, quod ad Solis modò cursum, nec ad Lunæ congruere videbatur, duplicatum est, &* ὀκταετηρὶς *facta, quæ tunc* ἐννεαετηρὶς *vocitata, quia primus eius annus nono quoque anno redibat. Hunc circuitum verum annum magnum esse pleraque Græcia*, id est magna eius pars, *existimauit*, & omnium primus obseruauit *Eudoxius Cnidius.*, & fortè an *Cleostratus Tenedius*, & subinde *Harpalus, Nauteles, Mnesistratus*, & *Dositheus.*

¶ Sed hi omnes fuerunt post Thaletem & Solonem, quorum temporibus annus naturalis & Solaris cum mẽsibus tricenis in vsu fuit. Nisi quòd à lege Solonis Lunares tantùm menses κατὰ σελήνην, & in vsu ciuili Atheniensibus fuerunt, vt annotauimus *suprà n.55. & 129.*

Ab his ergo omnibus apertissimum fit ex sententia *Censorini*, annos & menses Lunares in aliquibus Græciæ ciuitatibus fuisse, in aliis verò Solares: vt ab istis & aliis *Censorini* comprobauimus *supr. sect. 1. nu. 97.* Vt inde ab *isto Auctore*, & superioribus à *Petauio* expensis nil ipse deducere potuerit in confirmationem sui anni Lunaris ciuilis Græcanici cum mensibus itidem Lunaribus.

QVINTÒ, *Petauius lib. 1. cap. 5. & 8. Diodori & Theonis (Arati* interpretis) auctoritatibus abutitur, non attendens, istos de mensibus Atticis, post legem Solonis inductis, loquutos. Demus de omnibus Græciæ partibus intelligendos; certè adhuc nobis non obstant, quando menses tricenos, passímque vsitatos non excludunt. Quinimò *Theon* id clarè præsupponit his illis verbis à *Petauio* adductis, καὶ νῦν ἔτι χρῶνται πολλοὶ τῶν ἑλλήνων, *& nunc* mense Lunari PLVRES *Græcorum vtuntur*, quasi dixerit, simul cum mensibus tricenis communibus Lunares pluribus Græcorum in vsu fuisse. At in annis aliter se res habuit., etenim ciuiles istorum semper fuerunt Solares, vel à mensibus Solaribus, vel à Lunaribus, mediis intercala-

calationibus & ſubductionibus, integrati. Id quod à *Theone* diximus *ſuprà nu.* 82. & antea in DISPVTATIONE *c.* 12. §. 3. *n.* 9.

133 SEXTÒ, Petauius *Vlpianum* † Scholiaſtem *Demoſthenis* anni Lunaris ciuilis aſſertorem facit *lib.* 1. *c.* 5. & iterũ (licèt dubius de vero *Auctore*) *lib.* 2. *c.* 1. prolixa eius verba vno & altero loco adducens. Sed hæc parui ſunt momenti, & quo caſu referenda eſſent ad *Vlpianum*, qui (vt notat *V. Volfius in præfatione ad eius ſcholia*) obſcurus homo eſt, & ſimul eius ſcripta pluribus interdum ſcatent mendis. Sed aptiùs reſpond. Petauium valdè deceptum in allegatione *Vlpiani*, cùm non aduertiſſet, argumentis omnium *Demoſthenis* orationum *Libanij* veri notíque Auctoris, ſuperaddi aliquando alia cuiuſdam *ignoti* poſterioris, & multò inferioris, vt eius ſcripta clarè indicant. Et quidem id præcipuè elicitur ab argumento in *Oratione* κατ' Ανδροτιώνος, (in quo *Ignotus* iſte citatur à Petauio) & ſimul diducitur nec Athenis eum natum, nec ibi degiſſe, maximè à verbis illis (iam per nos expenſis in *c.* 12. §. 4. *n.* 29.) ἰστέον ὅτι οὐκ ἐψήφιζον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς μῆνας κατὰ τὸν ἡλιακὸν δρόμον, ὡς ΗΜΕΙΣ, ἀλλὰ κατὰ τὸν σεληνιακόν, *Sciendum eſt, menſes ab Athenienſibus non ad Solis, vt à* NOBIS, *ſed ad Lunæ curſum dirigi.* Niſi malueris ab iſtis deducere, quo tempore *Demoſthenes* ſcripſit (ad quod verba iſta referenda ſunt) Athenienſes ex lege Solonis menſes egiſſe Lunares: cæteris verò Græcis alios menſes (hi erant tricenarij communes) in vſu fuiſſe.

Quæ verò *Incognitus* iſte ſubiungit de anno decurtato & Lunari Athenienſium tempore Solonis, falſa & erronea diiudicamus, iam dictis *hoc capite*, & antea in *c.* 12. §. 4. *n.* 29. perſiſtentes, cùm nullibi ſimilis anni in vſu Athenienſium mentio, aut ratio, imò totum contrarium in *Xenoph. de Republ. Athenienſ.* & in Polluce *lib.* 8. *c.* 10. & aliis, maximè *Diodor. lib.* 15. vbi eandem temporis intercapedinem Magiſtratibus Romanorum & Athenienſium præfixit: & *lib.* 2. Ἀρχαῖς ἐνιαυσίοις τὰ κοινὰ ἐπιτρέπειν, à concione decretum aſſerit. Et *lib.* 5. annos magiſtratuum Athenienſ. ad Olympiades refert. Et *lib.* 9. idem Archontibus Græcorum & Conſulibus Romanorum tempus, annuum ſcilicet Imperium deſignat. quod latiſſimè proſequitur *Meurſius de Archontibus, cap.* 8. 9. & 10. & *aliis.* Sed & à *Simplicij* auctoritate *ſupr.* expenſa *num.* 104. *Ignoti* prædicti aſſertio apertiſſimè exploditur. Ecquis dicet, aut exiſtimabit, legatum annuum, Ciuitati puta Athenienſium relictum ad Feſta, vel ludos (vt moris erat) annuo quolibet Lunari curſu 354. dierum deberi? hoc Petauius cum ſuo aſſerto *Vlpiano* aliis ſuadere tentet, & ſimul emendet, ſeu recolligat, quæ de anno populari Græcorum 12. & 13. menſium alternorum præpoſuerat in Prolegomen. *cap.* 2. & *lib.* 1. *cap.* 4. à *Cenſorino.*

At hæc in dict. *capite* 5. Epicuri legatum (cuius meminit *Cicero libr.* 2. *de finibus*) annum ſuum vnicum ſimplicem Lunarem, eiúſque menſes ciuiles ſtabilire ſecuriſſimè ratus eſt ab illis verbis *Ciceronis*: *Itémque omnibus menſibus viceſimo die Lunæ dent ad eorum epulas, qui vnà ſecum philoſophati ſunt, vt & ſui & Metrodori memoria colatur.* Sed quis non videt iſta, Athenis factitata, ad menſes Solonis (qui illo tempore maximè vigebant) referenda? Concedamus apud Æolos, vel Ionios dicta, illud certè tantùm euincebant, menſes Lunares Græcis itidem fuiſſe: ſed quid inde?

Octauò, *Petauius lib.1.cap.8.* illa expendit eiusdem† *Ciceronis* in Verrem: 134
Est consuetudo Siculorum, cæterorúmq; Græcorum, quod suos dies, mensésque congruere volunt cum Solis Lunæque rationibus, vt nonnunquam, si quid discrepet, eximant vnum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi exærismo nominant. Item nonnunquam vno die longiorem mensem faciunt, aut biduo. Hæc (quæ à Gemino supplenda & declaranda ducit Petauius) æquè ad menses Solares & Lunares Siculorum & aliorum Græcorum sunt referenda, vt ad nihilum eidem prosint. Ego tamen ab eis illud notandum obseruo, plures scilicet Græcos menses suos ad Solem direxisse, quod *Petauius* nullibi concessit. At certè si de istis *Ciceronis* iudicium facere liceret, ego illa quàm simillima dicerem, his quæ de Ἀγνέςυ Orationis Demosthenianæ argumento aduersus Androtionem *supra* annotauimus, quippe inaudita sunt, & omnium opinione aliena, simul cum intercalatione bidui, ne dicam in verosimilia. Vt inde *Scaligeriana* bidui appendix facilè & ex hoc capite (vltra plura à Petauio adducta) facilè corruat. Sed vtcunque illa *Ciceronis* sese habuerint, nihil certè conducunt ad annum, & menses Lunares vnicos ciuiles Petauianos.

Demum *Africanus*† in duobus locis adductis à *Petauio* (post *Scaligerum*) *lib.2.c.60.* annum ciuilem Græcorum Solarem supponit: vel intelligendus est, attenta castigatione Iuliana, vt inde *Petauius* illius auctoritate abusus videatur. 135

Nullus ergo Auctorum ab isto pro sua sententia adductorum variis locis (per nos hîc suo loco collocatis) tale quid dixit, ac ipse putarat, vti præcedentes congruæ responsiones planè plenéque demonstrant.

SECTIO QVARTA.

Mediys & argumentis, quibus Petauius suam sententiam comprobare conatus fuit, ex integro fit satis.

VARIA sunt media per vniuersam Petauij doctrinam sparsa, & prout res sese illi offerebat expensa in cõprobationem sui anni Lunaris simplicis ciuilis Græcorum à mensibus vnicis Lunaribus itidem ciuilibus compacti. Et nos quidem sequentia ab eius scriptis eruere potuimus.

136 PRIMVM† à *libr.1.cap.5.* vbi ita argumentatur: Græcorum institutum fuit, menses singulos ad Lunam dirigere, si menses ad Lunam applicuerunt: ergo annus Lunaris fuit: nam ex mensibus Lunaribus non alius quàm annus Lunaris consurgit. Respond. Hoc argumentum tam in antecedenti, quàm in consequenti peccare. Vidimus namque *in sectione præcedenti*, & anteà in nostræ DISPVTATIONIS *cap.12.§.4.num.31.* qua norma intelligendum & accipiendum sit illud Gemini: *Annos ad Solem, menses ad Lunam* à Græcis directos. Daremus absoluta propositione, Græcos omnes menses ad Lunam accommodasse, adhuc illatio *Petauij* à separatis fit, idemque importat, ac si dixisset: *A periodis Lunaribus componitur annus naturalis vertens, seu tropicus, qui mediis embolimis Solis cursui peræquatur: ergo annus iste Lunaris est.* Ad hæc mutat apertè terminos argumentationis, & aliud

aliud in sequenti supponit, quod non eruitur ab antecedenti. Quod enim ab eo iustè deducitur, illud tantùm est: A mensibus Lunaribus simplicem annum Lunarem integrari, non tamē à mensibus Lunaribus ciuilibus annū *ciuilem* componi. Aliud namque sunt menses *ciuiles*, aliud annus *ciuilis*. Audiat suum *Geminum* dicentem, & expresśè asserentem, Græcis annos ad Solem, menses ad Lunam constitutos: quæ planè in communi, nec respuendo sensu (quidquid aliàs ipse *Petauius* commentus fuerit) indicant annum *ciuilem*, & in vsu Græcorum Solarem fuisse, non Lunarem. Sub hæc, animum vortat ad menses Lunares Hebræorum constantissimos, à quib. media intercalatione anni Solares ciuiles apud ipsos conflabantur: vt omnibus in confesso est, vno excepto *Torniel.* relato s. in *cap.* 1. *num. vlt.* qui insuper sibi suasit, omnes Iudæorum mēses Lunares semper exstitisse, & ab iis annum naturalem, ipsis *ciuilem*, integrari.

Et quid istis immoramur, quando omnibus notissimum est, varias intercalationes à Græcis adhibêri solitas, vt tam menses Lunares, quàm tricenos æquales communes anno (qui ipsis in vsu erat ad ciuilia, communia, naturalia & Astronomica) peræquarent? Id quod *Petauius* sui oblitus dilucidè protestatus est in *Prolegom. cap.* 2. vbi annos Grecorum populares alternos 12. & 13. mensium agnoscit, & media intercalatione Solaribus respōdentes. Fatemur, eosdem & anni Lunaris rationem habuisse, ad integrandum scilicet & componendum annum Solarem, vel ad Lunę rationes Astrologicas. Sed ista *Petauio* nihil certè prosunt. Corruit ergo à dictis hoc præcipuum medium, quo *Petauius* suam sententiam tutabatur. Et demum his addo, facillimo negotio, & maiore ex causa posse idem argumentum in *Petauium* retorqueri, quandoquidem constitutissimus apud omnes peræquè gentes semper fuerit annus Solaris, vt quem φύσις ipsa indicauit & docuit (vti *Scaligeri* nomine suppresso agnouit *Petauius libro primo capite octauo.*) huius autem anni Solaris menses itidem Solares esse debent ab eadem augmentatione *Petauij*.

SECVNDÒ arguit † enixè *libr.* 1. *cap.* 13. ab Oraculo κατὰ τρία θύειν, id est, κατ' ἐνιαυτοὺς κατὰ μῆνας καθ' ἡμέρας: sed illum ipsum in eum retorquemus, & anni Solaris rationem Græcis fuisse ab his ipsis planè elicimus. Aut certè ista alîus sunt propositi, & de Festis tantùm Græcorum, anno, mensibus & diebus accommodandis sunt intelligenda iuxta ea quæ lato sermone prosequuti sumus *in sectione præcedenti*, dum illa *Gemini* Μῆνας κατὰ σελήνην, ἐνιαυτοὺς καθ' ἥλιον ἄγειν interpretaremur. 137

TERTIÒ † arguit *lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5. à denominationibus illis νεομηνία, ἔνη καὶ νέα, & à mensis diuisione in ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθίνοντος. Sed his & consimilibus iam fecimus satis *in sectione præcedenti num.* 125. *in princip. & ante finem.* 138

QVARTÒ † arguit *lib.* 1. dict. *cap* 5. à Nonis & Eidibus, & subinde à Kalendis. Sed respond. ista quibusque mensibus, & nunc Iulianis aptè accommodari, nec Lunares solos afficere, vt iam annotauimus *in sect. præced. num.* 125. cum pluribus aliis hanc argumentationem eludentibus. 139

DEMVM † argumentatur προγένείας Græcorum ex sola auctoritate illis *Incogniti* in argumento super Oratione *Demosthenis* aduersus Androtionem, quam ad finem sectionis præcedentis *num.* 133. satis superque eleuauimus. Vt inde nil obsit: nec

obstatura quidem etsi prædicto ἀγνώςῳ plena esset fides adhibenda, cùm loquatur de annis & mensibus Atticis, quorum alia dispar ratio ex lege Solonis, vt sæpè sæpiúsque aduertimus. Quin & *idem ille* in cæteris Græciæ partibus id ipsum quod nos defendimus, expressè firmat obtinuisse.

140 SIT ERGO omnium † prædictorum conclusio, & annorum insuper mensiúmque Græcanicorum summa series, & his (quæ iam tradideramus in *c. duodecimo*, §.4. *num. vigesimo nono*, concinens σύςημα) principio Græcos (ab Ægyptiis in annorum computatione & dimensione edoctos) eundem cum illis habuisse communem annum 360. dierum à duodecim mensibus tricenariis æqualibus compactũ; nisi quòd Ægyptij in horum dierum fine quinque tantùm dies appendices intercalabant, vt Solis cursui annus præterpropter peræquaretur. Græci verò eadem mente (& quidem deuiore, vt notauit *Herodot. libro secundo*,) mensem tricenum biennio exacto, pòst triennio interseruerunt. Cúmque intercalationes istæ valdè aberrantes essent, alias atque alias excogitarunt, tam ad anni communis 360. dierum, quàm Lunaris 354. (qui itidem vsitatus) cum Solari vertenti (constante 365. diebus & ¼.) peræquationem, vt colligitur ex *Diodoro, Gemino, Theone* & *Censorino*, & insuper *Cicerone in Verrem*, cum aliis relatis *hoc cap.* & laudatis anteà in DISPVTATIONIS *cap. duodecimo*, §. *quarto*.

Post hæc, communis Græcia (cui menses triceni, ciuiles, & Lunares subinde in vsu fuêre ad varia) Thebanos, Ægyptios & Alexandrinos imitata, & eorum intercalationes, annos 365. dierum cum ¼. obseruare cœpit, vti à *Diodoro* & *Theone* deprehendimus *suprà*.

Et ista quidem tunc contingebant, cùm Solon Atheniensium Archon (ad quem ex officio inter cætera cura temporum & annorum denominatio pertinebat, vt notauimus *supr. sect.* 1. ex *Carol Sigonio* & *Io. Meursio*) legem illam de mensibus tantùm Lunaribus rogauit. Quæ (licèt ab *Aristophane in* Νεφέλαις, vt vidimus in d. §. 4. fuerit irrisa) vsu tamen Populi quoad ciuilia, maximè δικαῖα *iudicialia*, fuit recepta, vt ex eodem *Aristophane*, *Plutarcho in Solone* & aliis iam deprehendimus.

Sed & Athenis post legem Solonis menses Solares tricenos in vsu communi fuisse, præsertim in Medicis, Naturalibus (vt puta parturitionibus) Ætatibus computandis, Temporibus Olympiadum designandis, & consimilibus planè colligitur ex *Hippocrate*, *Aristotele*, *Gemino*, & aliis per nos adductis, *supr.* & prius in d. §. 4.

Demum post anni Iuliani emendationem (Græciæ, ac vbique gentium admissam) Athenis tantùm res fuit innouata, & vice mensium Lunarium, triceni (reliquis Græciæ partibus tunc vigentes) iterum admissi: sicuti & ante legem Solonis: nisi quòd vti & ante... in vsu, Lunaribus exclusis, esse cœperunt, tam Athenis, quàm vniuersæ Græciæ (menses istos tricenos & post castigationem Iulianam adhuc retinenti) vt ex *Epiphanio hæresi* 51. notauit ibi *Petauius* in verbis per nos expensis *supr. hoc cap. sect.* 1. Et comprobatur apertè ex *Galeno libro primo de morb. popul.* in verbis per nos relatis & explicatis eadem *sect.* 1. Et ab his quidem veniunt supplenda quæ diximus & prænotauimus in d. §. 4. *nu.* 29. *vers. Et isthæc.*

Sícque res ista suis locis collocata, Græcanicæ ferè historiæ vniuersali (neque enim istis comprehenduntur singulares ritus, puta Siculorum, ex *Cicero-*

Cicerone in Verrem, & aliorum) valdè accinens erit: liberáque remanebit ab ariolationibus *Petauij*, supponentis menses Græcorum Lunares ex eorum opinione erronea tricenos: & annum Solarem opertaneum cum eius mensibus latentibus: & subinde menses Lunares ciuiles intra Iulianos sursum & deorsum diuagantes: & alia plura hisce arridentia, quæ satis superque suis locis examinauimus & refellimus.

CAPVT IV.

DE ANNO ET mensibus Romanorum.

De isto anno agit *Petauius lib.2.cap. 71. & seqq.* vsque in finem libri, & iterum de anno Iuliano in *lib.4.* ex *cap.1.* τεχνικὰ & ἱστορούμενα cōminiscens. Dúmque *Scaligerum* insequitur, anni Romani seriem historicam (nec in 2.*tomo* delibatam) prædictis itidem locis prætermisit. Et certè eius tractationem summè difficilem, vt ex *Censorino* probauimus in *cap.12. §. 5. in princ.* obscuriorem inde reddidit. Cúmque Iuris Ciuilis simul ignarus esset, quæ nos de anno communi 360. dierum & mensibus tricenis Romanorum latè tradidimus in d. §. 5. intacta omnino reliquit: cùm alioquin plura de horum annorum periodis & intercalationibus (antiquis enarratoribus & *Censorino*, aliàs vt ipse agnoscit, perspicacissimo, incognita *capit. 20. in princip.*) in medium summa fiducia proferret in relatis locis. Nos autem anni & mensium istorum historicam velut summam sequétem, Petauianis ducimus adiiciendam.

Principio annus Romulo nec verè Lunaris, nec Solaris fuit, & decem quidem mensibus tantùm constabat, vt ex pluribus resoluimus in dict. §. 5. *nume.* 3. contra *Scalig. Licinij* & *Fenestellæ* opinionis renouatorem, & comprobat *Petau. libro secundo, cap. 73.* Cùm autem in prima sua constitutione annus iste ad Lunarem tenderet, certè illis etiam temporibus Solis integro cursui, vel saltem anni communis 360. diebus constantis, vt rudis Romuli & suorum scientia concedebat eum peræquari consueuisse, testis est *Plutarch. in Numa*, expensus in dicto §. 5. *num. septimo.* Quem quidem *Petauius* dict. *c.* 73. malè refert ad anni Lunaris Græcorum 360. dierum cum mensibus tricenis (quem anteà confixerat) inconcinnam adstructionem. Etenim ille Græcorum annus (qui ciuilis Solaris, vt iam satis supérque probauimus in *cap. præced.*) simplex erat. Iste verò Romanorum compositus, mediísque intercalationibus, aut aliis superadditionibus ad tantum dierum numerum redactus, vt innuit *Plutarchus* relatus in d. §. 5. *num.* 7.

Mox Numa cælestiū peritior annū

xij.mensium statuit, teste *Liuio*,& aliis per nos adductis in dict. §. 5. *numero tertio*, & Lunarem simul 354. dierum Græcanico Lunari per similem; ísque maximè in vsu fuit ciuium Romanorum,& ita post *Scaliger*.ratus est *Petauius lib.2.c.72.* Et certè annus iste Lunaris perdurabat editionis Iulianæ tempore, vt planè colligitur ex *Dione* ita dicente *li.*43. *Iam cùm annorum dies inuicem sibi non satis congruerent* (πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους, ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον, *adhuc enim & iuxta Lunæ periodos menses agebat*) *Cæsar annum ad eum, qui hodie obseruatur, modum constituit.*

Huic autem anno Lunari (354.tantùm diebus in sui initio constanti)Romani (vt diximus in dict. §.5.*numer.*8.) ex causa à *Censorino* assignata in *cap.* 20.vel alia ex *Macrobio* à *Petauio* tradita *libro* 2.*capit.*73. diem vnum (quo res ista difficilior reddita) addiderunt: & annum Lunarem 355. dierum à prima fermè Antiquitate diuersis subinde intercalationibus Solari adæquarunt,eodem *Censorino* teste dict. *ca.*20. Qui, *omnibus* (ait) *Italiæ gentibus Albanis, Romanis, Ferentinis fuit propositum, suos ciuiles annos variè intercalandis mensibus ad vnum verum illum, naturalémque corrigere.*

Post hæc Romani exemplo Græcorum à quibus varia scitamenta desumpserunt)annum communem Solarem, menséſque tricenos in vsu communi & ciuili habuerunt, vt probauimus d. §.5.*nu.*7.à *Cicerone libr.6.epistol.ad Atticum, epist.*1.& verè supponunt *Liuius libr.* 1. cum *Censorino* & *Plutarcho* expensis in dict. §. 5. *numero primo & septimo*, vbi nos ex pluribus id comprobauimus,& latiùs ex *nu.*40. Nec enim aliter post I. Cæsaris emendationem tricenorum mensium ratio,aut mentio vlla esse potest in tot legibus Romanorum, ac referuntur in dict. *numer.* 40.nisi & ante ipsum iidem menses triceni in vsu communi Romanis itidem essent. Quæ, etsi notatu digna; mirum non est *Petauium* Iuris Ciuilis inscium præteriisse.

Sed & eorumdem Græcorum imitatione, annos suos vel Lunares, vel Solares communes 360. dierum Solaribus vertentibus Romanos peræquasse,mediis intercalationibus, clarè enuntiat *Censorinus* dicto *ca.*20.in verbis iam relatis:& mox idem *ibidem* repetit vel innuit.

Cùm autem temporibus Iulij Cæsaris annus Romanis magna esset in labe, teste *Dione libr.*43. in verbis *suprà notatis*, cum pluribus adductis à *Petauio libr.*2.*cap.*77.& *libr.*4.*cap. primo & secundo.* Cúmque ipsi (edocto ab Ægyptiis Alexandrinis, dum eisdem cómemoraretur, *Dio* dicto *libr.*43.) hoc maximè constitisset, emendationem suam induxit,& Solarem vnicum vertentem & naturalem annum Romanis deinceps statuit, vt ex multis notauimus dicto §.5.*numer.vndecimo*,cúmque omnes gentes certis temporibus & modis admiserunt, vt ex *Censorino* aduertimus in *capit. præcedenti numer.*95.

Sed & post Iulianam anni editionem Pontifices iam olim odio vel gratia peruersis intercalationibus vsi, quadrantem exacto cuique quadriennio iuxta eam adiiciendum anteponebant: Id quod in causa fuit vltimæ Augusti castigationi, cuius meminit *Censorinus* dict. *capit.*20. & nos sumus prosequuti dicto §.5. *numer.* 19. & 20. & nunc latè pertractat *Petauius lib.* 4. *capit.* 3. & quidem strenuè. Nisi quòd ad finem dicti capitis ait, Augustum aliter ac Iul. Cæsarem bissextilem ordinasse contra illa Suetonij: *Ad pristinam rationem redegit*, per nos iam expensa d.§.5.*num.* 20. & contra *Macrobium* ibidem relatum: qui simul cum

Suetonio

Suetonio huic nouissimæ emendationi solam Pontificum fallacem interuersionem in causa fuisse prædicauit. Quin & vnum, idémque fuisse bissextum Iulio Cæsari & eius successori Octauiano Augusto planè comprobari videtur ab *Ammiano lib.26.*

Cætera annorum, mensiúmque Romanorum periodos & intercalationes in quibus *Petauius* multus est) attinentia. Nos (ista ἱστορικῶς tractantes) non curamus. Nec est cur perquisitione ista (desperanda ex sententia *Censorini* ob multiplices, variásque annorum Romanorum formas, supputationes & intercalationes) aliquis deinceps persistat.

Ab his nos in dicto *cap.* 12. §.5.*nu.* 21. descendimus ad anni Iuliani introductionem in aliis Regionibus extra Italiam. Et subinde à *nume.* 22. resoluimus, quo tempore in Hispaniis fuerit acceptus. Et *Æræ* insuper nomine eum ab illo tempore Hispanos designasse notauimus. Eiúsque etymon & alia sumus prosequuti, quorum plura concinentia nunc videmus in *Petauio lib.10.cap.68.tom.2.* Nisi quod sequentibus defuit, aut lapsus est.

Primò, cùm proposuisset Æræ etymologiam eruere & deducere, id omnino non præstitit.

Secundò, dum exolescente Latino sermone *Æra* vocabulum inductum putat, contra ea quæ ex *Nonio Marcello* post *Lucil.* notauimus d. §.5. *num.* 27. Ecquis, quæso, ista dixit *Petauio*? Cedo instrumentum Æræ inductioni cõtemporaneum, in quo Hispani hanc Iulianam temporum dimensionem alio nomine designauerint. Adhæc, quis Hispanos propria & natiua lingua omissa (maximè in re Romanos attinente) vetuit *Æræ* nomen ab ære vsurpasse? & dictione itidem ista Latinos deinceps vsos, & simul Græcos? Vidimus quippe Ptolemæum, & quidem omnium primum, *Æræ* nomine vsum in dicto §.5.*num.*24.

Hæc certè (quæ *Dauidi Origano* placuerunt in *Ephemerid.*1.*p.c.*1.) verosimiliora sunt traditis à *Petauio*, qui Hispanos à principio anni Iuliani tempora alio nomine quod nec ipse, nec alius præmonstrat) computasse supponit.

Tertiò, computationem ἐχθρόμ *Scaligeri* vnum annum subducentis ab Æræ inductione, comprobat, & veriorem *Baronij* per nos adductam & initam ab ipso anno victoriæ de Cerretanis obtentæ præterit.

Qvartò, causam à prædicta victoria erutam minùs aptè explodit, vt facilè colliges ex dictis per nos d. §.5.*nu.* 34.*& seq.* Nec debuit ignorare Ceretanis, Austuribus & aliis confinium istorum incolis deuictis, Hispanias tũc perdomitas diiudicasse Augustum, & non anteà: ídque simul magni ipsum fecisse, & insigni demonstratione, iam notata in dict. § 5. *nume. trigesimo nono*, declarasse. Vt inde notanda ista Ceretanorum victoria à deuictorum mira fortitudine & spoliorum adeò ingentium copia, ac *Dio* & *Suetonius* enarrarunt (quáque Hispani illi iugum Romani Imperij aliàs constantissimè renuentes, confricti, paulò pòst omnino fuerunt deleti, vt decantat præ aliis *Horatius libro secundo, Carm. Ode* 6. *& libro primo Epist.* 12.) meritò anni Iuliani inductioni, & nouæ apud omnes Hispanos temporum computationi in causa fuisse credamus, ex ratione tradita à *D. Augustino* relato dict. §.5. *numer.* 35. Et ab his verosimili ducor coniectura, vt existimem, apud nos Æram Cæsaris constanter & simpliciter vocitatam hanc temporum denominationem: & quidem passim in *Tabulis* Regis nostri Sapientissimi Alphonsi, & in *Proœmio* itidem *Septem partiti iuris* in verbis iam per nos

expensis in dict. §. 5. *num.* 32. & ab aliis alibi passim.

QVINTÒ, dum *Scaligeri* causam, & eandem ferè à *Baronio* traditam, nudè & inuiè explodit. Cumque istius hac de re scripta perlegerit, vt sua demonstrant, rationem illam *Baronij*, quòd Æra Hispaniæ à persoluto ære fuerit dicta, non curauit, quàm nos quidem refellimus d. *num.* 35. Et ibi dictis nunc addimus, à Ceretanis & alijs auxiliatoribus excerptum aurum, aut thesaurum *æris persoluti* nomine venire non potuisse, vt putauit *Baronius*. Dices, ista *Petauium* silentio prætérijsse, ne huius rationis primum Auctorem *S. Isidorum* notaret. Sed ne credas hoc ei impedimento fuisse, quando eundem *Diuum*, adeò ἀβελτέρῳ inurit stylo in d. *cap.* 68. *ad finem*, in his quæ ab errore librariorum in numeralibus notis prouenire potuisse mox agnoscit.

SEXTÒ, causa à *Petauio* designata d. *capit.* 68. quàm remotissima est, nec Hispanias aliquo singulari afficit effectu, ac in istis contingere consueuit, iuxta tradita per nos ab *Schedelio* d. §. 5. *num.* 24. & 35.

SEPTIMÒ demum, eorum nomina per quos profecerat, subticuit, maximè consocij *Lælij Bisciolæ*, à quo & *Baronio* eius nominibus suppressis Æræ antiquiorem rationem & mentionem, in *Concilio Nicano* habitam, desumpsit.

FINIS.